





R.R. P.P. Eremitarum Camaldulen. Montis Regy prope Varsaviam

IN PRIMA SECUNDÆ PARTIS
THEOLOGIÆ
SPIRITUALIS,

SEU

SCIENTIÆ SALUTIS,

Benè Beatèque vivendi in Tempore, ac Æternitate.

TRACTATUS
SECUNDUS.

DE MEDIIS AD FINEM SUPERNATURALEM:

SIVE

DE ACTIBUS SALUTARIBUS; ET EORUM OPPOSITIS, IN SPECIE.

HOC LIBRO

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

AUTHORE R. P. FELICE SIMPLICI ŁACKI,
S. Theol. Profess. & Priore Monast. B. MARIAE V. *de Olivæ, S. O. Cisterc.*

Typis MONASTERII OLIVENSIS Sacri Ordinis Cisterciensis.
Imprimebat JOANNES JACOBUS TEXTOR, *Anno* M. DC. LXXXVII.







CAPVT IV.

DE VIRTUTE CARDINALI PRUDENTIÆ.

SIcut Virtutes Theologicæ disponunt hominem, ut se rectè habeat circa Finem supernaturalem, maximè ultimum; ut v. g. *intellectu* per fidem cognoscendo summum Verum, non qualitercunque, sed sub ratione debita & competente summo Vero: Item per fidem supernaturaliter cognoscendo fines creatos virtutum à summa Veritate revelatos: Ita virtutum Cardinalium est, qualificare, & habilitare hominem, ut se rectè habeat circa Media ad eundem Finem supernaturalem. Quia verò nihil volitum, quod non præcognitum; igitur Prudentia præcedere debet, quæ informat *intellectum* inveniendo, judicando, præcipiendo, quid & quomodo agendum, vel omittendum, ad assequendum Finem supernaturalem. Est enim Prudentia directoris ad instar, quæ currum vel navim aliarum virtutum per salebrosas vias, & hujus maris undas, ad optatum beatitudinis terminum ac portum commodè & feliciter deducit. Itaque post virtutes Theologicas, hoc capite cumprimis de PRUDENTIA, ejusquè annexis, & oppositis, sequitur tractandum.

SECTIO I. DE PRUDENTIA.

PRudentia aliàs dicta etiam Discretio, est virtus specialis, non modò intellectualis, verùm & moralis, quâ ex communibus principiis practicis, tum singularium, circa quæ fit operatio, notitia, adbibitâ memoriâ,

V. D. Thomam 2. 2. q. 47. & 48. & 49. & 51.

moriâ, intelligentiâ, docilitate, solertiâ, ratione, providentiâ, circumspe-ctione, cautione, de aliquo negotio, vel opere consiliamur, judicamus, illud-què respectu finis debiti agendum, vel omittendum, solicitè præcipimus. Dicitur; *Specialis*: quia distingvitur ab aliis, quibus connumeratur Sap. 8. *Sobrietatem & Prudentiam docet justitiam & virtutem.* Dicitur; *non tantùm intellectualis, sed & moralis*: quia Prudentia non solum facit rectam considerationem rationis, sed etiam respicit rectitudinem appetitûs, inquantum applicat rectam rationem ad opus, quod non fit sine appetitu recto. Dicitur; *quâ ex communibus* &c: quia ad Prudentiam spectat non solùm consideratio rationis, quæ fit circa universalia, sed etiam applicatio ad opus in singulari, operationes enim fiunt circa singularia. Porrò conveniens applicatio esse nequit, nisi & id sciatur, quod applicandum est, nempe aliquod principium universale, & id, nempe aliquod particulare, cui applicandum est. Dicitur; *adhibitâ Memoriâ*, seu præteritorum cognitione: *Intelligentiâ*, seu præsentium contingentium aut necessariorum notitia; *Docilitate*, quæ est cognitionis acquisitio per disciplinam: *Solertiâ*, quæ est vera conjecturatio medii; *Ratione*, nimirum procedendo ex cognitis ad alia cognoscenda, vel judicanda: *Providentia*, ordinando aliquod accommodum ad finem: *Circumspectione*, attendendo ad circumstantias negotii: *Cautione*, vitando impedimenta.

Idem 2. 2. q. 47. a. 57.
Ibidem a. 4.
Ibidem a. 3.
D. Thom. 2. 2. q. 48. art. 1.

Vel fusiùs ex Dobrosielscio. *Memoria*, est notitia eorum, quæ antea fuerunt. Vel, est recordatio eorum, quæ legimus, audivimus, vidimus, aut quocunque modo experti sumus; ad hoc nobis deserviens, ut scilicet ex præteritis faciliter colligere valeamus quid in præsenti, vel futuro negotio expediat: Nam Prudentia versatur circa contingentia operabilia, & in his, ut plurimùm futura sunt præteritis similia. *Intelligentia* significat notitiam tam eorum quæ nunc sunt ac fiunt in occulto, quàm legum & bonarum consuetudinum, ut sint pro principiis ac regulis agendorum. *Ratio*, est promptitudo quædam ratiocinandi ac veritatem particularem per se minimè notam, per aliam universalem seu notiorem inferendi, colligendi & cognoscendi. *Providentia*, est tempestiva futurorum contingentium prævisio, seu ex præteritis & præsentibus futurorum contingentium præsens notitia. *Docilitas*

Sum. Ascet & Myst. Theolog. Tract. 5. Dist. 2. art. 7.

cilitas, eſt facilis quædam ſuſceptio diſciplinæ ab expertis rerum, quales ſunt potiſſimùm Senes: duobus enim modis prudentia acquiritur, eruditione nimirum & experientiâ: Experientia quidem (quæ aliàs temporis longitudine comparatur) docet de ſimilibus, aut disſimilibus, ſimiliter aut disſimiliter judicare: Eruditio accepta à Senioribus expertis, ſupplet experientiæ defectum juxta illud Eccl. 8. *Non te prætereat narratio Seniorum, ipſi enim didicerunt à patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum. Solertia*, eſt quædam ſagacitas in inveniendo medio, brevi tempore, quod ad rectè agendum ſpectat. *Circumſpectio*, eſt diligens & accurata conſideratio ac perſpectio circumſtantiarum, nè aliqua deſit in opere. *Cautio*, eſt omnis mali, quod ſub ſpecie boni vitiare poteſt actionem, ſtudioſa animadverſio.)) Atque iſtæ ſunt partes integrales PRUDENTIÆ, ſine quibus actus Prudentiæ perfectus eſſe nequit.

Dicitur in definitione: *de aliquo negotio, vel opere* &c. Ubi *Albertus Magnus* inſinuat, circa quæ opera Chriſtiano conſultandum, maximè quoad prudentiam ſui regitivam: Diſcretio, inquit, vera eſt, prudenter judicare inter Creatorem & creaturam, quid ſit Creator, & quid creatura. Item quid ſit bonum, quid melius, quid optimum, quid malum, quid pejus, quid pesſimum: quantùm bonum ſit appetendum, quantùm malum ſit deteſtandum. Item quantam reverentiam debeat homo ſuperiori, quantam clementiam inferiori & compasſionem, qualem ſocietatem æquali, qualiter debeat ſe habere ad mortuos, qualiter ad vivos, qualiter ad ſucceſſores, qualiter ad amicos, ut diligantur in DEO, qualiter ad inimicos, ut diligantur propter DEUM, qualiter coram DEO occultè, qualiter coram homine manifeſtè: quæ refectio carni, quæ ſpiritui impendenda ſit, quibus veſtibus induendum, quando comedendum, quando bibendum, quando abſtinendum, & quantùm, & à quibus cibis, quando vigilandum, quando dormiendum, & quantùm & quamdiu: quando orandum, quando flendum, quando aliquod opus faciendum: quomodo ſe habendum ad laudem, quomodo ad reprehenſionem, quomodo loquendum, quomodo tacendum, & quando: quantùm, & de quibus cauſis, cum quibus, quo loco, quo tempore, quando

In paradiſo animæ cap. 34.

quando accipiendum, quando retinendum, quando largiendum, & quantum, & quibus, & quo tempore. De omnibus his ordinatè & prudenter dijudicare est vera, discretio. Hæc virtus est magistra omnium virtutum, statuens omnibus modum & ordinem: ubi autem discretio non est, ibi charitas non servat ordinem, nec modum.))

Dicitur in definitione; *consiliamur*, *judicamus* &c: ubi simul exprimuntur actus potentialium virtutum Prudentiæ. *Imo Eubuliæ*, quæ virtus est bene consiliativa seu inquisitiva rationis de rectè agendis. Et hujus potissimùm virtutis, sicut & doni consilii videtur esse officium, invenire medium in virtutibus: quia per consilium tamdiu inquiritur ratio agendi, quousque commensuretur regulæ seu dictamini luminis naturalis. *2do Synesis*, quæ est virtus bene judicativa de agendis, seu de inventis per consilium, secundùm quædam principia universalia. Et *Gnome*, quæ est virtus benè judicativa de agendis præter communia principia. Seu secundùm *Dobroscelscium Eubulia*, est habitus præbens facultatem rectè consultandi, quidnam sit agendum, aut quomodo procedendum in rebus dubiis & perplexis. *Vel*, est virtus consiliativa, bona scilicet suggerens homini consilia, ac facilia ostendens media ad consequendum finem. *Synesis*, est habitus præbens facultatem rectè judicandi de consultatis, idquè juxta præscriptum legum positivarum, & naturalium. *Gnome*, est habitus præbens facultatem de consultatis rectè judicandi, ex principiis quibusdam altioribus contra tenorem scilicet verborum legis naturalis, & positivæ, ad mentem tamen ipsius Legislatoris. *Vel*, est virtus de mediis inventis bene judicativa, non quidem secundùm alicujus legis determinationem, sed secundùm ipsius rectæ rationis lumen.))

V. D. Thom. 2. 2. q. 51.

Summar Ascet. & Myst. Theol. t. 4. d. 2. a. 7.

Notandum verò est; *Judicium* pertinens ad Prudentiam, etsi versatur circa materiam aliter se habentem, quàm formetur de ea judicium, tamen id ipsum judicium erit verum: quia non cadit immediatè super ipsam materiam, sed super actum opinativum, seu probabiliter affirmativum, vel negativum de illa materia. Unde tribuens aliquis eleemosynam illi, quem putat esse pauperem, cùm de facto non sit talis, regulatur hoc dictamine pruden-

prudentiæ: *Hic & nunc honestum est dare eleemosynam huic, quem puto esse pauperem*, iste actus est verissimus, quia est conformis suo objecto, seu actui opinativo, etiamsi hic sit falsus circa materiam paupertatis, adeoque non eliciatur à prudentia, sed ab opinione. Prudentia enim ex quo est virtus intellectualis, semper debet versari circa verum, ita ut sit perfectiva intellectûs, quod est de ratione virtutum intellectualium. A qua ratione & fine quia deficit *Opinio*, versans circa verum & falsum; ideo non est virtus intellectualis, ut docetur *6. Ethicorum.* Porrò voluntas quanquam erret circa aliquam materiam, potest tamen de illa elicere actum moraliter bonum & meritorium. *Ratio est*, quia voluntas supponit aliam potentiam intellectivam, ad quam regulatur, unde voluntatis perfectio, ad quam ejus virtutes diriguntur, non est sita in veritate, seu in conformitate cum rebus, prout sunt in se ipsis, sed in conformitate cum rebus, prout sunt in intellectu. Hinc etiamsi feratur in objectum materiale falsum, semper tamen ad hoc excitatur sibi proprio motivo formali veræ honestatis, vel alicujus alterius in ratione motivi, ac proinde virtus voluntatis assequitur suum finem honestatis, etsi aliter se habeat objectum materiale. Atque ita dans eleemosynam pauperi non vero, sed apparenter tali, elicit actum misericordiæ moraliter bonum, & meritorium; quia illam dat v. g. ex motivo honestatis, quam intellectus indicat & ostendit voluntati. Motivum enim formale objecti, dat speciem & esse actui. Dicitur in definitione: *præcipimus*, qui est actus præcipuus Prudentiæ: hic autem actus præceptivus debet condiri solicitudine, ut scilicet consiliata judicataquè velociter operemur. *Solicitus* enim est, quasi *solers citus.* Porrò *Vigilantia* est idem quod Solicitudo, Doctore D. Thoma.

V. D. Thom. 2. 2. q. 47. a. 8.

Ibidem q. 47. a. 9.

Species Prudentiæ sunt, *Henarchia*, seu prudentia sui gubernatrix, & *Polyarchia*, seu prudentia multitudinis regitiva, quæ dividitur *1mo in Monarchiam*, sitam in convenienti regni administratione: *2do in Politicam*, quæ est recta civitatis administratio: *3tio in Oeconomicam*, seu probam familiæ gubernationem: *4to in Militarem*, quæ est laudabilis exercitûs directio. Circa has Prudentiæ species, quomodo quisque in suo statu Christianè & supernaturaliter habere se possit, in praxi infra videbimus. Gra-

V. D. Thom. 2. 2. quæst. 50.

Gradus Prudentiæ
Ex Divo Bonaventura Comp. Theol. Verit. lib. 5. cap. 34.

Macrob. lib. 1. in somn. Scip.

PRudentia secundùm quod est virtus *Politica*, est, ut ait Macrobius ad, rationis normam, quæ cogitat, quæcunque agit, universa dirigere, ac nihil præter rectum velle, vel facere. Prudentia verò secundùm quod est virtus *Purgatoria*, est, ut idem ait, & mundum, & omnia quæ in mundo sunt Divinorum contemplatione despicere, & omnem animæ cognitionem in sola Divina erigere. Prudentia autem prout est virtus *Purgati animi*, est sola Divina noscere, & ea tanquam nihil aliud sit, intueri. Prudentia sanè *Exemplaris*, est ipsa mens Divina, cui omnia nuda sunt & aperta.

Alii Gradus Prudentiæ ex aurea Formula Divi Bonaventuræ T. 2. de grad. virt. c. 9.

Graduum Prudentiæ Christianæ ordo.

I. PRudentiæ altus gradus est, cognoscere DEUM per creaturas, sicut dicit Apostolus: Invisibilia DEI &c. Altior per scripturas. Altissimus per fidem. Item altus gradus est Prudentiæ, ordinare mores exteriores secundùm voluntatem DEI. Altior, ordinare affectiones. Altissimus, ordinare vires animæ secundùm beneplacitum DEI.

II. Item altus gradus est, ordinare vitam interiùs & exteriùs secundùm exempla Sanctorum. Altior, secundùm exempla Christi. Altisimus, secundùm mores Christi.

III. Item in alto gradu est, qui considerat amaritudinem animæ, cùm separatur à corpore. In altiori, qui considerat amaritudinem animæ, cùm separatur à familiaritate DEI ad breve tempus.

IV. Unde Bernardus: Quæ anima semel accepit &c. In altissimo, qui considerat amaritudinem animæ, cùm æternaliter separatur à fruitione DEI.

V. Item in alto gradu est, qui considerat jucunditatem animæ, cùm unitur DEO, ad longum tempus. In altissimo est, qui considerat jucunditatem animæ, cùm unitur DEO æternaliter.

VI. Item in alto gradu est, qui considerat, quomodo dat se DEUS in bonis spiritualibus. In altissimo est, qui considerat, quomo-

quomodo dat ſe DEUS totum in omni, quod eſt ipſe in Divina & humana natura.

Incitamenta ad ſtudium conquirendæ Prudentiæ ſunt. *Imum. Chriſtus* præcipit: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. *Petrus Apoſtolus*: Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus. *Matth. 10. 1. Pet. 4.*

2dum. S. Baſilius. In omni, ait, quæ ſuſcipitur actione, antecedere prudentia debet. Nam prudentiâ remotâ, nihil cujusvis generis eſt, quod licèt bonum videatur, non in vitium recedat, ſi aut alieno tempore, aut non adhibitâ moderatione fiat. *Idem.* Vera, inquit, prudentia nihil aliud eſt, quàm rerum faciendarum omittendarumquè cognitio, quam qui ſequitur, nullo tempore á virtutis operibus deflectet, nec unquam pravitatis ſpiculo configetur. *Beatus Gregorius Nazian*: ait: Malim prudentiæ guttam, quàm integrum fæcundioris fortunæ pelagus. *S. Auguſtinus.* Prudentia nobis neceſſaria eſt, quia docet quid fugiendum, & quid tenendum ſit. Prudentia docet te, ut non ſuperbias, nec de rebus tranſitoriis, cùm ſint caducæ, & ea, quæ posſides, tanquam aliena posſidere advertas. Prudentia docet te, quæ non potes perpetuò tenere, fructuosè permittas abire. Prudentia docet te, ut in cunctis idem ſis, tam in proſperis, quàm adverſis, ſicut manus quæ eadem eſt, cùm in palmam extenditur, & in pugnum reſtringitur. Ipſa te docet, quomodo reprehenſibilis ſit nimia laudatio, & immoderata vituperatio, illa quidem adulatione, ſed iſta ſuſpectâ malignitate. Prudentia teſtimonium veritati, non amicitiæ reddit, prudentia cum diſcretione promittit, & promiſſum accelerat, & amplius quàm promiſit præſtat. Prudentia docet, quomodo præſentia ordines, quomodo præteritorum recorderis, & quotidie futura provideas. *S. Bernardus*: Diſcretio eſt non tam virtus, quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixquè affectuum, & morum doctrix: Tolle hanc, & virtus vitium erit. *In conſtit. Monaſt. cap. 15. Orat. 21. de felicitate & prudentia. In Jamb. de prudentia & fortuna. Ad Eremitas in ſerm. de providentia. Super Cant. ſerm. 49.*

3tium I Exemplaris prudentia eſt ipſa mens Divina, cui omnia nuda ſunt & aperta)) Circa quæ *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* I I. Chriſtus Dominus, quàm præclarum fuerit exemplar prudentiæ, liquet ex ejus ſan- *V. apud D. Bonavent. Comp. Theol. veri lib. 5. c. 34. Sap. 8.*

ctissima vita, & doctrina Evangelica, quam ita concinnavit, ut sapientes & insipientes, perfecti & imperfecti haberent, quid ab eo discerent, quid in eo imitarentur. Unde Euthymius inquit: *Sciens communem hominum fragilitatem, ipsis se accommodavit, remittendo sæpe de illo suo vitæ rigore, ut omnes lucraretur. Et ideo vescebatur communibus cibis, & in Publicanorum mensis, ut omnibus exemplum, remedium, salutisquè ipsorum spem præberet.* Lege Evangelium & considera, & admirare, pro tuo statu & posse tantam prudentiam imitare.

Euth. Matth. 18.

III. Virginis Deiparæ prudentia quanta fuerit, publicum Ecclesiæ elogium manifestat, dum ei in Litaniis Lauretanis occinit: *Virgo prudentissima.* Sed hæc prudentia Virginis particulariùs penè sub singulis virtutibus explicatur: ubi exempla earundem virtutum in Matre DEI considerantur. IV. S. Rex David in omnibus quoque viis suis prudenter agebat, & Dominus erat cum eo. Vidit itaque Saul, quòd prudens esset nimis, & cœpit cavere eum. *Et v.* 30. Prudentiùs se gerebat David, quàm omnes servi Saul, & celebre factum est nomen ejus nimis. V. *Ex P. Lohner Biblio: manual: tit: Prudentia.* S. Bembo Abbas, adeò in verbis erat cautus & prudens, ut etiam Sanctum Antonium ex hoc capite superaret. Interrogatus ab aliquo de re quapiam, dicere solebat: Da mihi cogitandi tempus. Quo dicto ad orationem se conferebat; & si quidem à DEO responsum accepisset, id ipsum alteri communicabat; sin minùs, nihil respondebat. *Aliud.* S. Franciscus Xaverius mirâ erat prudentiâ in convertendis peccatoribus; nam primò dissimulabat eorum vitia, omni affabilitate eos devinciens, tum post recensitos varios malorum casus, eorum vitam Divinis mandatis contrariam ostendens, eos convertebat. Si quando aliquis diceret improba, nullam indignationem ostendebat, nec errantem eum reprehendebat, sed in ejus familiaritatem se insinuans, & seducens hominem sine arbitris monebat dicens: Mirari se, talia illi verba excidisse. Exiguos fructus cum hominum approbatione, maximis fructibus cum aliqua vel minima offensiuncula potiores ducebat; parvos quippe fructus cum virtutis exemplo perceptos & diuturnos esse, & semper augeri; contraquè ingentes offensione hominum vitiatos paulatim corrumpi ac interire.

1. Reg. 18. 14.

Palladius

Vit. lib. 2. c. 17.

Praxis ad comparandam Prudentiam est, *imo supra specificata*

cata proportionatè exercere. 2*do*. Conquirere sibi scientiam necessariorum & utilium, pertinentium ad virtutem, & opera negotiaquè indifferentia suo statui convenientia. 3*tio*. Exercere actus prudentiæ, nempe consilii, judicii, præcepti circa aliquod opus, vel negotium, adhibitis partibus integrantibus eosdem actus, uti sunt memoria, intelligentia, &c: de quibus suprà. Est autem *Consilium actus* prudentiæ, quo studiosè inquirimus media necessaria ad hoc, ut opus fiat honestè, ac secundùm virtutem. *Judicium*, est actus prudentiæ, quo discernimus de inventis mediis, quænam sint videlicet aptiora media ad finem consequendum, eligenda. *Præcipere*, est actus Prudentiæ, quo opportunè imperamus, ut quæ inventa sunt per consiliationem, & apta judicata ad finem, solicitè ac diligenter executioni mandentur. Unde *Solicitudo*, vel *Diligentia*, ac *Constantia*, sunt quasi circumstantes perfectiones hujus actus Prudentiæ, qui est præcipere. Porrò *Constantia*, intantùm refertur ad actum Prudentiæ præceptivum, in quantum juxta *Cornelium à lapide*: Aliquis est constans in retinendo eo, quod rectè judicatum est. Unde dicitur: *Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos.* Et Christus Dominus monet Paulum: *Constans esto*, nempe in testificando ipso, in quo etiam opere Judæi viderunt, *Petri constantiam & Joannis*. Hinc Judith precatur Dominum: *Da mihi in animo constantiam*. Bias apud Laertium ait: *Aggredere tardus agenda, aggressus age constans*. Quod *Diligentia* specificata videatur esse idem *solicitudini* docet D. Thomas, quia in his, quæ diligimus, majorem solicitudinem adhibemus. *Solicitus* autem est, quasi *solers citus*. Unde solicitudo est ex solertia quadam animæ velocem esse ad prosequendum ea, quæ sunt agenda. Hinc Philosophus dicit 6. Ethicorum: Quod oportet quidem operari velociter consiliata, consiliari autem tardè. Porrò solicitudo pertinet ad Prudentiam, quia ejus potissimus actus est præcipere per consiliata & judicata.))

l. 2. tra. 1 c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2.

V. Dobrosel. In sum. Ascet. & Myst. Theo. tra. 4. dist. 2. a. 7.

Cornel. à lap. Comm. In Epist. 1. Petri c. 4. vel 7. vide 2. Paral. c. 20. v. 17. Act. c. 23. Act. 4. Judith. c. 9.

Motiva *Solicitudinis, & Diligentiæ.* I. Michæas Propheta: *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Utique facere judicium, diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum DEO tuo.* Et Apostolus monet: *Solicitudine non pigri: Spiritu ferventes Domino servientes.* S. Bernardus: *Esto magìs solicitus, quid desit*

Michæas c. 6.

Rom. c. 12. ad Fratres serm. 1.

desit tibi, utinam essemus sic cupidi gratiæ spiritualis, quemadmodum sæculares pecuniæ temporalis. S. Gregorius: *Quantò morti vicinior officeris, tantò fieri solicitior ac timidior debes,* Eucherius: *Quantùm appo- suerimus ad diligentiam, tantùm ille (DEUS) addet ad gratiam.* Et potissimùm superioribus incumbit solicitudo: Unde Apostolus: *Qui præest, in solicitudine.* In quo idem Apostolus emicuit de se scribens: *Instantia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum.* III. DEUS quoque & *Dominus solicitus est mei*, tantâ curâ & providentiâ naturalium bonorum ac supernaturalium tum per se, tum per dilectissimum Filium suum Dominum nostrum JESUM Christum, magnitudinem & multitudinem nobis impertiendo. IV. DEIpara speculum sanctæ solicitudinis, & diligentiæ, de qua *B. Bonaventura*: Vide charissime, quod indefessissima & studiosissima fuit per sedulitatem in bonis operibus. Ipsa namque est Maria illa, de qua dicitur in Actis. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & MARIA Matre JESU. MARIA indefesse perseverando in oratione exemplum dedit: quam oportet sequi, & non deficere. Et si MARIA tam sedulè oravit in terris, quomodo non sedulè orabit in cælis? Propter hoc nos benè hortatur Augustinus dicens: Omnes, MARIÆ patrocinia omni nisu imploremus: ut dum supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa vos prece sedulâ commendare dignetur in cælis. Sed ecce MARIA nostra, non solùm ore in orationibus, sed etiam corde in sanctis meditationibus indefessa fuit & sedula. Ipsa enim est MARIA, de qua dicitur in Evangelio Lucæ: MARIA conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Quia ergo MARIA non fuit acediosa, ideo non fuit odiosa; & ideo non solùm mentem in sanctis meditationibus, non solùm linguam in devotis orationibus, sed etiam manus in bonis operibus sedulas habuit. Propter quod benè, sicut suprà dictum est, mansit MARIA cum Elisabeth tribus mensibus. Ad quod respondet Beda, & ait: Ut mulieri provectæ ætatis, Virgo juvencula ministerium sedulum impenderet. Item quàm longè â gratia MARIÆ est miser acediosus, cujus mens, manus, & lingua sunt toties à meritis otiosæ.

S. Gregor. Reg. lib. 7. — *Eucher. hom. 3. ad Relig.* — *Rom. c. 12.* — *2. Cor. 11.* — *Psalm. 39.* — *S. Bonav. in spec. B. M. V. Lect. 4.* — *Actor. 1.* — *Luc. 2.* — *Luc. 1.*

4to. Eosdem actus Prudentiæ, id est consilii, judicii præcepti ex-

ercere juxta certas regulas, quas hic generales ferè pro omni specie Prudentiæ valentes proponimus. 1mo. Quidquid agis prudenter age, & respice finem. *2da est Periandri apud Laërtium:* Ea facito, quorum te non pœniteat. *3tia; Plutarchus:* Prudentis est, rem abjicere, ob quam periclitatur. *4ta; Dionysius Hali: lib.* 11. Prudentes publica commoda privatis simultatibus potiora ducunt. *5ta; Dionysius lib.* 38. Prævenienda sunt hostium consilia, antequam cum damno nostro crescant. *6ta; Procop. lib.* 1. *Belli Wandal.* Plurimis juvat in rebus obeundis, temporis uti opportunitate. *7tima Theucid. lib* 2. Ex malis minimum elige, ex bonis maximum. Quæ Divinitus accidunt necessariò; quæ ab hostibus, fortiter ferto. *8va; Pachym* lib. 9. Insignis est prudentia, quòd non facere non possis, id facere, ut fecisse libenter videaris. *9na; Polib. lib.* 8. Nè temerè cuilibet credas, nec propter rerum successum insolescas: sed cuncta expecta, quæ hominibus accidere possunt. 10ma; *Cominæus lib.* 2. Super arduis rebus diu multumquè & graviter deliberandum, ut quod honestissimum est, & æquissimum, amplectamur: sed imprimis interpellandus est DEUS, ut quod optimum est, nobis suggerat. 11ma; *Seneca de quatu. virtut.* Accomodes te tempori, nec te in aliquibus, mutes, sed potiùs aptes. 12ma; *Cicero lib.* 1. *officio.* In Prudentia duo vitia vitanda sunt. Unum nè incognita pro cognitis habeamus, hisquè temerè assentiamus. Alterum nè nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles easdemque non necessarias conferamus. 13tia; *Septem Sapientum Græcorum ejusmodi fuêre præcepta, & regulæ sapientiæ. Bias* ait: Veritas odium parit. *Chilon:* Nosce te ipsum. *Cleobulus:* Ne quid nimis. *Thales:* Sponte noxa præstò est. *Pittacus:* Occasione utere. *Periander:* Moderare iram. *Solon:* Nemo ante mortem beatus. 14ta; *Cornelius à Lapide inquit:* Sic secura periculosis, certa dubiis, perpetua temporaneis, multa paucis, facilia difficilibus, publica privatis, Divina humanis, cælestia terrenis, anteponenda sunt. Hæc enim dictat prudentia. Rursum prudentis est sua non ostentare, consilia celare, rumoribus non terreri, in alieno malo fugienda intueri, juxta illud: Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. 15ta; Quam Sanctus Franciscus

Corn. à lap. Comment. in 1. Epist. Petri.

ciſcus Xaverius affert dicens: Quærendi fideles amici ac monitores, qui ſi quid à vobis, in veſtris peccatum eſt muneribus, amicè vos libereque admoneant, ut veſtra vitia, quæ vos ipſos fugiunt (in ſuis enim quiſque vitiis hebetior eſt quàm alienis) per alios cognita exuatis.))

Et hæ ſunt Regulæ ac principia, ſeu Maximæ, ad quarum amusſim lumen naturale dictat negotia & opera vitæ humanæ ordinanda & exequenda. Verùm in beata Chriſtianitate dantur alterius ordinis gnome, & axiomata, regulæ ac ideæ, ad quarum puncta lumen ſupernaturale Divinæ legis & gratiæ cum habitu infuſo Prudentiæ dirigit felici ſucceſſu actiones, & pasſiones vitæ noſtræ ad ſummum apicem veræ perenniſque beatitudinis. Unde Propheta Regius canit: *Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo, quia in æternum mihi eſt. Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.* Quæ principia & regulæ mandatorum conſiliorumque Divinorum, ac ſimilis generis, pro quacunque ſpecie Prudentiæ hoc toto Opere abundè continentur. Et ita Prudentia ſui regitiva in ſupernaturalibus inveniet hìc, quidquid ſibi eſt optabile & utile. Prudentia regitiva multitudinis, in ſpiritualibus, ubi agitur de ſuperiorum officio. Prudentia verò multitudinis directiva in ſecularibus, ſeu Politica, utì & Oeconomica, ac Militaris, iſtarum regulas humanas non ſpectat hìc referre. Utì v. g. in militia quomodo acies formanda contra hoſtem, ut ſcilicet non ſit ex adverſo ſolis, venti, &c. Talium enim ad alios pertinet tractatus, niſi inquantùm hæc ad ſupernaturalia dirigi queant; nempe ut in iſtis omnibus Prudentiis, intentio fiat ſupernaturalis, ſeu ut dirigantur omnia præter finem boni naturalis, ultimatè ad fines ſupernaturales, ipſumque finem ultimum prout dedimus alibi rationem & formam ſupernaturalizandi quaſcunque actiones & pasſiones indifferentes. Atque ita Rex, Princeps, Oeconomus, Dux militiæ, &c. non modò moraliter, ſed & ſupernaturaliter erunt boni, in quod officium Chriſtianis Rectoribus & Adminiſtratoribus rerum ſecularium ſummè adnitendum eſt, cùm in hoc eorum ſita ſit vera felicitas temporalis atque æterna, ut innumeris exemplis Hiſtoricorum patet,

Pſal. 118.

tet. Cur Constantinus, Theodosius, Carolus, & alii titulati Magni ob magnitudinem triumphorum, fortunæ, & orbis Monarchicum imperium? quia magni pietate, virtute. Idem sensus & de aliis. Quoniam verò juxta sapientem: *Timidæ sunt cogitationes mortalium, & incertæ providentiæ nostræ*, igitur 5to *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & nè innitaris prudentiæ tuæ.* quasi ex ea principaliter oriatur felicior successus operum tuorum, cùm hoc sit omni falsitate falsissimum. Nihil enim homo vel physicè vel moraliter agere potest sine assiduo concursu DEI, ex quo, & in quo vivimus, movemur, & sumus omnes. Quare ita oportet prudenter adhibere omnia media humana ad aliquid arduum efficiendum pro gloria DEI, perinde acsi illis solis tota res conficienda foret. Deinde totam fiduciam in DEO reponat, quasi ab ipso solo res peragenda esset, & sic sibi diffidens; Deoque fidens, eum toto corde invocet, illique modum rei conficiendæ à se inventum offerat, ut ea probet vel improbet, & meliora suggerat, eaquè dirigat, & prosperari faciat, atque ab illo uno felicem rei transactionem expectet. Hinc S. Bernardus sicut alios ipse monebat crebra siquidem experientia persuasus; *de omni re magìs fidebat orationi, quàm industriæ propriæ, vel labori.*

Sap. 9. *Prov. 3.* *In vita S. Bernardi. lib. 3. c. 1.*

SECTIO II.

De oppositis Prudentiæ.

§. I.

PRimo. Opponuntur ea vitia, quæ similitudinem quandam seu speciem, & non veritatem prudentiæ præseferunt. Et tales enumerantur ab Angelico Doctore, Prudentia carnis, Astutia, Dolus, Fraus, Solicitudo immoderata.

PUNCTUM I.
DE PRUDENTIA CARNIS.

PRudentia carnis, est amor, affectus, studium, & cura rerum carnalium. Vel juxta D. Thomam, *est vitium, quo homo* D. Thomas 2.2 q. 55. art. 1. & 2
con-

constituit sibi finem ultimum in carnalibus, seu carnis delectatione. Estque peccatum grave: quia fit summa deordinatio in aversione à vero ultimo fine DEO, & conversione ad creaturam, tanquam ultimum finem sed apparentem.

Contra Prudentiam carnis imum est. Prudentiam carnis participant illi, qui huic mundo corde toto sunt dediti, ab eoque ita denominati Mundani & Seculares, saltèm plerique (sunt enim & aliqui seculares, sed non seculariter viventes) de qui-

Luc. 16. bus Christus Dominus ait: *Filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Prudentiores inquam seu magìs industrii, perspicatiores sagacioresque in providendo suæ carni & vanitati accommoda, quàm ordinariè justi homines in cura & providentia bonorum Spiritualium. Quod sanè deberet esse pudori filiis gratiæ, frequenter se permittere superari à filiis malitiæ, ut isti sint dociliores & promptiores in suum perenne exitium, quàm illi ad æternum gloriæ prœmium. *Unde Doctor*

S. Bern. Epist. 341. *mellifluus inquit*: Moneat nos ipsos quoque secularis cupiditatis "exemplum; quem enim ambitiosum vidimus aliquando con-"tentum adeptis dignitatibus, ad alias non anhelare? sic & "curiosi cujusque non satiatur oculus visu, nec auris impletur "auditu. Quid? eorum qui avaritiæ serviunt, amatores sunt "voluptatum, seu vanas sectantur hominum laudes, nonne & "ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentiæ & te-"piditatis? Pudeat certè spiritualium nos bonorum minùs cu-"pidos inveniri. Erubescat anima conversa ad Dominum mi-"nori affectu sectari justitiam, quàm iniquitatem antea sectare-"tur. Est enim causa quoque valdè dissimilis. Stipendium "quippe peccati mors; fructus autem spiritûs æterna vita. "Pudeat proinde negligentiùs nunc in vitam, quàm priùs in "mortem ire, & minori studio salutis acquirere, quàm perdi-"tionis augmentum. Quanquam extraordinariè contingit, non paucos Sanctorum in sua prudentia & cura spiritualium bonorum præcellere astutiis milleque fraudibus, & solertiæ se-

Epist. ad Rom. cap. 8. cularium. 2dùm. Apostolus Christi ait: *Qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt; qui autem secundùm Spiritum sunt: quæ sunt Spiritûs, sentiunt. Nam prudentia carnis mors est; pruden-*

tia autem spiritûs vita & pax. Quoniam Sapientia carnis inimica est DEO: legi enim DEI non est subjecta, nec enim potest.

Igitur in *Praxi*, nimiâ aversione detestare, & cave carnis Prudentiam: eam verò, quæ spiritûs est, sectare, juxta methodum datam *suprà.* *l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3.*

PUNCTUM II.

DE ASTUTIA, DOLO, ET FRAUDE.

HÆc tria, quia ferè sunt eadem in re & specie, & nonnisi secundùm rationem interioris & exterioris actûs seu peccati differunt; tum quia sæpe unum pro alio usurpatur; ideo hîc simul de iisdem tractandum: Itaque

Astutia, est peccatum Prudentiæ oppositum, *quo quis non veris viis, sed falsis & simulatis utitur, ad finem sive bonum, sive malum consequendum.* Quia sicut excogitatio rectarum viarum ad debitum finem est munus prudentiæ, ita excogitatio viarum perversarum est opus astutiæ. *D. Thom. 2. 2. q. 55. a. 3.*

Dolus tripliciter accipitur. *1mo* pro dolo cordis uti Eccl. 19. dicitur: *Interiora ejus plena sunt dolo.* Et Psal. 37. *Et dolos totâ die meditabantur.* *2do* pro dolo oris, quo aliquis excogitatis in corde per astutiam viis falsis & perversis, illas ore & verbis proponit ad decipiendum alios, *Dolusquè hoc loco potissimùm intelligitur, executio astutiæ, per signa verborum seu locutionum.* *3tio* pro dolo operis juxta illud Ps. 105. *Et dolum facerent in servos ejus.* *D. Thom. 2. 2. q. 55. a. 4.*

Sicut Dolus astutiæ executio est, secundùm quod per verba seu facta fit; *ita Fraus ad astutiam spectat, prout astutiæ opus expletur per facta.* *D. Thom. 2. 2. q. 55. a. 5.*

Contra hæc *1mo est Psal. 2.* Virum dolosum abominabitur Dominus. *Item:* Et dolosi non dimidiabunt dies suos. *Prov:* Filio doloso nihil erit boni. Vir versutus odiosus est. *Item:* Sicut noxius est, qui mittit sagittas & lanceas in mortem; ita vir qui fraudulenter nocet amico suo, & cùm fuerit deprehen- *Psalm. 2. Psalm. 54. Prov. 7. Prov. 26.*

 sus

sus dicit: Ludens feci. *Item*: Lingua fallax non amat veritatem & os lubricum operatur ruinas. *Item*: Qui ambulat simpliciter, salvus erit, qui perversis graditur viis concidet semel. *Eccl.* Qui sophisticè (*id est captiosis & deceptoriis ratiocinationibus*) loquitur, odibilis est, in omni re defraudabitur. Non est illi à Domino gratia: omni enim sapientiâ defraudatus est. *Secundò S. Cyprianus*: Hæc est, frater, vera dementia, non cognoscere, & nescire quòd fallaciæ non diu fallunt. *S. Ambrosius*: Turpis est omnis fraus etiam in rebus vilibus: turpis est stateræ fallacia, & fraudulenta mensura; & si in foro execrabilis est, & in usu commerciorum, poteſtnè irreprehensibilis videri inter officia virtutum?

Prov. 28. *Eccles. 37.* *S. Cyprianus Epist. 3. lib. 1.* *S. Ambrosius lib. 3. offic. c. 9*

Tertiò In Longobardiæ finibus, vir erat versipellis ingenii, & acutissimæ subtilitatis, duplex animo, sermone lepidus, concinnandis, fabricandisque comœdiis edoctus, in reperiendis consiliis vehementer astutus. Nunquam enim erigebat brachia contra torrentem, sed ex quocunque latere mundi eum turbinis aura perflabat, ille protinus aptum calliditatis atque versutiæ pallium opponebat. Accidit ut quidam frater nocturnâ visione conspiceret lacum, qui erat igneus, qui flammivomis evaporabat incendiis, & crepitantibus ignium globis terribiliter cernentibus incutiebat horrorem. Quem locum trabalis enormitatis, videbantur obsidere dœmones, variaque serpentium genera hinc inde per circuitum spatiari. Vir autem ille, quem diximus, in ipsa flammarum stridentium voragine detentus, tentabat quidem coarctatus effugere, sed obstantibus bestiis dolebat aditum non patere. Modò scilicet ex hac parte fugam parabat, sed ecce serpens obvius adhærebat: per aliam partem erumpere satagebat, sed ecce rursus alia bestia laxo gutture frendens occurrebat. Ille rursus & alia ad evadendum loca tentabat, sed insurgentibus belluis omnino meatus effugii non patebat. Porrò autem cùm veritas dicat: Eâdem mensurâ, quâ mensi fueritis; remetietur vobis: hæc illi justo DEI judicio contingebat. Sicut enim ille per carnalis astutiæ vanitatem ex quibuslibet hujus seculi se noverat laqueis expedire; ita postmodum versâ vice, nullo valebat ingenio, supplicium, quo cruciabatur, evadere.

Petrus Damian. Epist. 14. ad Desiderium c. 4.

Execra-

Execrare igitur omnem mendacii & simultatis, seu astu- L.2. tract. 1. c.1.
tiæ, & dolositatis, ac fraudulentiæ formam, juxta *suprà* datam nor- sec. 4. subs. 2.
mam. Mirum enim in modum obscurat ac deturpat rationis lu- § 2. & 3.
men, dirimitque societatis humanæ vinculum, ut prorsus indignus cōsortio humano deturbandus est Versipellis illum ad draconem & serpentem antiqvum, cujus vafricie innumera multitudo mortalium decipitur, & æternùm perit.

PUNCTUM III.

DE SOLICITUDINE IMMODERATA RERUM TEMPORALIUM.

SOlicitudo inordinata transitoriorum quid sit, & quomodo committatur, sequentibus demonstratur. Temporalium
solicitudo illicita est *1mo*, si ea, ùt ultimus finis quærantur. D. Thom. 2. 2.
Vel 2do, si ad ea procuranda superfluum studium adhibeatur. *Vel* q. 55. a.6. & 7.
3tio, si nimiùm timeamus, nè nobis in necessitate deficiant. *Vel 4to*, si solicitudines intempestivas quis sibi adaugeat. Nam quo
ad 1mum Augustinus in libro de operibus Monachorum dicit: S. August. c.26.
Cùm Dominus dicit: Nolite soliciti esse &c: hoc dicit, ut non paulo a. prin.
ista intueantur & propter ista faciant, quidquid in Evangelii præ- Tom. 3.
dicatione facere jubentur. Alio modo potest esse temporalium solicitudo illicita propter superfluum studium, quod apponitur ad temporalia procuranda, propter quod homo à spiritualibus, quibus principaliùs inservire debet, retrahitur. Et ideo dicitur Matth. 13. quòd solicitudo seculi suffocat verbum. Tertio modo ex parte timoris superflui, quando scilicet aliquis timet, nè faciendo quod debet, necessaria sibi deficiant. Quod Dominus tripliciter excludit: *1mo* propter majora beneficia homini præstita Divinitus præter suam solicitudinem scilicet corpus & animam. *2do* propter subventionem quâ DEUS animalibus & plantis subvenit, absque opere humano secundùm proportionem suæ naturæ.. *3tio* ex Divina providentia, propter cujus ignorantiam Gentiles circa temporalia bona quærenda principaliùs solicitabantur. Et ideo concludit, quòd principaliter nostra solicitudo esse debet de spiritualibus bonis sperantes,

quòd etiam temporalia nobis provenient ad necessitatem, si fecerimus, quod debemus. Denique quoad 4tum ut Importunas solicitudines non admittere monemur à Christo Matth. 6. Nolite soliciti esse in crastinum, id est, ut hodie futuram cras solicitudinem assumatis. Nam subdit: Crastinus enim dies solicitus sibi ipsi, id est suam propriam solicitudinem habebit, quæ sufficiet ad animum affligendum. Et hoc est, quod subdit: Sufficit diei malitia sua, id est afflictio solicitudinis.

D. Thom. 2. 2. q. 55. a. 7.

Contra immoderatam solicitudinem rerum temporalium.

Eccl. 2. Imo Eccl. Homini bono in conspectu suo dedit DEUS sapientiam, & scientiam, & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, ut addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit DEO. Sed & hoc vanitas est, & cassa solicitudo mentis. *Idem.* Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animadverti patere invidiæ proximi, & in hoc ergo vanitas, & cura superflua est. *Eccl.* Ante tempus senectam adducet cogitatus. 2do *S. Gregorius Nazian.* Cura homini crux, & lethale venenum est. *S. Chrysostomus* ad illa verba Christi: Quærite primùm regnum DEI, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. *Ita animadvertit dicens:* Jubeo ista non quæri, & non curari: Non quidem nè accipias, sed ut abundantiùs accipias. Nam solicitudine afflictus, & curarum morsibus sæpe discerptus, his bonis te facis indignum.

Idem 4. *Eccl. 30.* *S. Greg. Nazian. Cor. 5. de Calami.*

In Praxi cavendi solicitudinem immoderatam hoc maximè servit, ut mediocri solicitudine curantes nostra, nihil eorum, quæ DEI sunt, negligamus, fidamusquè firmiter promisso ejus, quòd *quærentibus nobis primùm regnum DEI & justitiam ejus, hæc omnia adjiciet nobis*, quæ nobis nostrisquè fuerint necessaria & utilia. Unde *omnem solicitudinem vestram projiciamus in eum, ipsi enim cura est de nobis.* Hinc D. Bernardus ait: *Ut quid si hoc sapimus, ut quid cunctamur abjicere omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, & huic uni tam solidæ tam perfectæ, tam beatæ spei totâ devotione animi, toto fervore spiritûs inhærere?*

Matth. 5. *1. Pet. 5.* *In Psal. Qui habitat ser. 9.*

Applica quoque hìc proportionatè suprà dicta.

1. 2. tr. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3.

§ II.

§. II.

SEcundò Opponitur Prudentiæ vitium *per excessum*, ut vulgò dicitur *Indiscretio.* Estque alia Particularis, alia Generalis. *Particularis Indiscretio* est, quatenus opponitur Prudentiæ, ut specialis virtus est, dum in iis, quæ ad prudentiam spectant aliquis superfluus est, ut v. g. si quis nimiùm anxius est, in conquirenda scientia præteritorum, aut in disquisitione præsentium circumstantiarum, seu cautela impedimentorum, de facto sive possibiliter imminentium; vel si quis nimis accuratè, exactè aliquid exequeretur. De hujusmodi enim dicitur: *Nimiùm diligentes odi.* *Generalis Indiscretio* est, quatenus reperiri potest in omni opere virtuoso, vel indifferenti: non modò quoad circumstantiam, *Quantum* Ut si quispiam reperiatur immoderatè temperans cibi & potûs; si ita deditus sit orationi, quòd horâ sumendi cibum oret, & non comedat, dum necesse sit; vel in loco honestæ recreationis flectat genua ad orandum, &c. Hæc enim & similia ordinariè fieri non debent. De quo ex D. Thomæ mente suprà dictum est.

Contra excessivam Prudentiam seu Indiscretionem Ecclesiastes monet: Noli esse iustus multum, neque plus sapias, quàm necesse est, nè obstupescas. Unde *Doctor mellifluus.* Sicut, inquit, iste corporeus sol, licèt bonus sit, & valde necessarius, tamen & fervor ejus, si temperatus non fuerit, infirmo capiti, & splendor infirmis oculis nocet, nec est solis culpa, sed infirmitatis: sic etiam sol justitiæ est. Unde & dicitur: Noli nimiùm justus esse, non quòd justitia bona non sit, sed quia dum adhuc infirmi sumus, oportet ipsâ bonâ gratiâ temperari, nè fortè elationis, aut indiscretionis vitium incurramus. *Idem S. Pater.* Tolle discretionem, & virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ.

Eccl. c. 7.

S. Bern. serm. 4. in Psalm. Qui habitat.

S. Bern. serm. 49. in Cant.

Quare juxta *Cassianum* Mensuram virium suarum convenit unumquemque nostrum diligentiùs ante pensare, atque ad ejus modulum arripere quam libuerit disciplinam: quia quamvis utiles sint, tamen aptæ cunctis cunctæ esse non possunt. Et *S. Bernardus*: Ne incurrat, qui currit, illuminari necesse est

Collat. 24. c. 8.

lumine discretionis. Hæc nimirum docet, nè quid nimis. At verò quia omnino rara est avis in terris, hujus discretionis locum in vobis Fratres suppleat virtus Obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter, quàm imperatum sit, faciatis.

Cap. 9. sect. 5. *Plura vide infra de gratia Discretionis.*

§. III.

3tio vitium Prudentiæ opponitur *per Defectum*, quod dici-
V. D. Thom. 2. 2. q. 53. tur *Imprudentia*; quæ est duplex: Etenim imprudentia alia est *privativè sumpta*: dum scilicet quis caret Prudentiâ, quam natus est, & debet habere. Estque peccatum ratione negligentiæ, quâ non adhibetur studium in perdiscendis illis, quæ concernunt Prudentiam. Ut v. g. si quis nollet discere per lectionem spiritualem, vel auditionem verbi Divini, ea quæ sunt necessaria, ad exercitia virtutum statui suo proportionatarum. Alia Imprudentia *contrariè sumpta est*, dum ratio contrario modo movetur, vel contraagit prudentiæ. v. g. dum prudens consilium spernitur. Estque peccatum mortale, si adsit contemptus documentorum Divinorum, vel detrimentum eorum, quæ sunt de necessitate salutis, secus est veniale. Sicut Prudentia est generalis virtus quatenus includitur in omnibus virtutibus; ita *Imprudentia* est quoddam *generale peccatum*, inquantum participatur ab omnibus vitiis & peccatis. Nullum enim peccatum contingere potest, nisi sit defectus rationis dirigentis in alieno actu, quod pertinet ad imprudentiam. Deinde Imprudentia *speciale* est vitium, ut oppositum Prudentiæ, quatenus specialis virtus est. Porrò hæc specialis imprudentia continet in se vitia opposita partibus subjectivis, integrantibus & potentialibus prudentiæ. Et ita quoad partes subjectivas. *Alia est imprudentia*, quæ opponitur Prudentiæ Monasticæ seu unius regitivæ. *Alia*, quæ opponitur prudentiæ Multitudinis regitivæ, uti Politicæ, Oeconomicæ, Militari. Deinde opposita vitia partibus integrantibus & potentialibus prudentiæ sunt *Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia*, de quibus in sequentibus.

Contra Imprudentiam in genere hæc sunt. *Prov.* Ubi non est
Prov. c. 19. scientia (seu prudentia) animæ, non est bonum. Et qui festinus

stinus est pedibus (*seu præcipitans*) offendet. *Itidem juxta 70.* Imprudentia viri vastat vias ejus: DEUM autem accusat corde suo (*quasi DEUS, & non sua imprudentia esset causa malorum, quæ incurrit*) *Prov.* Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo justi, & imprudens homo dissipabit illud. *Eccl.* Honor & gloria in sermone sensati, lingua verò imprudentis subversio est ipsius. *Eccl.* Indisciplinatæ loquelæ non assvescat os tuum: est enim in illa verbum peccati.

Prov. c. 21. *Eccl. c. 5.* *Eccl. c. 23.*

Quapropter cavendum tantum malum imprudentiæ per serium studium Prudentiæ.

§. IV.
DE PRÆCIPITATIONE SEU TEMERITATE.

PRæcipitatio vitium est sub Imprudentia contentum, oppositum Eubuliæ, docilitati, memoriæ, & rationi, *quo quis per impetum voluntatis, vel passionis, gradibus prudentiæ contemptis, in ruinam labitur.* Quia Præcipitatio in actibus animæ metaphoricè dicitur secundùm similitudinem à corporali motu acceptam. Dicitur autem præcipitari secundùm corporalem motum, quòd à superiori in ima pervenit secundùm impetum quendam proprii motûs, vel alicujus impellentis, non ordinatè descendendo per gradus. Summum autem animæ est ipsa ratio; imum autem est operatio per corpus exercita. Gradus autem medii per quos oportet ordinatè descendere, sunt memoria præteritorum, intelligentia præsentium, solertia in considerandis futuris eventibus, ratiocinatio conferens unum alteri, docilitas per quam aliquis acquiescit sententiis Majorum: per quos quidem gradus aliquis ordinatè descendit, rectè consiliando. Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis, vel passionis, pertransitis hujusmodi gradibus, erit præcipitatio. Cùm ergo inordinatio consilii ad imprudentiam pertineat, manifestum est, quòd vitium præcipitationis sub imprudentia continetur.

V. D. Thom. 2. 2. q. 53. a. 2 & 3.

Contra Præcipiationem, seu Temeritatem Prov. Substantia festinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. *Prov.* Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in-

Prov. c. 13. *Prov. c. 20.*

novis-

Prov. c. 28. v. 26. novissimo benedictione carebit. *Prov:* Qui in cordis sui audacia spem ponit stultus est, qui autem ambulat prudenter & cautè, salutem consequetur, *id est, ut Author Cat. Græc. explanat:* Stultus mente vocatur, qui audaci cordi suo confidit, quia plus tribuit temeritati, quàm judicio, plus rursum iniquitati quàm æquitati. *Eccles. c. 32.* *Eccli.* Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. *Chald. in Prov. c. 17.* *Prov:* Qui præceps est in spiritu suo, reputatur stultus. Unde *Rabanus* ait: Contra hoc præceptum agere præcipites, cùm bonorum actuum tempus præveniunt, meritum pervertunt, & sæpe in malis corruunt, dum minimè bona discernunt, qui nequaquam quæ, & quando agant, inspiciunt. Unde per Salomonem dicitur: Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Palpebræ quippe gressus præcedunt, cùm operationem nostram consilia recta præveniunt. Qui enim negligit considerando prævidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit, sed prævidendo sibimet ipsi non attendit: atque idcirco citiùs corruit, quia quo pedem operis ponere debeat, per palpebram consilii non attendit. *Plato in Polytica. Sophocles.* *Plato:* Qui plus satis festinat initio, seriùs ad finem pervenit. *Sopho.* Periculosa est præpropera prudentia. *Cato.* *Cato.* Sat citò, si sat benè. In *l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3.* *Praxi* cavendi Præcipitationem seu Temeritatem applica hìc convenienti modo *suprà* data.

§ V.
DE INCONSIDERATIONE.

D. Thom. 2. 2. q. 53. a. 2. & 4. INconsideratio, speciale peccatum est, sub imprudentia contentum (oppositum Synesi, & Gnome, tum circumspectioni & cautioni) *quo quis contemnit, vel negligit ea, ex quibus rectum judicium procedit.*

Deutor. 32. *Contra Inconsiderationem, Moyses exoptat:* Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. Supra quod *S. Bern. serm. de Apost. Petro. & Paulo.* *S. Bernardus:* Utinam saperent &c. *ait:* Ut nimirum æternitatis imago reformaretur in nobis, videlicet ut præsentia moderemur per sapientiam, præterita per intelligentiam dijudicemus, novissima provideamus ad cautelam. *Idem epist. 292.* *Idem. Utinam inquit* saperes, quæ DEI sunt, intelligeres quæ mundi sunt, provideres quæ

inferni

inferni sunt; profectò inferna horreres, superna appeteres, quæ sunt mundi contemneres. *Prov.* Qui inconsideratus est ad loquendum (*quantò magìs ad agendum*) sentiet mala. *Ierem.* Desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est qui recogitet corde, *quæ scilicet ipsi facienda sunt juxta mandata & beneplacitum DEI.* *Prov. c. 13.* *Jerem. c. 12.*

In *Praxi* vitandæ Inconsiderationis exerceas te juxta methodum suprà positam. *1. 2. tra: 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3.*

§. VI.

DE INCONSTANTIA.

INconstantia est vitium, sub imprudentia contentum (oppositum actui Prudentiæ, qui est Præcipere, tum Providentiæ, Intelligentiæ, & Solertiæ) *quo quis contemnit præcipere ea, quæ secundùm rectam rationem antè erant judicata & proposita.* *D. Thom. 2. 2. q. 53. 5.*

Contra Inconstantiam. Eccl. Stultus ut luna mutatur. *Exodi.* DEUS ad Moysen ait; Vade, descende, peccavit populus tuus, recesserunt citò de via, quam ostendisti eis. *In quod ita D. Cyrillus habet*: Audis quàm levis sit & temerarius Israel, & valde ad defectionem proclivis, ideoque dedignatur populum suum eos vocare DEUS: DEI igitur sunt, verusquè ipsius ac peculiaris populus, qui indivulsâ in ipsum dilectione flagrant, & sincerum fidei candorem tuentur, atquè ad omne opus bonum confirmati sunt, levitatisque & inconstantiæ crimen promiscuè repellunt. *S. Gregor.* Quis considerare valeat, quanta mala per momenta temporum ipsis inconstantibus cogitationum motibus perpetramus? *Et mox*: Humana anima semel æternitatis statum deserens, ad fluxum temporalium delapsa, hanc mutabilitatem alternantium motionum, quam dum caderet volens appetiit, dum conatur fugere, cogitur in vita tolerare. Inde quippe punita est, unde delectata; quia inde conversa habet laborem certaminis, unde perversa appetiit gaudium voluptatis. *Joan. de La Haja*: Sententiam in rebus seriis & consideratis attentè facile mutans, indignus est nomin. *Eccles. 27.* *Exodi 32.* *D. Cyrillus in Exod.* *S. Greg. Moral. 24. c. 16.* *Joan. de La Haja in Gen. c. 24.*

Circa Praxim fugiendæ inconstantiæ adhibe proportionatè suprà specificata. *1. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3.*

§. VII.
DE NEGLIGENTIA.

D. Thom. 2. 2. q. 53. a. 2. & q. 54. a. 1.

NEgligentia est vitium, sub Imprudentia contentum, actui Prudentiæ, qui est Præcipere, tum Providentiæ, Intelligentiæ, Solertiæ, sed maximè Solicitudini oppositum, ejusdem solicitudinis debitæ defectum importans.

Prov. 3. Corn. à lap. in Eccles. c. 19.

Stimuli ad excutiendam Negligentiam. 1mus. *Prov.* Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris. *Eccles.* Qui custodit mandatum, custodit animam suam; qui autem negligit viam suam (*viam mandatorum ad vitam æternam*) mortificabitur, *id est morte immaturâ in præsenti, & æternâ in futuro afficietur.* *Matth.* Christus Dominus sub parabola invitatorum ad nuptias factas à Rege, Filio suo, innuit nos esse invitatos ad nuptias cælestes, ad quas dum venire homines negligunt, & potiùs ad mundi curam abeunt, indignos tales illius felicitatis judicat DEUS. *Apostolus.* Propterea abundantiùs oportet observare nos ea, quæ audivimus: nè fortè perfluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum: ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est. 2dus. *S. Gregorius:* Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, statim audenter majora etiam perpetramus. *Idem:* Plerumque de bonis, per incuriæ vitium mala nascuntur. *Idem:* Iniquorum mentes, qui damna sua considerare negligunt, integritatem suam quasi nescientes perdunt. Amittunt namque à corde innocentiam, ab ore veritatem, à carne continentiam, & per accessum temporis ab ætate vitam. *Idem:* Si circumspectionis solicitudine cor destituitur, vulneribus aperitur; quia hostis callidus tantò liberiùs pectus percutit, quantò nudum à providentiæ lorica deprehendit. *S. Ambrosius:* Dormit Christus negligentibus, suscitatur in Sanctis. *S. Augustinus:* Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras. *S Gregorius:* Quos onus licitum conjugii non gravat, nequaquam pondus illicitum terrenæ

Matth. 22. Hebr. c. 2. S. Gregor. lib. 10. Moral. c. 9. Ibidem lib. 31. c. 17. Ibidem lib 5. c. 39. S. Gregor. Past. parte 3. c. 1. admon. 33. S Ambros in psalm 118. serm. 5. S. August. de Nat. & Grat. c. 97. S. Greg. c. 1. admon. 19.

terrenæ ſolicitudinis premat. Sed tantò eos paratiores dies ultima, quantò expeditiores inveniat: Nè quò meliora agere vacantes poſſunt, ſed tamen negligunt, eò ſupplicia deteriora mereantur.

Praxis expellendi Negligentiam, eſt matrem ejus peſtilentem Acediam tollere, de qua, ſicut & de ſororibus negligentiæ ſub Acedia dicta hìc applicari poſſunt proportionata. Denique Timorem DEI ſibi comparare. *Qui enim timet DEUM, nihil negligit.* *Eccl. c. 7.*

Vide etiam ſuprà dicta, & applica hìc proportionatè *l. 2. tra: 1. c. 1. ſec. 4. ſubſ. 2. § 2. & 3.*

SECTIO III.

DE DONO CONSILII.

D*Onum conſilii, eſt habitus reſpondens Prudentiæ, quo homo à Spiritu Sancto promptè movetur ad conſiliandum, ſeu inquiſitionem rationis, ad rectè agendum in ſingulis operationibus.* Quia ut *D. Bonaventura* de Dono conſilii docet: Proprium rationali creaturæ eſt, quòd per inquiſitionem rationis moveatur ad aliquid agendum, quæ quidem inquiſitio conſilium dicitur humanum. *Unde Damaſcenus dicit*: Conſilium eſt appetitus inquiſitionis à ratione directus, de his, quæ à nobis ſunt facienda, vel non facienda. Et *Ariſtoteles in Epiſt. ad Alexandrum dicit*: Quòd conſilium eſt oculus & cautio futurorum. Sed quia inquiſitio eſt ratio humana, per ſe non ſufficit comprehendere ſingularia humana, & contingentia, quæ occurrere poſſunt in noſtris actionibus, quæ requiruntur ad conſecutionem beatitudinis noſtræ; quia cogitationes mortalium ſunt timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ: ut dicitur lib. ſapientiæ. Ideo indigemus inquiſitione certiori, & directione nobiliori ſcilicet Divinâ. Tam inquiſitio autem quàm directio nobis in dono conſilii à Spiritu Sancto confertur, qui omnium eſt artifex, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, ideo talis inquiſitio & directio â Spiritu Sancto donata conſilium dicitur, quod eſt donum Spiritûs Sancti, *D. Thom. 2. 2. q. 52.* *S. Bonav. de 7. donis, de dono Conſ. c. 1.* *Damaſ. lib. 2. de fide orthod. c. 22.* *Sap. 9.* *Sap. 7.*

Motiva obtinendi conſilii donum ſunt. 1mum *Eccl.* Sine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis. *Prov.* Salus, ubi *Eccl. c. 32.* *Prov. 11.*

ubi multa consilia. Supra quod *Pius secundus* ait: Scriptura consiliorum multitudinem non requirit, sed maturitatem & digestionem. *Tob.* Consilium semper à sapiente perquire. Inter superbos semper sunt jurgia, qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur Sapientiâ. Omni tempore benedic DEUM, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. 2dum. *D. Bonavent.* citans *S. Gregor.* hæc ait. Qui sine consilio vivunt, se præcipitationi & fortunæ tradunt, præcipitantes vitam suam negligunt, dum transitoria inconsultè appetunt, dum æterna non intelligunt, vel intellecta contemnunt, dum exilium & miseriam suam non cognoscunt, quia cæci: ideo nec consilium habere sciunt, & ideo meritò tales in insipientia sua peribunt. Sed ècontra inquit Gregorius: Electorum mentes dum cuncta transitoria nulla esse conspiciunt, ea, ad quæ sunt conditæ, exquirunt. Cùmque eorum satisfactioni nihil extra DEUM sufficit, ipsâ inquisitionis sive consilii exercitatione illorum cogitatione fatigatâ, in Conditoris sui specie & contemplatione requiescere quærunt. *Sequitur.* Unusquisque eorum adhuc in mundo corpore positus, mente tamen extra mundum surgit, ærumnam exilii, quam tolerat, deplorat, & ad sublimem Patriam incessabilibus se amoris stimulis excitat. Unde invenit salubre consilium, temporale hoc despicere, quod percurrit: & quò magis crescit consilii scientia, ut peritura deserat, eò augetur dolor, quò necdum ad mansura sive æterna contingat. Et ideo solerti consilio infigit mentem, & cautè se in omni actione circumspiciendo considerat. Et nè ex re quæ agitur repentinus finis, & adversus surripiat, hunc priùs molliter posito pede cogitationis palpat & pensat: nè in his, quæ agenda sunt, præcipitatio impellat, nè prava per concupiscentiam aperto bello superent, nè recta per inanem gloriam insidiando supplantent. *Sequitur.* Et mens electi cujuslibet, quò magis per consilium vivere nititur, eò angusti itineris dolore fatigatur. *Hæc ille.* Ratio istius ultimi dicti est, quia consilia DEI sunt perfectissima: valent enim ad vitandum omne malum, & ad consequendum omne bonum perfectissimè, & ideo ducunt per itinera arctissima. Arcta est enim via, quæ ducit ad Patriam, ùt Christus dicit. Arctæ autem viæ ùt plurimùm sunt rectiores & breviores, quàm latæ. Perfecti autem

Tob. c. 4.
Ibidem.
Ibidem.
D. Bonav. de 7. donis de dono Consf. c. 2.
S. Gregor. lib. 1. Moral. c. 11.
Ibidem.
Matth. 7.

autem viri, ſtimulis amoris agitati vehementiùs arctas amplectuntur, ut perfectiùs & citiùs inveniatur quod amatur, & creditur, & quæritur. *Hactenus D. Bonaventura.*

Pro diſpoſitione ad comparandum donum Conſilii, vide ſuperiùs dicta l. 2. *tra.* 1. *ſect.* 4. *ſubſ.* 1. § 10.

CAPUT V.

DE UNIVERSALIBUS, ET FUNDAMENTALIBUS VIRTUTIBUS.

ILluſtratus homo per *Fidem* in Divinis, & ad ea conſequenda accenſus per *Spem*, vel *Charitatem*: ut iis potiatur, per *Prudentiam*, convenientia media invenire, eligere, & præcipere executioni debet. Porrò hæc media ad fines ſupernaturales ponendos & obtinendos, ſunt Actus virtutum, vel imperati à ſpe, ſive charitate, vel etiam ex ſuis propriis motivis eliciti: Actus verò ejuſmodi virtutum ſunt *Juſtitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ*; qui quidem aliquando ſimul ſub uno titulo univerſaliter conſiderantur, Ut. v. g. *Contemptûs mundi*, aut *Mortificationis*, &c. proptereaque rectè *Univerſales* appellantur: aliquando in ſua ſpecie. Deinde ejuſmodi virtutes *Fundamentales* dicuntur; quia quoad aliquas ſui partes ſunt initium quoddam formale ſtructuræ ſpiritualis virtutum, ad quam ſtructuram primò diſponunt Fides, Spes, Charitas; Prudentia, deinde cũ aliis ex charitate idem ædificiũ ſpirituale perficiũt Sed age videamus, quænã ſint hujuſmodi univerſales & Fundamẽtales virtutes, quas Prudẽtia invenit, & dictat cũprimis exequi.

1ma, eſt Reſignatio ſui ipſius in Divinam voluntatem. Etenim, cùm homo ſæpe ignoret, quid in ſe verè placeat DEO, & quid nõn placeat, etiam in ſelectione virtutum ſuo ſtatui, officio, loco, tempori, &c. proportionatarum, meritò in ſingula momenta precari DEUM cogitur: *Fiat voluntas tua mecum.*

2da eſt Obedientia ſimplex & cæca Superioribus, vel Magiſtro aut Patri ſpirituali præſtanda. (Nam obedientia erga DEUM includitur Reſignationi ſui) Hi enim ſunt interpretes voluntatis Divinæ, & per hos DEUS ſua placita aliis innoteſcere voluit dicens *Qui vos audit, me audit.* Unde obediens, ſi omni momento perficiat voluntatem Superiorum, vel Patris ſpiritualis, ſecurus & Luc. 10.

certus est, omni vitæ suæ momento perficere se voluntatem DEI. Quo in hac vita nihil æstimo posse contingere homini felicius. Qui cognoscit & amat DEUM, intelligit quid dico.

3tia, est Contemptus mundi, seu Paupertas Christiana. Prudens enim Superior, vel Magister spiritualis, seu Dux in via cælesti, nequit aliud initium ejusdem viæ in regnum DEI ostendere, quàm id, quod Christi vestigiis & suorum Electorum tritum est, ut aliunde constat. Per contemptum namque mundi, seu paupertatem sanctam omnia impedimenta rerum exteriorum removentur, quæ retardant progressum. Unde S. Ambrosius supra illa verba Christi, *Beati pauperes spiritu, quoniam est vestrum regnum* DEI, inquit: *Primam benedictionem hanc uterque Evangelista posuit. Ordine enim prima est, & parens quædam generatioque virtutum: quia qui contempserit secularia, ipse merebitur æterna; nec potest quisquam meritum regni cælestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus, emergendi non habet facultatem.* Et S. Arsenio quærenti, quâ ratione proficeret ad salutem, vox cælo delapsa dixit: *Fuge* mundum, *tace*, *quiesce* sancta solitudine in memoria & amore DEI ac Divinorum, *hæc sunt principia salutis.* Cœterùm Christianis ab incunabulis suæ vitæ spiritualis potissimùm est necessarius contemptus Gulæ seu qualitatis & quantitatis cibi ac potûs, sine quo nil egregium faciet in vita spirituali, etiamsi centum annis vivat, & videatur aliquid præstare. Unde B. Nilus ait: *Rectè vivendi principium est temperantia.* Et S. Hieronymus: *Jejunium non solùm perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est, & sanctificatio, & pudicitia, & prudentia, sine qua nemo videbit* DEUM. Quare S. Dorotheus cum Dositheum viri primarii filium instituendum suscepisset, initium ab expugnatione Gulæ fecit.

In vitis Patrum.

Orat. 2. in Bibl. to. 1.

S. Hieron. ad Demetbr.

S. Doroth. in vita.

4ta, est Humilitas, & præcipuè ejus actus, qui sunt Odium ac Contemptus sui. Sine humilitate enim quid prodest contempsisse mundum? cùm exinde elatior fiat animus, adeoque periculo magis obnoxius? & pœnitentia falsa, est carens vera sui sine suorum peccatorum cognitione, & propria depressione. Denique angularis lapis in fundamento structuræ spiritualis est humilitas, quam fundamentum virtutum per antonomasiam SS. Patres decantârunt. Hinc S. Augustinus ait: *Magnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius*

Serm. 10. de verbis Domini

priùs cogita humilitatis. Et quantò erit majus ædificium, tantò altius fodit fundamentum. Et mox infra: *Quod est fastigium constituendæ fabricæ quam molimur? quo perventurum est cacumen ædificii? citò dico usque ad conspectum DEI. Videtis quàm excelsum est! quanta res est conspicere DEUM.*

5ta, *est Poenitentia*, non illa, quæ à recens conversis ad DEUM assumitur, & hìc jam peracta ritè supponitur, verùm quæ fit pluribus annis, sine etiam toto vitæ tempore. Meritò enim semper deflere debet homo peccata sua, & pro eis satisfaciendo, pœnas, maximè spirituales subtractionis specialium gratiarum exolvere, sine quibus nunquam specialiter proficiet in vita spirituali. Denique Christus initium suæ prædicationis à Pœnitentia orsus est dicens: *Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* *Matth. 4.*

6ta, *est Mortificatio seu Abnegatio sui, sive Innocentia.* Non enim sufficit præterita mala flere, nisi & ab imminentibus studio continuæ Mortificationis vel Innocentiæ conetur se præservare. Alioquin semper in eodem luto vitiorum hærebit; imò profundiùs mergetur in sordibus, ut sordescat adhuc.

7tima, *est Patientia*. Ad quam cumprimis exhortatur Spiritus S. per Ecclesiasticum dicens: *Fili accedens ad servitutem DEI, sta in justitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem* (multiplicis tribulationis) *Deprime cor tuum, & sustine: inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectûs, & nè festines in tempore obductionis. Sustine sustentationes DEI: conjungere DEO, & sustine, ut crescat in novissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* *Eccl. c. 2. v. 1.*

8va, *est Rectitudo actuum indifferentium.* Quæ universaliter subjacet motivis omnium virtutum.

Ejusmodi series & coordinatio prædictarum virtutum, confirmatur ex doctrina Christi dicentis: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores*, multò magis qui non odit divitias, honores, voluptates mundi, quæ sunt infinitè viliores in comparatione parentum, &c. (ecce contemptus mundi, sive paupertas Christiana) *adhuc autem & animam suam* qui non odit (ecce humilitas, odium & contemtpus sui) *Luc. c. 14.*

non potest meus esse discipulus. *Et qui non bajulat crucem suam* (pœnitentiæ, satisfactionis pro peccatis suis, ùt ego per crucem satisfeci pro peccatis totius mundi) *& venit post me* (me sequendo per mortificationem, seu innocentiam, ac exercitium patientiæ, omniumque virtutum) *non potest meus esse discipulus.*

De his igitur virtutibus agendum sequentibus, excepta Obedientiâ, Humilitate, Patientiâ, de quibus infra suis locis commodiùs est actum.

SECTIO I.

De Resignatione Suiipsius in Divinam Voluntatem.

EJusmodi Resignatio est *virtus generalis, quâ homo agit, & patitur omnia, conformiter adpunctum voluntatis Divinæ, bonæ, beneplacentis, & perfectæ.* Dicitur: *virtus generalis*, tum ex parte Causæ Efficientis, Materialis, Formalis, & Finalis virtutum: tum ex parte earundem causarum, quoad suum Productum scilicet Actus salutares omnium virtutum in suis gradibus, & perfectionibus. Dicitur: *agit & patitur omnia*, ubi intelliguntur omnes actiones & passiones hominis, naturales & supernaturales, necessariæ & liberæ, internæ & externæ, idque totius vitæ præteritæ, præsentis, & futuræ, in toto tempore & æternitate. Dicitur: *conformiter adpunctum voluntatis Divinæ*, id est, quòd homo resignatus, adeò velit esse in omnibus suis actionibus & passionibus conformis voluntati Divinæ, ut nè punctum ab ejus regula & amussi recedat. Sed prorsus sit homo cum DEO quasi in eodem, & omni puncto, unum Nolle & Velle. Dicitur: *bonæ, beneplacentis, & perfectæ:* qui sunt gradus Divinæ voluntatis quoad nos juxta divisionem viæ Incipientium, Proficientium, & Perfectorum; de quibus vide infrà suo loco.

Theol. spirit. p. 22. §. 4.

Gradus Resignationis sui in Divinam Voluntatem ex Biblioth. Manuel. P. Lohner Tit. Resignat. in D. Voluntatem.

PRimus est, Voluntatem DEI in rebus præceptis accuratè exequi, & quæcunque his adversa peccata studiosè devitare, exemplo S. Da-

S. Davidis, de ſeipſo fatentis: *Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi.* Hinc et Apoſtolus Theſſalonicenſibus ſcripſit: Hæc eſt Voluntas DEI, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione &c. *Pſalm. 118. verſ. 113. 1. Theſſ. 4. v. 3.*

2dus eſt, Voluntatem ſeu beneplacitum DEI etiam in conſiliis Evangelicis arripiendis exequi, exemplo Apoſtolorum, aliorumque tot millium Religioſorum.

3tius eſt, Etiam in aliis materiis, & actionibus ea, quæ DEO magis placent, eligere, & ſummo ſtudio perficere, exemplo S. Tereſiæ, quæ, ut magis DEO placeret, ad ea, quæ perfectiora judicavit eligenda voto ſe adſtrinxit. Quos omnes tres gradus Apoſtolus Romanis olim ſuaſit, dum dixit: Obſecro vos Fratres, per miſericordiam DEI, ut exhibeatis membra veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, DEO placentem, rationabile obſequium veſtrum. *Rom. 12. verſ. 1.*

Illicia Pro Reſignatione ſui in Divinam voluntatem.

PRimum. *Machab.* Benefaciat vobis DEUS, & vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus Voluntatem corde magno & animo volenti. *2. Machab. 1. verſ. 1.* *Chriſtus*: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. *Matth. 7. v. 21.* *Item*: Quicunque facit Voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ille meus frater, ſoror, & mater eſt. *Matth. 12. v. 50.* *Apoſtolus*: Nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in novitate ſensûs veſtri, ut probetis, quæ ſit voluntas DEI bona, beneplacens, & perfecta. *Rom. 12. v. 2.* *Idem*: Non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali, ut ambuletis dignè DEO per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia DEI. *Coloſſ. 1. v. 9.* *Joannes Apoſt.* Qui facit voluntatem DEI, manet in æternum. *1. Joan. 2. v. 17.*

2dum. S. Auguſtinus: Oportet nos in eundem affectum quandocunque tranſire, ut quomodo DEUS omnia eſſe voluit propter ſemetipſum; ſic nos quoque, nec nos ipſos, nec aliud aliquid vel fuiſſe vel eſſe velimus, niſi æquè propter ipſum, ob ſolam videlicet illius voluntatem, non noſtram voluptatem. *S. Auguſt. lib. de diligendo DEO.* *Idem*: Quod *Idem in Pſ. 35.*

sæpe diximus, illi sunt recticordes, qui sequuntur in hac vita voluntatem DEI. Voluntas DEI est aliquando, ut sanus sis, aliquando ut ægrotes. Si quando sanus es, dulcis est voluntas DEI, & quādo ægrotas, amara est voluntas DEI, non recto corde es. Quare? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad Voluntatem DEI, sed DEI vis curvare ad tuam. Illa recta est, sed tu es curvus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad tuam, & rectum habebis cor. *Idem*: Constanter DEO crede, eiquè te totum permitte, quantùm potes. Noli esse velle quasi proprius, & in tua potestate, sed ejus clementissimi & utilissimi Domini te servum esse profitere. Ita enim te ad se sublevare non desinet, nihilquè tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias: *Cassianus*: Quid est hoc aliud dicere: Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra: quàm ut sint homines similes Angelis, & sicut DEI ab illis impletur in cælo; ita & hi qui in terra sunt, non suam, sed ejus, universi faciant voluntatem? *S. Bernardus*: Eris inter adversa & prospera mutabilium temporum, tenens quandam æternitatis imaginem, dum te cœperis renovare & reformare, in insigne illud antiquum similitudinis æterni DEI, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio: quippe sicut ipse, ita & tu eris in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus. *Blosius*: Super omnia quæ vel dicere, vel facere possumus, hoc à nobis maximè exposcit DEUS, ut intus in corde dicamus: Domine fiat gratissima voluntas tua. Inter omnes preces, quas Christus in hoc mundo fudit, illa summa & excellentissima fuit: Pater non mea, sed tua voluntas fiat. *Joan. Gailer*: Si te quotidie ex integro Divinæ voluntati ad omnes illius nutus promptum paratumquè offeras, veniam noxis obtines, tantumquè gratiæ mereris, ut possis non tantùm inferorum rogos, sed & piaculares flammas non timere. Sincera hæc tui oblatio ad omnem DEI voluntatem exequendam, pœnitentiarum & indulgentiarum loco est. *Taulerus*: Virtutum summarium, & omnis doctrinæ breviarium est, omnia, quæ DEUS nobis evenire permittit, ab illius manu accipere, nec aliud unquam velle, quàm omnia ad Divinæ voluntatis perpendiculum facere.

Idem lib. de Quantit. anim. c. 20.

Cassian Collat. 9. c. 20.

S. Bern. S. 21. in Cant.

Blosius in Farrag. Instit.

Joan. Gailer de spirit. pereg. propriet 7.

Taulerus in fine serm. de Sanctis.

3tium Illicium, sunt Exempla ex Bibl. P. Lohner Tit. Resignatio.

1. *Chriſtus* de ſeipſo dixit : Ut faciam voluntatem ejus, qui *Joan. 4. verſ.*
miſit me, ut perficiam opus ejus. In monte Oliveti oravit: Pater *34.*
ſi vis, transfer calicem iſtum à me, veruntamen non mea, ſed tua
voluntas fiat. 2. B. Virgo, quantopere reſignata fuerit in *Part. 4. tit. 15.*
voluntatem Divinam, teſtatur S. Antoninus ſic alloquens illam: *c. 4. §. 1.*
O Domina, ita Divinæ voluntati conformis fuiſti, ut audeam di-
cere; ſi nullus fuiſſet, qui Filium crucifigeret, ut adimpleretur
voluntas DEI, ipſa illum impoſuiſſes, & clavis affixiſſes. Neque
enim minoris te obedientiæ fuiſſe credendum eſt, quàm Abraham,
qui proprium filium propriis manibus DEO obtulit occidendum,
& comburendum. Sed & S. Bernardinus ait; Intemerata Virgo *To. 2. ſ. 51.*
habuit continuum aſpectum ad DEI beneplacitum, promptum-
què conſenſum. Teſtantur id verba illa: Ecce Ancilla Domini, fi-
at mihi ſecundùm verbum tuum. 3. *Abraham*, ut notant Hæ- *Drex. Heliot.*
brei, decies rigidè tentatus à DEO, ſemper ſibi ſimilis, & in Di- *lib. 4. c. 3. §. 3.*
vinam voluntatem reſignatus manſit. 4. S. *Joſephus* adeò vo- *Aliment. piet.*
luntati Divinæ ſe conformabat, ut quotidie diceret: utinam vi- *c. 7. ex lib. 6.*
vam, & voluntatem DEI adimpletam videam. Ita ipſa DEI SS. *Revelati.*
Mater Sanctæ Brigittæ revelavit, addiditquè hanc eſſe cauſam, *S. Brigittæ.*
cur tantâ in cælo gloriâ frueretur. 5. *Job* omnibus ſuis bo-
nis ſpoliatus, & gravibus inſuper corporis ulceribus vexatus, non
peccavit in labiis ſuis, ſed hanc unicam æternâ memoriâ dignis-
ſimam ſententiam protulit: Dominus dedit, Dominus abſtulit. *Job. c. 1.*
Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini bene-
dictum. 6. S. *Macarius* rogatus à duobus, quomodo orare *Ruffinus Aquil.*
deberent? reſpondit, non eſt opus multâ verborum copiâ, ma- *n. 203.*
nus ad DEUM crebriùs pandendæ, clamandumquè: Domine
DEUS, quomodo vis, & ſicut tibi placet, ita fiat. Siquidem i-
pſe novit, quid nobis expediat. 7. S. *Gertrudis* à Chriſto ſa- *Bloſ. lib. 4.*
nitatem & morbum offerente, cùm neutrum elegiſſet, ſed plica- *Diu. inſtit. c.*
tis in crucem manibus electionem ipſius voluntati reſignâſſet, au- *23.*
divit hæc verba: Quicunque cupit à me ſæpiùs adiri, ſuæ volun-
tatis clavem mihi offerat, nec eam à me unquam repetat. Quo au-
dito S. Gertrudis precatiunculam hanc: Non mea, ſed tua volùn-
tas fiat, mi amantisſime JESU: trecenties ſexagies quinquies
quotidie repetivit. 8. Quidam Monachus per reſignatio- *Cæſarius lib.*
nem *10. Dialog. c. 6.*

nem voluntatis suæ cum Divina, ad tantum sanctitatis pervenit gradum, ut ad solum vestium aut cinguli ejus contactum ægri sanarentur. 9. Agricola quidã ex agris suis semper & plures & meliores fructus cum reciperet, rogatus causã à vicinis, respondit se semper tempestatẽ, quam vellet, habere, eam scilicet, quã Deus misisset, nec enim aliam se velle. 10. *S. Lydwina* id identidẽ repetebat: Hoc mihi Domine, acceptissimum erit, ut affligens me dolore, non parcas, cùm tuæ voluntatis impletio, sit mihi summa consolatio. 11. *S. Franciscus Xaverius* ad Mauricenses iturus, amicis evidens vitæ periculum ostendentibus, id unum respondit: Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat. Aliàs in literis ad S. Ignatium scriptis flexis genibus petiit, ut sibi impetret gratiam ad DEI cognoscendam voluntatem, eamquè perfectissimè adimplendam. *Hactenus Lohner.* 12. *S. Magdalena de Paz* adeò conformis fuit voluntati Divinæ, nt non semel audiretur cum gustu dicens: Si ego viderem hìc infernum apertum, & intelligerem, quòd esset in hoc voluntas tua ò Domine! ut ego æternaliter in ejus flammis paterer, jactarem me ipsam in illas; ut adimplerem voluntatem tuam Divinam. Neque altiorem voluit habere sanctitatem, nisi conformiter juxta mensuram & gradum à Divina voluntate decretum, quod patet ex ejus quotidiano exercitio à se conscripto his verbis: Offeres te ipsam DEO, & voles omnem illam perfectionem, quæ ei placet: & ut tantum ejus habeas, quantum ille vult. Quadam verò vice in extasi posita, protestabatur, quòd nollet aliter suscipere Spiritum S. nisi juxta voluntatem DEI, inter cœtera ita dicens: Imo, si mihi illum (id est Spiritum S.) daret, ideo ut in hoc fiat satis voluntati meæ, & non voluntati ejus quà ejus: quin imò, etiamsi in hoc esset voluntas ejus, non tamen esset principaliori modo; imò denique si non esset totaliter voluntas ejus, nullâ ratione vellem esse consolata. Quoniam multum attinet, nolle recipere denuo id in meam possessionem, quod ei semel donavi: quia teneor dicere cum omni veritate in omni re: Fiat voluntas tua. Hanc primam gratiam, quam cum intensiori instantiâ petebat Magdalena à DEO (ùt ipsa dicebat) fuit, Ut semper usque ad mortem impleret ejus Divinum beneplacitum.

4tum, est exemplum profanum. Epictetus de se ipso sic scripsit: Appetitum meum obedientem præbui DEO: vult ille me

In vit. P. P.

Surius Tom: 7.

Vita lib. 3. c. 2.

Penne. quin. in Isa. ad Amor. Diu. p. 1. c. 24.

In vita ejus.

Lib. 3. dissert. c. 26.

me febricitare? volo & ipse. Vult me aliquâ re potiri: volo & ipse. Non vult, nolo. Mori me vult? mori igitur volo. Vir prudens ita rem considerat, hanc rationem secum init: Si Deo se dediderit, se iter tutò confecturum. Quid est istud, dedere se DEO? Ut, quod ille voluerit, & ipse velit; & quod ipse noluerit, & ipse nolit. Quì ergo istud fiet? quomodo fieret aliter, nisi considerandâ DEI voluntate, & administratione. Quid mihi dedit meum, & mei juris? quid sibi ipse reservavit? Liberam voluntatam mihi dedit: & quæ in mea potestate sunt, ea nec impediri, nec prohiberi posse voluit. *Et alibi;* Mihi quidem optabile est à morte me invadi, nullâ aliâ re, nisi voluntate meâ curandâ occupatum, ut perturbatione vacuus & liber, dicere possim DEO: Nunquid præcepta tua violavi? nunquid ad alia abusus sum facultatibus, quas mihi dedisti? num sensibus? num te unquam incusavi? num gubernationem tuam reprehendi? ægrotavi, quia voluisti: ægrotârunt & cœteri, sed ego volens. Pauper fui te volente, sed lætus. Non imperavi, quia tu voluisti: Nunquam appetivi imperium. Nunquid me unquam hac de causa tristiorem vidisti? nunquid unqnam vultu minùs hilari te accessi? Paratus, si quid mandes, si quid imperes. Hæc me cogitantem, hæc scribentem, hæc legentem occupet mors.

Lib. 3. diss. c. 5.

In Praxi ad comparandam Resignationem sui in Divinam Voluntatem, hæc accipe ex Patre Lohner. Quatuor sunt præcipuè, quæ circa hanc virtutem benè observare, aliisque inculcare debet Asceta

In Biblioth. manual. tit. Resignatio sui.

Primum est, ut summam de hoc exercitio Resignationis æstimationem habeat, certoque sibi persuadeat, omnis doctrinæ, quam Christus tot divinissimis concionibus tradidit, caput hoc fuisse, ut homines doceret, suam cum Divina voluntatem in omnibus casibus perfectissimè conformare; atque adeo in hac conformitate omnem hominem perfectum consistere.

Drex. in Heliotr. lib. 1. c. 1. § 2.

Secundum est, ut benè cognoscat regulas Divinæ Voluntatis cognoscendæ, quas quidem breviter, sed benè, simplex noster Frater Joannes Ximerus assignâsse videtur, dum dixit: Tres esse superiores, à quibus semper voluntas Divina cognosci posset, nempè Deum in cælo, Capitulum seu superiorem in Ecclesia vel

Vita P. Balthas. Alvar. c. 21.

Monasterio, & Rationem domi. Atque adeò primam Regulam esse Dei volitionem aut prohibitionem in lege aliqua Divina, vel naturali lege expressam; Secundam, omnium Dominorum aut Majorum, aut Præsidum voluntatem: Tertiam, Rationem, seu intellectum proprium, dum scilicet implorato priùs Numinis auxilio eligitur illud, quod Deo in talibus circumstantiis magis placere judicatur. Quo in judicio, ut minùs quis aberret, suadent viri pii & prudentes, id semper præferendum, quod propriæ inclinationi magis repugnat: quod alteri, quem æquè ac nos ipsos diligeremus, suasuri in tali casu essemus: & quod denique in hora mortis, aut in judicio extremo constituti, factum à nobis fuisse vellemus; juxta notum illum versum; Fac modò, quæ quondam Facta fuisse velis;

S. Ignatius in lib. Exerc.

In Dialogo S. Cath. Sen.

Tertium est, ut fundamenta, quibus tota hæc conformitas & resignatio innititur, benè intelligantur, quæ quidem ab ipso Christo S. Catharinæ Senensi olim sunt indicata; dum eidem *Imò* suasit, ut firmiter crederet eum esse *Potentissimum*, atque adeò nihil sine voluntate ipsius accidere illi posse, uti ipse olim contestatus est, cùm dixit: Nonne duo passeres asse væneunt? & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. Et iterum per Isaiam: Ego Dominus, & non est alter: formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens hæc omnia. Clarissimè autem alibi per eundem, dum dixit: Væ Assur! virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor ejus, & ad internecionem Gentium non paucarum. Hinc olim Titus Jerosolymam obsidione cingens, visis in circuitu tot cadaveribus altùm ingemuit, & elatis in cælum oculis ac manibus dixit: factum illud suum non esse. 2*dò* suasit, ut firmiter quoque crederet, eum *Sapientissimum esse*, omniaque scire in bonum convertere; nam ùt rectè dixit Theophilus Bernardinus, subtilissimè se nostris peccatis & erroribus insinuat DEUS, non ùt approbator & par-

Matt. 10. v. 29.

Isa. 45. v. 7.

Isa. 10. v. 5.

Theophil. Bern. lib. 11. perfect. c. 4. § 7.

ticeps,

triceps, sed ùt aversator & corrector, qui ex malis bona plura, quasi ignem ex aqua elicit. Hinc à Davide filius unicornium vocatur, eò quòd cornua non habeat supra oculos, ùt taurus, sed infra, ut optimè videat, quem & ubi percutiat. *3tio* suasit, ut pariter firmissimè crederet, eum *Optimum* esse, atque adeò velle etiam omnia in summum nostrum bonum dirigere: utì rectè S. Hieronymus conclusit dicens: Bonus est Deus, & omnia, quæ bonus facit, bona sunt, necesse est. Imò ut S. Basilius vult: unum hoc in mentibus nostris præsumptum oportet, quod nihil eorum, quæ nobis accidunt, malum sit, ut tale, aut melius illo excogitare queamus. Cui consentiens S. Damascenus: Omnia inquit, quæ Dei providentiâ fiunt, pulcherrimè ac divinissimè fieri necesse est, atque ita denique, ut meliori modo existere prorsus nequeant.

Psalm. 28. v. 6.

S. Hier. in Epist. ad Paulum de obitu Blessillæ.

Basil. hom. 8, ex var. quòd Deus non est author malorū.

4tum denique est, ut solidam addiscat doceatquè praxim, in hac sese resignatione exercendi, quæ quidem in duobus ferè capitibus consistit. *1mò*, ut assuescat in omnibus, quæ fiunt, ad Divinam justitiam respicere, dicereque cum S. Davide: Justus es Domine, & rectum (id est ad optimum finem, nempè ut vel puniat, vel probet, vel proemiet, & hoc triplici funiculo Adæ secundi difficulter rumpibili, nos ad se trahat, sibiq; arctissimè uniat, directum) judicium tuum. *2dò*, ut instructus sit *jaculatoriis orationibus*, voluntatem Dei in memoriam revocantibus, iisquè sedulò in variis casibus utatur, ex qualibus totus *Psalmus centesimus decimus octavus* est compositus. Et quidem si aliquid jam præteritum est malum, dicat: *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Si præsens: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* Si futurum: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, hoc faciat.* Si à Deo immissum: *Obmutui & silui à bonis, quia tu fecisti.* Si ab hominibus illatum: *Dimitte eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret, & quis est, qui audeat dicere: Quare sic fecerit?* Hæc P. Lohner. *Vide etiam suprà dicta, & hîc convenienter applica.*

Psalm. 118. v. 137.

Job. I. c. v. 21.

Matth. 6.

I. lib. Reg. c. 3.

Psal. 38.

2. lib. Reg. c. 16.

I. 2. tra. I. c. I. sec. 4. sub. 2. § 2. & 3.

Actus Resignationis Sui in Dei Voluntatem ex P. Lohner Biblioth. Manual. Tit. Resignatio.

1mum. Omnia, quæ accidunt, Divinæ voluntati adscribere exem-

Gen. 45. v. 8.

exemplo Josephi Patriarchæ Fratribus dicentis: *Non vestro consilio,*
Job. 1. v. 21. *sed Dei voluntate huc missus sum.* Et Jobi dicentis: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est.*

2dus. Voluntatem Dei in omnibus ut justam agnoscere ac
Psalm. 144. v. 17. venerari, exemplo S. Davidis dicentis: *Justus est Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis;* Nam ut rectè S. Au-
L. 3. contra Jul. c. 18. gustinus ait: potest DEUS aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest autem quenquam sine malis meritis damnare, quia justus est. Unde rectè infert S. Gregorius: rationem de occulto DEI consilio quærere, nihil aliud esse, quàm contra consilium ejus superbire.

3tius. Omnia ad Divinæ voluntatis nutum facere velle, & ideo nihil ordiri nisi eâdem prius exploratâ, exemplo S. Pauli di-
Act. 9. v. 6. centis: *Domine, quid me vis facere?* Nè cum Israelis Principibus
Josve 9. v. 19. decipiamur, si os Domini priùs non interrogemus.

4tus. Adversa, quæ accidunt, generoso silentio conco-
Psalm. 38. v. 10. quere, exemplo Davidis dicentis: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Hìc enim teste Boëthio, quidquid citra spem
Boeth. lib. 4. de Consolat. Phil. Prosa. 4. videas geri, rebus quidem rectus ordo est, opinioni verò tuæ perversa confusio.

5tus In beneplacito DEI solo super omnia delectari, exemplo Sanctorum, qui magìs de executione voluntatis Divinæ,
Lib. 3. de Imit. c. 16. § 2. quàm de sua gloria lætantur. Quo sensu etiam pius Asceta dixit: Devotus homo ubique secum fert consolatorem suum JESUM, & dicit ad eum: *Adesto mihi Domine JESU, in omni loco & tempore. Hæc mea sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & justa probatio pro summo solatio.*

SECTIO II.

De Contemptu Mundi.

M*Undi contemptus, est virtus Generalis, quâ homo bona finita & temporalia respectivè ad infinita & æterna, seu ad summum Bonum, vili aut nihili æstimat.* Dicitur: *Virtus Generalis*, non quidem ratione omnium, plurium tamen virtutum, quas in se

continet contentas sub Justitia, Fortitudine, Temperantia. Unde Contemptus divitiarum propriè à virtute Justitiæ, vel ei annexa Liberalitate, &c: elicitur: Contemptus honoris à Magnanimitate; Contemptus deliciarum ab Abstinentia, Castitate, Modestia,&c. producuntur; ut manifestum est. Dicitur: *Bona*, nempe bonum honestum; seu honores, dignitates: bonum utile, quod est bonum fortunæ, seu divitiarum: bonum jucundum, seu deliciarum. Quæ omnia in se sunt limitatæ bonitatis, & cum tempore transitoria, adeoque ut talia homine capaci summi & æterni Boni indigna; non ut iis moderatè non utatur, sed quibus tanquam suæ felicitatis expletivis fruatur; quod vitiosum est juxta illud: *Uti fruendis, & frui utendis.* Dicitur: *Vili aut nihili æstimat.* Boni enim finiti ad infinitum nulla proportio, unde apud hominem capacem infiniti Boni, bona finita parvi seu nihili pendi debent. Ex qua æstimatione connaturaliter quoque sequitur eorundem bonorum temporalium exiguus vel nullus amor, nullum desiderium, exigua vel nulla quæsitio, nullum de ipsorum possessione gaudium. Imò quatenus hæc bona, & eorum affectus sunt impedimento ad acquirendum summum Bonum, magnum sui odium, fugam, & de præsentia tristitiam, uti de absentia lætitiam, merentur. Et hic est verus mundi contemptus, in ejusmodi actibus situs. Ex quibus *infertur* posse verum mundi bonorum contemptum haberi etiam ab eo, qui totius mundi Monarcha foret, modò iis congruum pretium, id est modicum vel nullum adhibeat, neque eis apponat per amorem cor suum juxta illud Regis Sionis monitum: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Et Apostolus: *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Et S. Augustinus: *Sublatus est in sinum Divitis* (Abraham) *Pauper* (Lazarus) *An potiùs ambo divites DEO, ambo à cupiditate pauperes.*

Psalm. 61. *1. Cor. 7.* *S. August. in psalm. 5.*

Gradus Contemptûs Mundi ex Sancto Bernardo.

Felices, qui se præsenti seculo nequam advenas & peregrinos exhibent, immaculatos se custodientes ab eo. *Neque enim habemus hìc manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Abstineamus ergo à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, tanquam advenæ & peregrini. Peregrinus siquidem viâ regiâ incedit,

S. Bern. ser. 7. in Quadrag. *Hebr. 13.*

cedit, non declinat ad dexteram, neque ad sinistram. Si fortè jurgantes viderit, non attendit: si nubentes aut choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominus transit, quia peregrinus est, & non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam suspirat, ad patriam tendit, victum & vestitum habens, non vult aliis onerari. Beatus planè qui suum sic agnoscit, sic deplorat incolatum

Psalm. 38. dicens Domino: *Quoniam advena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes Patres mei.*

Magnum hoc quidem, sed fortè gradus aliquis altior est. Nam peregrinus etsi non admiscetur civibus, aliquando tamen delectatur videre quæ fiunt, aut audire ab aliis, quæ fiunt, aut ipse narrare quæ viderit, & his & ejusmodi etsi penitus non retineatur, detinetur tamen, & retardatur, dum minùs memor patriæ, minùs accelerat desiderio. Nam & tanto tempore potest in his delectari, ut jam non solùm remoretur, & minùs citò veniat, sed & remanens ex toto, nè tardè quidem perveniat. Quis igitur est magis alienus ab actibus seculi, quam mortuus?

Coloss. 3. Profectò quibus dicit Apostolus: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in DEO.* Peregrinus nimirum potest facilè occasione viatici plùs quàm oportet, & detineri quærendo, & prægravari portando. Mortuus, si desiit, etiam ipsam sepulturam non sentit. Sic vituperantes, ut laudantes, sic laudantes audit ut detrahentes, imò verò nec audit, quia mortuus est. Omnino felix mors, quæ sic immaculatum servat, imò penitus alienum facit ab hoc seculo. Sed necesse est, ut qui non vivit in se, vivat Christus in illo. Hoc est enim quod ait Apostolus: *Vivo*

Gal. 2. *autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Ac si diceret: Ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo, non curo: si qua verò sunt Christi, hæc vivum inveniunt & paratum. Nam si non aliud possum, saltèm sentio, placet quod ad ejus honorem fieri video, displicent, quæ aliter fiunt.

Magnus omnino gradus est iste. At fortasse poterit aliquid adhuc superiùs inveniri, in quo ergo quæremus? in quo putas nisi in eo, de quo nunc loquebamur, qui raptus est usquè ad tertium cælum? Quis enim prohibet tertium cælum dicere, siquidem gradum super istos poteris invenire? Audi

igitur ipsum de hac tanta altitudine, non in se gloriantem, sed dicentem; *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est,& ego mundo.* Non solùm, inquit, mortuus mundo, sed & crucifixus, quod est ignominiosum genus mortis. Ego illi pariter, &ipse mihi. Omnia, quæ mundus amat, crux mihi sunt, delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes: quæ verò mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu. An nonmajor iste est secũdo,& primo, gradus? Peregrinus si prudens est, & non obliviscitur suæ peregrinationis, licèt cum labore transit, & non magnopere secularibus implicatur: mortuus æquè, blanda hujus seculi sicut aspera spernit. Qui verò raptus est usque ad tertium cælum, crux illi est omne, cui mundus inhæret, & his adhæret, quæ mundo crux esse videntur. *Hæc S. Bernardus.* Gal. 6.

Incitamenta ad Contemptum bonorum Mundi eruuntur ex eorum vanitate, vilitate, brevitate, fallacia, fragilitate, amaritudine, periculis, &c *Imum.* A sapientissimo, opulentissimo, potentissimo Rege *Salomone* accipe judicium & motivum, qui ait: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole? Generatio præterit & generatio advenit: terra autem in æternum stat. *Et paulò post:* Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos. Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo. *Idem:* Dixi ergo in corde meo. Vadam & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis? Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremquè stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum, quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ. Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, Eccl. 1.1. Idem c. 2.

feci hortos & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus. Et extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium. Possedi servos & ancillas, multamquè familiam habui: armenta quoque & magnos ovium greges ultra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem. Coâcervavi mihi argentum & aurum, & substantias Regum & provinciarum. Feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos & urceos in ministerio ad vina fundenda. Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Hierusalem: sapientia quoque perseveravit mecum. Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaveram: & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. Cùmque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manûs meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. *Et pauli infra*: Et idcirco tæduit me vitæ meæ videntem mala universa esse sub sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritûs. Rursus detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub sole studiosissimè laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrùm sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, & solicitus fui: & est quidquam tam vanum? Unde cessavi renunciavitquè cor meum ultra laborare sub sole. Nam cùm alius laboret in sapientia & doctrina & solicitudine, homini otioso quæsita dimittit: & hoc ergo vanitas & magnum malum. Quid enim proderit homini de universo labore suo & afflictione spiritûs, quâ sub sole cruciatus est? Cuncti dies ejus doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit, & hoc nonne vanitas est? *Idem*: Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos. Et laudavi magis mortuos quàm viventes: & feliciorem utroque judicavi qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt. Rursùm contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animadverti patere invidiæ proximi, & in hoc ergo vanitas & cura superflua est. *Idem*; Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quide

Idem. *Idem. c. 4.* *Idem c. 6.*

dem frequens apud homines: Vir, cui dedit DEUS divitias & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus quæ deſiderat, nec tribuit ei poteſtatem DEUS, ut comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & miſeria magna eſt. Si genuerit quiſpiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non utatur bonis ſubſtantiæ ſuæ, ſepulturâquè careat: de hoc ego pronuncio, quòd melior illo ſit abortivus. Fruſtrà enim venit, & pergit ad tenebras, & oblivione delebitur nomen ejus. Non vidit ſolem, neque cognovit diſtantiam boni & mali: etiamſi duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis: nonnè ad unum locum properant omnia? Omnis labor hominis in ore ejus: ſed anima ejus non implebitur. Quid habet ampliùs ſapiens à ſtulto? & quid pauper, niſi ut pergat illuc, ubi eſt vita?

2dum. In lib. Sapientiæ gemitus mundi amatorum deſcribuntur: Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cujus, cùm præterierit, non eſt veſtigium invenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus. Aut avis, quæ tranſvolat in aëre, cujus nullum invenitur argumentum itineris illius, ſed tantùm ſonitus alarum verberans levem ventum, & ſcindens per vim itineris aërem, commotis alis transvolavit, & poſt hoc nullum ſignum invenitur itineris illius. Aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diviſus aër continuò in ſe recluſus eſt, ut ignoretur tranſitus illius: ſic & nos nati, continuò diſivimus eſſe: & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere. In malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt. *Sap. 5.*

3tium. Chriſtus refert quendam divitem ita ſuam animam alloquentem: Anima habes multa bona poſita in annos plurimos: *Lucæ c. 12.* requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi DEus: ſtulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti, cujus erunt? Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in DEUM dives.

In Apocalypsi describitur pœna & lamentum super Babylone magna, seu mundo, id est mundanis, carnalibusquè hominibus post diem judicii pariter in æternum detrusis. Et post hæc vidi alium Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria ejus, & exclamavit in fortitudine dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis Spiritûs immundi, & custodia omnis volucris immundæ & odibilis: quia de vino iræ, fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum illa fornicati sunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt. Et audivi aliam vocem de cælo dicentem: Exite de illa populus meus: ut nè participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis. Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cælum: & recordatus est DEUS iniquitatum ejus. Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera ejus. In poculo quo miscuit, miscete illi duplum Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum: quia in corde suo dicit: sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo. Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis est DEUS, qui judicabit illam. Et flebunt & plangent se super illam Reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt, cùm viderint fumum incendii ejus: longè stantes propter timorem tormentorum ejus dicentes: Væ! Væ! civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis: quoniam unâ horâ venit judicium tuum. Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam: quoniam merces eorum nemo emet ampliùs, merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & bysſi, & purpuræ, & serici, & cocci, & omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso, & æramento, & ferro, & marmore, & cynamomum, & odoramentorum, & ungventi & thuris, & vini, & olei, & similæ, & tritici, & jumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum. Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt à te, & omnia pingvia & præclara perierunt à te, & ampliùs illa jam non invenient. Mercatores

Apocalyp. 18.

catores

catores horum, qui divites facti sunt, ab ea longè stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes ac lugentes, & dicentes: Væ! Væ! civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis: quoniam unâ horâ destitutæ sunt tantæ divitiæ. Et omnis gubernator, & omnis qui in lacum navigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longè steterunt, clamaverunt videntes locum incendii ejus dicentes: Quæ similis civitati huic magnæ? Et miserunt pulverem super capita sua, & clamaverunt flentes, & lugentes dicentes: Væ! Væ! civitas illa magna, in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari de pretiis ejus: quoniam unâ horâ desolata est. Exulta super eam cælum, & Sancti Apostoli, & Prophetæ; quoniam judicavit DEUS judicium vestrum de illa. Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultra jam non invenietur. Et vox citharœdorum, & musicorum, & tibia canentium & tuba, non audietur in te ampliùs, & omnis artifex omnis artis non invenietur in te ampliùs: & vox molæ non audietur in te ampliùs & lux lucernæ non lucebit in te ampliùs: & vox sponsi & sponsæ non audietur adhuc in te: quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes. Et in ea sangvis Prophetarum, & Sanctorum inventus est, & omnium, qui interfecti sunt in terra.

Joan. 15.

4*tum. Christus* ait: Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum *Idem.* Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. *Joan.* Mundus totus in maligno positus est. *Itidem:* Omne quod natum est ex DEO, vincit mundum. *Epist. I. Joann. c. 5.*

5*tum Incitamentum. S. August*: O amatores mundi, cujus rei gratiâ militatis? major non esse poterit spes vestra in mundo, quàm ut amici mundi sitis. Ibi quid nisi fragile, plenum periculis, & per quot pericula pervenitur ad majus periculum? *S. August. lib. Confess.*

culum ¿ Pereant hæc omnia, & dimittamus hæc vana, & inania, conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent, vita hæc miseria est: mors incerta subitò obrepit: & post hæc negligentiæ pœna supplicio luenda est. *Idem*: Si Christus pro te de cælesti sede descendit, tu propter ipsum fuge terrena. Si dulcis est mundus, dulcior est Christus, Si amarus est mundus, omnia pro te sustinuit Christus. *S. Gregorius*: Si consideramus Fratres charissimi, quæ & quanta sint, quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata pondus est, non subsidium: temporalis vita, æternæ vitæ comparata mors est potiùs dicenda, quàm vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quàm quædam prolixitas mortis? *S. Bernardus*: Mundus est, ubi malitiæ plurimum, ubi sapientiæ modicum, ubi omnia sunt viscosa, omnia lubrica, omnia operta tenebris & obsessa laqueis, ubi periclitantur animæ & affliguntur corpora, ubi omnia vanitas & afflictio spiritûs. Et in Joële dicitur: Confusum est gaudium à filiis hominum. *Idem*: Videat sæcularis anima, videat & intelligat, quoniam extrema gaudii luctus occupat. Propter hoc enim, qui cœtera quoque cœpit facere & docere, non solùm verbis prædicans, sed exemplis, quod antea prædixerat per Prophetam; quoniam omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos fœni, etiam apparens in carne manifestè studuit probare in se ipso. Unde & processionis gloriâ voluit sublimari: quò paulòpost sibi noverat imminere diem ignominiosissimæ passionis. Quis ergo sperare jam debeat in incerto gloriæ temporalis, cùm videat in ipso quoque qui peccatum non fecit, Creatore temporum, & Conditore Universitatis, post exaltationem tãtam nihilominus humiliationem sequi? In eadem enim civitate, â plebe eadem, & eodem tempore nunc quidem processionis gloriâ & Divinis laudibus honoratus, postmodum verò interrogatus contumeliis & tormento, & cum sceleratis deputatus. Hic est transitoriæ finis lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis. Propterea prudenter orat Propheta, ut cantet Domino gloria ejus, & non compungatur; id est processionem habeat, quam passio non sequatur. *Seneca*. Punctum est,

Idem. Tract. de Contem. mundi.

S. Gregor. in Regest.

S. Bernard. in serm.

S. Bern. in Dominica pal.

Seneca præf. Nat. quæst.

eſt, inquit, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis: hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitùr. O quàm ridiculi ſunt mortalium termini? Cùm te in illa magna verè ſuſtuleris, videbis exercitus ire ſubjectis vexillis, & licebit dicere: Eſt nigrum campis agmen, formicarum iſte diſcurſus eſt in anguſto laborantium.

6tum Incitamentum. Exempla inconſtantiæ mundi, *ex P. Lohner Biblioth. Manual. Tit. Mundus.* I. Sejanus Conſul ſub Tiberio Imperatore tantæ fuerat authoritatis, ut illo abſente Romæ Imperatorem ageret, aureoquè in curru veheretur. Sed ſubitò ad eum literæ ſunt allatæ, quibus cùm ſperaret dignitatem ſuam Tribunitiâ poteſtate auctum iri, juſſus eſt in vincula conjici, capite plecti, unco trahi, & in Tiberim præcipitari. II. Pertinax Imperator ſic dictus, quòd imperium pertinaciter recusâſſet, primùm Grammaticam profeſſus, poſtea alimentorum procurator, inde Conſul deſignatus, demum Africæ Proconſul, & ex hoc Imperator à militibus electus, vix octoginta dies imperium tenuit, & ab iiſdem militibus occiſus eſt. III. Belliſarius poſt ingentes de Barbaris victorias reportatas, demum à Juſtiniano Imperatore oculis orbatus, è tuguriolo à prætereuntibus ſtipem rogavit dicens: Viator obſecro, da obulum Belliſario, quem invidia cæcavit, non culpa. *Hæc Lohner.*

Dionyſ. lib. 58

Fab. Conc. 9. in Dom. 3. adv. n. 1.

Drex. p. 1. Roſar. c. 12. §. 5.

7timum. Merces amatorum mundi. Refert Petrus venerabilis Abbas Cluniacenſis, quia monachus quidam cùm in extremis vitæ ſuæ eſſet, anima ſua ducta ſit ante infernalem portam. Quæ cùm ibi tot diverſitates pœnarum conſpiceret, ultra quàm dici poteſt, tremere ac horreſcere cœpit, quod nè faceret Angelus prohibuit. Ibi vero aliquamdiu morante eo, vidit quoſdam dæmones præcurrentes, & nimiùm cachinnantes de perditione animæ cujuſdam divitis, quam ſocii ſui ſecum in barathrum damnationis attraxerunt. Venientes autem ad Principem dæmoniorum, dixerunt ſe amici ſui animam cum gaudio attrahere. Quibus congaudens (ſi gaudium infelicitas dici poteſt) ait: Accipite & pomposè ſicut ſolitus erat in cathedra ſedere facite, induentes eum, ſicut ſolitus erat, veſte honorificâ. Et ſedere eum fecerunt ſuper ſedem ita inextingvibiliter ardentem, quod ſi to-

Collect. Specali Exemp. Diſt. 9. Exemp. 85.

tum marē superfunderetur, nullatenus extingveretur. Pallium verò, quo eum circumdederunt, non minoris flagrantiæ erat. Illo in sede miserabiliter collocato, & infeliciùs vestito Princeps ad suos seruientes dicit: Ite, & sicut decens est, tali amico nostro poculum nostræ delectationis propinate. Tunc tanquam æreum liquorem candentem omni genere fœtoris mixtum ori ejus apposuerunt, & appositus per omnia membra ejus in flammas diffusus effundebatur, quo potato joculatores dæmones, qui ei jocularentur admisit, qui accipientes duo cornua ignibus plena, auribus ejus apposuerunt, & corniculari incipientes, scintillas per oculos ejus, & per nares, & per omnia foramina ejus emittebant. Deinde in cameram misit, ut contra delectationes carnales, quas solebat cum puellis, dum adhuc viveret, exercere infernales pateretur amaritudines, quæ omnium serpentum generibus erat repleta, & ita nimio calore incensa, quòd candentis ferri satis evinceret ardorem, à quibus exceptus, quàm horribiliter amplexatus est, quàmquè dedecorosè osculatus, quamquè miserabiliter sit contrectatus, & per omnia membra discerptus, à nobis pius Pater removeat, quod nunquam experiamur, & contra quæque oblectamenta carnalia, quæ priùs habuerat vivens, singula tormenta infernalia inferebant. Hoc viso anima Monachi ad corpus rediit, & quidquid viderat ob utilitatem audientium plurimis enarravit.

8vum. *Exempla Contemptorum mundi.* I. Christus, qui omnia mūdo contraria elegit. Aut ergo *ait S. Bernardus* mundus errat, aut Christus fallitur; atqui hunc, cùm sit infinita Sapientia falli impossibile est, ergo mundum errare necesse est. *Idem*: Pudeat sectari gloriam membra, quibus Caput suum tam inglorium exhibetur, non habens speciem aut decorem, vel aliquid ejusmodi. Pudeat sub spinato Capite, membrum fieri delicatum quòd omnis ei interim purpura non tam honoris sit, quàm irrisionis.)) Denique Christo fuit mundus crucifixus, id est instar patibularii exosus quoad appetitum & curam suorum bonorum: quia Spiritus S. qui similem contemptum mundi operabatur in Paulo Apostolo, multò magis operatus est in Christo, qui est exemplar universale & principale Contemptorum mundi. Tum ipse quoque

S. Bern. s. 3. de Nativit.
Idem ser. 5. in Festo Omnium Sanctorum.

Christus fuit mundo seu mundi amatoribus primò moraliter, deinde & physicè crucifixus. Moraliter inquam, quia etiam ad videndum erat eis gravis, & tanto odio in eum exarserunt, quasi nunquam potuissent auersati fuisse omnium furum & nebulonum scelestissimum, quam aversionem satis probârunt in omnium acerbissima & ignominiosissima persecutione, passione, morte competente omnium nefariorum nefandissimo. *II.* Beata Virgo, de qua *S. Bernardus* ait: Meritò autem concupivit Rex decorem Virginis: Fecerat enim quidquid longè antè præmonita fuerat â Patre suo David dicente sibi: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere domum tuam, & domum Patris tui, & si hoc feceris, concupiscet Rex decorem tuum. Audivit quippe, & vidit, non ut quidam, qui audientes non audiunt, & videntes non intelligunt: sed audivit & credidit, vidit, & intellexit. Et inclinavit aurem suam ad obedientiam, & cor suum ad disciplinam, & oblita est populum suum, & domum Patris sui, quia nec populum suum augere pro successione, nec domui Patris relinquere curavit hæredem, sed quidquid honoris in populo, quidquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est ut stercora, ut Christum lucrifaceret, nec fefellit intentio, quando & Christum vendicavit sibi filium, nec propositum pudicitiæ violavit. *III.* S. Arsenius cùm ex aula Theodosii conspectâ mundi vanitate, in solitudinem secessisset, ab Arcadio humanissimis literis, & totius Aegypti vectigalibus promissis, ad aulam invitatus est. Sed is nec rescribere dignatus, hoc solùm renuntiari jussit: Dei veniam DEus nostris erroribus. Ego quidem mortuus sum mundo, pecuniam non est construere mei muneris, neque enim mortui nummos tractant, æterna cogitare id unum ad me spectat. Cùm verò postea Magistrianus è paterna domo testamentum illi afferret, quo hæres ex asse scribebatur, respondit: Ego priùs mortuus sum, quàm Pater meus: quâ ergo ratione, mortuus mortuum hæredem scribit? Tolle quidquid hoc scripti est & abi. IV. S. Alexius ipsâ nuptiarum suarum die, à paterna domo profugus, & post aliquot annos rediens sub specie mendici, usque ad mortem delituit, raroquè sed pulcherrimo

S. Bern. hom. 2.

Zachar. Lipelous 19. Julii.

Idem 17. julii.

Idem Janua. exemplo, mundo illusit. Idem S. Ioannes Calybita fecit, qui ut mundum, diabolumquè reditum ad Parentes & Patriam assiduò suadentes generosè vinceret, rediit quidem sed mendicorum assumptis vestibus, sicquè incognitus in paterna domo *Baron. anno 330. & 332.* usque ad mortem latuit. V. S. Gallicanus Romani Dux exercitûs, post Sauromatas, Gothos, & plures alios populos domitos, Constantiam Constantini Augusti filiam matrimonio sibi locatam cum immensis opibus reliquit, & ex urbe ad ostia Tiberina secedens, hominum infirmorum servitiis se totum addixit. Cujus rei famâ divulgatâ undique multi illuc confluxerunt, ut viderent Patricium Consularem, Triumphalem, Imperatoris generum, ad infima ministeria abiectum. Quo mundi contemptu Gallicanus effecit, ut postea palmam Martyrii Alexandriæ sit consecutus. VI. Stupendum exemplum Con- *Esther. c. 14.* temptûs mundi in S. Esther Regina, uxore Assueri Regis, Monarchæ super centum viginti septem Provincias, quæ ita oravit ad DEUM: *Domine, qui habes omnium scientiam, & nôsti quia oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ. Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostensionis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentii mei, & quòd non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit convivium Regis, & non biberim vinum libaminum, & nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te Domine DEUS Abraham.*

l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 1. § 3. sub praxi Medit & ibidem subs: 2. § 2. *In Praxi ad comparandum perfectum mundi Contemptum*, applica hìc proportionatè suprà dicta. *Item:* Exerce *Internos actus & affectus* ad mundi contemptum stimulantes suprà positos. *Item:* Sequentes actus perfice.

Actus Externi Christianæ Abdicationis rerum temporalium, ex Thesauro indefic: Blasii Palma.

OMnibus istud dictum: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Sicut omnes spectat fulmen illud: *Væ vobis divitibus!* Ad omnes etiam pertinet: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, id est Christianus. Est autem

tem Paupertas, voluntaria bonorum temporalium abdicatio, nonnunquam consilii, nonnunquam præcepti. Igitur 1. Erues omnem pravam opum appetitionem, honori mundano nuncium remittes, carnis delicias ex animo aspernabêre: imò ipsa amicorum rerumquè terrenarum solatia respues, si te à virtutis studio revocent; curas quoque superfluas rerum quæ ad hanc vitam pertinent moderabêre.

2. Avaritiæ sordes, pestem, imò (quo nomine vocat Apostolus) Idololatriam, sordidiùs peste, idolo diriùs ac tetriùs odi ac fuge.

3. Divitiæ, si affluant, noli cor apponere: Ita Regius Psaltes imperat. Opum tuarum Dominus esto, non tu earum mancipium.

4. Ita esto animo compositus, pati egestatem magìs & mortem, quàm fraude aut peccato quovis opes congregare: itemquè vel imperia ipsa ad Crucifixi pedes ponere, si cælum vocat imperatvè.

5. Superfluum luxum in suppellectili, ac vestitu tum tuo, tum tuorum amputa.

6. Quod debes exsolve, aliena redde, cave, nè pauperum mercedem apud te durus retineas, detestabile est hoc latrocinium.

7. In pias causas, templorum ornatum, Religiosorum, præsertim mendicantium, aliorumquè piorum hominum necessitates, eleemosynas congere: eos velim tibi inprimis commendatos, quos aut necessitas aut fœda flagitia compellunt, aut ingenuitas à stipe corroganda avocat.

8. E dapsili prandio aut cæna, si epulum nuptiarum, justorum funebrium, aliaquè sollenni causâ apparaveris, ex singulis missibus frustum exscinde, quod Christo præbeas, pauperibus, ægris præsertim domi jacentibus, in carcere, xenodochiis, aut nosocomiis.

9. Certam bonorum partem divide in pauperes hebdomadatim distribuendam. Fœneratur DEO, qui dat pauperi. Petenti igitur tu stipem statim commodato; si nihil habes, at bona saltèm verba reddito. DEUS est, qui ex asse obulum repetit: liberos, famulos, ancillas ita loqui jubebis: Pater, here, Christus

præ foribus stat, eleëmosynam petit, stipem filii ipsi ferant, ita olim misereri condoceantur. Pauperem unum aliquem continuò sustenta, & primo diei lucro, & è quovis contractu partem deme, quam pauperi numeres. Habes, quos imitêre.

10. Hoc officium in pauperes nec moriens negliges: testamento ex parte saltèm tuorum bonorum hæredem Christum scribe: ita vel tunc cælum nundinare, aut rape.

SUBSECTIO I.

De Contemptu Honorum, & Dignitatum mundi.

Psalm. 36. MOtiva ad eundem Contemptum. 1mum. *Psalm.* Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, & transivi & ecce non erat; & quæsivi eum, & non est inven-
Psam. 72. tus locus ejus. *Psalm.* Dejecisti eos, dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt: perierunt
V. Danielem c. 2. propter iniquitatem suam. *Apud Danielem*; statua illa magna repræsentativa quatuor Monarchiarum mundi, tandem soluta in favillam æstivæ areæ, & à vento rapta, nusquam ampliùs comparuit; significat summa imperia mundi tandem desitura, & ampliùs non comparitura. Quod profectò magnæ vanitatis adeoque contemnendæ indicium est. *Eccl*:
Eccl. 9. Non zeles gloriam, & opes peccatoris, non enim scis, quæ
Appocal. 18. futura sit illius subversio. *Apocal.* Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

S. Chrysost. super Matth. 2dum. *S. Chrysostomus*: Quicunque desiderat primatum cælestem, sequatur humilitatem terrestrem: non enim qui major fuit in honore, ille major: sed qui justior, ille major. *S.*
S. Bern. in cant. *Bernardus*: Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. *Idem*: Nunquid in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis potest? Ecce quales honores. Quid autem de gloria? Gloria tibi unde fœtide pulvis, limus terræ, vas in contumeliam.! Non tibi, non
Petr. Ravenna in quod sermo. tibi; sed nomini Domini da gloriam. *Petrus Rav*: Divitias & honores solicitudo inseparabiliter comitatur. Pompa mundi, &

& favor populi fumus est, & aura subitò evanescens, quæ si placeant, plerumque pœnitudinem inducunt; & si delectant ad modicum, productiore spatio displicebunt. Beyrl. Veteres regnū nunc splendidam servitutem, nunc auratos compedes, nunc falsam felicitatem; inter Christianos verò statum miserrimum, salutis naufragium, curarum ac discriminis abyssum, libertatis vinculum vocabant. *Beyrlinck tex. 3. in festo S. Jacobi.*

3tium. Exempla Christiana Contempti honoris ex Biblioth. Man. P. Lohner. I. Christus, cùm post miraculum insigne patratum populus eum Regem facere vellet, fugit & honori se subduxit. *Joann. 6.* II. Moyses adhuc puer, cùm in sinu Pharäonis à filia collocato, Rex diadema capiti illius imposuisset, indignabundus in terram abjecit, & pedibus conculcavit. *Joseph. lib. 2. antiq. c. 5.* III. S. Malachias ad onus Archiepiscopale vocatus omnibus modis recusavit, anathema verò, nisi pareat minitantibus, tandem acceptavit dicens: Ad mortem me ducitis, sed obedio spe martyrii. *Sur. Tom. 6. in vita.* IV. S. Franciscus rogatus à Domino Hostiensi, utrùm suos Fratres ad Ecclesiasticas dignitates promoveri vellet? Respondit: Minores ideo vocati sunt Fratres mei, nè majores fieri præsumant. *Sur. Tom. 5. in vit.* V. Godefridus Bullionius cùm ob devictam Solymam Christiani Principes eum Regem proclamâssent, aureamquè coronam obtulissent, regni quidem titulum rogatus non abnuit; coronam verò capiti imponi noluit dicens: Indignum est aureo illic diademate hominem uti, ubi Rex Regum Christus pro hominum salute spineam portavit. *Platina in vit. Paschalis II.* VI. Carolus Magnus cùm Saxones aliiquè finitimi populi ad pedes ejus prociderent, sequè obsequio ejus devoverent, illis in brachia acceptis dixit: Nolo vos mihi servire sed DEO. *Munsterus lib. 9. Cosm. c. 19.*

4tum. Exempla profana. I. Antigonus in Regem adscitus, priusquam diadema capiti imponeret: O nobilem magis ajebat, quàm felicem pannum! quem si quis penitus cognoscat, quàm multis solicitudinibus periculis & miseriis sit refertus, nec humi quidem iacentem tollere vellet. *BeyrlinckTe. 3. in fest. S. Jac.* II. Alexander Severus Imperator creatus, cùm vix annos sedecim natus esset, ob virtutes eximias titulis magnificis à senatu decoratus, nunquam animum induxit, ut se magnum, & Patriæ Patrem nominari pateretur; Oportere enim ajebat, ut res gestæ maturiorquè ætas ea nomina pararet *Josephus Lang. in polianth. v. eodem.*

ret. III. Maximus senior Cæsar, nunquam ad oscula pedum quenquam admisit dicens: Dii prohibeant ut quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat.

Josephus Lang. v. eodem.

In Praxi fit contemptus honorum per exercitium Magnanimitatis, Humilitatis, &c. Deniquè cùm non habentur honores non appetere, oblatis non delectari, nec intumescere, sed eis se indignum judicare.

Accipe quoq; ex suprà dictis hìc applicans proportionatâ Methodo.

l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3.

SUBSECTIO II.

De Contemptu Divitiarum.

INcentiva *ad præfatum Contemptum.* 1mum. *Psalm.* Veruntamen in imagine pertransit homo: sed & frustra conturbatur. Thezaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Et nunc quæ est expectatio mea nonne Dominus, & substantia mea apud te est? *Prov.* Noli laborare ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. *Eccle.* Avarus non implebitur pecuniâ: & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas. Ubi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit divitias oculis suis? Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat, saturitas autem divitis non finit eum dormire. Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiæ conservatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima: generavit filium, qui in summa egestate erit. Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei qui laboravit in ventũ? Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque tristitia. *Eccl.* Beatus dives qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris. Quis est hic & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. *Christus* divitias comparat spinis dicens: Qui autem seminatus est in spinis: (*id est homo, qui suscepit semen verbi Divini*) hic est, qui verbum audit, & solicitudo seculi istius & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. *Idem Dominus* ait:

Psalm. 38. *Prov. 23.* *Eccle. c. 5.* *Eccl. 31.* *v. Matth. c. 13. v. 22.* *V. Matth. c. 19. v. 24.*

ait: Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis: Faciliùs est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum. Auditis autem his discipuli mirabantur valde dicentes: Quis ergo poterit salvus esse? Aspiciens autem JESUS dixit illis: Apud homines hoc impossibile est, apud DEUM autem omnia possibilia sunt.

2dum. S. Augustinus: Aurum est materia laborum, periculum possidentium, enervatio virtutum, malus Dominus, proditor servus. *Idem*: Aurum ampliùs cruciat, apud quem largius fuerit, aurum amanti se nihil de sua possessione permittit; refundens ei reatum suum, cui usum negat. *S. Chrysostomus*: Divitiæ maximæ, non egere divitiis. *Idem*: Divitiarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor injustus, arrogantia superba, omnisquè irrationabilis motus. *S. Bernardus*: Filii Adam, genus avarum & ambitiosum audite: Quid vobis cum terrenis divitiis, & gloria temporali, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum & argentum, nonnè terra est rubra & alba, quam solus hominum error facit (ac magìs reputat) pretiosam? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. *Idem*: Quid enim tam absconditum, quàm paupertatem esse beatam? Attamen Veritas loquitur, quæ nec falli, nec fallere potest, & ipsa est, quæ dicit: Quoniam beati pauperes spiritu. Sic vos insensati filii Adam divitias quæritis, divitias desideratis usque adhuc: cùm jam beatitudo pauperum Divinitus commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus? Quærat eas Paganus, qui vivit sine DEO, quærat Judæus, qui terrenas promissiones accepit, sed quâ fronte magìs, aut quâ mente Christianus divitias quærit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicavit? Quousque filii alieni, quousque vanitatem loquetur os vestrum, ut beatum populum dicatis, cui hæc sunt, hæc visibilia, hæc præsentia: cùm Filius DEI os suum aperiens locutus sit veritatem, beatos esse pauperes; &c: Væ divitibus!

S. August. de verbis Domini

Idem serm. 29. de verb Domin

S. Chrysost. in Homil.

Idem lib. 1. quod nemo læditur &c.

S. Bern. serm. 4.

Idem serm. 1. in Fest. omnium SS.

3tium, Exēpla sanctorū. S. Job quomodo erga divitias affectus fuerit, testatur ipse, dum ait: Si lætatus sum super multis divitiis meis, & *Job. 31. v. 25.*

quia plurima reperit manus mea, &c: pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina. *S. Gregorius* sæpè dicere solebat verè divitiarum contemptor: Solæ divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus efficiunt. Si ergo fratres divites esse cupitis, veras divitias amate. *Euphrasia* Antigoni filia promittenti Theodosio Imperatori opulentam dotem, si Adolescenti cuidam Patricio, cui á parentibus promissa fuerat, nuberet, respondit: Opes meæ Christus est, tu tuas aliis dato: sicque Monasterium ingressa Christo se desponsavit.

4tum. Exempla profana. Crates Thebanus vir ditissimus projecit divitias in mare dicens: Ite pessimæ divitiæ, præstat ut vos mergam, quàm ut à vobis mergar. *Aliud.* Babytaces in septentrionali Tygris alueo siti incolæ, aurum in odio usque adeò habent, ut coëmant illud ac defodiant, nè cui mortalium sit in usu. *Aliud.* Anacreon Philosophus, cùm à Polycrate Samiæ Rege decem millia ducatorum dono accepisset, ideoque ob phantasias & curas animi inde exortas triduo insomnis fuisset, remisit donum, jubens retinere res suas, quando præter curas & inquietudinem aliud nihil donare posset. *Aliud.* Telecrus percontanti, quantum possideret auri? Non plus, respondit, quàm sat est; quo dicto clarè ostendit, se divitias non cupiditate, sed usu metiri.

Fab. conc. 6. in Dom. 14. post Pent.

Plin. lib. 6. c. 27.

Fab. Conc. 2. in Dom. sexag.

Plutarchus in Lacon.

In Praxi acquiritur Contemptus divitiarum amore & exercitio operum Misericordiæ, Justitiæ, Liberalitatis, Christianæ Paupertatis, &c: Cæterùm divitiarum nimium appetitum cave, in eis non complaceas, circa eas solicitudinem nimiam fuge.

Vide etiam suprà dicta & ea hìc congruo modo adhibe. *1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2.*

SUBSECTIO III.
De Contemptu Deliciarum.

Eccl. 2. INcitamenta ad præfatum Contemptum. 1mum. Rex Salomon de se ipso: Quis ita devorabit, & deliciis affluet ut ego?)) Hoc tamen idem dicit esse vanitatem & afflictionem spiritûs, dum ait: Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas & afflictio spiritûs. *Eccl:* Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, &

Eccl. 1.

Eccl. 11.

dierum

dierum multorum, qui cùm venerint, vanitatis arguëntur præterita. Christus inquit: *Quod autem* (semen verbi Divini) *in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur* (in peccatis) *& non referunt fructum* (virtutis). *Luc. 8.*

2dum. S. Chrysostomus: Sicut impossibile est, ut ignis inflammetur in aqua: ita impossibile est compunctionem cordis vigere in deliciis. Contraria enim hæc sibi sunt invicem & peremptoria Illa enim mater fletûs, hæc mater est risûs: illa cor constringit, ista dissolvit. *S. Chrysost in lib. Compun. cordis.* *Idem:* Centum, si placeat, annos demus deliciis, adde & alios centum: si libet, adde & decies centum, quæ erit ex his ad æternitatem compensatio? Nonnè omne tempus vitæ hujus, quo deliciis frui videmur, & indulgere libidini: quasi noctis unius somnium ad æternitatis comparationem videtur? *Idem de rep. lapsi.* *S. Ambrosius:* Delectatio cecidit & præteriit: vulneravit & transiit: miserum fecit, & abiit: infelicem reddidit, & reliquit. *S. Ambros. in quodam serm.* *S. Gregorius:* Hi frequenter majores tribulationes in carne suscipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur. *S Gregor. l. 12. Moral.* *S. Bernardus:* Quomodo ignis & aqua simul esse non possunt; sic spirituales & carnales deliciæ in eodem se non patiuntur. *S. Bern. in Epist. 2.* Ubi crapulam ructantis inter pocula senserit Christus, vina sua dulciora super mel & favum menti propinare non dignatur. Ubi curiosa ciborum diversitas, ubi divitis suppellectilis discolor varietas oculos pariter pascit & ventrem, cælestis panis jejunam deserit mentem, Eia! lætare juvenis in adolescentia tua, & decedente pariter cum ætate temporali lætitiâ, succedat, quæ te absorbeat æterna tristitia. *Idem:* Quousque igitur caro misera, insipiens, cæca, demens, & prorsus insana caro, transitorias & caducas quæris consolationes imò desolationes? si fortè contingat repelli, & indignam judicari hac cælesti gloriâ, magis autem nihilominus ineffabili in æternum excruciari pœnâ? *Idem. serm. 6.* *Idem.* Nam mundialem quidem consolationem vobis offerre nec licet, nec libet. Vilis enim est, & ad nihilum utilis hujusmodi consolatio: & (quod magis est metuendum) etiam veræ & salubris consolationis est impedimentum. *Idem serm. 4.* *Idem:* Væ tibi! quicunque es canis reversus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti. Non ad- *Idem serm. 2. tempore Pasch: ad Abbates.*

eos tantùm loquor, qui corpore, sed etiam eos, qui corde redeunt in Ægyptum, seculi hujus oblectamenta sectantes, ac proinde fidei vitam, quæ est charitas, non habentes. Si quis enim diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quis magis mortuus eo, qui fovet ignem in sinu, peccatum in conscientia, nec sentit, nec expavescit, nec excutit?

3tium. Exemplum calamitosi Lazari & præmium, tum deliciosi Epulonis ejusquè merces, sat potens motivum spernendi mundi illecebras. Audi S. Hieronymum: *Divitem purpuratum gehennæ flamma suscepit. Lazarus pauper & ulcerosus, cujus carnes putridas lambebant canes, & vix de micis mensæ locupletis miserabilem sustentabat animam, in sinu Abrahæ suscipitur, & Patriarchâ parente lætatur. Difficile imò impossibile est, ut & præsentibus quis & futuris fruatur bonis, ut & hic ventrem, & ibi mentem impleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque seculo primus sit, ut & in cælo, & in terra appareat gloriosus.* Et in Apologia ad Pammachium: *Volumus opiparè comedere, uxorum adhærere complexibus, & in numero Virginum & Viduarum regnare cum Christo? Idem ergo habebit fames præmium, & ingluvies, sordes & munditia, saccus & sericum? Lazarus recepit mala in vita sua, & dives ille purpuratus, crassus & nitidus, fruitus est carnis bonis, dum viveret; sed diversa post mortem tenent loca. Miseriæ deliciis, & deliciæ miseriis commutantur. In nostro arbitrio est, vel Lazarum sequi, vel Divitem.*

Hier. Ep. 34.

Luc. 16. 21.

De libris in Jovin.

4tum. Exempla Ethnica, quæ *S. Hieronymus* commemorat dicens: Pythagorici frequentias urbium declinantes, in solitudine & desertis locis habitare consueverunt. Platonici quoque & Stoici in templorum locis & porticibus versabantur, ut admoniti augustioris habitaculi sanctitate, nihil aliud, quàm de virtutibus cogitarent. Sed & ipse Plato, cùm esset dives, & thoros ejus Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset vacare Philosophiæ, elegit Academicam villam, ab vrbe pocul, non solùm desertam, sed & pestilentem: ut curâ & assiduitate morborum, libidinis impetus frangeretur, discipuliquè sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum, quas discerent.))

In Praxi. Respuantur deliciæ studio omnis Virtutis, maximè Patientiæ, Abstinentiæ, Castitatis, Modestiæ, &c. In reliquo

reliquo voluptatem ut pestem & venenum execrare; quia mors secus delectationem posita est. Rebus, quibus ad necessitatem uteris, earum delectationem etsi sentias, non tamen delectationi quasi totus inhæreas, sed utendo eis tanquam non utaris.

Assume quoque suprà specificata & hic convenientor applica. *l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2.*

SUBSECTIO IV.

De Contemptu inordinati Affectûs Patriæ, & Propinquorum.

Affectus hic etsi frequens vigeat inter Parentes & liberos, inter Conjuges, inter Fratres, inter Affines, ut respectu ejus, plerumque DEUS graviter offendatur; tamen quia sub aliis vitiis est implicitè hoc Opere profligatus, modò solùm de illorum affectu vincendo agimus, qui amore Patriæ & Propinquorum à Religioso statu, & servitio DEI abstrahuntur.

Motiva ad specificatum Contemptum. *Imum.* Spiritus S. ad animam fidelem ait: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui: & concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus DEUS tuus. *Psalm. 44.* *Christus*: Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. *Matth. c. 10.* Veni enim separare hominem adversùs patrem suum, & filiam adversùs matrem suam, & nurum adversùs socrum suam: & inimici hominis domestici ejus. Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus: & qui amat filiũ aut filiã super me, non est me dignus. *Idem*: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. *Matth. c. 19.*

2dum. *S. Ambrosius*: Frequenter amor ipse patris nisi moderationem teneat, nocet liberis. *S. Ambros. de Jos. c. 2.* *S. Hieronymus*: Grandis in suos pietas, impietas in DEUM est. *S. Hieron. Ep. 25. ad Paulam* *Idem*: Multa nos facere cogit affectus, & dum propinquitatem respicimus corporum, & corporis & animæ offendimus Creatorem. Qui amat patrem aut matrem super Christum, non est eo dignus. *Idem Ep. 128. ad Fab.* Discipulus ad sepulturam

patris ire considerans, Salvatoris prohibetur imperio. Quanti Monachorum dum patris matrisquè miserentur, suas animas perdiderunt? Super patre & matre pollui nobis non licet, quantò magìs super fratribus, sororibus, consobrinis, familia, servulis?

Idem. Ep. 1. ad Heliod. *Idem:* Licèt parvulus ex collo pendeat nepos; licèt sparso crine & scisfis vestibus ubera quibus te nutrierat, mater ostendat; licèt in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solùm pietatis genus est, in hac re esse

S. Bern. Ep. 104. crudelem. *S. Bernardus:* Etsi impium est contemnere matrem, contemnere tamen propter Christum, piissimum est.

Julius Nigronius Tract. ascet. tract. 16. *3tium. Exemplum Christi.* Quod notante *Julio Nigronio* moderationem hujus affectûs (id est erga sangvine junctos) aliquot actionibus expromitur. *Prima* est, cùm puer inventus à matre, dolorem suum & Josephi referente, conversus ad illos

Luc. 2. gravitate virili atquè authoritate Divina dixit: *Quid est, quòd me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Secunda* Christi actio fuit in nuptiis apud Joannem,

Joann. 2. ubi Matri suggerenti, vini defectum, dixit filius: *Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea.* S. Bernardus magnâ demissione animi admiratur tam grave responsum, existimatquè multum per omnem modum Matri Filioquè esse negotii: Tum corrigit sese atquè interpretatur dictum increatæ Sapientiæ in hunc sensum: *Sed manifestè jam video, quòd non velut indignans, aut*

S. Bern. serm. 2. in Dom. 1. Epiph. *confundere volens Virginis Matris teneram verecundiam dixeris: Quid mihi & tibi? cùm venientibus ad te, juxta Matris præceptum, ministris, nihil cunctatus facias, quod illa suggessit. Ut quid ergo Fratres, ut quid sic responderat prius? Utiquè propter nos, ut conversos ad Dominum jam non solicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illæ non impediant exercitium spirituale. Quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus. At postquam reliquimus nosmetipsos, multò magìs ab eorum solicitudine liberi sumus.*)) *Tertius locus est* in Evangelio Matthæi, ubi quidam nuntiavit Christo Matrem

Matth. 12. & Fratres ejus foris stare, ut ei loquerentur. Huic respondit Salvator: *Quæ est Mater mea, & qui sunt Fratres mei? Et extendens manum in Discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei,*

Quicun-

Quicunquè enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Multis Patribus visus est hic locus peridoneus ad probandam positionem, quam statuimus; ostendisse nimirum Salvatorem hanc affectionem propinquorum in exemplum nostrum sanctè mortificatam. Citatquè Nigronius S. Ambrosium, S. Basilium, S. Augustinum, S. Bernardum. *Quarta* Salvatoris actio nos erudiens ad moderandum hunc affectum, est exclusio propinquorum à dignitatibus. Habebat aliquot ex Discipulis sangvine propinquos, qui ideo vocantur passim in Evangelio Fratres ejus: sed neminem eorum suum in Ecclesia Vicarium instituit. Elegit ac renunciavit Petrum, quem oneri ferendo aptissimum omnium existimavit, nulla sibi cognatione sangvinis adstrictum.

4tum. *Exempla Sanctorum.* S. Isidorus Pelusiota de S. Moyse admiratur dicens: *Quòd cùm omni affectione superior esset, naturalem quoque charitatem vicit. Nam cùm duos filios haberet, neutrum horum imperii sui militaris successorem instituit: sed eum, qui virtute potiùs, quàm genere ipsi conjunctus erat: virtutem nimirum naturæ, ad honesti dijudicationem persæpe cæcutienti anteponens. Aliud* S. Bernardus de S. Joanne Baptista inquit: *Joannes ætatis supergressus infantiam, & nobilioris generis generositatem oblitus, soli vacat Divinitati, forma factus vitæ, Monachorum propositum, Anachoretarum principium, & totius Religionis assertio.* De Contemptu affectûs in consanguineos præclara habes infrà exempla summorum quoque Pontificum. Quæ virtus universim omnibus Ecclesiasticis demandatur à Concilio ita dicente: *Omnino eis interdicit nempe Episcopis & Cardinalibus, nè ex reditibus Ecclesiæ consangvineos familiaresve suos augere studeant: cùm & Apostolorum Canones prohibeant, nè res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, consangvineis donent.* Paulòpost, ut radicitus extirpet causam harum largitionum, monet Synodus amputari carnalem affectum sic dicens: *Imo quàm maximè potest eos, Sancta Synodus monet, ut omnem humanum erga fratres, nepotes, propinquosquè carnis affectum, unde multorum malorum*

S. Isidor Pel. lib. 3. epis. 289.

S. Bern. ser. de excellentia S. Joan. Baptis.

De Pseudopietate in suos.

Concil. Trid. sess. 25. c. 1. de reform.

in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. In vitis Patrum, in Gerontico Græcorum, in historia Lausiaca Palladii, in historia religiosa Theodoreti, in prato spirituali Joannis Evirati, atque in tertia parte viridarii Matthæi Raderi Lector inveniet egregia virtutis hujus revocatæ ad praxim exempla. Mucium prætermittere non jure queo, quòd in eo mirabiliter eluxit hæc virtus à Cassiano longâ oratione laudata. Is æquissimo animo, ac sine ulla perturbatione, imò exultans ferebat, filiolum, quem secum

Cass. lib. 4. c. 27. 28. in Monasterium octennem adduxerat, injuriis, colaphis, aliisquè rationibus malè tractari. Præterea jussus à seniore puerum plorantem in profluentem jactare, *celeri cursu rapiens filium, ulnis propriis usque ad ora fluminis advexit jactaturus.* Hoc posterius fa-

Alar. Gaz. in schol. ad Cass. l. 4. c. 27. ctum ex admirabilibus est: atque ut notavit Alardus Gazæus, ex instinctu Divino rem gestam existimare possumus; quando seniori revelatum tradit idem Cassianus. *Hac eum obedientiâ Abrahæ*

Vita S. Bern. lib. 3. c. 6. *Patriarchæ opus implêsse.* Alia narratur in vita S. Bernardi, eum siccis oculis Gerardum fratrem germanum funeratum tumulâsse; qui quemlibet extraneum vix, aut nunquam sine lachrymis sepeliuit. B.

Bern. Just. in vit. B. Laur. c. 38. *Laurentius*, post habitum religiosum susceptum, nũquam, paternam fraternãq; domũ ingressus est officii gratiâ, nisi ut matri morienti adesset; extra januam mendicans panem petebat, & extra

Fran. Lug. c. 14. vita Bona. limen expectabat. *B. Joannes Bonvisius* ex ordine Minorum, nullius rogatu adduci potuit ut Laurentium fratrem, senem, antea

Tursell. l. 1, vitæ c. 9. valde à se dilectum, conveniret unquam. *S. Francisco Xaverio* proficiscenti in Lusitaniam, ut inde solueret in Indiam, persvaderi non potuit, ut ex itinere paulùm digrediens, matrem salutaret, quam nunquam in terris erat in posterum visurus.

Julius Nigron. Ascetic. T. 16. c. 5. 5tum. *Exempla profana.* Hæc *Iulius Nigronius* ita orditur referre, dicens: Prima in acie producam, *in confusionem nostram* (ut loquitur S. Hieronymus disputans adversùs Jovinianum exem-

S. Hier. lib. 2. adv. Jovin. plo continentium & abstinentium Gentilium) proferam inquam exemplum Philosophorum & Ethnicorum, qui cognoscentes propinquorum amorem & affectum depravatum esse, atque ob depravationem indigere curationis, interdum eum vituperant tamquam à recta ratione devium: nonnunquam laudant, & admirantur eos, qui excedenti modum immiserunt frænum: ac sæ-

pe

pè illum in ſeipſis forti brachio repreſſerunt. Idem fuit Ariſtotelis, ſensûs depravationem illius agnoſcentis, Rhacones genere Mardus Æliano referente, in admiratione fuit apud ſenatum, Regemquè Perſarum, quòd filium mortis reum judicibus ipſemet ſiſteret mulctandum. Hæc tanta virtus animi in affectu paterno cohibendo, tam inſignis victoria ſui ipſius effecit, ut in Iudicum collegium cöoptaretur à Rege, qui meritò arbitrabatur juſtisſimè judicaturum eum, qui proprio filio minimè pepercisſet. Commendantur ab eodem Æliano Anaxagoras, Xenophon, Dion, Antigonus, qui liberorum mortem æquo animo tulerunt. S. Hieronymus conſolans Heliodorum Epiſcopum ſuper morte Nepotiani ſororis filii, refert multos ſcriptores Ethnicos, qui conſolatorios libellos ſcripſerunt, in quibus viri fortes recenſentur, filiorum mortem invictis à dolore animis audientes. Laudat Anaxagoræ ac Telamonis ſententiam, qui accepto de filii morte nuntio, nihil animo commoti dixerunt: *Sciebam me genuiſſe mortalem*; quod M. Tullius, Valerius Maximus, Plutarchus & alii prodiderunt. Addit Græcis complures Romanos Duces, quorum moderatio paterni affectûs ac virtus, in orbitate filiorum enituit. Inter quos etiam fuerunt, qui filios in militia peccantes, militari lege ac judicio, morti addixerunt, quanquam victores è pugna reverterant. Qua in re, juſtitiæ ac legum militarium amor ſeverus, paternum affectum penitus extinxit. Apud eundem S. Hieronymum Cheræmon Stoicus *narrat de vita antiquorum Aegypti ſacerdotum, quòd omnibus mundi negotiis curiſquè poſtpoſitis ſemper in templo fuerint, & rerum naturas cauſaſquè ac rationes ſyderum contemplati ſint, nunquam mulieribus ſe miſcuerint, nunquam cognatos & propinquos, nè liberos quidem viderint* &c: Semanæi de ſchola Gymnoſophiſtarum Indorum, cùm ſe dabant in eam diſciplinam, liberos deſerebant, & eos Regi alendos educandoſquè relinquebant, ut Porphyrius memoriæ mandavit. Hic libet exclamare cum S. Hieronymo: *Hæc in ſugillationem noſtri breviter dicta ſint: ſi non præſtet fides, quod exhibuit infidelitas.* Hæc citatus Nigronius eodem tractatu variis locis.

Sup. nu. 3. Æli. l. 1. var. ſect. c. ult.

Idem. l. 3. c. 2. & ſeq.

S. Hieron. Ep. 3. ad Heliod.

Cic. Tuſc. 4. Val. Max. lib. 5. c. 20. 1. Plut. l. de tranq.

S. Hier. lib. 2. ad Jovin.

Porp. l. 4. de abſt. ab eſu car.

S. Hier. ep. 4. ad Heliod.

In Praxi Eradicandi perniciosum propinquorum Affectum, videndum eſt, an qui hoc morbo laborant, ſint ſuperiores,

vel inferiores. Si *Superiores*, optarem legerent dicta infra de Pseudopietate in consanguineos, addito quoque quòd Religiosi Prælati aliique superiores, dispensatores bonorum Cœnobii sui, sive illa bona per se, sive per accidens, sive industriâ suâ sine alio modo proveniant (quidquid enim Religiosus acquirit, non sibi, sed Communitati acquirit, si enim sibi, ergo illorum acquisitione manet proprietarius, ergo non Religiosus) dispensantes ejusmodi bona in propinquos ut ditiores fiant, juxta dicta infrà de Pseudopietate, præter multiplicem malitiam in hoc actu peccati inclusam, superaddunt quoque malitiam proprietatis contra votũ S. Paupertatis Quia non ex intentione S. Ecclesiæ, & suæ Religionis, sed pro suo libitu liberè disponunt de bonis in suam felicitatẽ (quæ est definitio dominii proprietatis) suos enim ditare adeoque beare temporaliter, est seipsum reddere felicem, cùm dans & accipiens sint unum quid unitate sangvinis. *Sin verò Religiosus inferior est*, huic *imo* omnis occasio præcidenda familiaritatis quomodocunque evenientis cum suis propinquis, uti S. Fulgentio Novitio ad matrem foris Monasterio lamentantem, non dabatur egressus, vel aliqua collocutio. Nisi fortè rarissimè cùm socio aliquo probatissimo ad breve tempus expediat dari visitatio alicujus propinqui, à quo tamen potius confirmetur in profectu Religiosæ perfectionis, quàm corrumpatur, aliàs omnino non expedit serpenti & modicum ad tempus se concredere. *2do.* Occupet ejusmodi mentem seriâ meditatione & timore novissimorum, amore cælestium, dilectione DEI, conatu in profectu spirituali, identidem orientes cogitationes & affectus dictos inordinatos mox respuens, credo sensim evanescet talis stultitia. *3tio.* Commendet DEO precibus corporales & spirituales necessitates propinquorum, & confidat melius & citius eis affuturum auxilium & solatium DEI, quàm si ipse pro eis alio modo insudasset.

l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. *Vide etiam suprà notata, & hic proportionatè applica.*

SUB-

SUBSECTIO V.

De Opposito Contemptûs Mundi, seu de Mundi Amore & Cura.

COntra quod 1mo. *Apostolus*: Nolite conformari huic seculo. *Idem*: Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera DEI sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. *Idem*: Nemo militans DEO implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit. *Jacobus*: Nescitis quia amicitia hujus mundi, inimica est DEI? Quicunque ergo voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus DEI constituitur. *Joannes*: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo: quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia eius. 2do. *S. Augustinus*: Ecce ruinosus mundus est, & sic amatur, quid si dulcis esset? O munde immunde tenebras pariens, quid faceres si maneres? quid faceres dulcis, si amarus alimenta mentiris? *S. Cyprianus*: Mundi amor & DEI pariter in uno corde habitare non possunt, quemadmodum oculi pariter cælum, & terram nequaquam conspiciunt. *S. Bernardus*: Dic mihi ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? Nihil ex eis remansit, nisi cineres & vermes. Attende diligenter, qui sunt, & qui fuerunt, sicut tu comederunt, & biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Hìc caro eorum vermibus, illic anima eorum ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio sempiternis ignibus involvantur. Qui socii fuerunt in vitiis, socii erunt in pœnis, una namque pœna illos implicat, quos vanus amor in crimine ligat.

Rom. 12. Col. 3. Tim. 2. Jacob. 4. 1. Joan. c. 2. S. August. in serm. S. Cyprian. de 12. S. Bern. lib. Medita.

In Praxi eo modo eradicatur Amor & cura mundi, seu rerum mundanarum, nempe Appetitus honorum, quomodo ambitio, inanis gloria, jactantia, &c. Appetitus divitiarum, quomodo avaritia, &c: Appetitus deliciarum, quomodo gula, luxuria, &c: Cura mundi, quomodo solicitudo nimia. De quibus

omnibus in speciè fusè hìc suis locis agitur. Quæ ut invenias, vide indicem rerum Operis hujus.

SECTIO III.

De Christiana Paupertate.

§ I.

PAupertas Christiana, est actus virtutis religionis, quâ ex voto æviternum abdicat se homo dominio rerum externarum actuali & possibili, ad expeditiùs serviendum DEO. Dicitur; *Est actus virtutis religionis*; quia paupertas haud volũtaria ex se, est actus indifferens, qui accedente libertate voluntatis, & motivo formali alicujus virtutis, cujus sortitur speciem, fit actus ejusdem virtutis: prout paupertas volũtaria, quia assumitur liberè, duplici titulo fit actus præstantissimæ virtutis religionis; tum titulo voti, quod ipsum ex sua natura est actus religionis, tum ex motivo expeditioris servitii & cultûs Divini. Et hæc est paupertas statûs completi, vel incompleti Religiosorum. Nam paupertas assumpta sine voto, erit quidem actus virtutis religionis, non tamen pertinens ad statum Religiosorum. Quanquam hæc servitus DEI latiùs sumitur pro omni executione Divini beneplaciti, tam in mandatis, quàm in consiliis Divinis. Unde paupertas religiosa aliarum quoque virtutum Theologicarum & Moralium, participare potest essentiam ex intentione operantis. Dicitur; *æviternum* &c. id est, quòd toto ævo durante vitæ præsentis nolit ampliùs habere dominium, seu liberam pro suo arbitrio potestatem disponendi de rebus exterioribus habitis, vel possibiliter habendis, in suum vel alienum usum, sed ex Regulæ & superiorum suorum dispositione totaliter pendere, esseque contentum, paratum, & resignatum etiam necessariorum jacturam pati: superflua verò actualiter prorsus non admittere tam in necessariis quàm non necessariis, idque juxta suæ regulæ, quam professus est, tenorem. Porrò dominium hìc intelligitur privatum, & in particulari, quod respicere debet quælibet persona religiosa, non verò dominium in communi, quod penes Ordinem

nem & totam Communitatem est. Quanquam S. Francisci Religiosi de observantia, perfectioris sanctæ paupertatis gratiâ etiam dominium renuunt in Communi, & quoad Usum, summo Pontifici illud subjicientes.

Gradus Religiosæ Paupertatis ex S. Bernardo serm. 3. de vita & offic. Relig.

SUfficere potest superflua non requirere, sed nec propter ipsa, si fortè desint necessaria, murmurare. Sed cumulus est, etiam exultare, & libenter quærere, quomodo alius magis habeat necessaria, & ipse penuriam patiatur.

Gradus Paupertatis ex S. Bonaventura in Form. aurea de grad. virtutum c. 8.

Ordo graduum Christianæ paupertatis.

PAupertatis, quæ est una de octo beatitudinibus, altus gradus est, relinquere res temporales. Altior, relinquere amicos seculares, & spirituales. Altissimus, relinquere se ipsum, id est singularem sensum, amorem privatum, propriam voluntatem. In omnibus istis gradibus fuit Christus, qui reliquit se ipsum, sua, suos. I.

Item altus gradus est, pro transitoriis non laborare, nec solicitari. Altior, transitoria non appetere. Altissimus, oblata respuere. In secundo fuit Apostolus cum dixit: Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi. In ultimo fuit Daniel Propheta, qui contempsit munera Baltazar; quia scriptura reprehendit munuscula dare, & accipere. II. *Act. 20. Dan. 5. Exod. 25. Dan. 15.*

Item altus gradus est, nolle habere certum hospitium, sicut Christo non fuit locus in diversorio. Altior, non habere certum victum, & vestitum tempore sanitatis. Altissimus, nolle habere certum victum, & vestitum tempore infirmitatis. In hoc ultimo gradu fuit Christus, cùm non habuit, ubi caput suum reclinaret, nec haustum aquæ, nec vestem, sed nudus ante crucem stetit. *Ecc. 20.* III. *Luc. 2.*

Item in alto gradu paupertatis est, qui propter hoc eligit paupertatem, ut à transitoriis solicitudinibus eruatur. In altiori est, qui propter hoc eligit paupertatem, ut in virtutibus & donis spiri- IV.

spiritualibus ditetur. In altissimo, qui propter hoc eligit paupertatem, ut in sessione sua apud Christum in judicio, DEUS glorificetur.

V. In alto gradu est, qui nihil habet proprium in speciali, sicut multi Religiosi. In altiori, qui nihil habet proprium in communi ad annum, vel ad longum tempus, sicut pauci Religiosi. In altissimo est, qui nihil habet proprium in communi, nec ad septimanam vel ad diem, ut Fratres Minores.

§ II.

Stimuli Sectandæ Paupertatis Christianæ

Psalm. 67. PRimus. *Psalm*: Parâsti in dulcedine tua pauperi DEUS. *Idem*: *Psalm. 9.* Quoniam non in finem oblivio erit pauperis. *Eccl*: Pauper *Eccl. 10.* propter scientiam & religionem, gloriam adipiscitur. *Christus*: *Matth 5.* Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnum cælorum. *Idem*: *Matth. 19.* Si vis perfectus esse, vade vende omnia, quæ habes, & da paupe- *Luc. 14.* ribus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me. *Idem*: Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus es- *Jacob. 2.* se Discipulus. *Jacobus*: Nonne DEUS elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, & heredes regni, quod repromisit DEUS diligentibus se?

S. August. de Eccl. 2. 2dus. *S. Augustinus*: Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius pro intentione sequendi Dominum insimul donare, & absolutum solicitudine egere cum Chri- *S. Chrysost. serm. 18. sup. Epist. ad Heb.* sto. *S. Chrisostomus*: Paupertas est manu ductrix quædam in via, quæ ducit ad cælum, unctio athletica, exercitatio quædam magna & admirabilis, portus tranquillus. Nihil opulentius eo, qui *Leo Papa serm. 4.* paupertatem sponte diligit, & eam alacriter suscipit. *S. Leo Papa*: Semper dives est Christiana paupertas, nec pavet in isto mundo indigentiâ laborare, cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere. Operantibus ergo quæ bona sunt non omnino metuendum, nè eis desit facultas operandi: cùm & in duobus minutis Evangelicæ illius viduæ sit laudata devotio, & pro calice aquæ frigidæ præmium habet gratuita largitio. Ex affectibus enim piorum benignitatis mensura taxatur: & nunquam

eum

eum miserandi efficacia deserit, in quo misericordia ipsa non deficit. *Cassiodorus*: Pauperes Christi sunt, qui non solùm pro suis malis, verùm etiam pro totius calamitatibus mundi intercedere comprobantur, egent in hoc seculo, sed sunt locupletes DEO, vitiis vacui, sed virtutibus pleni, despecti hominibus, sed acceptabiles DEO. *S. Bernardus*: Sed diligenter attende, quod non simpliciter pauperes nominat propter plebejos pauperes necessitate miserabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturam eis apud Divinæ Bonitatis misericordiam hanc ipsam afflictionis suæ miseriam: scio tamen Dominum hoc in loco, non de hujusmodi fuisse locutum, sed de his, qui possunt dicere cum Propheta: *Voluntariè sacrificabo tibi.* Attamen nec voluntaria quidem omnis paupertas laudem habet apud DEUM, nam & Philosophi omnia sua reliquisse leguntur, ut expediti mundialibus curis, studio vanitatis possent vacare liberiùs, & nolebant censu abundare terreno, ut abundarent magis in sensu suo. Hoc discernit quod dictum est *Spiritu*, id est voluntate spirituali. Beati verò pauperes spiritu, spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum DEI, & animarum salutem: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Sed quis est, qui sic loquitur, qui sic beatificat pauperes, & sic ditat? Putas poterit verum esse? Erit sine dubio: siquidem verax, & potens est, qui promittit. Si murmurat inimicus, respondebitur ei; An non licet mihi facere quod volo? *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus?* Si tu jure humiliatus es pro eo, quòd universum adversùm me exaltare te voluisti, nonne qui se humiliant propter me jure sunt exaltandi? Et verè Fratres, si miserrimus ille è cælo dejectus est, quoniam affectavit celsitudinem, altitudinem concupivit, sublimitatem præsumpsit, nonne consequens est, beatos esse, qui sponte in paupertatis humilitatem sese deponunt: & juxta Domini promissionem ipsorum est regnum cælorum, quod perdidit iste? Et attende quàm sapienter ordinaverit Sapientia contra peccatum primum, remedium primum opponens. Ac si apertiùs dicat: Vis obtinere cælum, quod perdidit superbiens Angelus, qui confisus est in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum? paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit.

Cassiod. in psal. 71

S. Bern. ser. 1. in festo omnium Sanctorum in illud Evang. Beati pauperes &c.

Psalm. 53.

Matth. 20.

erit. Veruntamen quid sibi vult, quòd eadem promissio facta est pauperibus & Martyribus, nisi quia verè Martyrii genus paupertas voluntaria est? *Beatus vir, ait Propheta, qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ, quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.* Quid mirabilius, aut quod Martyrium gravius est, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus? An non meritò coronabitur, qui sic certaverit, mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & (quod gloriosius est) de semetipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem? Denique propterea pauperibus pariter & Martyribus regnum cælorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo, absque omni dilatione percipitur. *Idem:* Felix paupertas voluntaria omnia relinquentium, & sequentium te Domine JESU. Felix planè, quæ tam securos, imò tam gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, & in illo tremendo examine meritorum, in illo discrimine judiciorum.

Eccl. 31.

S. Bern. serm. 8. sup. Psalm. Qui habitat.

3tius stimulus ad Paupertatem Christianam, est Exemplum Christi. De cujus altissima paupertate præclarè disserit *B. Angela de Fulginio*, quæ olim mundo obligata, viro, filiis, & divitiis irretita, scientiâ simplex, viribus impotens, è Libro vitæ, vita Deihominis edocta Divinam sapientiam, ruptis mundi vinculis, culmen Evangelicæ perfectionis ascendit, & magnitudine revelationum clarissima, ad probrum inflatæ sapientiæ, cui est probrum & confusio vitæ JESU, & crucis imitatio, has insuper cælestes doctrinas in Libro vitæ exaratas exponit dicens: Scias igitur, quòd hic Liber vitæ, non est aliquid aliud, quàm Christus DEI Filius, qui est Verbum & Sapientia Patris, qui in hoc apparuit, ut per vitam suam, & mortem, & doctrinam nos instrueret. Videndum est, qualis fuerit sua vita & conversatio quam egit, & indesinenter tenuit in corpore mortali. Sua enim vita exemplum est, & forma cuilibet volenti salvari. Vita autem sua non fuit, nisi amarissima pœnitentia, cum qua fuit associatus continuè

In vita B. Angelæ de Fulg. l. 14.

in vita præsenti. Ita quòd ab hora, in qua anima Christi fuit creata, & infusa in suo sanctissimo corpore, in utero Virginis purissimæ, usque ad illam horam ultimam, in qua illa sanctissima anima recessit ab illo sanctissimo corpore per acerbissimam crucis mortem, nunquam stetit sine illa societate, quod non fecerunt Apostoli, nec Beata Virgo, nec alii Sancti. Societas autem quam DEUS Pater Altissimus secundùm suam sapientissimam dispensationem voluit, ut Filius suus dilectissimus haberet in isto mundo, hæc est. *Imo* perfectissima, & continua, & summa Paupertas. *2do* Perfectissimus, summus, & continuus Despectus. *3tio.* Perfectissimus & summusDolor. Ista fuit societas, à quaChristus fuit associatus in tota sua vita, ut exemplum nobis tribueret, hanc super omnia eligendi & diligendi, & tolerandi usq; ad mortem; per hanc enim viam, ipse secundùm quod homo ascendit ad cælum, & per ipsã potest, & debet ire anima adDeum, nec est alia via recta; oportet enim & decet, quod viã, quã caput tenuit, teneãt corporis membra, & quòd ab illa societate, à qua fuit associatum caput, sint etiam associata membra. Societas igitur ima JESU Christi libri vitæ & salutis nostræ, fuit continua, & summa, & perfectissima Paupertas; & ista fuit tribus modis. Una grandis, alia major conjuncta cum prima, sed tertia conjũcta cum prima & secunda fuit perfectissima.

Primus igitur gradus perfectissimæ Paupertatis Christi, qui est liber, & via, & magister animæ, fuit: Quia voluit esse pauper omnium rerum temporalium istius mundi, ita quòd non habuit, nec terram, nec vineam, nec hortum, nec aliquam possessionem, nec aurum, nec argentum, nec pecuniam, nec ullam rem propriam, nec recepit, nec recipere voluit de rebus mundi hujus, nisi ad sublevandã extremam indigentiã vitæ suæ corporalis, cum fame & siti, & penuria, frigore & calore, cum multo labore & austeritate, & duritia, nec de rebus delicatis & exquisitis necessitates corporis recipere voluit, sed de rebus grossis & communibus, quæ secundùm loca & tempus inveniebantur in illa provincia, in qua Christus sine domo & habitaculo mendicans stabat, & vivebat.

Secunda Paupertas Christi fuit major quàm prima: Quia voluit vivere, & esse pauper amicorum, & consanguineorum, & omnis familiaritatis magnorum & potentum, & omnis amicitiæ temporalis; ita quòd nec aliquem amicum habuit, nec habere voluit, nec ex parte Matris, nec ex parte Joseph patris putativi, nec ex

parte discipulorum, nec quorumcunque amicorum, propter quem fuerit sibi dimissa una alapa, nec unus ictus martelli, nec flagelli, nec unum verbum injuriosum. Et nasci voluit de Matre pauperrima & humillima, & educari sub patre putativo carpentario paupere, & se expoliavit amore & familiaritate Regum & Potentum, & Pontificum & Scribarum: & amore amicorum & consangvineorum; ita quòd nec pro Matre, nec consangvineo, nec pro quocunque dimittere voluit aliquid, quod placeret, vel placere posset voluntati Patris sui altissimi.

Tertia Paupertas & summa fuit: Quòd expoliavit semetipsum *se ipso*, cùm Christus pauperem se ostendit in *Potentia*. Et imò quòd fecit se pauperem & inopem suæ potentiæ propriæ, cùm enim ipse esset Omnipotentissimus, cui nihil erat impossibile, voluit apparere, & vivere in isto mundo sicut impotens, sicut infirmus & debilis homo; ipse enim præter miserias humanas, puerilem infantiam, & alias infinitas debilitates, quas propter nos assumpsit, præter culpam & peccatum, debilis apparuit, & vixit. Fuit enim fatigatus ex itineribus & prædicationibus, & curationibus, ex visitationibus, & opprobriis. Et quod plus est, non solùm homines peccatores in eum potestatem acceperunt, imò omnia elementa, & corpora insensibilia sibi passionem & afflictionem inferendi ab eo, qui ipsa creaverat, potestatem acceperunt, & ipse tanquam impotens non resistebat, sed omnia ut homo impotens resistere propter nos tolerabat. *Et paulò infra hæc Beata prosequitur*: Dedit crucifixoribus, militibus, Judæis, Pilato & aliis nequissimis potestatem, ut ipsum judicarent, accusarent, blasphemarent, sibi insultarent, verberarent, deriderent, & eum interficerent; qui solo verbo omnia impedire poterat, aut solo nutu omnia subvertere & annihilare. *Et infra*: Et quod amplius est, dedit potestatem diabolo super se, ut eum tentaret, & circumduceret, & cum membris suis pessimis hominibus ipsum usque ad mortem persequeretur, ut hominem de ejus potestate liberaret &c. Secundò expoliavit se ipso, & pauperem fecit suâ propriâ *Sapientiâ*; voluit enim Dominus noster JESUS Christus apparere ut simplex homo & ignorans, & insipiens, & fatuus inter omnes homines hujus mundi, & non voluit

etiam

etiam apparere ut Philosophus, vel Doctor verbosus, aut disputator ampullosus, vel scriba, vel famosus in scientia, vel sapientiâ gloriosus, sed in veritate humili conversando & simplicitate & summa mansuetudine inter homines conversabatur in virtute vitæ virtutum & miraculorum, viam veritatis ostendendo. Cùm enim ipse sit Sapientia DEI Patris, & scientiarum Dominus, & Prophetarum factor & inspirator, potuit scientiarum & rationum subtilitatibus & ingenio uti, & se ostendere, & gloriosum facere, si voluisset. Sed sic simpliciter veritatem protulit, ut quasi ab omnibus, non solùm simplex & idiota, sed insipiens & fatuus, & blasphemus reputaretur. Viam veritatis nobis ostendens, quòd non de scientia seu sapientia gloriari debeamus, neque ipsâ inflari velimus, coram hominibus nomen magisterii acquirere, seu vanam gloriam mendicare. Tertiò se expoliavit se ipso, & pauperem fecit suâ *Famâ Sanctitatis, Bonitatis, & Innocentiæ*, quod mirabilissimum est. Voluit enim sic tenere viam justitiæ, ut quasi ab omnibus non solùm haberetur ut sanctus, sed ut peccator & peccatorum amicus, & sicut proditor & seductor, & patriæ conspirator, & blasphemus reputari, & inter latrones & iniquos condemnari & numerari voluit, dum tamen salutem nostram operari posset in medio terræ. Potuit enim sibi acquirere famam sanctitatis, ut ab omnibus ipse universaliter Sanctus Sanctorum, tanquam Sanctus haberetur, utpote qui nunquam peccatum fecit sed peccata omnia tulit, & quod Joanni Baptistæ, quantùm ad famam sanctitatis suo servo dederat, ipse Sanctorum summus & rex virtutum sibi inter omnes homines retineret. Sed hoc fecit & famâ sanctitatis salvâ, veritate doctrinæ, vitæ & justitiæ se expoliare, & pauperem facere voluit, ut nostram hypocrisim refutaret, qui etiam de his bonis, quæ nec habemus, nec fecimus, gloriam coram hominibus quærimus, & famam sanctitatis & innocentiæ, nos de malis falsè excusando, & mendaciter bona opera arrogando per fas & nefas quantùm possumus nitimur vendicare. Quartò expoliavit semetipsum se ipso, suo videlicet *Imperio & principatu omnium rerum & dominationum*, quas habebat. Cùm esset Rex Regum, & Dominus dominantium, & Rex, cujus regni non est finis, ipse inter omnes homines vivere

& esse voluit sicut servus dejectus, & venditus, & emptitius. Nec, cùm eum vellent facere Regem, Rex esse voluit, sed Regibus impiissimis semper usq; ad mortem subjectus & obediens in iis quæ petebant, vectigalia scilicet solvendo esse voluit, curiis & judiciis & gravaminibus eorum parendo, & se subjiciendo. Et non solùm Regibus, imò etiam vilissimis servis, & clientibus, & ministris eorum, semper obediens fuit usque ad verbera, & mortem crucis. Et ipse Rex Regum, regnum suum de hoc mundo non esse coram Pilato asseruit; quia de regno & dominatione hujus mundi temporali inter homines non curabat, sed semper subjectus esse volebat. Et non Dominus, neque Rex, nec Princeps, sed servus humillimus, semetipsum totaliter exinanivit. Subjectus etiam fuit suæ humillimæ & pauperrimæ Matri & Patri putativo, eis usque ad tricesimum annum humiliter obsequendo & serviendo. Nec inter Discipulos, quos paucos & ignobiles, & pauperrimos elegit, nec ut Rex, nec ut Dominus esse voluit, sed asseruit quòd venerat ministrare, non ministrari, donec daret animam suam pro ipsis & cæteris peccatoribus redimendis. Quinimo eis Discipulis pauperrimis in miseriis caput & magister existens, primus esuriebat, & sitiebat, & tribulabatur, non enim fuit magister eorum, quatenus primatum inter eos quæreret, sed ut primus inter eos afflictionem & dejectionem sustineret, & tantùm inter eos fuit humiliter conversatus, quod eis in mensa ministravit, & pedes eorum, & manus lavit. O immensa nostra dementia! qui post talem ac tantum Dominum, & Regem Regum, & ignominiosum inter homines & contemptum, nos ad dignitates & prælationes continuè aspiramus, libertatem volentes, & sine jugo viventes, nulli amore ejus subjecti, nec obedientes esse volumus, sed supra alios, quantùm possumus, volumus præsidere &c. Hæc est igitur summa, & continua, & perfectissima paupertas DEI hominis JESU Christi, omnium Salvatoris, qui quamvis divitiarum dominus existeret, pauperrimus inter nos esse voluit, ut nos ad amorem paupertatis provocaret. Pauper enim fuit re, voluntate, & spiritu, super omnem creaturæ æstimationem, propter infinitissimum & dulcissimum amorem, quo nos dilexit, pauper inquam & inops mendicus. In rebus temporalibus, pauper &

per & in amicis. Pauper in potentia, pauper in ſapientia mundana, pauper in fama ſanctitatis, pauper in ſtatu dignitatis, pauper in omnibus exiſtens, paupertatem prædicavit, & pauperes beatos eſſe aſſeruit, & mundi judices affuturos, divites condemnavit, & divitias, & abundantias prædictas eſſe contemnendas re, verbo, converſatione, & exemplo totis viribus prædicavit. Sed heu proh dolor! ſed heu proh dolor! hæc paupertas ſpiritûs hodie eſt expulſa, & quaſi ab omnibus eſt fugata, & quod eſt deteſtabilius, ab illis, qui in hoc libro vitæ legunt, & intelligunt, & hanc paupertatem prædicant & glorificant, hæc paupertas re, voluntate, ſtudio, & facto totaliter expugnatur. Hanc enim paupertatem mundus odit, Chriſtus autem diligit, & elegit pro ſe, & pro ſuis, ipſamque beatisſimam ſtatuendo. Sed quis homo? quæ mulier? quæ creatura hodie dicere poſſet quòd ſit ſociata tali ſocietati, tam glorioſæ, ſicut Chriſtus voluit eſſe ſociatus? Beatus eſt ille, qui in ſua pœnitentia in mundo iſto exemplo Chriſti ipſam elegit. Heu me! heu me! Scimus, audivimus, firmiter tenemus, qualiter Filius DEI Creator noſter & Redemptor, Magiſter & illuminator, & exemplum nobis factus, quali cibo & potu ſatiatus, qualiter fuit indutus, qualibus veſtibus adornatus, qualibus cameris & palatiis hoſpitatus, quali familiâ & amicis ſtipatus, qualibus ſtudiis & ſcientiis mancipatus, & ſic de aliis bonis hujus mundi, & tamen Chriſtianos nos eſſe dicimus, & nominari volumus, poſt Chriſtum pauperes nullatenus de facto eſſe volentes, neque ſibi asſimilari deſiderantes, quanquam verbis dicamus, ejus ſtatum & paupertatem beatificantes, re autem & facto, Chriſti ſtatum & perfectionem ſuæ paupertatis deteſtantes. Væ nobis! qui poſt tantum exemplum, Doctorem & Magiſtrum, de facto tantam ſalutem repellimus, & ab ejus ſtatu & doctrina ſumus poſt abundantias temporales errantes & vacui finaliter remanentes. Et ideo noſtra pœnitentia, & ſtatus Chriſtianitatis non vadit per rectam viam JESU Chriſti, imò turpiter deviat ab eadem. Beatus autem & verè beatus, ut ipſe etiam aſſeruit, eſt, & erit, qui paupertatem omnium rerum prædictarum diligit, qui de facto non ſolùm verbo, pauper eſſe vult rebus temporalibus, & amicitiis, & familiaritatibus delectatione,

one, variâ scientiâ & curiositate, & famâ sanctitatis, & omnis prælationis & dignitatis, quod si non potest quis se à prædictis totaliter spoliare, saltèm deponat affectiones rerum prædictarum, quantùm potest. Verè enim beatus talis pauper, quoniam ipsius est regnum cælorum. Et qui contrarium fecerit, de facto quidquid de verbo prædicaverit, sermocinatus fuerit infelix & maledictus, quoniam ipsius est extrema paupertas, & perpetua esuries domorum inferorum, ubi perpetua fames & sitis, ubi nec amicus, nec frater, nec pater redimere, nec juvare poterit; nec evadendi potentia aderit, nec sapientia mundana valebit, sed omnibus his privabitur de facto, qui de facto hæc contra doctrinam Christi obtinere voluit, & cruciabitur in perpetua secula seculorum. *Hactenus B. Angela de Fulginio de abscondita mundo sapientia inæstimabilis & pretiosissimæ S. Paupertatis.*

4tus stimulus ad Paupertatem Christianam est Exemplum Deiparæ, & Sanctorum, ex Bibli. Man. P. Lohner Tit. Paupertas. I. Beata virgo quantopere fuerit Paupertatis studiosa,

Lib. 1. Revel. c. 10. patet ex partu, purificatione, & reliqua vita, quam pauperum more transegit, unde meritò *S. Brigitta* eam sic loquentem introducit: Omnia, quæ habere potui, dedi indigentibus, nihilque nisi victum tenuem, & vestitum reservavi. Nulla mihi nisi DEUS placuerunt. Ego semper in corde meo optavi, ut viverem ad tempus Nativitatis ejus, si fortè mererer ancilla indigna Matris DEI fieri. Vovi etiam in corde meo, si esset ei acceptabile

1. Cor. 4. v. 11. observare virginitatem, & nihil unquam possidere in mundo. II. De se & aliis Apostolus dixit *S. Paulus*: Usq; in hanc horã & esu-

Matth. 19. v. 17. rimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris.)) Sed & ad Chri-

Matth. 12. v. 1. stum audacter dixerunt: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti

Act. 2. v. 44. sumus te. Aliàs cœperunt vellere spicas, & manducare. III. De Primis Christianis testatur *S. Lucas*, in actis Apostolorum: Omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia com-

Apud Rodri. p. 3. tr. 3. c. 1. munia. Possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Imo SS. Hieronymus, Cyprianus, Basilius putant fideles jam tum votum paupertatis emisisse, idque colligunt ex pœnis ab Anania & Sapphira datis. IV.

S. Joannes Eleemosynarius, (qui pauperes dominos suos appellabat) ex hac vita migraturus, gratias DEO agebat, quòd nonnisi unicus nummus ipsi superesset, quem ipsum proin etiam pauperibus erogari jussit. Annuos redditus sui Patriarchatûs in pauperes distribui jubebat, asserens ideo sacerdotibus, neque possessionem neque partem, neque hereditatem, inter reliquas tribus datam, quoniam pars & possessio eorum erat ipse Dominus. V. *S. Gregorius Taumaturgus*, hic pro posteris de se narrari voluit, quòd vivus nullius loci possessor fuerit, & mortuus alieni sepulchri inhabitator sit. VI. *S. Franciscus Seraphicus* rogatus à Fratribus quæ virtus maximè gratos nos faceret, respondit paupertatem esse. Hanc in omni sermone, matrem, sponsam, dominam, reginam appellabat. Cùm mendicum quendam pauperiorem se aspiceret, quàm ipse esset; ita sanctâ quadam invidiâ commoveri solebat, acsi in re magna multumquè expetenda vinci se videret. Cùm ad Principum mensas invitabatur; non ante eas adibat, quàm aliquot panis frusta per viciniam mendicâsset, quæ deinde in mensa cum gaudio exponebat. Cùm Guardianus quidam cellam ei ex tabulis obiter dolatis præparâsset, non priùs illam inhabitare voluit, quàm paries ramis viminibusquè contexti paupertatis speciem exhiberent. VII. *S. Clara* usque adeo Paupertatem amabat, ut privilegium paupertatis ab Innocentio IV. petere ausa fuerit, quâ petitione mirificè delectatus Pontifex non solùm concessit, quod petitum fuit, sed cum incredibili voluptate tum manu propriâ conscripsit. VIII. *S. Bessarion* præter tunicam pallii laciniam, & novum testamentum, quod semper intra brachia gestabat, nihil sibi ex omnibus reservavit. Imò, cum in demortui, & inhumati cadaver incidisset, etiam huic dimidium pallium superinjecit. Inde ultra progressus, & à mendicabulo stipem rogatus, cùm nihil haberet, tunicam exuit, & egenti dedit. Post hæc cùm decori ratio vitaret eum in publico comparere, ab honesto viro in angulo nudus deprehensus, segmento fagi sui tectus est, à quo cum interrogaretur, ecquis ita eum spoliâsset? librum ostendens; hic, inquit, eo me redegit. Tandem neque librum retinuit, ut eo vendito pretium pauperibus elargiretur, sicque ipsius libri monitum impleret, quo dicebat:

Jo. Diac. in vita.

Lippelous 17. Nov.

S. Bonav. in vita.

Chron. I. p. lib. 2. c. 10.

S. Ant. apud. Platum lib. 2. c. 3.

Ex vitis PP.

bat: Vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. IX. *S.*
Marul. lib. 2. c. 8. *Elisabetha* Pannoniæ Regis filia & Landgravii Thuringiæ uxor, usque adeò paupertatem diligebat, ut & vilissimum sæpe domi amictum indueret, & in Ecclesia audiendæ concionis gratiâ, non nisi inter infimæ sortis mulieres consideret. Post mortem mariti omnia, quæ habuit pauperibus distribuit, constructoquè diversorio, se ipsam ægrorum & pauperum ministram fecit, nunquam lætior visa, quàm cùm inter mendicos se accensam videns,
Petrus Zanch. p. 5. c. 9. fol. 557. panem & hospitium quæsivit. X. *S. Stephanus Ordinis Gradimontis* fundator, cùm à suis quæreretur, quomodo post obitum ipsius se alere deberent? respondit, se Divinæ providentiæ eos commisisse, quæ passura non foret, ut necessaria alimenta desint, si paupertatem amaverint, secus verò si abjecto DEI timore, ad spes humanas confugerint. XI. *S. Lydwina* triginta annis pau-
Lypelous Tom. 2. 14. April. perrimam vitam vivens miserantibus dicebat: Satis abundat, qui in eo, quod habet, contentus est. Etsi mihi communes cum hominibus non sunt divitiæ & deliciæ, sunt tamen cum multis communes paupertas & miseriæ, quibus ego abundans Deo gratias ago & quiesco. XII: *S. Franciscus Seraphicus* ante omnia suis paupertatem commendabat dicens: Eam esse salutis viam, humilitatis fomentum, perfectionis radicem, & ab ea multiplices fructus existere, quanquam occultos & paucissimis cognitos. XIII. *S. Ignatius* Paupertatē ut matrem & colebat ipse singulari studio, & ab aliis coli volebat. Hinc nè quid contra eam permitteret, quadraginta diebus deliberabat, an pro templo Professorum redditus admittere deberet. Sed & ægrè, & raro permittebat, ut è professa domo aliquis in Germanico Collegio vel Romano versaretur, nè quid ex Collegiorum fructibus ad domum Professam perveniret. Cuidam efflictim paupertatem exhorrenti dixit: Magis metuendum esse timorem paupertatis, quàm ipsam paupertatem.

Exempla Profana Paupertatis ex citato Lohner ut supra

S. Hieron. ep. ad Jul. Diac. Laert. lib. 2. I. *Crates Thebanus*, cum se Philosophiæ ac virtuti Athenis mancipare vellet, lautissimum patrimonium vendidit, & magnam inde confectam auri vim in mare projiciens dixit: Abite pessum malæ cupiditates. Ego vos mergam, nè ipse mergar á vobis. II. *Socrates*, si quando forum transiens rerum venalium copiam intuebatur

batur, dicere solebat: Quàm multis rebus non egeo. Indicabat eum esse similem Diis qui omnino nullius egeant rei. III. *Thebanus Epaminondas*, tot victoriis clarus Imperator, divitiarum abstinentissimus, unicâ veste contentus fuit; quam, si quando vetustate obtritam resarcire opus foret, domi clausum se tenebat. Eum Thebani publicâ impensâ & ære collato ob inopiam extulerunt. Cùm Jason ei quinquaginta talenta auri misisset; injuriam mihi facis, inquiebat, simulquè remisso auro quinquaginta drachmas à cive pro viatico mutuatus est. Cùm verò comperisset satellitem suum à captivis pecuniam accepisse, ei ad se vocato dixit: Da mihi scutum, tu verò cauponam eme, in qua vivas, non enim ultra pericula adibis, cùm dives factus sis. IV. *Scipio* quadraginta quatuor annorum spatio, nec emit, nec vendidit quidquam, adeo paucis fuerat contentus. Cùm autem ei quidam scutum eleganter apparatum ostenderet, dixisse fertur: Atqui Romanum civem par est in dextera spem ponere, non in sinistra. V. *Demonax* Philosophus nullum unquam sibi viaticum præparavit, sed cùm esuriret, proximam domum, quam apertam videbat, ingrediebatur; & victum sibi quæritabat. Centenarius decessit, elatus publico sumptu.

Plutarch. in Epamin.
Ælianus lib. xi.
Beyerlinck Tom. 6. fol. 118.
Beyerlinck ibidem fol. 119.

§ III.

IN *Praxi* modus comparandi amorem & sequelam S. Paupertatis est. *1mo.* Applicare hìc proportionatè suprà dicta. *2do.* Exercere Actus Sanctæ Paupertatis.

l. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. § 2.

Actus Interni ex Disciplina Claust. P. Joann à J. M.

Clementissime DEUS, nolo aliorum bonorum possessiones, nisi tantummodo Tui.

2. Utinam! Pater amantissime millenos mundos auro plenos haberem, non ut possiderem, sed ut relinquerem propter Te.

3. Benignissime Domine, quod ad me spectat, promptissimâ voluntate omnia, quæ desiderare possum, relinquo propter Te.

4. Misericordissime DEUS, utinam! carerem hac veste, quâ tegor ut Tibi meâ nuditate placerem.

5. Dulcissime Pater, ego sum hac cellâ planè indignus; utinam!

nam! sub scala, vel in angulo domus incommodè pernoctarem.

6. Satis benè mecum ageretur Domine, si ederem reliquias ciborum, quibus famuli tui vescuntur; oro Te, ut me ad convivium fragmentorum panis, qui superest, admittas.

7. Absit à me, ô tota hereditas mea, ut libri, cellæ, vestis, seu aliarum rerum cupiditate præpediar.

Vide quoquè Actus S. Paupertatis 1. 2. tra. 1. c. 1 sect. 4. subs. 1. § 3. sub Praxi Medit.

Actus Externi Paupertatis, ex Bibli. Manual. P. Lohner Tit. Paupertas.

Nihil accipere, aut dare sine facultate. Quia Religioso nihil penitus juris in temporalia, aut eorum usum remanet; nec quidquam definitè debetur, sed solùm necessaria indeterminatè, hoc est ad arbitrium superioris. Hinc teste Hugone Rott antiqvum est verbum: Quidquid Regularis acquirit, non sibi, sed Ordini suo, seu Monasterio acquirit, & quidquid eidem à Præsidibus porrigitur, gratuitum est donum, non debitum.

In via Reg. p. 1. E. 7. f. 2.

2. Nullâ re tanquam propriâ, sine facultate uti. Cùm Religiosus Paupertatem professus proinde nullius rei habeat dominium, ac peregrinus in hospitium divertens, cui utique nihil usurpare sine generali licet vel particulari cauponæ, vel hospitis facultate.

3. Nihil superfluum retinere. Melius est enim teste Augustino minus egere, quàm plus habere. Et ut bene P. Hugo Rott advertit, superfluorum congeries, & provisionum apparatus institorem indicant, similem ei, qui quadragesimalium copiâ ad comedendum, non ad jejunandum instructus est.

S. August. apud Lanci. opus. 2. num. 122. p. 3. viæ reg. c. 27. f. 4. n. 4.

4. Vilissima in iis, quæ ad usum conceduntur, eligere. Certè S. Franciscus dictitare solebat: Spiritûs mortui signum esse perspicuum, si quis curiosa multa eaquè non necessaria apud se habeat; quâ enim aliâ re inquit Rodriquez, spiritus tepidus, & in quo gratiæ vigor elanguerit, operiri, foveriquè queat, quàm id genus titillicıis rebusquè nihili, ad has videlicet, ubi palatum ad spirituales exurdatum est, suapte nutu deflectitur

Vita c. 5.

5. Etiam necessariorum carentiam æquo animo supportare. Nam ut rectè P. Balthazar Alvaretz dicere solebat: nemo sibi de illustratio-

ſtrationibus ſensûs, & ſpiritualibus conſolationibus blandiatur, niſi hilari vultu hunc bolum Evangelicæ Paupertatis deglutierit, tunc autem deprehendet, an illam amet, ſi ejus etiam comites diligat, famem, ſitim, frigus, ac contemptum. Qui in veſtibus quærit honorem nè vilis habeatur, non diligit paupertatem; qui dum ſitit non poteſt ſitim aliquamdiu perferre, is non ſtudet paupertati; qui nihil vult ſibi deeſſe, & tamen vult Religioſus haberi, decipitur. Porrò neceſſariorum nomine ut benè advertit P. Hugo Rott, non illa intelliguntur, quæ ad hoc ſolum appetuntur, & uſurpantur ut commodiùs quis, iucundiùs, celeriùs, pleniùs officio ſuo, vel indigentiæ per ea conſulat (hanc enim necesſitatem fictam ait appellari) ſed ea, ſine quibus cum omni induſtria vincere impedimenta operis, aut valetudinis non posſit. Certè parum dignè, inquit idem, paupertatem Chriſti Regularis imitatur, qui leviori ciborum, librorum, inſtrumentorum, ac reliquæ ſupellectilis apparatu contentus vivere noſcit. Hinc rectè S. Albertus Magnus ex hac carentia perfectionem paupertatis colligi debere exiſtimavit, dum dixit: Vera & perfecta paupertas eſt, omnia propter DEUM ſponte & libenter dimittere, nihil præter ſolam necesſitatem posſidere. Eadem necesſitate ſe indignum cenſere, & etiam ipsâ necesſitate quandoque propter DEUM carere. Ubi enim eſt plena necesſitas, perpendi non poteſt paupertas.

p. 3. viæ reg. c. 27. F. 4. fol 578.

S. Albertus in Paradiſ. animi c. 5.

6. *Libenter ſuo tempore ea, quæ neceſſaria ſunt, vel à Superioribus, vel ab Officialibus, vel ab Externis mendicare.* Hic enim eſt proprius effectus paupertatis, nec ipſum etiam uſum, niſi ex aliorum arbitrio & facultate arrogantis.

7. *Munera, præſertim ſi adulationem, aut corruptelam, aut remunerationem, vel minimùm ſapiant, non tantùm non ambire, ſed etiam oblata reſpuere.* Hoc quippe eſt potiùs libertatem vendere, quàm paupertatis titulo eleëmoſynam ab aliis accipere.

Drex in Roſis Mar. p. 2. c. 9. § 10. n. 8.

8. *Certis temporibus ad Superiorem deferre reculas ſuas, iiſquè penitus ſe ſpoliare*; Ut in ordine S. Hieronymi olim religioſè factitatum fuiſſe, ejuſdem Annales teſtantur, dum ſi quis rei ſuperfluæ, aut curioſæ, minusve religioſæ poſſeſſor comperiretur, omnes conveniebant, pyraquè excitatâ rem illam quaſi anathema exurebant. *Hactenus Lobner.*

Chron. S. Hieron. c. 45.

In Vita S. Magd. Paz. 9. S. Maria Magdalena de Paz exercebat suas discipulas in sanctæ paupertatis amore, unde dum advertit, aliquam applicuisse animum ad rem sibi per usum datam, mox illam recipiebat, vel permutabat. Visitabat frequenter illarum cellas, si quid superfluum vel sine simplicitate religiosa advertit, recipiebat dicens: Quòd observantia Paupertatis non jungatur cum superfluo, & vanitate. Quas verò videbat ad vanitatem magis inclinatas, præcipuè si vellent novos habitus; jubebat illis dare centonibus refectos. Porrò eadem Sancta, ad eradicandum è cordibus discipularum suarum affectum habendi, multùm imprimis introspiciebat, si ad aliquid corde alligarentur. Deinde constituit ipsis ut quolibet mense diligenter se examinarent, an haberent nimiam cupiditatem habendi, aut inordinatum affectum ad rem qualemcunque; vel si retinerent penes se rem aliquam superfluam necessitati. Quod si aliquid simile reperissent, præcipiebat, ut mox illud à se removerent. Quia verò affectus habendi non debet apponi etiam ad res necessarias, igitur eadem sancta mandabat suis discipulabus, eas commutare sæpe ad invicem, solebatquè esse, quòd una alteri permutabat vestitum, habitum, & his similia necessaria, alterius viliora recipiendo, & sua meliora in mutuum dando, & sic in communi omni re utebantur. Cumque advertisset quandam ex sororibus affectum suum alligâsse cuidam libro exercitii spiritualis suâ manu conscripto, jussit èvestigio illum igni tradere.

Actus Sanctæ Paupertatis in Victu.

In vit. S. Bern. L. 1. c. 5. PRimi *Claravallenses* sub Abbate S. Bernardo in victum sibi pulmentaria sæpiùs ex foliis fagi conficiebant, panis instar Prophetici illius ex hordeo & milio & vicia erat, ita ut aliquando Religiosus vir quidam appositum sibi in hospitio panem ubertim plorans clam asportaverit, quasi pro miraculo omnibus ostendendum, quòd inde viverent homines, & tales homines.)) Hinc quidam benè advertit dicens.

Nebridius Antiq. Monast. ep. 94.

Ordo Cucullatus posset satis esse beatus:
Si biberet flumen, velletquè adamare legumen.

Vit. lib. 1. c. 9. *S. Franciscus Borgias* adhuc secularis, cœna sibi perpetuò inter-

interdixit. In prandio ita parcè victitabat, ut herbis & leguminibus coctis, tantùm uteretur pane solo & frigidâ contentus, lauticias & eduliorum fercula respuebat.

Actus Sanctæ Paupertatis in Vestitu.

SAnctum Bernardum vili usum fuisse habitu indubium est, utique juxta Regulam sui S. P. Benedicti, quâ jubentur indui Monachi, de eo, *quod vilius comparari potest*. Et alibi sextum humilitatis gradum ponit: *Si omni vilitate & extremitate contentus sit Monachus*. Hinc melliflui Doctoris dictum: *Amo paupertatem, sordes nunquam*, scilicet sordes nimias, affectatas; nam sine sordibus aliquibus vix servatur paupertas. Unde idem Beatus S. Martini Episcopi pauperiem collaudans, ait: *Pauper fuit, veste sordidus, crine incultus, facie despicabilis*. Imo ex sua Claravalle deceptus Robertus ejus nepos Religiosus transiens Cluniacum, de eodem scribit idem Sanctus: *Cluniacum ducitur, tondetur, raditur, lavatur, exuitur rusticanis, vetustis, sordidis, induitur pretiosis, novis, nitidis: & ita in Conventum suscipitur*. Et S. Basilius inquit: *Humilitas requirit, ut habitus sit neglectus, coma squalida, vestis sordida, ut quæ poenitentes faciunt ex necessitate, à nobis fiant ex volũtate*. S. Augustinus de suo vestitu ait: *Qualem potest habere Presbyter, qualem potest habere Diaconus, vel Subdiaconus, talem volo accipere; quia in communi accipio. Si quis meliorem dederit, vendo, quod & facere soleo, & quando non potest esse vestis communis, pretium vestis sit commune. Vendo, & erogo pauperibus. Si hoc eum delectat, ut ego habeam talem, det unde non erubescam. Fateor enim vobis, de pretiosa veste erubesco; quia non decet hanc professionem, hanc admonitionem, hæc membra, hos canos.*

Regula c. 55.

Ibidem c. 7

S. Bern. serm. in fest. S. Mart.

Idem Ep. 1. ad Nepotem suum

S. Basilius Ep. 1.

S. Aug. serm. 50. de divers.

S. Ignatius, initio suæ conversionis talarem ex canabina tela aspera & aculeata, in modum sacci tunicam tulit, fune pro cingulo usus, calceos ex sparto contextos, & ad aquæ usum cucurbitam habuit. Cùm *S. Magdalena de Pazis* in extasi voluntatem DEI intellexisset, de portando paupere amictu, mox detractis calceis, & tibialibus de pedibus, illisquè abjectis, cucurrit ad suam cellam, omnia ex ipsa exportavit etiam minima, tantùm Crucifixum in altariolo relinquendo, & saccum stramineum, & quendam asserculum loco mollis culcitræ. Deinde ex vestiario arri-

Vit. lib. 1. c. 3.

In vita ejus.

piens vilissimum & centonibus consutum habitum, illo se induit, meliore relicto. Ita Sanctâ Paupertate vestita, ejusmodi sensit cordis sui contentationem cum lætitia, cùm se videret adeo humiliter amictam pro amore DEI, ut tota elevans oculos in cælùm summopere DEO gratias ageret, quasi pro specialiori quodam beneficio, unde cum magna devotione absoluebat Te DEUM laudamus.

Actus S. Paupertatis in Habitatione.

SAnctorum Patrum olim sylvæ & speluncæ instar ferarum, imo sepulchra, habitacula erant; quippe juxta Apostolum, *non habentes hic manentem civitatem, futuram inquirebant.* Ita *Nebridius* refert dicens: Paulinus vir in seculo Consularis, ut Monachus effectus est, pro Monasterio nonnisi vile tuguriolum habuit, quem plures in hoc secuti sunt, ut refert Theodoretus. Multi in tabernaculis vixerunt; quibus ipsis tamen aliqui carere maluerunt, ut Sulpitius scribit. B. Baradatus se in arcam conclusit, Theodorus Siceorum Archimandrita nunc ferream, nunc ligneam cellulam habuit commẽsuratam corpori, desuper apertam. Sanctus Stephanus junior, speluncam sibi extruxit, latitudinis non plus quàm sesqui cubitalis, longitudinis duorum cubitorum versus Orientem conchæ formam effinxit, in qua vix curvato corpore stare poterat: reliquam partem sine tecto reliquit. A quo cum Fratres peterent, ut non ita sub dio degeret, respondit: *Tecti loco se cælum habere;* Atque ita per æstatem conflagrabat solis ardore, per hyemem autem frigebat. Denique Theodoretus author est, aliquos sub dio frigoribus congelatos fuisse, aut sepultos nivibus. Qualem etiam Germania nostra vidit sub Lothario Imperatore Stetzelonem videlicet. Hic in Trevirensi Diæcesi multo tempore per montes & silvas, sine tecto & vestimento pro Christi nomine nudus oberrans, æstatis ardores, hyemisquè asperrimos algores incredibili patientiâ tolerabat, ita ut quadam vice, cùm brumali tempore gelu solito amplius inhorruisset, nix multa cadens de nubibus, & ipse non habens, quo à facie nivis & frigoris hujus fugeret, sed in terra nudus jacens, non modicâ spissitudine nivibus totus operiretur, nullum indicium corporis

Hebr. 13.
Nebrid. Antiq. Monast. Ep. 13.
S. Paulus Ep. 10.
Theod. in Phil. c. 27.
Sulp. dial. 1. c. 9.
Theod. super Georg. Presb. vit. S. Theod.
Surius in vita tom. 6.
Theod. in Philoth.
Chron. Ord. Cist.

corporis ejus illic esset, excepto quòd virgula fumantis anhelitûs ab ore procedens, subinjectam nivem aliquantulum relinquebat. Quot Sancti, cùm adhuc in vivis essent, inter mortuos habitaverunt in sepulchris? Meminit unius B. Joannes de Lyco apud Palladium. *Pallad. c. 45.* Sisinnius per triennium stabat in sepulchro. Magna pœnitentia stare per triennium. *Idem E. 71.* Alii etsi non jugiter stabant, in sepulchris tamen morabantur, ut Phyloromus per sexennium, Jacobus Eremita, & Alexandra Virgo per decennium. *Idem c. 64.* Zeno & Petrus Galates per multos annos. Narrat quoque Pelagius Diaconum, *Methaph. vita* propter adulterium, vivum se sepeliri fecisse à seniore. *Jacobi.* Et quid hoc mirum? Democritus Ethnicus amore philosophandi sepulchrum incoluit. *Palladi vit.* Ubi non occurrat tibi forma nostrorum sepulchrorum, sed sepultura Christi, quæ erat excavata petra, cum duplici cella, quarum una interior, altera exterior erat. *Theod. super c. 9. & 12.* In talibus sepulchris nostri Monachi erant, unde & sæpè legimus eos habuisse cellam exteriorem & interiorem, ut S. Jacobum, Martinianum, Abraham. *Pelag. 5. n. 26. Laert. lib. 9. in vita.* Quæ tamen cellæ, si fenestram habebant, sepulchra dici non poterant, quibus præter ostii foramen, nihil erat, per quod defunctis nostris necessaria præbebantur, ut vivere possent. *Hæc Nebridius.* *Baron. Annal. Eccl. Bernard. in Concord. Evang.*

S. Benedicti primis annis suæ conversionis spelunca habitatio fuit. *S. Robertus* cum primis Cisterciensis Ordinis Fundatoribus in eremum dictam Cistercium secessit, in quo loco humiles Christi famuli DEO servire cœperunt in paupertate spiritûs, in fame, & siti, in frigore, & nuditate, in vigiliis multis. Tunc piissimus Odo Dux Burgundiæ, sancto fervore eorum delectatus, Monasterium ligneum, quod inceperant ex arborum ramis, suis expensis omnino consummavit. *Methaph. S. Ephr. in vitis. In vit. ejus. In Fasciculo SS. Cisters. vit. S. Roberti.*

S. Ignatius, licet jam Generalis cubiculo tenebricoso & præangusto habitabat, quod viginti novem palmis longum, latum quatuordecim, altum decem erat, & simpliciter elaboratum. *Vit. lib. 16. 3.*

S. Franciscus Xaverius ægrotans Mozambici ex febri, licet multæ domus offerrentur, in valetudinario tamen communi, inter ægrotorum turbam semper jacuit. *Vit lib. 1. c. 15.*

Adm

Actus S. Paupertatis in Privata Suppellectili.

In Antiquar. Monastic. Ep. 34. *4. Reg. 4.* NEbridius ita disserit: Sunamitis illa, Josippe nobis ostendit omnem habitationum nostrarum suppellectilem: *Faciamus, inquit, ei coenaculum parvum, & ponamus, ei, in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum.* Sufficiunt hæc Pauperi Christi ad necessitatem. Ad pietatem addi possunt devotæ quædam imagines non sumptuosæ, ad comprimendam carnem instrumenta mortificationum, ad instructionem codices. *S. Bened. Reg. c. 55.* S. Benedictus concedit præter hæc cultellum, graphium, acum, & mappulam mensæ, & librorum appendices, vel si quid in vestimentis parum resarciendum sit. *Metaph. in vita Elesb.* *Elesbaan*, ex tam victorioso Rege pauper Anachoreta, in tota sua suppellectili nihil habuit præter stoream, & poculum, S. Magdalenæ Pazis Cellam sorores appellabant *Officinam veræ Paupertatis.*

Actus S. Paupertatis in Suppellectili publica etiam Ecclesiastica.

Fascicul. SS. Ord. Cister. in vit S. Steph. Abbatis. SAnctus Stephanus tertius Abbas Cisterciensis statuit, nè Dux illius terræ, seu alius aliquis Princeps curiam suam aliquo tempore in sua Ecclesia tenerent, sicut antea in solennitatibus agere solebant. Deinde nè quid in domo DEI, in qua die & nocte, devotè servire cupiebant, remaneret, quod superbiam aut superfluitatem redoleret, aut paupertatem custodem virtutum, quam sponte propter DEUM elegerant, aliquando corrumperet: Confirmarunt, nè retinerent cruces aureas vel argenteas, nisi tantummodo ligneas coloribus depictas, neque candelabra, nisi unum ferreum, neque thuribula nisi ferrea vel cuprea, neque casulas, nisi de fustaneo, vel lino. Pallia verò omnia & cappas atque dalmaticas, tunicasquè ex toto dimiserunt. Sed calices argenteos non aureos, sed si fieri posset deauratos, & fistulam argenteam deauratam tamen ad sumendum per eam sacrum Sangvinem à communicantibus Laicis (quod tunc adhuc liberum erat) stolas quoque & manipulos de pallio tantùm sine auro & argento retinuerunt. His & hujusmodi sanctis & DEO placitis legibus novum Ordinem suum servi DEI roborantes, & ex his, quæ pri-

us in uſu habuerant, alia quidem, tanquam veræ humilitati contraria penitus amputantes, alia verò melioribus, & ſanctam paupertatem magis redolentibus conſuetudinibus commutantes, poſuêre prava voluptatum in directa continentiæ, & aſpera vanitatis & ſuperbiæ in vias planas juſtitiæ, ita ut ſecundùm Prophetam, *ſtulti in hac via errare non poſſent.* *V. Iſa. 35.*

Actus S. Paupertatis in Infirmitate.

SAncta Magdalena Pazzis etſi optaret, ut Religio ſacra viſceraliter exinaniret ſe pro cura Infirmorum: tamen & in ipſo infirmitorio ſatagebat, ut in omni re propter infirmorum refocillationem & obſequium ordinata, manifeſtè oſtenderetur paupertas, quatenus eſſet diverſitas inter infirmum in paupere Religione, & infirmum in ſeculo.

De obſervantia S. Paupertatis circa medicinas nobilem locum vide ex S. Bernardo infra ſub Patientia in perferendis corporis malis. *Cap. 7. ſec. 5. ſubſ. 8.*

Actus S. Paupertatis in non accipiendis Muneribus.

SAnctus Franciſcus Xaverius cùm ei Amangucii Rex magnum auri argentiquè pondus obtuliſſet, remiſsis illis hoc unum Regem precabatur, ut facultatem ſeminandi Evangelii concederet. Unde admiratus Rex tantam abſtinentiam aſpernantis, quod alii per ingentia fretorum terrarumquè pericula peterent, non dubitavit ejus Religioni favere, cujus virtutem ſuſpiciebat. Hinc etiam Concionatores hortabatur; ut ubicunque eis res ad victum neceſſariæ ſuppeterent, nihil ab aliis accipiant, quòd dona libertatem eripiant. Cœterum ſi parva quædam mitterentur, indicia benevolentiæ veriùs, quàm munera, non eſſe reſpuenda, nè amicitiam reſpuere videaris. Si quando magna vis cibariorum miſſa fuerat, ea valetudinario, carceri, cæteriſquè egentibus dividebat, ut omnes intelligerent, iſtarum etiam rerum maximam partem diſpertiri pauperibus. *Vita lib. 4. c. 7.*

Actus S. Paupertatis in Mendicatione.

IS actus Paupertatis equidem eſt præſtantisſimus, continens in

se heroicos actus spei in DEUM, patientiæ, & humilitatis, &c. ut præclarissimi Ordines glorioso titulo Mendicantium voluerint distingvi, tanquam notâ regali ipsi æterno Regi propter nos egeno facto propria, quæ ut nunc apparet vilis, ita in æternitate beata patebit gloriosa.

Vit. lib. 1. c. 14. *S. Franciscus Xaverius* cùm in Indiam veheretur, licet ei somnia necessaria à Prætore offerentur; ipse tamen rejectis omnibus, nonnisi mendicato vivebat.

SECTIO IV.

De Oppositis Paupertati Christianæ.

§ I.

De Falsa Paupertate.

S. Bern. serm. 35. de vit. & offic. Religiosorum. PRimò Opponitur falsa Paupertas. *S. Bernardus*: Sed & illud quid refert, si fortè, (quod absit) non quòd divitias, sed ea ipsa, quæ paupertatis sunt, toto affectu desideres, aut etiam ardentiùs, quàm divitias cupiunt homines seculares. Quid distat, quæcunque substantia desideretur, dum æqualiter sit corruptus affectus, nisi quòd tolerabilius illud videri potest, quæ pluris esse videntur, plurimũ desiderare. *S. Hieron. in Ep. ad Hesiod.* *S. Hieronymus*: Sunt ditiores (nonnulli) Monachi, quàm fuerũt seculares, possident opes sub paupere Christo, quas sub locuplete diabolo non habuerunt, & sustinet eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus antè mendicos. *In vita ejus.* *S. Magdalena Pazziana*, dum quadam vice inaudiret quosdam gloriari Religiosos, quasi ampliùs cæteris observassent paupertatem, propterea quòd omnes suas necessitates quotidiano labore providerent, operando ipsi pro se, quod in aliis Religionibus copiosè, & sine detrimento providet Superiorum charitas. Adeo infelicem statum illorum Religiosorum deflens Magdalena, postea in extasi super illis ita lamentari cœpit: O cæcitas humana! ô status Religiose! tam modicùm agnite! ô immensa calamitas! Specie boni malum regitur, & defenditur nocens animabus. Tales seipsos decipiunt, nam expectando præmium laborum suorum, æternam damnationem reperient, quia indigentiis paupertatis propriâ cupiditate

piditate satisfecerunt. Hinc dicebat, quòd certissimus sit salutis suæ quisque ille Religiosus, qui communem vitam suscipiens, ab ipsa Religione & Superioribus expectat necessaria omnia, ad victum & amictum spectantia, de nihilo cogitando. Sicut è contrà desperabat de salute talis Religiosi, qui per suam proprietatem pretiosis oblectatur ferculis, etsi in vilissimo incedat vestitu; quia talis falsâ paupertate seipsum decipit, & quousque non abjiciat omnia, nec hìc, nec in cælo poterit esse Christi discipulus.

§ II.

De vitio Proprietatis.

SEcundò *Opponitur Vitium Proprietatis*, quod definitur esse: *Potestas malè usurpata liberè disponendi de rebus in suam felicitatem.* Dicitur; *potestas*: in qua genericè convenit cum dominio licito. Dicitur; *malè usurpata*: quo differt à proprietate licita. Fit autem hæc mala usurpatio ex injusta arrogatione dictæ potestatis, quam cùm per votum semel DEO plenariè tradiderit, eam denuo sacrilegè ipsi eripit. Dicitur; *liberè disponēdi*: id est, cùm non juxta regulam & constitutiones suæ Religionis, ac arbitrium superiorum, sed pro suo libitu, & placito aliquid det, vel accipiat, vel permutet, vel ipse utatur, &c. Dicitur; *de rebus* sive sui Monasterii, Collegii, Communitatis, sive sibi soli donatis, sive merito, labore, industriâ, seu quovis alio titulo acquisitis. Dicitur; *in suam felicitatem*, seu proprium commodum: ubi quoquè propinqui, amici, &c: intelliguntur, qui sunt idem moraliter cum dante Religioso, à quo aliquid accipiunt.

Contrà vitium Proprietatis accipe 1. quod Cassianus ex sacris scripturis refert: Giezi, inquit, quæ nè antea quidem possederat, volens acquirere, non modò gratiam Prophetiæ non meruit possidere, quam per successionem velut hereditariam à suo habuit Magistro suscipere; verùm etiam è contrario æternâ leprâ, S. Elisæi maledictione perfunditur. Iudas autem volens resumere pecunias, quas antea Christum secutus, abiecerat, non solùm ad proditionem Domini lapsus, Apostolatûs perdidit gratiam, sed vitam ipsam communi exitu finire non meruit, eum- *Cass. lib. 7. inst. c. 14.* *4. Reg. 5.* *Matth. 26.*

 que

Act. 5. que biothanati morte conclusit. Ananias verò & Saphira reservantes partem quandam ex his, quæ possederant, Apostolico ore morte mulctantur. Et cumprimis iidem proprietarii Ananias & Saphira mendacii in DEUM arguuntur, dicente Petro: Anania cur tentavit sathanas cor tuum, mentiri Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri &c. ac deinde subitâ morte à DEO percussi sunt. Docet autem *S. Basilius* eos voto Paupertatis fuisse obstrictos.

S. Basil. serm. de instit Monach.

S. Hieronymus: Perfectus servus Christi, nihil præter Christum habet, aut si quid præter Christum habet, perfectus non est. *S. Basilius*: In societate fratrum, nihil privatim habere debet. Qui enim dicit suum aliquid esse, is seipsum alienum reddit ab Ecclesia DEI, & Charitate Domini. *S. Chrysostomus*: Inde (ex Monasterio) id, quod omnia pervertit, & perturbat MEUM et TUUM penitus eliminatum est. Cuncta quippe illis communia sunt, mensa, domus, indumentum. *S. Gregorius*: Si peculiaritas à Monachis habetur, nec concordia, nec charitas in congregatione eadem poterit permanere. Quid est autem habitus Monachi, nisi contemptus mundi? Quomodo igitur mundum despiciunt, qui in Monasterio positi aurum quærunt? Proprietas subtile malum adeo, quòd teste S. Gregorio Nysseno ji, qui omnia vitia domuerint, insignes virtute, huic tamen vitio satis obviare minimè potuerunt. Denique *S. Basilius* confert Proprietatem cum furto Iudæ proditoris. *S. Benedictus* vocat nequissimum vitium. *S. Gregorius*, Monasteriorum pestem. *Cassianus*, receptaculum vitiorum, malorumquè omnium, & in extricabilem nequitiæ fomitem. *Innocentius* III. summus Pontifex graviter jussit animadverti in Proprietarios ita dicens: Prohibemus districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, sub obtestatione Divini judicii, nè quis Monachorum proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habet proprium, totum incontinenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam habere deprehensus quis fuerit, regulari monitione præmissâ de Monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundùm Monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quenquam reperta fuerit in morte ipsa, cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur, secundùm quod

S. Hieron. Ep. 1. ad Heliod.
S. Basilius in quæst. brevi.
S. Chrysost. lib. 3. contra Mona. vitæ vitup.
S. Greg. lib. 10. Ep. 22.
S. Greg. Nyss. hom. 8. in Eccl.
S. Basil. Const. c. 34.
S. Bened. Regul. c. 33.
Cassian. lib. 7. Instit. c. 6.

quod B. Gregorius Papa in libro Dialogorum fecisse legitur. *S. Greg. lib. 4. Dial. c. 55.* Unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, aut Cellerario assignetur. *S. Magdalena* de Paz exclamat: O paupertatem! Paupertatem sanctam religiosam! O quàm modicùm agnita, & servata manes! Ah! si esses agnita & servata, non fuissent cellæ à religiosis refertæ, plenæ variis ornamentis. Fuisset quasi venenum in abominatione acceptio, retentio, & expensa pecuniæ iuxta propriam voluntatem, & aliæ hujusmodi pompæ, & vanitates sordidæ, veris insuetæ religiosis personis. O mi IESU quomodo pulchritudo paupertatis religiosæ conspurcata facta est per proprietatem maledictam! O quám multæ! quàm multæ animæ religiosæ in ignibus ardent infernalibus, quòd sublimiter non æstimârint, & non observaverint sanctam Paupertatem! *In vita ejus.*

3 *Exempla terrifica Proprietariorum ex Nebridio.* S. Leufridi Lerinensis Abbatis contigit fratrem mori, cujus corpus cùm tractarent Monachi invenerunt in vestibus absconditos ternos nummos. Quod cùm Patri sancto indicâssent, valde infremiscens, iussit cadaver defuncti fratris seorsum extra cœmeterium commune projici, conjectisquè in id nummis à Fratribus clamari: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Qui abierunt, feceruntquè sicut præceperat eis vir sanctus. *Aliud.* Contigit Anno Domini 1569, ut ex fratribus, quos Minores de observantia vocamus, octo simul ad Capucinos transierint. Rogati causam dixerunt, Guardianum ipsorum haud ita pridem tam horrendâ morte defunctum esse, ut nisi sibi meliùs consulerent, non immeritò similia timerent. Cùm enim ex confectis à se flabellis pavonaceis, aliisquè curiosis sericis signaculis multum pecuniæ corrasisset, ita tandem fætere cæpit, ut ejus præsentiam nemo tolerare potuerit. Sejunctum ergo cùm fratres aliquando inviserent, viderunt capite de lecto miserabiliter pendere, atque à monstrosa fele ad collum graviter lacerari, ac suffocari. Cùm Fratres in abactione felis se multùm fatigarent, ægrotus, non cum fele, inquit, sed cum dæmone vobis res est, hoc supplicium mihi vitæ turpitudo, concupiscentia, violata paupertas, & spreta regulæ observantia peperit. Discite vos meo exemplo melio- *Nebridius Antiq. Monast. Ep. 33 In vit. Leufridi c. 23. Chron. lon. Zach. Boner. in Annal. 15. 69.*

liora. *Damnatus à DEO, ad tartara rapior.* Quêis dictis inter horrendum stridorem à fele præfocatus amisit animam. *Aliud.* Capucinus quidam allectus alterius breviario, id clam subtraxit, & abscondit sperans se brevi locum mutaturum, ubi eo absquè suspicione uti posset. Qui breviarium amiserat, Guardiano indicavit, rogans ut fratres moneret de restitutione. Nè quidquam id profuit aliquoties factum. Unde concitatior Guardianus per sacram obedientiam edixit, ut quicunque breviarium abstulisset, antiquo possessori redderet. Sed & hoc frustra fuit. Jam dies declinabat ad vesperam, & sacrista templum clausurus descendebat ad Ecclesiam. Nondum ad fores venerat, cùm ecce quidam in nigri Monachi habitu ingreditur, qui conversus ad sacristam. Obsecro te, inquit, frater relinque tantisper apertas fores, dum quod meum est, tollo. Sacrista miratus nigri advenæ dictum, rem detulit ad Guardianum, secumquè duxit ad Ecclesiam. Qui conspecto peregrino: Quid inquit hic loci repetis? Et niger: Est inter tuos, qui, quod meum est, possidet, jube omnes adesse & ostendam. Guardianus accitos omnes Melandro proposuit, qui ut conspexit breviarii furem, momento pedibus arreptum per aëra vivum, in omnium oculis avexit ad orcum, breviario de manica excusso. Ita cognitum fuit, quis hic niger, quis fur, & quæ pœna debeatur violatoribus Paupertatis. Verè judicia DEI verenda sunt, maximè ubi de votis decernitur. P. Otho de eodem Ordine, post mortem amico apparens dixit, se quidem salvum ac beatum, sed post tam exactum examen, ut judex DEUS etiam de candela in locis communibus ardente examinaverit. Quid fiet proprietariis, dum tantilli paupertatis excessus non negliguntur? *Hactenus Nebridius.* Idem *Nebridius* ibidem Epist. 32. hæc profert: Dare, vel accipere clanculo aliquid, longè quàm occultare gravius est. Quod judicamus esse materiam levem, severam ultionem infert. Frater, de quo tibi nuper scripsi geminam causam suæ damnationis habuit, una erant excusationes; altera quod plura munuscula spiritualia absque Majorum scitu, tam dare, quàm accipere fuerit solitus, veritus repulsam, si licentiam petiisset. Et adhuc inquit sub pulvillo capitis latet canabis fasciculus clam acquisitus ad resarciendam tunicam. Alium quinque

Idem.

Idem Anno D. 1572.

Bouer. super A. D. 1569.

quinque rosaria ad infernum detulerunt, quæ clam comparata destinaverat cognatis. Et licèt ob id conscientiæ stimulis agitaretur, nihil tamen unquam significavit Confessario, cogitans rem esse admodum levem. Inventa sunt à morte ejus rosaria hæc in ejus genuflexorio abscondita. Denique idem fratri Junipero contigit, quòd multa vana accumulaverit, quæ præter licentiam clam aut propinquis mittebat, aut domi habebat, de quibus nec in morte pœnitentiam egit, credens se ob tam levia non fore damnandum. Sed dirus DEus exactor votorum est. Vovete & reddite. *Magni Basilii* decretum est, religiosum privatum, nè vetus quidem vestimentum, aut calceum egenti posse donare, etsi vel nudus sit. Alibi dicit; *Si det panem sine faculate, tanquam eversor disciplinæ judicatur.* Prohibitum erat apud Capucinos panem de mensa aufferre. Contigit autem, ut fratri cuidam sathan appareret sub specie B. MARIÆ semper Virginis postulans panem. Frater errore delusus, tempore prandii panem furtivè in manicam inicit, finitaquè mensâ expectanti phantasmati porrigit. Quo facto dæmon repente mutatâ formâ hominem pedibus corripuit, & vero abripuisset, ni unus audito fratris clamore advocâsset reliquos, qui fusis ad DEUM precibus furtivum eleëmosynarium tandem hosti eripuerunt.

Idem A. D. 1550.

Idem An. D. 1570.

S. Basil. Reg. brev. 87. 99. 100.

Bover. An. D. 1573.

Exempla ex P. Lohner. Frater quidam Laicus cùm psalterium inscio superiore retinuisset, & eo sæpiùs id exigente, tradere noluisset, in pertinacia tanta mortuus, post sepulturam inconditâ voce in choro ejulare cœpit, adjuratusquè à Guardiano & quis esset edicere iussus, respondit se esse fratrem heri sepultum ob psalterium non traditum, æternùm damnatum. *Alius* quidam frater diabolum circa agonis tempus segmento laceræ vesti resarciendæ ab eo occultè sub lectum posito, insidere ac lambere vidit, quare accersito superiori peccatum cum dolore confessus, in gratiam cum DEO rediit dæmonemquè fugavit. Ioannes Berckman per totam vitam deploravit, quòd aliquando fratri cuidam imaginem dedisset, non impetratâ à superiore (quem tamen quæsierat, facilèque consensurum putârat) facultate.

Bibl. Man. Tit. Paupertas. Chron. 8. Franc. p. 2. lib. 1. c. 18.

Vit. p. 2. pag. 139.

Praxis eliminandæ, vel cavendæ Proprietatis est, Observantia S. Paupertatis ut supra: & Exercitium execrandi Proprietatem juxta superius dicta modo proportionato.

l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3.

§. III.

De Opposito S. Paupertati in Victu.

S. Hieron. ad Nepotem.

S. Hieronymi olim egenis, & in Religione quibusdam delicatis potest illud dictum applicari: *Natus in paupertatis domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio & pane cribrato rugientem satiare ventrem poterat, nunc similam & mella fastidit.*

Nebrid. Antiq. Monast. Ep. 86. Bover. 1586.

Eruditissimus *Nebridius* hæc affert terribilia: Boni religiosi gulæ illecebras etiam in infirmitate & morte timent, gnari quid mali inde proveniat. Frater Antonius Bergomensis Laicus ex tribu Capucinorum in morte terribiliter à dæmonibus vexatus est; quia cùm omnia, in quibus accusabatur, non malè diluisset, nequam spiritus ei tandem objecerunt, quòd aliquando jam religiosus absque superioris licentia vini haustum fecerit, pomumquè comederit. Quod cùm negare non posset, omnem vim inferebant, ut eum ad tartara raperent. Erat ob tantillum delictum in extremis angustiis, & ignoro quomodo emersisset, nisi fratribus orantibus Regina cæli cacodæmones abegisset. Ejusdem Ordinis Frater Cyprianus ob longam infirmitatem cœpit paulò esse delicatior: ob quam rem unam in summo fuit damnationis periculo, sicut ipse à morte cuidam significavit. Frater Antonius Laicus corpus inediâ quotidianâ solebat atterere. Is cùm semel calicem mero plenum cum aliqua delectatione hausisset, audivit dæmonem ob id effusè cachinnantem. At quid hæc? ad id quod sequitur. Franciscus Burgundus, cùm eidem se Religioni consecrâsset, vidit superiores in mensa, vel propter præsentes hospites, vel propter officii dignitatem subinde tractari meliusculè. Ut ergo his vix triobolaribus lautitiis frueretur & ipse, omnem suam vitam fucatissimâ sanctitate ornavit, sic ut nemo ipso honoribus dignior censeretur. Itaque promotus in Guardianum Maurianæ urbis in Sabaudia cœpit frui desideratis, ut imaginabatur sibi, cupediis. Sed malè parta, si non citò, certè malè

Bouer. 1530.

Ibidem.

Idem 1606.

malè dilabuntur. DEUS non diu impunitum permisit hominis intemperantem animum, sed guttur afflixit anginâ delicto pœnâ proportionatissimâ. Quâ cùm ad extrema venisset, hortatu P. Tiburtii sacramentaliter quidem confessus est, verùm Divino epulo ob faucium angustias frui non potuit: allatum tamen humi prostratus adoravit dicens: *DEUS propitius esto mihi peccatori.* Quin & vota solennia palam renovavit. Tandem extremo quoque Oleo inunctus est. Quare huic tantæ præparationi nihil de esse videbatur, quàm lætus obitus. Sed ô incertæ nostræ providentiæ! Cùm paululum perstitisset in alto silentio, ex imo traxit suspirium, vultuquè ac voce penitus immutatâ in hæc verba prorupit: *O fratres, fratres! Verè non omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. O! ô fratres! profectò spes impii tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur. Nulla mihi pars est cum hereditate Sanctorum. Gula, & ambitio totum rapuerunt, idcirco justo DEI judicio ad æterna supplicia damnatus sum.* Nova hæc adstantibus, & mirissima mira videbantur. Monetur proinde ut recordetur suæ tam religiosæ vitæ. Verùm ille: *Quid,* inquit, *opera mea commemoratis, quæ me potiùs accusant?* Cui confessarius: Cùm adhuc vivas, noveris non omnino tecum actum esse: adhuc spes est, misericordia DEI aperta. Ad quod ægrotus: *Tempus poenitendi modò recessit, DEI misericordia, & omnis salutis spes occlusa mihi est. Heu dulces boli! heu amaræ honorum epulæ! quàm duram mihi concoctionem causatis!* Confessarius allatâ Christi in cruce pendentis imagine, misero multis inculcat vulnera, sangvinem, mortem, charitatemquè Salvatoris erga peccatores. At ille: *Frustra hæc mihi narras, jam damnatus sum: nihil omnia juvant: alter Judas fui, sub ementito Religionis titulo, Christum velut osculo prodidi. Nulla mihi unquam erga DEUM fuit sincera charitas; sed ambitio, & gula, cuncta mea opera, quæ vobis bona apparebant, depravârunt.* Instat confessarius, ut saltèm nomen JESU & MARIÆ proferat. Non possum, inquit, nec vellem, etsi possem. Post quæ regulam, Agnum DEI cum rosario de manica projiciens ad singula clamabat; *Damnatus sum*: nec ea unquam recipere voluit. Quid agerent Fratres in tam lugubri tragædia sui Guardiani? Currunt ad Ecclesiam, fusisquè in terram corporibus, vota, preces, suspiria, ac lachrymas, coram Vene-

rabili Eucharistia ingeminant, dum interim ille nullam aliam vocem emittit, quàm *Damnatus sum; alter Judas fui.* Ad extremum confessarius sumpto SS. Corpore Christi, cum solenni pompa ad desperatum pergens, monet, ut DEI Majestatem, vel saltèm veneretur, aut sacram pyxidem attrectet. Verùm ille retorquens aliò caput & oculos, identidem vociferatur: *Damnatus sum; alter Judas fui.* Quare cùm nihil restaret, quod experiri fratres possent, consederunt, finem taciti non sine fletu ac suspiriis contemplaturi Tandem ergo miser voce altâ clamare: *In æternum! in æternum!* & adhuc altiùs. *O in æternum!* simulquè spiritum ejecit. Ejus facies post mortem tam tetra, nigra, horrida apparuit, ut cunctis metum incusserit. Nec oculi, nec ora claudi ullâ parte potuerunt, sed hiantia manebant informiter supra modum terribili spectaculo. Talem exitum gula meretur.

§ IV.

De Opposito S. Paupertatis in Vestitu.

S. Bern. lib. Apolog. c. 27. l. 4. florum.

SAnctus *Bernardus* lamentatur dicens: Ornari non armari appetunt milites Christi, qui dum se præparare ad prælium, & contra aëreas potestates prætendere paupertatis insigne debuerant, quod utique adversarii valde formidant, ultrò se hostibus sine sangvine tradunt inermes. Quæritur ad induendum, non quod vilius comparari potest, sed quod subtilius invenitur, non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat: non denique juxta regulam quod vilius comparari potest, sed quod venustius & vanius ostentari. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanti curaretur corporis cultus, nisi priùs neglecta fuisset mens inculta virtutibus.

Idem ibidem.

Chron 1. Franc. p. 2. lib. 2. c. 19.

S. Franciscus, cùm frater Elias Generalis Ordinis vestem sibi oblongam, undantem, & manicis follicantibus instructam, ipsâ materiâ pretiosam parâsset, eam sibi parum concedi postulans, coram fratribus induit, & omnia concinnè disponens, & thrasonis more se circumspiciens, dixit ad Fratres: Salvete magnifici viri: tandem factum illis stupentibus, abjiciens vestem cum indignati-

gnatione dixit: Ita quidem spurii nostri Ordinis vestiti incedunt. Deinde reassumptâ humili veste, vultu ad lætitiam & suavitatem composito, paupertatem & humilitatem iis denuo commendavit. Cùm Abbas quidam à Saxonia patrio panno non contentus, pretiosum è Belgio afferri curâsset, eo mortuo tam Prior, quàm reliqui fratres, qui eas vestes induerant, scintillas in modum candentis ferri semicantes viderunt, & tanquam laminis candentibus se aduri existimabant. *Lib. de vir. illust. Ord. Cist.*

§ V.

De Opposito S. Paupertatis in Habitatione.

S*Anctus Bernardus ait*: Video & alios, quod non sine dolore videri debet, post aggressam Christi militiam rursus secularibus repleri negotiis, rursus terrenis cupiditatibus immergi; cum magna cura erigere muros, & negligere mores. *Et alibi*: In Claustris corã legentibus fratribus, quid facit illa ridiculosa mõstrositas, mira quædam deformis formositas, & formosa deformitas? Quid ibi immundæ simiæ, quid feri leones, quid monstruosi centauri, quid semihomines, quid maculosæ tigrides, quid milites pugnantes, quid venatores tubicinantes? Videas sub uno capita multa corpore, & rursus in uno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda serpentis, illic in pisce caput quadrupedis. Ibi bestia præfert equum, caprum trahens retro dimidium. Hinc cornutum animal eqvum gestat posteriùs. Tam multa denique, tam mira diversarum formarum apparet ubique varietas, ut magis legere libeat in marmoribus, quàm in codicibus, totumquè diem occupare singula ista mirando, quàm in lege DEI meditando. *Hæc S. Pater.* *Nebridius* idem rectè persequitur: Quàm longè abfuit omnis magnificentia ab antiquorum habitaculis? Si quid superfluum habebant, distribuebant in egenos. Hodie corraduntur opes, & vel concluduntur in arcas, vel nè otiosæ sint, impenduntur in ædificia, vel non necessaria, vel contra monasticam professionem nimis ambitiosa. Quod P. Franciscus Æsinus vir peritissimus religiosi instituti Capucinorumquè Minister generalis aliquando suis dixit, id utcunque ad omnes religiosos

S. Bern. in lib. Apolog. lib. 4. flo. c. 21.

Antiq. Monac. Epis. 19.

Zacha. Bover. in Annal. Capuc. 1549.

traho. *Simulatque* (dicebat) *frater Capucinus ædificatorio operi sese ultro immiscet, dæmonis imperium subit, à quo ita mente excæcatur, ut nè quidem ipsos paupertatis excessus animadvertat.* Suspicio admodùm Laurentium Justinianum, cui ampla ædificia in Monasteriis nunquam placebant, & cùm videret lautiores cellas, caput quassans dicebat: *Non sic Patres nostri, non sic.* S. Joannes Gualbertus rigidior erat: Is cùm visitaret Moscetanum cœnobium, cernens grandiores domos & pulchriores, quàm paupertati eorum congruere videbatur, Domino Rudolpho ejusdem loci Abbati dixit: *Tu in hoc loco magnis expensis, quibus pauperes plurimi refoveri potuissent, ex propria voluntate palatia fabricâsti.* Et conversus ad quendam rivulum prope manantem dixit: *DEUS Omnipotens, qui de minimis, magna facere consuevisti, videam per hujus rivuli parvitatem ipsius enormis ædificii citò vindictam.* His dictis absque mora discessit, locum quasi abominatus. Confestim autem ut sanctus discessit, rivulus crescere cœpit, & congerens aquarum fluenta largissima, relicto proprio alveo, præceps de monte ruit, petrarum scopulos & arbores secum trahens, prædictas domos funditus subvertit. Multis timeo eventurum, quod fratri illi. Destinatus fuit à suo Vicario provinciali ad extruendum Capucinorum Cœnobium. Sed excessit regulas paupertatis, unde irascente Numine paulòpost lethali morbo correptus est. Monitus à Patribus, ut suæ consuleret animæ, ipse jam Divino judicio oppressus, per acerba suspiria pronuntiavit: *Ah nimiùm calx ista me adurit!* Jussus benè sperare de DEI bonitate: *O quam me*, inquit, *calx isthæc adurit!* Allatâ imagine Crucifixi Christi, cùm proponerentur sangvis, vulnera, tormenta Salvatoris pro peccatoribus, mansit in responso dicens: *Eheu quàm hæc me calx adurit!* Jussus confugere ad Deiparam, commune miserorum asylum: *Heu! heu!* ingeminavit, *quàm me calx hæc incendit!* Quidquid suggerebatur, nullum aliud responsum ferebat, quàm calcis contra paupertatem impensæ adustionem, donec inexpiatam efflaret animam.

Si aures possemus ad inferna porrigere, complures audiremus lamentantes: *Quàm calx me isthæc adurit!* Unus ex eodem Ordine damnatus est, quòd Ecclesiam præter communes paupertatis leges, extendere voluerit. Alter, quòd cellam sibi splendidio-

didio-

didiorem extruxerit, quamvis hic sub S. Francisco, in familia laxiore militaverit. Juvat audire. Cùm P. Franciscus Astensis Capucinorum secundus Generalis Minister, etiamnum inter observantes viveret, ac Romanam provinciam visitaret, venit ad quoddam sui Ordinis Cœnobium, in quo ipsi cella admodùm splendidè extructa, atque ornata, pro diversorio assignata est. Peractâ cœnâ, cùm Pater in lectulo quiesceret, fores cellæ molliter pulsatæ sunt, ac si quis ingressum postularet. Audiit id Pater, & per verbum *DEO gratias* pulsantem admisit: sed nemo intravit. Tandem non semel ingeminato pulsu, dictoquè DEO gratias, Guardianus extructor cellæ, ac jam pridem defunctus ingressus est. Bis, terve, cellam obambulabat in silentio, demum in hæc verba prorupit: *Maledicta cella, te propter solam ad inferos damnatus, heu! miser abscedo.* Et cum dicto disparuit. Uæ multis! nisi probare possint DEUM in voto Paupertatis, secum dispensare, aut alias leges antiquos, alias hodiernos Religiosos habere. Ut ut sit, S. Romualdus non absque causa, visis Biturci cellis ad superstitionem ornatis, in nullius divertere voluit, nisi in F. Petri, cujus solius cella ad normam S. Hilarionis angusta & pauper erat. Noverat utique hic Frater neglectis & simplicibus cellis deberi magnifica & splendida palatia in cælis. *P. Damian. vit. S. Romualdi.*

SECTIO V

De Humilitate, Contemptu, & Odio sui ipsius; Tum de Amore sui inordinato.

§ I.

DE *Humilitate* (Fūdamento Virtutum) & ejus actu nempe Cōtēptu sui tum de humilitati opposita superbia, fusè *infrà* agitur. *Odiū sui, est Virtus Universalis, quà homo ex vera cognitione sui ipsius ut infinitè Mali, contra se, quà talem, summè auersum & inimicum animum semper gerit; seque ut talem tractat, tractariquè ab aliis cupit, & gaudet; ac de felici proprio successu tristatur.* Dicitur; *Virtus universalis seu generalis*; prout in praxi infrà ostenditur. Dicitur; *quà homo ex vera cognitione suiipsius, ut infinitè Mali*; quia Odium, *Cap. 8. sec. 3. subs. 8.*

 quod

quod est actus voluntatis, non potest habere pro obiecto, nisi malum; jam verò homo ex parte sua est malum; quia est Nihilum metaphysicè, physicè, & benè moraliter; privatio enim boni essentialis, physici, aut moralis, subjecto determinatè, vel indeterminatè debiti (in suppositione quòd DEUS ab æterno voluerit producere hocce Universum) est ipsi subjecto mala. Deinde homo est infinitè quid Malum moraliter: (quod omni nihilo seu malo pessimum nihilum est) quia peccator maximus aut actualis fuit, aut potest fieri: peccatum autem mortale infinitæ est
n. 2. tra. 1 cap. 2. sec. 4. § 2. n. 14. malitiæ, ut supra probatur. Dicitur; *contra se, quà talem, summè aversum & inimicum animum semper gerit.* Duplex namque est Odium: unum Aversionis, seu Abominationis, quo aliquis à re, ut sibi mala sese cum disgusta avertit, & recedit: alterum est Inimicitiæ, quo adversæ sibi rei non optat bonum, sed potiùs exoptat malum. Utroque suiipsius odio tali dignus est homo, servatâ discretione, & proportione. Dicitur; *semper ut talem tractat:* nimirum privando se bonis, & affligendo malis. Dicitur; *tractarique ab aliis cupit, & gaudet; ac de felici proprio successu tristatur.* Et hic est supremus gradus hujus sancti Odii.

Motiva ad S. Odium suiipsius. 1mum. Christus ait: *Si quis venit*
Luc. c. 14. *ad me, & non odit &c: & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Idē:
Joan. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam: Et qui odit animā suam in in hoc mundo, in vitam æternā custodit eam.* Supra quod Cornel. à lap: inquit: Audi S.
Cornel. à lap. Comment in Joan. c. 12. Chrysosto: *Amat animam in hoc mundo, qui desideria ejus inconvenientia facit; odit autem, qui non cedit ei noxia concupiscenti. Dixit verò: odit: sicut enim eorum, qui odio habentur, nec vocem audire sustinemus: ita animam contraria DEO volentem cum vehementia avertere oportet.* Et Theophyl. Quia grave erat audire odio habendam animam, consolatur dicens: In hoc mundo; in quo temporis brevitatem indicat, emolumentum æternum subjungens.)) Hæc ergo Christi sententia, est axioma, basis, fundamentum, & compendium vitæ Christianæ. Ipsa enim est radix & principium virtutum omnium, quæ ex illa, perinde ac conclusiones ex præmissis eliciuntur. Qui ergo in schola Christi doctus, eximius, & perfectus evadere cupit, hanc gnomen assiduè ruminet, expendat, voluntati imprimat, & opere exequatur; ut omnes suas actiones illi quasi
lydio

lydio lapidi adaptet, adæquet, & conformet; ita verus & singularis Christi discipulus, assecla & imitator evadet, ac pro vita temporali quam negligit, beata vitæ æternæ gaudia nancifcetur. *Hæc Cornelius.* S. Augustinus: *Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor, ut pereat; si malè amaveris, tunc odisti; si benè oderis, tunc amâsti. Felices, qui oderint, custodiendo, nè perdant amando.* S. Leo: *Tantò quis se ampliùs amat, quantò ampliùs se pro DEI amore non amat.* S. Barlaam: *In hoc secessus à mundo consistit, ut præter earum rerum, quæ naturâ sublimiores sunt, cupiditatem, voluntarium suipsius odium, quispiam concipiat, ac naturam abiuret.* *S. August. Tract. 51.* *S. Leo apud Lyr. apoph. 11. l. 2.* *S. Damas. in vita S. Barlaam, & S. Josaphat.*

2dum ab Exemplis. I. Eccl: *Altissimus odio habet peccatores; & misertus est autem poenitentibus.* Sed tu es peccatorum maximus. Ergo te maximè oderis, necesse est. II. S. Rex David gratulatur de sua depressione alloquens DEUM: *Bonum mihi, quia humiliâsti me.* III. Sanctæ memoriæ Theophilus Episcopus Alexandrinus, venit aliquando ad montem Nitriæ, & venit ad eum Abbas montis illius, & dixit ad eum Episcopus: Quid amplius invenisti in via ista Pater? Et respondit ei senex: Culpare, & reprehendere meipsum sine cessatione. Et dixit ei Episcopus: Non est alia via sequenda, nisi hæc. *Eccl. 12.* *Psalm. 118.* *In vit Patrum lib. 5. fol. 623.*

In praxi pro sancto Odio sui comparando. 1mo. Acquirenda est penitior suipsius Cognitio: de qua fusè suprà actum. 2do. Frequētanda illa Sancti cujusdā oratio. *Noverim me, noverim Te: ut oderim me, amem Te.* Et ex Magistro spirituali: *Domine non sum dignus consolatione tuâ, nec aliquâ spirituali visitatione: & ideo justè mecum agis, quando me inopem & desolatum relinquis: si enim adinstar maris lachrymas fundere possem, adhuc consolatione tuâ dignus non essem. Unde nihil dignus sum, quàm flagellari & puniri; quia graviter sæpè Te offendi, & in multis valde deliqui.* 3tio. Ad omne exercitium virtutis quantùm possibile, adhibe hoc Odium S. 4to. Exerceas te in sequentibus actibus: ubi simul advertere potes, quàm Universalis sit virtus S. Odii Suiipsius. *1. 2. tr. 1. cap. 1. sec. 4. subs. 1. §. 7.* *Thom. à Kemp. de imit. lib. 3. c. 52.*

Actus Interni S. Odii Suiipsius unà cum alis Virtutibus.

1. *Credò Domine me peccatorem esse omni odio, poenâ & ignominiâ dignum.* *Fides.*

2. Ego

Spes. 2. *Egonè detestabilis habeo sperare regnum cælorum? Non sum quidem dignus illo; sed major est misericordia tua Domine, quàm iniquitas mea.*

Timor. 3. *O quàm mihi peccatori execrabili timenda gehenna ignis!*

Charitas. 4. *Quis ego sum omnium abominabilis, ut Te summum Bonum & Pulchrum contempler, amore complectar? Domine fac me dignum amore tuo.*

Prudentia. 5. *Quomodo detestabilis cæcitas cordis mei queat perspicere & prospicere rectè agenda? Domine illumina oculos meos.*

Obedientia. 6. *Quis ego sum Domine, adeò execrabilis, ut serviam Tibi, & tuis Vicariis; cui servire regnare est? Verè indignus & inutilis ad omnia sum servus. Fac me dignum.*

Contemptus seu fuga mundi 7. *Et quis ego sum omnium creaturarum odium, ut mundi creaturâ utar? Verè non sum dignus.*

Poenitentia. 8. *Ego abyssus malitiæ & abominationis, doleo, quia offendi Te summum Bonum & Pulchrum.*

Mortificatio. 9. *Absit ut cadaveri meo detestabili, & animo odibili, in quopiam indulgeam; quin potiùs summè & semper affligam me.*

Alios Actus Odii, & Contemptûs sui, connexos cum actibus variarum Virtutum vide supra 1. 2. tra. 1. cap. 1. sect. 4. subs. 1. § 3. sub praxi Medit. Item ibidem subs. 2. § 3. Item Actus internos & externos sub virtute Humilitatis contentos.

Sciendum autem est, quòd Sanctum Odium sui, illius virtutis speciem sumit, ex cujus motivo formali elicitur. Et quia præfatum Odium ferè inseparabile est ab Humilitate & Contemptu sui (qui nihil aliud est, quàm sui corde, ore, opere despectio, vili pensio, & cum disgusta abjectio,) ideo commodè hìc pro fundamento structuræ virtutum ista tria connexuimus.

§. II.

Amor sui inordinatus, est vitium generale, quo homo in seipso ultimum finem constituit. Dicitur: *Amor*; in quo convenit cum amore naturali licito, qui est inclinatio voluntatis ad proprium bonum appetendum, juxta illud: *Nemo unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit, & fovet.* (*Ephes. c. 5.*) Dicitur: *Sui, seu proprius*; quia in propriam personam desinit. Dicitur: *Inordinatus seu perversus*; quia perve-

pervertit ordinem & naturalem & supernaturalem, quo cuncta creata naturaliter tendunt, & maximè homo supernaturaliter tendere debet amore ac desiderio, non in seipsum, sed in DEUM tanquam ultimum finem, & centrum suum. Dicitur: *Vitium generale*; potissimùm ratione originis, quia ex eo omnia peccata pullulant, ut mox patebit. Dicitur: *Quo homo in se ipso*; id est in propria delectatione, voluptate, gaudio de bonis suis internis naturæ, gratiæ; & externis, puta honorum, divitiarum, aliorumquè obiectorum creatorum, ultimum finem constituit; id est quasi summum bonum collocat, illudquè amore, desiderio, & quovis alio modo quærit, in adepto finaliter quiescit, quamvis sit contra mandatum DEI: vel si non est; illud tamen bonum, & de eo complacentiam ac gaudium ultimatè in DEUM non refert, aut alio modo in illo licito bono inordinatè hæret. Dum ergo tali modo seipsum homo pro ultimo fine simpliciter habet, peccat mortaliter; cùm verò secundùm quid seu aliqua ex parte ut finem inordinatè respicit, peccat venialiter. Porrò seipsum etiam quoad bona & ordinata in nullo respicere sed solum DEUM, summa perfectio est. Jam verò patet, ad hunc vitiosum sui amorem reduci quoque suiipsius *Propriam complacentiam* &c. De hujusmodi amore accipe illud S. Augustini: *Duo Amores, alter bonus, alter malus, alter dulcis, alter amarus, non se simul in uno capiunt peccatore; & ideo si quis præter Te aliud diligit, non est charitas tua in eo DEUS, amor dulcedinis, & dulcedo amoris, amor non crucians, sed delectans.* Ut verò enucleatiùs intelligas naturam amoris proprii, ejus effectus tibi porrigit *J. Busæus* dicens: Quia autem hic amor sui valde humanam mentem excæcat; vel ut loquitur B. Gregorius, vehementer claudit oculum cordis, & idcirco non facilè agnoscitur, maximè in excellentibus virtutum operibus, ut in ipsa humilitate, & vanæ gloriæ contemptu, ut observavit B. Augustinus in Confessionum libris: *Sæpe enim*, inquit, *homo de ipso vanæ gloriæ contemptu gloriatur.* Itaque advertere debes, quosdam hujus proprii amoris effectus esse manifestos, nec à culpa lethalis peccati immunes, ut sunt septem peccata capitalia, & alia: & in his facilè proprii amoris ingenium notatur. Alii verò sunt occulti, qui non facilè agnoscuntur, & ferè sunt

S. August. in Medit.

J. Busæus in Arca Medica Tit. Amor sui.

August. lib. 10. c. 38.

noxæ levioris & venialis: Exempli loco sint hi: Si in edendo, bibendo, dormiendo, ambulando, aliisquè adiaphoris actionibus, non tam necessitatis, quàm voluptatis tuæ habeas rationem; si in cultu corporis, domûs, suppellectilis sis exquisitior, quàm communis hominum mos ferat; si ob vitium corporis naturale, vel officii tibi impositi vilitatem, vel ob inopiam parentum pudore suffundare; si monitionem, vel reprehensionem molestè feras; si à quibusdam bonis operibus abstineas, nè á vulgo irrideare: si libenter de rebus ad laudem tuam vergentibus loquare, vel alios loquentes audias; si ob lapsum levem aliorum, facilè ad iram accendare; si injuriam acceptam ægrè remittas; si tristeris, cùm tuum judicium non ab omnibus probatur; si cui sis plùs æquo familiaris.))

Motiva mortificandi Amorem sui Inordinatum. 1mum.

Joan. 12. *Christus ait*: Qui amat animam suam, perdet eam. *Apostolus*: Hoc

2. Timoth. 3. autem scito, quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes (*ceu Amor radix malorum, quæ seqvuntur*) cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis, quàm DEI, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abne-

2. Pet. 2. gantes. *Petrus Apostolus* invehens contra Pseudoprophetas prædicit eos fore *sibiplacentes*.

S. August. lib. 14. c. 28. 2dum. *S. Augustinus*: Fecerunt, *inquit*, civitates duas, amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum DEI; cælestem verò amor DEI usque ad contemptum sui; illa in seipsa,

S. August. serm. 47. in c. 17. Matth. hæc in Domino gloriatur. *Idem*: Prima hominis perditio fuit amor sui, si enim se non amaret, & DEUM sibi præponeret, DEO semper esse subditus vellet; non autem converteretur ad negli-

S. August. c. 26. Man. gendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem suam. Præpone his voluntatem DEI; disce amare te, non amando te. *Idem*:

S. Basil. apud Lyræum lib. 2. Apoph. 1. Si totum hominis bonum est amare DEUM; totum hominis malum erit, amare seipsum. *S. Basilius*: Stipendium amoris proprii mors est, initium omnis mali. *S. Leo*: Tantò

S. Leo apud Lyræum lib. 2. Apoph. 2. ampliùs se quisque amat, quantò ampliùs se pro DEI amore non

non amat. *Thomas Kemp:* Melior ac sanctior nostri amor locum in nobis accipiat, nec enim fuerit, quò intret ad te amor DEI, nisi exulet amor tui. Ubi seipsum aliquis quærit, ibi ab illo amore cadit, solus namque hic dominari vult, qui præcepit, ut feraris in DEUM ex tota anima. Partem non accipit, gloriosæ indolis est, totum deposcit, ut totum tibi largiatur. *Idem:* Ex hoc vitio, quòd homo semetipsum nimis inordinatè diligit, penè totum pendet, quidquid radicaliter vincendum est, quo devicto & subacto malo, pax multa & tranquillitas erit continuò. *Idem;* Si dederit homo omnem substantiam, adhuc nihil est: Et si fecerit pœnitentiam magnam, adhuc longè est: Et si habuerit virtutem magnam, & devotionem nimis ardentem, adhuc multum sibi deest, scilicet unum, quod summè sibi necessarium est. Quid illud? Ut omnibus relictis se relinquat, & à se totaliter exeat, nihilquè de privato amore retineat.

Thom. Kemp. lib. 3. c. 5.

Ex libello de Imit. Christ. lib. 3. c. 53.

3tium. I. *S. Job* suam innocentiam profitens, inter alia enumerat, dicens: *Si vidi solem* (id est meipsum in bonis) *cùm fulgeret; & lunam* (uxorem meam in fortuna lætiore) *incedentem clarè. Et ex hoc lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum dexteram meam* (id est complacui mihi internè & externè, & non potiùs reddidi DEO gratias) *quæ est iniquitas maxima, & negatio contra DEUM altissimum.* II. *S. Franciscus Salesius*, ut de ipso Confessarius testabatur, usque adeo omnem commodi & incommodi rationem negligebas, ut dicere solitus sit, se, si vel levem aliquam amoris proprii festucam in corde suo residuam nôsset, illico eam ferro, flammâque persecuturum. III. *B. Angela de Fulginio* plús ab amore proprio, quàm ab ipso dæmone sibi metuebat, ut qui, nisi per eum, nihil in nos potestatis habeat; per eum verò quasi vulpeculam, semper è grege nostrorum affectuum pecus aliquod abripit. Hinc dicere solebat: Filii charissimi, nil est in hoc mundo, nec diabolus, nec aliqua res alia, quam tantopere habeam suspectam. quantùm hunc amorem. Mentem namque penetrabilior omni gladio ancipite transit, ac cor totum pervadit, & nisi coërceatur, animam millenis calamitatibus invadit. IV. *S. Ignatius* adeò puram in se charitatem aluit, ut omnem suiipsius amorem prorsus à se amandaverit. Hinc sci-

Job. c. 31.

In vita ipsius.

Bartol lib. 4. vit. § 27. scitanti cuipiam, quæ optima esset via in studio virtutum proficiendi? Respondit: Hoc unusquisque persuasum habeat, tantùm se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantùm ab amore suiipsius & commodi proprii affectione sese abstraxerit. Propterea in Constitutionibus gravissimum & capitalem omnis ordinis & unionis hostem appellabat. Const. p. 8. § 9.

V. in Bibli. Man. P. Lohner Tit. Amor. sui. *In Praxi* extirpandi Amorem proprium juvat 1mo. Resignatio sui perfecta. Sic enim *Thomas Kempen*: indicavit, dum dixit: Hoc desidera, ut ab omni proprietate possis expoliari, & nudus nudum IESUM sequi, tibi mori, & illi æternaliter vivere. Tunc recedet immoderatus timor, & inordinatus amor morietur. Thomas Kemp. lib. 3. c. 37. 2do. Oratio & Mortificatio assidua ac fervens. Sicut enim ferrum ignis ardore, & ictibus malleorum excussâ rubigine renovatur: sic igne ferventis, orationis & mortificationis ictibus assiduis, amoris proprii rubigo excutitur. 3tio. Amor DEI: uti enim clavus clauo pellitur, ita per DEI amorē omnis amor proprius effugatur. Collector. 4to. Est quædam specialis industria; ut scilicet dum amor tui, vel alicuius rei creatæ desiderium, complacentia in te oritur, mox oculos mentis avertas a teipso, vel illa re creata, & convertas ad DEUM, sive ad cælestia ac spiritualia, incipientemquè fervere amoris, desiderii, gaudii passionem, dirige ad amandum, desiderandum DEUM, seu cælestia aut spiritualia, de illisquè gaudendum. Ita fiet, ut mutato solo obiecto, manente eadem passione priùs excitatâ, suaviter & faciliter præcaueas peccatum, ac elicias insignes actus virtutis. Nam comprimere in se sensum passionum, difficilis, nè dicam, periculosus, indiscretis labor est: nec mox in te sensus, sed sensim remittit & cessat: quanquam hoc sensu interno durante semper avertendus est sensus exterior, & animus ab imaginatione mali, nec consensus ullâ ratione præstandus. Appositè huc quadrat illud dictum apud S. Climacum: *Vidi impuras animas, corporum amoribus ad insaniam usque servientes, quæ ex amoris experimento, sumptâ occasione poenitentiæ, eundem amorem transtulerunt ad Dominum, omniquè timore protinus rejecto in DEI charitatem inexplicabiliter amplectendam incitatæ sunt.* S. Clim. scal. parad. grad. 5. 5to denique perpetuum sui odium, & contemptus, radicitus evellit omnem amorem sui noxium, & cum eo omne

mne maledictum germen vitiorum ; neque solùm , ut ajunt , in herba præscindit , verùm in ipsa radice dissipat malum. De quo odio & sui contemptu vide infra sub humilitate.

Vide quoque suprà specificata, & hìc congruo modo adhibe. 1. 2. *tra.* 1. *c.* 1.
Actus odii & contemptus sui vide suprà tra. 1. *c:* 1. *sect:* 4. *subs:* *sec.* 4. *subs.* 2.
1. §. 3. *sub praxi medit: Plura infra de humilitate.* § 2. & 3.

SECTIO VI.

De Virtute & Sacramento Pœnitentiæ.

EJusmodi *Poenitentia est, virtus quâ ad deletionem peccatorum actualium commissionis & omissionis, ut sunt offensa DEI, homo de iisdem dolet, ea confitetur, & absolutione Sacramentali perceptâ, pro ipsis satisfacit.* Dicitur, *est Virtus*: quia pœnitere, est de aliquo prius à se facto dolere. Porrò dolor vel tristitia dupliciter dicitur. Uno modo secundùm quod est passio quædam appetitûs sensitivi, & quantùm ad hoc pœnitentia non est virtus, sed passio. Alio modo secundùm quod consistit in voluntate : & hoc modo est cum quadam electione, Quæ quidem si sit recta, necesse est quòd sit actus virtutis : dicitur enim 2. Eth. Quòd virtus est habitus elicitivus secundùm rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam, ut aliquis doleat de quo dolendum est, & eo modo, & fine, quo dolendum est. Quod quidem observatur in pœnitentia, de qua nunc loqimur : nam pœnitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione removendi ea. Unde manifestum est, quòd pœnitentia, de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis. Dicitur; *quâ ad deletionem peccatorum &c*: quæ deletio est finis Pœnitentiæ, quem ipsa intendit, & ad quam ordinatur. Peccata verò ut sunt objectum materiale remotum Pœnitentiæ, propriè sunt peccata actualia per commissionem vel omissionem patrata, non verò futura. Unde Pœnitentia dicitur esse habitus reflexivus, nempe supra id malum quod actum est, ejusdemquè fugitiuus. Materia autem proxima pœnitentiæ sunt Actus Pœnitentis nempe detestatio peccatorum, dolor de ipsis, & in Sacramento Pœnitentiæ etiam est confessio peccatorum. Dicitur; *ut sunt offensa DEI*: per quod obje-

D. Thom. 3. par. q. 85. a. 1.

Ibid. q. 84. a. 2.

obiectum Pœnitentiæ Theologicæ seu supernaturalis differt à pœnitentia Philosophica seu naturali, cujus obiectum sunt peccata quatenus dissona naturæ rationali. Cæterùm obiectum formale motivum Pœnitentiæ quatenus est virtus specialis, est Honestas operandi ad destructionem peccati, ut offensa DEI est: quia tale motivum nullius alterius est virtutis præter pœnitentiam. Pertinet autem specialis virtus Pœnitentiæ ad Justitiam commutativâ *Doctore S. Thoma*. Porrò Pœnitentia quatenus est virtus generalis, sic ad illam virtutem pertinet, cujus participat motivum formale. Atque ita pœnitere de peccatis, ut sunt offensa DEI summè homini boni; est spei: vel pœnitere de peccatis, ut sunt offensa DEI super omnia boni & dilecti, spectat ad virtutem charitatis: vel pœnitere de offensa DEI, ut summo honore & cultu digni, spectat ad virtutem religionis, &c. Sciendum verò est Pœnitentiæ virtutem ex charitate procedentem, cùm nequeat sacerdos haberi, sufficere ad salutem, cum voto seu desiderio confitendi Sacramentaliter. Aliàs Pœnitentiam Sacramentalem de necessitate præcepti ad salutem requiri. Cujus Sacramenti ex parte pœnitentis tres partes numerantur, Contritio vel Attritio de peccatis, Confessio eorundem, & Satisfactio. Attamen effectus istius Sacramenti non obtinetur ex opere operato, nisi accesserit ritè Absolutio data Sacramentalis.

3. p. q. 85. a. 3.

Incitamenta Pœnitentiæ.

Eccl. 17. PRimum. *Eccl.* Pœnitentibus autē dedit viam justitiæ. *Isaias.* Altis-
Isai. 12. simus odio habet peccatores, & misertus est pœnitētibus. *Ierem.*
Jerem. 18. Si pœnitentiā egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agā & ego pœnitentiā super malo, quod cogitavi ut facerem ei, & subitò loquar de gēte & regno, ut ædificē & plantē illud. Si fecerit malū in oculis meis, ut non audiat vocē meam, pœniten-
Ezech. 18. 33. tiā agam super bono, quod locutus sum ut facerem ei. *Ezechi.* Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est non recordabor. Nunquid voluntatis meæ est mors impii dicit Dominus, & non ut conver-
Matth. 3. tatur à viis suis & vivat? *Matth.* Progenies viperarum, quis demon-

monſtravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. *Chriſtus*: Pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cælorum. *Matth.* 4. *Idem*: Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, *Luc.* 15. quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ. *Chriſtus* ad Diſcipulos ait: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. *Ibidem.* *Apoſtolus*: Nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Quæ enim ſecundùm DEUM eſt triſtitia pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. *1. Cor.* 7.

2*dum.* *S. Auguſtinus*: Pœnitentia languores ſanat, leproſos curat, & mortuos ſuſcitat, ſanitatem auget, gratiam conſervat, claudis greſſum, aridis copiam, cæcis reſtituit viſum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat. *S. Auguſt. lib. de poeniten.* *Idem*: Qui per pœnitentiam peccata diluit, Angelicæ felicitatis conſors in æternum erit. *Idem lib. de Mirac. ſacr. ſcript.* *Idem*: Si quis poſitus in extrema neceſſitate ſuæ ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus, quòd benè hinc exit; ego neſcio, pœnitentiam dare poſſemus, ſecuritatem autem non. *Idem ſerm.* 36. Non quidem dico damnabitur, ſed nec dico liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? Tene certum. Age pœnitentiam dum ſanus es: ſi ſic agis, dico tibi quòd ſecurus es, quia pœnitentiam egiſti eo tempore, quo peccare potuiſti. Si vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. *S. Chryſoſtomus*: Nunquam ſpernit DEUS pœnitentiam, ſi ei ſincerè & ſimpliciter offeratur, & ſi ad ſummum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, ſuſcipit libenter & amplectitur. *S. Chryſoſt. de reparat. Lapſus.* Non enim temporis longitudine, ſed affectûs ſinceritate pœnitudo penſatur. *Idem*: Latro ille qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis, ut ingreſſum Paradiſi mereretur: ſed tantum ei ſpatii ſuffecit, quantum expediri potuit, donec unum poſſet proferre ſermonem: ita ut intra unum momentum temporis, totius vitæ ſceleribus abſolutus, præcedere ad Paradyſum etiàm Apoſtolos mereretur. *Idem ibid.* *Iſidorus*: Pœnitentia eſt medicamentum vulneris, ſpes ſalutis, per quam *Iſidorus de ſummo Bono.*

quam DEUS ad misericordiam provocatur, quæ non tempore pensatur, sed profunditate luctûs & lachrymarum: pœnitentia ergo non mensium ac temporum cursu pensatur, sed pœnâ, quâ anima cruciatur, & mortificatur caro. *S. Cyprianus*: O pœnitentia! quid de te novi referam? Omnia ligata tu solvis, omnia clausa tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contraria tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. *S. Bernardus*: Religiosa tristitia aut alienum luget peccatum, aut proprium. Beati quorum luctus in hac intentione versatur, quia consolatoriam possunt in hac expectare dulcedinem. *Idem*: Unde necesse est, ut Unctio Spiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem nostram, observantiarum & multimodæ pœnitentiæ cruces, devotionis suæ gratiâ leniens: quia nec sine cruce sequi Christum, & sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset? Hinc est, quòd aliqui abominantur & fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non etiam unctionem. Vos qui experti estis, ecce scitis, quia verè crux nostra inuncta est, & per gratiam spiritus adjuvantis suavis & delectabilis est pœnitentia nostra, & ut ita dicam, amaritudo dulcissima. *Idem*: Ergòne durum & momentaneum hoc, & leve tribulationis, quod supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis? Durum est brevissimo & levissimo labore cruciatus illos & tormenta redimere? quæ nullus terminus finiat, nullus animus sufficiat cogitare? Durum vobis videtur, cùm dicitur: Agite pœnitentiam? Erratis, sed audituri estis aliquando verbum asperum, sermonem durum, auditionem malam: *Ite maledicti in ignem æternum*. Ita dico vobis, hoc timete, hoc durum reputate, & invenietis, quia iugum Domini suave est, & onus ejus leve. Si in seipso suave illud credere necdum potestis, vel hoc non ignoratis, quoniam hujus comparatione suavissimum est.

S. Cyprianus de Laud. poenit.

S. Bern. in festo B. Mariæ Magd.

Idem serm. 1. in Dedicat.

Idem serm. 3. in Psalm. Qui habitat.

3tium *Incitamentum ab Exemplis*. Christus Dominus de peccatis cujusque hominis, quàm intensè doluerit, manifestat ejus amor infinitus in Patrem offensum. Quo enim magis aliquem amamus, eò acerbiùs de offensa ejus dolemus. Oratio Christi pro venia Crucifixoribus se physicè, tum & aliis moraliter per peccata Crucifigentibus, quid aliud fuerit nisi actus pœnitentiæ?

Quem

Quem actum de amore quoque B. V. M. in genus humanum, suppone. Porrò satisfactio quàm rigorosa justitiæ Divinæ fuerit facta à Christo pro peccatis mundi, ostendit ejus pretiosa Redemptio per suam vitam, passionem, & mortem. Ad quem finem B. quoque Virginem suas actiones & passiones obtulisse indubium est, ex motivo amoris DEI, ejusquè creaturæ. *Exempla ex P. Lohner Bibli. Manual. Tit. Poenit.* I. David postquam DEI erga se indignationem ex Nathan intellexisset, & vocem; peccavi, seriò protulisset, mox ab eodem Propheta audivit: Dominus quoque transtulit peccatum tuum: Non morieris. S. David de se quoque fatetur: Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam servi tui; hoc est, ut S. Hieronymns explicat: Decem fudi lachrymas, decem consolationes merui. Quantumcunque fuit pondus lachrymarum, tantus fuit & consolationis numerus. II. S. Petrus negato Christo mox egressus foras, flevit amarè, eumquè fletum tam constanter tenuit, ut in facie sulcæ per lachrymas excavatæ apparerent. III. S. Maria Magdalena post Christi in cælos ascensum speluncam ingressa, triginta annos in severissima poenitentia, & assidua peccatorum deploratione exegit. Eadem Sancta tempore poenitentiæ suæ, tot consolationibus recreata est, ut septies quotidie in cælum rapta choris Angelorum interesset, & ab ipso Christo ultra centenas vices visitata, miris voluptatibus recreabatur. IV. S. Maria Ægyptiaca ex meretrice conversa in desertum fugit, quinque panibus acceptis, quibus consumptis, ex solis herbis, quadraginta quinque annis, nullo mortalium conspecto, vixit. V. Abbas Elias octoginta annorum senex, cùm multos ex his in magna vitæ sanctitate exegisset, tandem rogatus à muliere, ut potum aquæ illi daret, eâ discedente usquè adeò à turpi desiderio devictus est, ut è cella exiens mulierem fornicationis gratiâ quæreret. Sed quia eunti in fossa virorum, & mulierum formâ olim præstantium foetida cadavera ostensa fuerant, & Angelus adstans dixerat: Væ generi humano! quòd talia objecta amat, & propter ea DEUM deserit; primò verò ab Angelo confortatus, cellulam rediit, foedumquè propositum continuâ poenitentiâ & dolore expiavit. VI. S. Martinus in terra mori-

2. Reg. 12. 13.

S. Hier. in psal. 93.

Surius in vita. 19. Junii.

Idem 24. Julii.

Sur. 9. April.

Pratum spirit. c. 80.

Petrus Zanc. ens p. 4. c. 7.

ens & cinere dicebat: Nemo sine pœnitentia hinc discedat. Quo dicto paulò post mortui facies ejus, licet ante deformis, pulcherrima, & lucis instar radians apparebat. VII. Philippus Comes Namurcensis post vitam pessimè transactam, tantam in morte contritionem ostendit, ut similis ei visa non esset, aliosquè etiam ad lachrymas provocaret. Confessarios suos rogavit, ut corpus in plateam traherent, dicens: Sicut canis vixi, dignum est, ut moriar sicut canis. Quæ pœnitentia adeo placuit DEO, ut eum post mortem tot miraculis fecerit illustrem, ut de remotis regionibus ad ejus sepulchrum venientes, terram secum pro benedictione reportarent, eamquè pro remedio variorum morborum adhiberent. *Hactenus P. Lohner.*

Cæsarius lib. 2. Hist. & Mirac. c. 18.

Scala parad. de poenit. grad.

Refert *Iohannes Climacus* admiranda pœnitentiæ exempla, dicens: Cùm audissem ego imbecillis magnum quendam esse & peregrinum statum, atque humilitatem eorum, qui separatum illud monasterium (quod Carcer appellatur) incolebant, quòdque illi Luminari luminarium, de quo antè mentionem fecimus, adjacebat, obsecravi justum illum, ut me illuc visendi gratiâ perduci faceret. Cessit precibus meis summus vir, nolens animam meam in ullo contristari omnino. Cùm igitur pervenissem ad pœnitentium monasterium, imò verò ad religionem fugientium, vidi reverà (si dicere id audeam) quæ negligentis oculus non vidit, aurisquè desidiosi non audivit, & in cor pigri hominis non ascenderunt, res & verba, quæ DEO vim inferre possent, habitus & studia, quæ ipsius clementiam celerrimè flecterent. Quosdam enim ex reis illis vidi noctibus totis usque manè sub dio stare pervigiles, pedesquè immobiles tenere, cumquè somno miserabiliter depressi agitarentur, vim naturæ inferre, nullamquè sibi ipsis requiem omnino indulgere, sed seipsos increpare, ignominiisquè & contumeliis afficere, atque excitare. Alios miserabiliter in cælum intuentes, & illic adjutorium cum gemitu, & suspiriis, & vocibus invocantes. Alios in oratione existentes, ac reorum in morem vinctis post terga manibus humi luridas facies suas inclinantes, indignosquè se, qui in cælum aspicerent, vociferantes, nec quidquam ad DEUM dicere orando præ cogitationum & conscientiæ hæsitatione præsumentes, ne-

que quomodo, vel unde orationem facerent præſumentes, ſolamquè animam tacitam mutamquè DEO offerentes, tenebris ac deſperatione plenam. Nonnullos in pavimento ſtrato cilicio & cinere ſedentes, ac faciem genibus operientes, frontemquè in terram collidentes. Alios jugiter pectora tundentes, animamquè ſuam ac vitam ſuſpirio ingenti revocantes. Ex his alii quidem pavimentnm madefaciebant lachrymis, alii verò quia lachrymarum imbres non haberent, ſeipſos miſerabiliter lamentabantur. Plurimi, ut fieri in mortibus ſolet, ſuper animabus ſuis ululatum diræ vocis emittebant, anguſtiam cordis ferre non valentes. Alii ex intimo corde rugiebant, atque intra os gemitûs ſonum cohibebant. Interdum verò cùm ſe continere non poſſent, repentè exclamabant. Vidi ego illic nonnullos habitu, & cogitatione, & actu, quaſi à ſemetipſis exceſſiſſent, ac ſtuporem mentis incurriſſent, velut æneos quoſdam ſummo ex mœrore effectos, totos tenebris obſitos, & ad omnia vitæ hujus veluti inſenſibiles factos. Mentem quippe jam in humilitatis abyſſum demerſerant, ac mœroris igne oculorum lachrymas frixerant. Alios item mœſtos ſedere, atque in terram fixis obtutibus ſtare perſpexi, caputquè aſſiduè movere, & leonum in morem ex imo corde rugitum ac gemitum emittere. Ex his alii pleni ſpe, remiſſionem omnimodam inquirentes, orabant. Alii ex ineffabili humilitate indignos ſe remiſſione judicabant, nec omnino poſſe DEO rationem reddere clamabant. Quidam hic excruciari, ut illic miſericordiam conſequerentur à Domino, ſupplices poſcebant. Plerique ex conſcientiæ onere attriti ac depreſſi, ſatis ſibi ex intimis eſſe dicebant, ſi vel ſuppliciis eximerentur, regnoquè non potirentur. Vidi illic animas humiles contritas, & præ gravi pondere incurvatas ac dejectas, quæ vocibus illis ſuis ad DEUM emiſſis, lapides quoque ipſos ad compunctionis ſenſum emollire potuiſſent. Ita enim defixis in terram luminibus ajebant: *Novimus ſanè, novimus, omnibus jam poenis atque cruciatibus nos eſſe digniſſimos. Et meritò quidem; neque enim idonei jam ſumus, qui pro debitorum noſtrorum multitudine ſatisfacere poſſemus, etiamſi orbem univerſum, ut pro nobis lugeat, convocaverimus. Illud ſolùm oramus, iſtud deprecamur, id totâ animi intentione ſupplicamus; nè in ira tua*

arguas nos, neque in furore tuo corripias nos, neque justissimi judicii legibus excrucies nos, sed parciùs, & misericordiùs. Satis enim est nobis ingenti illâ tuâ ac terribili comminatione, suppliciisquè illis occultis, ignotis, atque inauditis liberari. Neque enim ut poenis omnino liberemur petere audemus. Qvâ enim facie, quo animo id audeamus, qui Professionem nostram violavimus? eamquè post priorem clementissimamquè remissionem sordidavimus? Illic profectò, O dulcisſimi amici! illic verba David rebus ipsis cerneretis impleta, ærumnis aflectos homines, atque usque in finem vitæ incurvatos, totisquè diebus mœstos incedentes, & ex putrefactis corporis partibus fœtorem exhalantes: qui quasi sine ulla carnis cura degerent, obliviscebantur comedere panem suum, potumquè aquæ cum gemitu miscebant, & cinerem cum pane manducabant. Adhæserant illorum ossa carni, ipsiquè ut fœnum exaruerunt, nec quidquam apud illos audivisses, nisi hæc verba: *Væ! Væ! miserum me! miserum. Justè, justè, parce, parce Domine* Nonnulli *Miserere* dicebant. Alii verò rursus miserabiliùs clamabant: *Ignosce, ignosce Domine, si possibile est.* Vidisses in illis æstuantes lingvas instar canum ex ore procedentes. Ex his alii sub ardentissimo solis æstu seipsos cruciabant; alii contrà acerrimo frigore se affligebant. Quidam modicum aquæ degustantes, nè omnino siti exarescerent, ita quiescebant. Nonnulli cùm panis exiguum quid accepissent, reliqvum manu longiùs projiciebant; indignos se, qui rationalium cibo vescerentur, asserentes; quippe qui irrationabiliter egissent. Quem apud illos locum risus habere poterat? Quem otiosus sermo? quem iracundia? quem furor? Nec enim quid in hominibus iracundia esset, sciebant, adeò luctus furorem omnem penitus extinxerat. Ubi apud illos contradictio, ubi festivitas, ubi confidentia, ubi corporis obsequium & cura? ubi vel vestigium inanis gloriæ? ubi deliciarum expectatio? ubi tenuis vini cogitatio? ubi pomorum degustatio? ubi ferventis ollæ solatium? ubi gulæ ulla illecebra? Horum enim omnium apud illos spes nulla erat. Non terrenæ cujusquam rei curâ angebantur. Non judicare ullum omnino hominum didicerant. Nihil horum penitus in illis invenisses. Cæterum jugiter ad Dominum clamabant, solaquè orationis vox audiebatur. Alii enim pectus validè ma-

dè manibus cædentes, quasi jam ad ipsam adstarent cæli januam, ad Dominum dicebant: *Aperi nobis januam, ex quo illam nobis ipsi per peccatum clausimus.* Clamabat alius: *Ostende faciem tuam tantùm, & salvi erimus.* Alius econtrà: *Appare his in tenebris, & umbra mortis sedent humilibus tuis.* Alius rursus: *Citò anticipent nos misericordiæ tuæ; quia pauperes perimus, quia desperavimus, quia nimiùm defecimus.* Nonnulli autem ajebant: *Putasnè apparebit Dominus ultra super nos?* Alii verò: *Num pertransiit anima nostra debitum intolerabile?* Alii: *Putasnè Dominus adjiciet ultra consolari nos? Putasnè audiemus ullum dicentem nobis, qui sumus in vinculis indissolubilibus; Exite: Et qui in inferno poenitentiæ sedemus: Laxamini? Putasnè clamor noster ad aures Domini ingressus est?* Cuncti verò sedebant, semper ante oculos suos mortem attendentes, ac dicentes: *Quid putatis contingere? Quænam erit illa sententia? Quis finis noster? Putas erit revocatio? Num superest spes veniæ moestis? humilibus reis? Num valuit oratio nostra ingredi ante conspectum Domini? aut meritò repudiata est, abjecta, atque confusa? Aut si fortè intravit, quantùm peregit? quantùm placavit DEUM, quantùm profecit? quantùm operata est? Emissa quippe ex immundis corporibus & labiis, parùm virium habere potuit. Putas omnino reconciliavit Judicem? an ex parte? an vulnerum vel medietas deleta est? Quippe maxima cùm sint, plurimis & laboribus, & sudoribus, & doloribus indigent. Putas appropinquaverunt nobis Angeli custodes nostri? An adhuc longiùs à nobis stant? Nisi enim illi appropient nobis, inutilis & infructuosus est omnis labor noster. Neque enim confidentiæ oratio nostra, neque mũditiæ pennas habet, ut ingredi ad DEUM possit, nisi hanc è proximo assumant Angeli, qui nobis præsunt, eamquè offerant Domino.* Nonnunquam verò hæsitantes hujusmodi ad invicem, dicebant: *Num fratres aliquid proficimus? Num petitione nostrâ potiemur? Num iterum suscipit, num aperit?* Alii verò ad ista respondebant: *Quis novit, ut dixerunt Ninivitæ fratres nostri, si fortè poeniteat DEUS, atque ab ingenti illa poenitentia nos liberet? tamen quod nostri muneris est non negligamus. Et siquidem ille aperuerit, benè est: si verò aliàs, benedictus Dominus justè exclusit nos. Veruntamen perseveremus pulsantes usque ad finem vitæ nostræ. Forsitan improbitati nostræ ac perseverantiæ cedens aperiet: benignus quippe & misericors est.* His atque hujusmodi seipsos exhortantes, atque excitantes, ajebant: *Cur-*

ramus fratres, curramus, cursu enim opus est, & vehementi cursu: quoniam cætu nostro decoro atque optimo excidimus. Curramus, neque huic carni nostræ sordidæ atque nequam pareamus fratres, sed occidamus illam, sicut priùs occidit nos. Sic Beati illi Rei faciebant. Genua illis ex perpetuo orationis usu obcaluerant. Oculi defecti atque defatigati intus profundè recesserant, pilis omnibus ciliciorum amissis, genæ ardentium fervore lachrymarum adustæ videbantur, facies marcescentes atque pallidæ squalebant, nihilque à mortuis in comparatione differebant. Pectora tunsionum ictibus dolebant, lividaquè sangvinem ex crebris illisionibus emittebant. Ubi lecti usus, ubi indumenti munditia & firmitas? Omnia ibi discissa erant & sordida, ac pediculis operta. Quid autem est eorum, qui à dæmonibus arripiuntur, si illis conferatur afflictio? Quid mortuos plangentium amaritudo? Quid mœror degentium in exilio? Quid parricidii reorum pœna? Nihil sanè est illorum pœna suppliciumque, quo inviti afficiuntur, si voluntariæ istorum pœnæ conferantur. Sed quæso fratres, nè ea, quæ dicta sunt, fabulas existimemus. Rogabant nonnumquam isti magnum illum Iudicem, Pastorem (*summ*) dico inter homines Angelum, ut ferrum ac torques collo ac manibus imponeret, pedesquè patientium constringeret ligno, nec eos priùs inde solueret, quàm sepulchrum succederet. Imò verò nec sepulchrum quidem. Neque enim profectò hanc quoque Beatorum illorum reverà mirabilem ad DEUM charitatem atque pœnitentiam abscondam. Quoties ad Dominum profecturi, & incorrupto tribunali Iudicis sistendi erant, felices illi regionis pœnitentium cives, hoc per eum, qui sibi præerat adjurantes à Magno illo summis precibus petebant, nè sepulturâ humanâ dignarentur; sed brutorum instar, aut fluvialibus undis traderentur, aut in campum projecti bestiis devorandi permitterentur. Quod etiam nonnunquam fecit illorum precibus obtemperans discretionis Lucerna, iubens illos omni psalmodiâ, omniquè honore privatos proiici. Cùm verò extrema illorum hora advenisset, terribile omnino miserandumquè spectaculum cerneres. Nam cùm eum, qui se præcedebat efflare iam animum sensissent socii, adhuc sensu integro vigente circumstabant,

bant illum siti æstuantes, & lugentes, ac desiderio pleni, miserabili omnino habitu, mœstiorequè sermone capita sua commoventes efflantem iam animam interrogabant, misericordiâquè flagrantes ajebant ad illum. *Quid est frater? Quonam modo tecum agitur? quid dicis? quod speras? quod suspicaris? Percepistinè ex labore tuo, quod quærebas? aut non valuisti? pervenisti ad portum, aut nondum potitus es spe tuâ? Accepisti certam aliquam fiduciam, an adhuc incertâ spe fluctuas? consecutus es libertatem, an agitatur ambigitquè cogitatio? sensisti aliquam in corde tuo lucem, an tenebris adhuc & ignominiæ confusione plenum est? Vllanè tibi vox intrinsecus facta est, dicens: Ecce sanus effectus es; aut dimittuntur tibi peccata tua: aut fides tua te salvum fecit? Illamnè tibi adhuc vocem audire videris, quâ dicitur: Convertantur peccatores in infernum? Et: Ligatis manibus, & pedibus, mittite illum in tenebras? Et: Tollatur impius, nè videat gloriam* DEI*? Quid ais frater? Dic nobis oramus, ut & nos scire possimus, quidnam illic nos manet. Tuum quippe tempus jam clausum est, aliudquè de cætero in æternum non invenies.* Ad hæc quidem alii Dormientium; *Benedictus, ajebant, Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* Alii verò illud gementes dicebant: *Forsitan pertransibit anima nostra aquam intolerabilem.* Quod nondum confidentes ajebant, sed considerantes, quàm sit pavendum illud terribile incertumquè judicium. Alii verò etiam mœstiùs quiddam respondebant, ac dicebant: *Væ! animæ illi, quæ non servavit professionem suam integram & immaculatam, hac enim horâ sciet, quid illi præparatum sit.* Quæ ergo omnia cùm apud illos audissem, & vidissem parũ ab fuit quin desperatione absorberer, cùm meam intuerer malitiam, & negligentiam, eamquè Sanctorum illorum afflictioni compararem. Quænam verò, qualisue erat ejus loci facies & habitatio! tota tenebrosa erat, informis, fœtida, sordida, squallida. Carcer enim & condemnatio rectissimè appellabatur. Ipsa denique ut sola loci contemplatio perfectæ pœnitentiæ ac luctûs magistra erat. Sed ea, quæ aliis difficilia atq; impossibilia videntur, eis, qui virtute ac spiritualibus divitiis se excidisse meminerunt, grata sunt & amabilia, fitq; eorũ perfacilis assumptio. Anima enim quæ priori confidentiâ privata spe consequendæ beatæ tranquillitatis excidit, sigillumquè castitatis aperuit, divitiisquè gratiarum spoliata, & Divinâ con-

ſolatione deſtituta eſt, pactumquè & placitum Domini violavit, extinxitquè iam in ſe decorum lachrymarum ignem; quoties horum memoriâ tangitur, quæ per ſuam negligentiam, ſe amiſiſſe retinet, acerrimo dolore compuncta, vulnerata, non ſolùm quos prædiximus labores, cum omni ſtudio & alacritate ſuſcipit, verùm etiam ſeipſam mactare per exercitationis magnitudinem contendit: ſi tamen in illa, charitatis ac timoris Domini favilla ulla relicta eſt. Hujuſmodi profectò erant Beati illi; hoc enim ſecum in animo volventes, virtutiſquè, quâ exciderunt, altitudinem conſiderantes; *Memorati ſumus* (ajebant) *dierum antiquorum, ignitique illius ſtudii noſtri.* Alii ad Dominum clamabant: *Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, quas oſtendiſti animæ noſtræ in fortitudine tua? Memor eſto opprobrii & laboris ſervorum tuorum.* Alius verò: *Quis me ponet, ajebat, ſecundùm menſem dierum meorum priorum, in quibus me cuſtodiebat DEUS, quando lucebat lucerna lucis ejus ſuper caput cordis mei?* Sicquè priores omnes virtutes ſuas memorabant, atque iſta infantium more plorabant dicentes: *Ubi eſt orationis puritas, ubi eſt hujus certiſſima fiducia? Ubi dulces lachrymæ in amaritudine? Ecce ubi ſunt? Ubi intimæ munditiæ, & caſtitatis ſpes? Ubi beatiſſimæ ac placidiſſimæ quietis expectatio? Ubi ſincera ad Paſtorem fides? Ubi rationis illius in nobis efficacia & virtus? Perierunt iſta omnia, & quaſi nunquam viſa ſint, defecerunt, utquè nunquam fuerint, ita deleta ſunt & perdita.* Iſta cum gemitu, & lamentatione proſequentes, ita demum alii, ut à dæmonio arriperentur, orabant. Alii ut in morbum inciderent, precibus à Domino poſcebant; plurimi oculos amittere, miſerandumquè omnibus ſpectaculum fieri optabant. Nonnulli paralitici fieri, & languorem corporis contrahere, ſolùm nè futura ſupplicia experiri cogerentur, cupiebant. Ego autem, O amici! neſcio quo pacto diutiùs inter lugentes verſatus ſum, totoquè animo in illorum admiratione ſuſpenſus, me ipſum continere non potui. Sed ut ad id, unde aberravit, redeat, oratio, cùm triginta dies in cuſtodia illa perſeverâſſem impatiens, in magnum illud Cœnobium ad magnum Patrem reverſus ſum, qui ut me aſpexit immutatâ facie, totumquè veluti attonitum, agnovit ſapientiſſimus immutationis cauſam, & ait ad me. *Quid eſt Pater Joannes?*

nes? Vidistinè laborantium certamina? Ad quem ego: *Vidi*, inquam, *Pater, vidi, & admiratus sum, felicioresquè existimavi, qui post lapsum ita lugent, quàm qui nunquam lapsi sunt, & seipsos non sic deflent.* Illis enim ruina sua, causa fuit beatissimæ ac tutissimæ resurrectionis. Tum ille: *Sic*, inquit, *est.* Et *Paulò infrà prosequitur B. Climacus*: Non autem ignoro admirabiles viri, fore, ut ista quibusdam videantur incredibilia, aliis verò ad credendum difficilia, nonnullis etiam desperationem parientia, quæ modò enarravi, Beatissimorum illorum certamina. Porrò vir fortis, & ex his stimulum magìs, igneumque jaculum sumpsit, zeliquè conceptum feruorem in corde ferens abiit. At qui illâ alacritate minor est, cognitâ imbecillitate suâ, atque ex hac cognitione, & reprehensione sui facilè humilitatem possidens, post primum cucurrit, nescio an apprehenderit. Vir autem negligens; ista quæ dicta sunt, nè audiet quidem, nè fortè id modicum quod interim operatur, omnino desperans dissipet, compleaturquè in illo, quod Dominus dicit: *Ab eo autem qui non habet alacritatem, & ipsum quod habet, auferetur ab eo.* Fieri non potest, ut qui in lacum incidimus iniquitatum, inde unquam emergamus, nisi nos in abyssum humilitatis pœnitentium dejiciamus. Alia adhuc peccantium conscientiæ reprehensio, & alia quæ perfectis per DEI operationem provenit dives ac lætifica humilitas. Alia est tristis mœrentium humilitas. Nè quæso hanc tertiam verbis invenire studeamus, alioquin inaniter erramus. Quæ verò humilitatis signum est, ignorantiæ perfecta toleratio. Lugenti quoque nonnunquam præcedens consvetudo violenter dominatur. *Hæc B. Climacus.*

Placet referre nonnulla exempla Pœnitentiæ, quæ & quanta imponebantur olim juxta Canones, ut hoc Seculum delicatum videat, quàm longè sit à fervore Patrum suorum; ad quem sectandum in agenda pœnitentia pro suo possibili quoque animetur, sciatquè hos Canones, etsi non in foro fori, tamen in foro Poli ligare, nisi Contritionis vehementia, vel indulgentiarum condonatio talem defectum suppleverit. Sunt autem sequentes è pluribus nonnulli præfati Canones *apud Guillelmum Durant: in suo Repertorio, rubricâ de poenitentia.* Debet ergo

pœnitere sacerdos committens fornicationē, decem annis: 82 *dist. c. Presbyt.* Ibi etiā habetur qualiter hoc tēpore pœnitebit. Accipiens sponsam alienam, de præsenti septem annis, & 40 diebus in pane & aqua: *Extra desponsa duorum c. 2.* Falsarius quamdiu vivit, in pane & aqua pœniteat: *De verb. sig. novissimis.* Interfector Domini, vel uxoris, nunquam equitet, nec vehiculo vehatur, nec contrahat matrimonium: usque ad 10. annos, carnes non comedat, & vinum non bibat, & alia, quæ habentur: 33. *q.* 2. *ad c. Monere, & c. Quicunque de divo: c.* 1. Pro quolibet mortali peccato debet pœnitere septem annis: 33. *q.* 2. *c. Hoc ipsum §. Hoc quanquam §.* Nisi plus & minus à Canone imponatur. Domum vel arcam incendens 3. annis pœniteat: *De inju. & dam. d. c. Si quis contra, verbo, incendiarius.* Injustè alium accusans ad mortem, 40. diebus in pane & aqua jejunabit continuè sive interpellatè, & per septem annos pœnitebit; non tamen in pane & aqua, sed ad arbitrium sacerdotis. Si verò per talem accusationem quis accusatus membrum perdiderit, accusans tribus quadragesimis jejunabit: primâ ante Natale Domini, secundâ ante Pascha, tertiâ ante festum S. Joannis: quas quadragesimas S. Petrus instituit. *Et hæc probatur* 2. 2. *q.* 5. *c.* 1. *&* 3. 6. *q.* 1. *Quicunque.* Homicida Episcopus 15. annis pœniteat, & deponatur, & semper peregrinetur. Presbyter 12. annis, & 3. ex his in pane & aqua, & deponatur. Et Diaconus 10. annis, & tribus in pane & aqua: 50. *dist. si quis homicid. pater est.* Pro casuali homicidio 5. annis pœniteat: 58. *dist. Eos qui &c. seq.* Pro voluntario sine spe restitutionis deponitur, & 7. annis pœniteat: 50. *Distin. c. Major.* Occidēs Clericum, aut Monachum, Diaconum vel Subdiaconum, semper erit in Monasterio, nunquam ad seculū reversurus: & 7. annis pœnitentiam publicam agat, & arma relinquat: 17. *q.* 4. *c. Qui occiderit.* Pro perjurio quadraginta diebus in pane & aqua per septem annos, & semper erit in pœnitentia S. interiori: 6. *q.* 1. *c. Quicunque* 22. *q.* 1. *Prædicandum.* Pro falsa mensura 30. diebus in pane & aqua jejunet: 22. *q.* 5. *Si quis coactus.* Raptor, seu fur, seu dirreptor, reddet in quadruplum Ecclesiæ ornamento: alterius duplum, & 7. annis pœniteat, tres in pane & aqua: 17. *q.* 4. *Palea est.* Clericus fur, vel effractor, septem annis: Laicus 5. sed si vilis erat res, vel ubi bis, vel ter furatus est, reddat, & anno pœ-

niteat in pane & aqua: *17. q. 4. c. si quis Clericus palea est.* Manum in Episcopum, vel Presbyterum mittens, & Ecclesiam vastans, aut impugnans, vel incendens, omnibus bonis proscribatur: & semper in Monasterio inclusus pœniteat: *24. q. 3. c. Quisquis per dolum palea est.* Hoc autem adnotatione dignum est, quòd ubi ponitur pœnitentia 7. trium, vel pauciorum annorum, vel quadragesimarum à jure, & non adjungitur qualiter illo tempore debeat quis pœnitere, hoc relinquitur arbitrio sacerdotis: cùm pœnitentiæ sint arbitrariæ: Ipse verò sacerdos arbitrabitur eam per legitimas ferias faciendam, secundùm Canones: *11. q. 3. De illis 50. dist. De his Clericis 82. Presbyter 1. extra de hom. c. 2.* Et in aliis multis; & sic intellige extra de accusa: de his qui *cap. fir.* de sponsa duorum *c. 2. 22. q. 5. c. 1.*

Praxis Agendi Pœnitentiam. Ex supradictis ad pœnitentiam proportionatè applicatis, scito hæc. Tria esse ad eam requisita. *1mum.* Remotio impedimentorum pœnitentiæ. *2dum.* Positiva ad eam dispositio. *3tium.* Actus pœnitentiæ.

Quantùm ad *Primum.* nempe *Remotionem impedimentorum* hæc accipe ex *Patre Lohner* dicente. Benè nôrit impedimenta, quæ plerumque peccatores absterrent à pœnitentia, atque pro illis removendis remedia suggerere sciat. Quinque autem sunt potissimùm ejusmodi impedimenta. *1mum. Desperatio* ob multitudinem peccatorum, quam tollere conabitur ostendendo misericordiæ Divinæ magnitudinem, quæ non modò veniam promittit pœnitenti, sed eundem etiam ultrò invitat, ideoque ei multitudinem, magnitudinemquè suorum peccatorum ob oculos ponit, ut per easdem ad pœnitentiam revocetur. Quæ omnia tum appositis S. Scripturæ & SS. Patrum sententiis, tum probatis exemplis confirmabit. *2dum. Timor recidivæ.* Quem eripere nitatur ostendendo, tum paratum à DEO auxilium, si ipse peccator, quantùm requiritur ex parte ipsius accuratè præstiterit, uti ex plurimorum conversione patet, tum demonstrando, quàm stultum sit, ob timorem relapsûs, pœnitentiam differre, quis enim vulneratus recursum ad medicum? quis sordidatas habens manus, aut vultum, ad lavacrum? quis navis aut sentinæ evacuationem, ideo tantùm differt, quia fieri potest ut iterum vulneretur, sordes

In Bibli. Man. Tit. Poenit.

Vide in hac materia fusè supra sub spe & desperatione.

l. 2. tra. 2. c. 2. sec. 1. & 4.

sordes contrahat, aut sentina, navisquè varios tumultus & insultus
Lib. 2. c. 28. patietur? 3tium. *Horror difficultatis.* De qua libellus de imitatione:
§ 3. Unum est, quod multos à profectu & ferventi emendatione retrahit, horror difficultatis, seu labor certaminis. Sed & huic impedimento facilè occurret objiciendo tot exempla conversorum,
S. August. lib. & illud olim S. Augustini dictum subjiciendo: Potuerunt isti &
9. Confess. c. 1. istæ, & tu non poteris? Revocando iterum in memoriam S. Augustini de seipso loquentis confessionem: O! quàm suave mihi subitò factum est carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Eundem in finem proderit etiam narrare exemplum de juvene similem difficultatem in mala consuetudine deponenda sentientem, cui diabolus primùm in specie gigantis apparuit, atque ad certamen provocavit, mox verò & Angelus secutus est, hortans ut aggrederetur gigantem, se enim auxiliatricem ei manum porrecturum; quod ubi fecit adolescens, adjuvante Angelo sine difficultate gigantem superavit. 4tum. *Metus rei, quam inordinatè amaverat, deserendæ.* Quem eripere conabitur ostendendo, quàm facilè illâ antè, quàm amare eam inciperet, caruerit, & verò etiam tempore morbi aut mortis sine difficultate cariturus sit. An ergo non possit gratia, quod necessitas, vel infirmitas potest? Ostendat iterum, quàm omnem voluptatem hactenus ex re amata perceptam, abundantiùs in ipso DEO, per pœnitentiam & charitatem possidendo, inventurus sit, ideoque illud Elcanæ dictum eidem applicet: Cur fles? aut quam ob rem affligitur cor tuum? nunquid non ego tibi melior sum, quàm hæc, illa creatura? 5tum. *Respectus humanus.* Quod tamen impedimentum facilè tollet Asceta, si meminisse jubeat, stare ex una parte DEUM, à quo omne bonum, quod habet, accipit: & quod accepturus est, expectat, atque ad pœnitentiam invitare; homines verò, à quibus nec vitam accepit, nec expectat, ab eadem absterrere: an enim si vel micam prudentiæ & æstimationis de DEO possideat, hominem potiùs, quàm DEI invitationem sequetur? Hortetur præterea, ut in
Lib. 3. de Imitat. c. 36. § 1. simili casu illam pii Ascetæ doctrinam sibi applicet: Fili, jacta cor tuum firmiter in Domino, & humanum nè metuas judicium, ubi te conscientia pium reddit, & insontem, (uti vel maximè per

poeni-

pœnitentiam contingit) bonum est & beati taliter pati, nec hoc erit grave humili corde, & DEO magis quàm sibi confidenti. Quis tu, ut timeas à mortali homine? Hodie est, & cras non comparet. DEUM time, & hominum terrores non expavesces.

Quoad Secundum; Positivam nimirum ad poenitentiam dispositionem. Hanc efficiunt 1mo. *Memoria frequens novissimorum.* Si enim diem mortis suæ homines jugiter cogitare vellent, animam suam ab omni malitia & cupiditate cohiberent, ait rectè S. Augustinus. Hinc DEUS ipse hoc remedium suasit per Siracidem: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. 2do. *Charitatis Divinæ ignem applicare.* Uti S. Ambrosius suasit dicens: Si à radice vitia vis evellere, charitatis ignem applica, quo passiones universæ ac vitia superantur. 3tio. *Passionem Christi frequenter considerare.* Maximè si consideremus Christum nos taliter è cruce alloquentem: Nonne satis propter te vulneratus sum? Nunquid non pro iniquitate tua afflictus sum? Cur addis afflicto? Magis aggravant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei. 4to. *Facilitas.* Quæ colligitur ex sequentibus. 1. Ex *misericordia DEI*, de qua Taulerus non immeritò dixit. Nullam matrem tam promptam esse ad succurrendum filio suo in ignem lapso, quàm misericordia DEI parata sit succurrere, & indulgere peccatori, veniam petenti. Unde S. Augustinus. Si ego, inquit, Domine, admisi unde damnare me possis, tu certè non amisisti, unde me servare possis. Cùm ergo inquit alibi idem sanctus, D E U S & velit misereri, quia Bonus est, & possit, quia Omnipotens est; ipse contra se Divinæ pietatis januam claudit, qui DEUM sibi misereri aut non velle, aut non posse, credit, eumquè aut Bonum aut Omnipotentem esse diffidit. 2. *Ex aliorum exemplis.* De quibus S. Bernardus: Non, inquit, vos retardet conscientia, quia ubi peccata abundaverũt, super abundare consuevit & gratia. Nec pœnitẽtiæ austeritas ipsa deterreat, nec enim cõdignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ promittitur, ad præteritã culpam, quæ remittitur, & ad præsentis gratiam consolationis, quæ immittitur. Si verbis non creditis, operibus credite, exemplis acquiescite plurimorum: currunt undique peccatores ad pœnitentiam: &

S. August. serm. 3. de Innocent.

Eccl. 7. v. 40.

Apud Beirl. in festo S. Mariæ Magd.

S. Bern. serm. 4. hebd. sacra.

In Psal. 129.

S. Bern. in quodam serm.

& naturâ pariter & consvetudine delicati, nihil credentibus impossibile, nihil amantibus difficile, nihil asperum mitibus, nihil humilibus arduum reperitur, quibus & gratia fit in auxilium, & obedientiæ devotio lenit imperium. *5to. Diffidentia in viribus propriis, & confidentia in Divino auxilio.* Quod medium S. Fulgentius suasit dicens: Firmissimè tene, & nullatenus dubita, neminem hic posse pœnitentiam agere, nisi quem DEUS illuminaverit, & gratuitâ suâ miseratione converterit. Hinc Psaltes oravit: Converte nos DEUS salutaris noster. Et Ieremias: Posteaquam convertisti me, egi pœnitentiam. *Hactenus P. Lobner.*

S. Fulgen. de fide ad Petrum c. 31.

Psalm. 84. v. 5.

Jerem. 31. v. 19.

Quod concernit Tertium; scilicet Actus Poenitentiæ. Horum tres enumerantur, ad quos etiam alii reducuntur, nempe Dolor, Confessio, Satisfactio.

Dolor alius est *perfectus*, seu *Contritio*, *quâ quis detestatur peccatum, de eoquè dolet, quatenus est offensa DEI super omnia dilecti, ut in se summè boni.* Hic dolor includere debet amorem DEI, qui dicitur amicitiæ, seu charitatis, eumquè appretiativum, de quo *suprà cap. 3.* Nam alius amor ad spem pertinens, quo dolet homo ex amore DEI, non ut in se summè boni, sed quatenus summè boni homini, est imperfectus, nec sufficiens talis dolor ad salutem extra Sacramentum pœnitentiæ, quod specialiter notandum est, nè quis decipiatur, & imperfectum amorem ac dolorem pro perfecto æstimet, & usurpet. Deinde sciendum, odium seu detestationem peccati præcisè in se spectatum non, esse propriè actum pœnitentiæ. Etenim DEUS & Sancti propriè detestantur peccatum, non tamen propriè dicuntur pœnitere. Hinc dum Concilia, vel Patres, odium peccati asserunt esse actum pœnitentiæ, supponunt, ut admistum dolori de peccato. *Alius dolor est imperfectus, & appellatur Attritio, quâ aliquis dolet de peccatis, ut sunt offensa DEI, summè homini boni per gratiam & gloriam æternam* (quod pertinet ad spem) *Vel summè hominem punientis poenis futuri seculi* (quod spectat ad timorem) *Vel summè colendi* (quod pertinet ad virtutem Religionis) *Vel summè peccatum detestantis ob summam foeditatem & indignitatem* (quod pertinet ad specialem virtutem pœnitentiæ) &c. Ubi advertendum, ut Attritio sit

dolor

dolor supernaturalis, & sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ, necesse est, quatenus semper eliciatur, elevatus cum respectu ad peccatum, ut offensa est DEI; alioquin non erit verus dolor, requisitus, & ut eum oportet fieri ad salutem, ex quo est purè naturalis, nec in Sacramento pœnitentiæ ex attrito fiet contritus, nec remissionem accipiet peccatorum, imò sacrilegium committet (nisi excuset ignorantia) non ponendo ex parte sua essentiale requisitum veri doloris ad pœnitentiam. Quod notent diligenter Confessarii in rudioribus pœnitentibus, qui plerumquè dolent ex aliquo motivo temporali, vel naturali, ideo nec mirum, quod turmatim animæ cadant in infernum. Nec tanta est difficultas, dolere de peccatis, ut sunt offensa DEI, modò absit negligentia Confessariorum, & Curatorum animarum, informandi hoc in passu suos pœnitentes, vel subditos. *Motiva* comparandi Dolorem Pœnitentiæ sunt: Diligens meditatio novissimorum, fœditatis ac gravitatis peccatorum, DEI beneficiorum, Perfectionum DEI, quæ materiæ habentur sufficienter *tum alibi tum in 3. parte hujus Operis*, & passim in libris spiritualibus.

Actus 2dus Pœnitentiæ Sacramentalis est Confessio, quæ juxta Hostiensem *est legitima coram sacerdote, peccatorum suorum declaratio.* De ejusmodi Confessione sic loquitur *Tridentinum*: Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis, jure Divino necessariam esse: quia Dominus noster JESUS Christus, è terris ascensurus ad cælos sacerdotes suiipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferuntur, in quæ Christi fideles ceciderint, qui pro potestate clavium, remissionis, aut retentionis peccatorum, sententiam pronuntient. Constat enim sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ exercere non potuisse, nec æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non in specie potiùs ac sigillatim sua ipsi peccata declarâssent. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam

Trident. s. 14. c. 5.

habent

S. August. lib. 50. Hom. 12. habent, in confessione recenseri. Nam ut S. Augustinus ait: DEUS noster, qui pius est & misericors, vult ut ea confiteamur in hoc seculo, nè pro illis confundamur postmodum in futuro; *Eccl. 4. v. 13:* juxta sapientem, qui ait: Pro anima tua non confundaris dicere verum: est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.

Conditiones Bonæ Confessionis sequentibus versibus exprimuntur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, munda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata
Fortis, & accusans, & se punire parata.

Bibl. Man. Tit. Confess. Act. 9. Spec. Exemp. dist. 9. ex: 38. *Motiva faciendæ Confessionis ex P. Lohner.* Prædicante S. Paulo multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos. Dæmon quidam ex obsesso exire jussus dixit, tres esse in obsesso dæmones, quorum primus vocaretur *Claudens cor*, nè ipse possit peccator contritioem elicere: *2dus, Claudens os*, nè confessionem faciat. *3tius claudens bursam*, impediendo *Spec. Exemp. v. Confes. Exemp. 22.* restitutionem, & hunc plurimum efficere. *Aliud.* Cùm duo Patres Prædicatores, per castrum quoddam transeuntes, confessionem cujusdam mulieris audivissent, illius ex ore, quoties peccatum aliquod confessa est bufonem per os exire socius vidit, sed tamen singulos postea cum longè majori bufone redire, quia scilicet peccatum, quod undecim annis nunquam confessa erat, iterum suppresseret. Qua de causa paulò post suffocata, petentibus à DEO Prædicatoribus, ut statum hujus mulieris aperire dignaretur, terribili draconi insidens, & lacertas in capite, canes in manibus, bufones in oculis, sagittas ignitas in auribus, & ignem sulphureum in ore crudelissimo cum cruciatu patiens, postquam omnium horum tormentorum causas, varietatem scilicet peccatorum explicâsset, ex eorum oculis evanuit.

Actus 3tius Pœnitentiæ est Satisfactio, quâ punitur præteritum peccatum, & præservatur homo à futuro. Aliàs *Satispassio* dicitur,

tur, quæ consistit in patiendo mala, ut satisfactio in faciendo bona, ex intentione ulciscendi se de peccatis præteritis, & præmuniendi se à futuris.

Motiva ad satisfactionem ex P. Lohner accipe. *S. Ambrosius* advertit: qui agit pœnitentiam, non solùm diluere debet lachrymis peccatum suum, sed emendatioribus factis operire & tegere delicta superiora, ut non imputetur ei peccatum. Unde Sapiens admonuit: De propitiato peccato noli esse sine metu. Et Christus: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus inquit S. Chrysostomus? Si utique peccatis adversa faciamus. Aliena rapuisti? Incipe donare jam propria. Longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque usu conjugii suspendere. Iniuriam vel opere cuiquam, vel sermone fecisti? refer benedictionis verba convitiis; & percutientes te, nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore evellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Cur autem hanc satisfactionem requirat DEUS, & non omnem etiam pœnam cum culpa remittat, quatuor affert causas Marchantius nempe *Ima*: Quia sic Divinæ justitiæ ratio exigit, ut quemadmodum in Baptismo remittitur peccatum alienâ voluntate commissum, ideoquè etiam pœna relaxatur, ita post baptismum peccata propriâ voluntate commissa, etiam propriâ satisfactione castigentur & deleantur. *2da*: Quia alioqui liberiùs peccarent homines; cùm impunitas juxta S. Bernardum, sit incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix. Hinc Concilium Tridentinum ait: Procul dubio à peccato revocant, & quasi frœno quodam coërcent satisfactoriæ hæ pœnæ, cautioresquè & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt. *3tia*: Quia peccatorum reliquiis medetur, cùm vitiosos habitus contrariis virtutibus tollit satisfactio. *4ta* Quia ad augmentum meriti conducit, quod tum ex Obedientia, ex qua assumitur, tum ex ipsa Sacramenti efficacia & meritis Christi, cui per ejusdem satisfactionem conformamur, provenit.

Bibl. Man. Tit. Confess.
S. Ambr. l. 2. de poenit. c. 5.
Eccl. 5. v. 5.
Matth. 5.
March. t. 5. Candelab. prop. 1.
Conc. Trid. sess. 14. c. 8.

Praxis supplendi defectum Satisfactionis pro peccatis per Indulgentias.

QUoniam refrigescente charitate, & superabundãte iniquitate, multi non eam subeunt Pœnitentiam seu Satisfactionem, quæ aliàs à Canonibus describitur (de quibus aliquid dictũ supra) unde gravem sibi accumulant pœnam in purgatorio luendam. Igitur Mater Ecclesia connivens infirmitati suorum filiorum, defectum Satisfactionis aliàs debitæ supplet per applicationem Indulgentiarum. Itaque,

Indulgentia nil aliud est, quàm applicatio fidelibus Satisfactionum Christi, & Sanctorum, per summum Pontificem, ex justa causa, facta, ad supplendum defectum congruæ Satisfactionis pro peccatis. Etenim Satisfactio Christi, cùm sit infiniti valoris, tum cùm sint plurima supererogatoria Sanctorum opera ipsis ad Satisfactionem haud necessaria, recondunrur hæc in thesauro Ecclesiæ, cujus dispensationem suo Vicario Christus reliquit ad ipsius Ecclesiæ utilitatem. Unde etiam fit, quòd supremus Pastor Ecclesiæ, justas ob causas (quales censentur, ut Marchantius enumerat, non solùm gloria DEI in genere, sed & particularis necessitas Ecclesiæ, vel publica gravis utilitas. v. g. Pax Principum, extinctio bellorum, pii loci erectio, pauperum & miserabilium personarum subventio, hæresum extinctio; concilii universalis expeditio; placatio iræ Divinæ in pestilentia, fame, bello, schismatis sedatio, bellum contra hæreticos, Ecclesiarum visitatio, & Sacramentorum frequentatio, celebritas Sanctorum in canonizatione eorum) ex eodem sacratissimo gazophylacio reconditas salutis divitias distribuat per Christianum populum, ad ejus sublevandam in exsolvendis pœnitentiarum seu pœnarum debitis inopiam, quatenus hoc motivo animati fideles, eò alacrius concurrant in ponendis conditionibus orationum, jejuniorum, eleëmosynarum, visitationum Ecclesiarum, &c. ad effectum producendum illarum causarum, ob quas concessæ sunt indulgentiæ, v. g. ad impetrandam apud DEUM concordiam Christianorum Principum, extinctionem hæresum, exaltationem S. Matris Ecclesiæ, &c.

V. Marchant. Hort. Past. T. 5. de off. past. Lect. 3.

Varius modus est (ut Marchantius refert) Indulgentias conceden-

V. Marchant. citatum Lect. 2.

cedendi: quia variis modis juxta rationabilem causam, vult Ecclesia Mater & Pontifex, ut pius Pater, filiorum infirmitati condescendere. Sic interdum plenarias concedit Indulgentias, quæ totum pœnæ reatum tollunt, à quibus non differunt indulgentiæ Jubilæi, nisi in quibusdam privilegiis v. g. absolutionis à reservatis, dispensationis in quibusdam votis, electionis confessarii, & similibus. Interdum tertia, vel quarta, vel alia pars peccatorum remitti significatur, hoc est, pœna illi parti peccatorum debita, & consequenter pœnitentia, quæ ad illam expiandam necessaria foret. Interdum datur Indulgentia unius quadragenæ, & significatur remissio pœnitentiæ, quæ quadraginta continuis diebus in jejuniis, aliisquè laboriosis operibus, agenda fuisset. Quæ quadragena cùm acrior præscriberetur, ita ut solus panis & aqua pœnitenti relinqueretur, *Carena* dici solebat, quia scilicet carentiam omnium ferè ciborum observabat.)) Quandoquè eis proponit Indulgentiam centum vel mille annorum, vel septem annorum, vel alterius certi numeri dierum, vel annorum, quibus significatur remissio Pœnitentiæ, quæ tot diebus, vel annis secundùm Ecclesiæ ritum, & in ordine ad prudens sacerdotis arbitrium peragenda foret, si vita humana intantùm se extenderet: & consequenter remissio pœnæ Purgatorii, quæ Pœnitentiæ illi condonatæ correspondent. Antiquitus itaque certus numerus dierum vel annorum pœnitentibus injungebatur, ut se illo tempore in bonis & pœnalibus exercerent operibus. Licèt id nunc non servetur, tamen juxta magnitudinem & multitudinem peccatorum, talis pœnitentiæ debitores sumus. Et ita non sunt tanquam ridiculæ habendæ Indulgentiæ, quibus mille, vel plures anni conceduntur. Quia si Canonicam pœnitentiam spectemus, multi tot annorum pœnitentiæ debitores reperiuntur. Sed nunquid tales si careant Indulgentiâ, nec satisfecerint, tamdiu in purgatorio cruciandi sunt? Respondeo id non esse necesse, quia illa diuturnitas acerbitate & intensione pœnæ compensatur.)) *Ibidem.*

Quod concernit dispositiones & conditiones lucrandi Indulgentias. *1ma est.* Ut sit quis in statu gratiæ, conteraturquè tam de mortalibus, quàm de venialibus peccatis. Ratio est: quia per Indulgentiam remittitur reatus pœnæ, & ita supponitur *V. Marchan. lect. 4.*

tur culpa remissa; non enim pœna remitti potest absquè culpa, & qui inimicus DEI est, indgnus est tali remissione, quæ non datur nisi filiis, statumquè gratiæ & filiationis supponit.)) Hinc plerumquè inter conditiones lucrandi Indulgentias solet præscribi Confessio peccatorum. Quoad venialia verò: Nota quòd qui in peccatis venialibus est, & de illis non conteritur vel atteritur, potest lucrari remissionem mortalium, de quibus confessus fuit, vel contritus, remissionem quoquè illis pœnæ debitæ. Non tamen potest lucrari Indulgentiam absolutè plenariam, quia non dimittitur illud veniale, in quo voluntariè manet, nec pœna illi debita. Unde ipse impedimentum ponit, propter quod illa Indulgentia non est ei plenaria. Ex quo colliges frequenter fieri: ut quis plenariam Indulgentiam non lucretur, licèt Bulla ita sonet, quia frequenter fit, ut aliquæ personæ venialibus obnoxiæ sint, nec eis illa displiceant, seu potiùs complaceant, non obstante Contritione & Confessione mortalium.)) 2da *Conditio est.* Ut impleantur opera injuncta vel formaliter, vel æquivalenter iuxta tenorem Bullæ. Ut v. g. si jeiunium præscribitur, & jeiunare non possit, tunc quandoque committitur à Bulla Confessario ejusmodi jeiunium in aliud pium opus commutandi, & sic de aliis operibus. Ratio autem implendi opera, est, quia concessio Indulgentiarum censetur conditionata, & ideo conditio debet impleri, & quidem quantúm ad omnia opera in Bulla contenta.)) Sciendum verò est, quia is, qui ferventiùs opus præscriptum executus fuerit, ampliorem poterit quandoquè Indulgentiam lucrari, ut docet *Navarrus Tract. de Iubilæo* Nota. 13 & 14. Hinc patet quomodo intelligendum sit, quòd communiter dicitur: *Indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant.* Hoc enim intelligi potest primò negatiuè, hoc est: Non valent plus, quàm sonant. Si enim centum dies dantur, non plus conferunt, quàm centum dies. Secundò etiam positivè: Tantùm valent, quantùm sonant, si adsint conditiones necessariæ, authoritas in concedēte, operis præscripti debita adimpletio, charitas in suscipiente, iusta causa ad concedendum. Ex dictis inferunt Navarrus, Zerola, & alii, quandoquè fieri, ut non omnes æqualiter lucrentur Indulgentiam, quia non omnes operantur opus injunctum

Ibidem.

Ibidem lect. 4. propos. 2.

junctum, dum unus majore devotione, fervore, charitate, patientiâ peragit opus; alter longè inæquali & inferiori. Cauſa autem concedendi Indulgentiam multùm augetur vel minuitur ex modo eam adimplendi, & ſic poteſt fieri, quòd quis totam, alter mediam, tertius tertiam partem Indulgentiæ lucretur.

Motiva ſeriò Studendi lucrandis Indulgentiis. *1mum* eſt Meditari ac penetrare vim acerbiſſimarum & quandoquè diuturnarum Purgatorii pœnarum (de quibus alibi) ac ſimul cognoſcere ineffabilem eſſe ſtultitiam v.g. aliquot orationibus devotè abſolvendis poſſe te evitare pœnitentiam ſeptem annorum, quam aliàs iuxta Eccleſiæ Canones merueras ob aliquod peccatum mortale, vel horrendos cruciatus ignis purgatorii tolerandos annis ſeptem pro quopiam peccato lethali poſſe te evadere, & tamen negligere illas aliquot orationes, & te in periculum tantorum tormentorum conjicere. *2dum.* Exempla plura ſcribuntur eorum, qui ob Indulgentias vel totaliter, vel ex parte magna liberati ſunt à pœnis purgatorii. Sufficit nunc attuliſſe unum. Quædam mulier intenta lucrandis Indulgentiis in Eccleſia B. Mariæ de Portiuncula S. Franciſco conceſſis, peractis, omnibus exercitiis, mortua deinde apparuit ſociis peregrinis dicens; Nè quidquam timeatis, quia ad conſolationem veſtram „ vobis appareo & miſſa ſum à B. Virgine Domina noſtra, ut vo- „ bis indicem ad gloriam DEI, ipſiuſquè Virginis, me beneficio „ Indulgentiarum Eccleſiæ S. MARIÆ de Portiuncula, cæli libe- „ rum aditum habuiſſe ſine purgatoriis ullis flammis. *3tium.* Con- „ temptus Indulgentiarum fuit cauſa æternæ damnationis cuidam, ut legitur in vita S. Magdalenæ de Pazzis.

Sub veniali pecca. & p. 3. de pœnis purgatorii.

Ex tom. 1. Chron. Fr. Min. lib. 2. c. 5.

Praxis Lucrandi Indulgentias ex ſuprà dictis colligitur.

Actus Interni & Externi Pœnitentiæ ex Theſau. indef. Blaſii Palma.

I. POenitentis animi medullis, has identidem faces injice: *Heu me! quid cogitavi, quid dixi, quid feci demens? Peccavi contra rationem, contra conſcientiam, & in quem, & quis? Egonè vile & projectum cadaver, nihili homulus, re quavis tetrior, & nequior, auſus ſum, &*

quâ fronte impudens, in ipsius Numinis & Angelicarum mentium conspectu, scelere meo impetere Creatorem, qui me ex nihilo fecit; Redemptorem qui me suo sangvine refecit; DEUM meum, omne Bonum meum? Atqui stipendium peccati mors. Ah! quàm horrendum est, incidere in manus DEI viventis! Ergonè pro momentanea voluptatula infamis mercator, cælo contempto, æternos mihi ignium inferorum cruciatus comparârim! Ah! pudet me mei, etsi nemo alius conscius foret; quid verò erit, cùm toti olim mundo revelabuntur foeditates & turpitudines meæ? Sed quam immani ingratitudinis vitio scelus est à me perpetratum in eum, qui tot me beneficiis provexit, ac prosecutus est? Quid? tot beneficia contempsisse me! ô ingratissimum! quasi pedibus proculcâssem ejus sangvinem? O me crudelem! O ter impium! Crucifixerim ego Te toties bone JESU & patiaris? imò brachia extendas ad amplexum, caput submittas ad oscula? O infinitam bonitatem! poenitet me scelerum meorum, non tam quia cælum perdidi, inferorumvè ignes commerui; sed quia Te optimum Patrem meum offendi, qui non modò non punis; sed etiam vocas, & ut veniam petam, jubes; minimè id jussurus, nisi parcere velles. Et ecce prostratus coram Te tanquam filius prodigus, nunc clamare incipio: Pater peccavi in cælum & coram Te, non sum dignus vocari filius tuus, sed tu miserere Pater.

II. Ubi incalescere animum senseris, mox in has vivi doloris flammas prorumpes; *O benignissime DEUS meus! ô suavissime JESU! doleo ex intimo corde, quòd majestatem tuam, ac bonitatem infinitam peccatis meis offenderim, quam debeo, & nunc volo amare, amoquè super omnia, idq; quia Tu es DEUS infinitè potens, sapiens, sanctus, & bonus: cui peccatum supra quam dici potest, summè displicet, & adversatur. Quare propter hunc tui amorem firmiter etiam statuo non ampliùs Te offendere, omnes peccandi occasiones fugere, ritè confiteri, poenitentiam implere, omne id, ad quod obligor, restituere. Imò ut pleniùs satisfaciam, remitto nunc ex animo, si quis me unquam offenderit, mequè totum tibi offero, simulquè omnia, quæ mihi toleranda erunt, vel agenda: Atque suppliciter peto veniam delictorum meorum; ita spero fore per meritum pretiosissimi sangvinis tui, bone JESU, ut impetrem quod peto, tuâuè adjuvante gratiâ vitam corrigam, & ad mortem usquè in tuo servitio perseverem Amen JESUS.* Hunc actum elicies Manè, in Missa, Vesperi, & quoties in peccatum lapsus fueris, valet enim ad gratiam DEI recuperandam &c.

Ut injuriam per peccatum Divino Numini illatam vindices, pœnamquè debitam imminuas, tu de teipso supplicium sume; atquè in primis à mensa non delicias tantùm ablegabis, sed sublatis convenientibus etiam cibis, nonnihil diurno dimenso subinde genium defraudabis. Sunt ex pœnitentibus, qui carnibus tantùm; sunt qui pluribus refectionibus duntaxat abstinent: quidam solo pane & aquâ diem transigunt. III.

De somno, & strato submoveas non modò quæ ad luxum & mollitiem pertinent: sed etiam negabis, quod cæteroqui naturæ videri posset opportunum, sed minus necessarium. Huc faciunt vigiliæ humiquè & aliæ duriusculæ cubationes. IV.

Corpus ipsum propiùs pressiusquè afflictabis, iam voluntariâ aselli tui diverberatione, quæ tamen potiùs cutem perstrictim mordeat, quàm fodicet altiùs ac vulneret: jam cilicinis aut thoracibus, aut cingulis è seta pecudum pilovè horrentibus. Sed in his austeritatibus modum prudentia, virquè cordatus præscribant. Nihil æquè facilè quàm ab animo pœnitente sacram lineam transiliri, nisi modum serves. V.

Vide quoquè Actus poenitentiæ supra l. 2. tra: 1. c. 1. sec. 2. § 5. & sec: 4. subs: 1. §. 3. sub. praxi medit:

NB. *Adnitere vel maximè, ut ex S. Odio tuiipsius tanquam Offensoris DEI, super omnia dilecti, in vindictam ejus Offensarum, Poenitentiæ actus exerceas internos & externos. De quo Odio sui vide præcedentem section. §.*

SECTIO VII.

De Oppositis Pœnitentiæ.

PRimò opponitur *Falsa Poenitentia.* Qualis fuit Esau de quo Apostolus: *Nequis fornicator aut prophanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. Scitote enim quoniam & postea cupiens hereditare benedictionē reprobatus est: non enim invenit poenitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.* Et Antiochus Rex, crudelis persecutor Iudæorum, *percussus à DEO insanabili, & invisibili plaga, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta. Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Igitur homicida & blasphemus pessimè percussus, & ut ipse alios tractaverat, peregrè* Hebr. 12. 2. Machab. 9.

peregrè in montibus miserabili obitu vita functus est. Uterquè horum quia non tam doluit se offendisse DEUM, quàm incurrisse graves pœnas, ideo pœnitentia ejusmodi falsa, indigna fuit reperire misericordiam apud DEUM.

Job. 24. 2do opponitur *Impoenitentia.* Contra quam *Job.* Dedit ei DEUS locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam. *Eccl.* Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus DEI, & non in manus hominum. Iam verò *Apostolus* dicit: Horrendum est incidere in manus DEI viventis. *Eccl.* Non tardes converti ad Dominum, & nè differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. *Apoc.* Et dedit illi tempus ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere. *S. Augustinus*: In tribunal mentis tuæ ascende contra te: & reum te constituito ante te, noli te ponere post te, nè D E U S te ponat ante te. *Idem*: Noli negligere quòd nos pius Dominus peccantes sustinet: quia quantò diutiùs expectat ut emenderis, tantò graviùs judicabit, si neglexeris. *S. Chrysostomus*: Non dolere quia peccaveris, magis indignari atquè irasci facit DEUM, quàm illud peccatum, quod ante perpetraveras.

Eccl. 2. *Hebr. 10.* *Eccl. 5.* *Apoc. 2.* *S. August. in lib. de utilitate agend. poenit.* *Ibidem.* *S. Chrysost. in Matth.*

Denique Impœnitentia seu Obstinatio in peccatis, est peccatum contra Spiritum S. irremissibile & in hoc, & in futuro seculo: quia ultimum naufragii post peccatum refugium, tabulam pœnitentiæ à bonitate Divina oblatam rejicit, unde necesse est talem mergi in profundum æternæ damnationis.

l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3. In *Praxi* contra opposita Pœnitentiæ iuxta supradicta te exerceas, modo proportionato agendo.

SECTIO VIII.

De Abnegatione, seu Mortificatione suiipsius.

Mortificatio est virtus generalis, quâ homo vitia propria, morte spirituali conficit. Dicitur; *Virtus Generalis*: quia in re, eadem ipsa est cum aliis virtutibus, quæ sibi contraria vitia expugnant, & nisi solo nomine generali mortificationis ab ipsis differt. Quid enim aliud fides ut reprimens infidelitatem, spes desperationem, charitas odium, iustitia injustitiam, temperantia

rantia intemperantiam &c: Nisi actus mortificationis, seu mortificandorum vitiorum insurgentium, v. g. infidelitatis contra fidem, desperationis contra spem, intemperantiæ contra temperantiam &c? Dicitur; *quâ homo vitia*, non modò secundùm actum, nè in eum prorumpat, verùm & secundùm habitum, ea *spirituali morte conficit.* Sicut enim morte corporali quis dicitur confectus, quando violenter ablato principio vitæ nempe animâ, vitales operationes sensationis ampliùs, non exercet; ita etiam spirituali seu morali morte homo vetus perimitur, dum per violentiam quandam discretam principia malæ seu vitiosæ vitæ, id est inclinationes vitiorum ad actualia peccata auferuntur. Dico; inclinationes vitiorum: non naturales & congenitas nobis, ut sunt fomes peccati, seu appetitus sensitivus, & ex eo procedentes passiones, horum enim vitiositas, etsi per mortificationem minui, tolli tamen nisi ex speciali privilegio DEI nequit; verùm loquor hìc, sicut de diminutione vitiositatis passionum, ita de habitibus vitiorum acquisitis, inclinantibus ad vitalitatem seu vivacitatem mortiferam, studio mortificationis radicitùs eliminandis.

Abnegatio sui dicitur Negatio sibi eorum, ad quæ vitiosè aliquis inclinatur. Quæ negatio cùm sit afflictiva & ablativa tum habitûs, tum actûs vitiorum, coincidit cum Mortificatione, solo nomine discrepans.

Mortificatio vel Abnegatio alia est Interior, alia Exterior. Sita est *Interior* in diminutione fomitis peccati, in extinctione habituum vitiosorum, & repressione actuum internorum malorum. *Exterior* tum in refrænatione interioris inclinationis ad actus exteriores vitiosos, tum in destructione habituum & actuum, qui magis extrinsecè, quam intrinsecè videntur afficere hominem, qualis v. g. est Immodestia exteriorum motuum & gestuum corporis. Deinde mortificatio octopliciter partitur secundùm divisionem materiæ, circa quam versatur. Etenim mortificanda sunt 1*mo.* Corpus lasciviens; seu gula, atque luxuria 2*do.* Sensus exterior pruriens; seu curiositas, & immodestia in visu, auditu &c. 3*tio.* Cor inficiens; seu avaritia, ira, invidia, acedia. 4*to.* Sensus interior deludens; seu otiosæ cogitationes. 5*to.* Multiplex affectus effrænis; seu passiones per omnia vitia.

6to. Memoria vaga, nempe per otiosa & malitiosa. *7timo.* Intellectus insipiens in imprudentia, mutabilitate, temeritate, inconstantia, &c. *8tavo.* Voluntas terrenis adhærens per eorum amorem &c. Verùm quia de horum & similium singulis, eorum describendo essentiam, proprietates, tum Motiva, & Praxes ipsa evitandi dando, infrà exactè actum est, nè videamur actum agere, hìc de illis minimè agere necessarium est.

Illicia Mortificationis, vel Abnegationis suiipsius. *1mum. Christus:* Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam (*quoad habitus, & actus vitiosos, vel per martyrium quoad vitam animalem*) Qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. *Apostolus:* Hoc sciens, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo, scientes, quòd Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel, quòd autem vivit, vivit DEO. Ita & vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem DEO in Christo JESU Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. *Idem:* Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur. *Idem:* Deponite vos secundùm pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm DEUM creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.

Matth. 16. *Rom. 6.* *Gal. 5.* *Ephes. 4.*

2dum. S. Augustinus: Moriar, nè moriar. *S. Basilius:* Cùm Dominus noster JESUS Christus, post multa documenta ad omnes loquatur ac dicat: Si quis venit ad me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. *Item:* Sic igitur quicunque ex vobis non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest

S. Basil. Magnus in Regul. fusiùs disputatis q. 8.

meus

meus esse discipulus. Nos præceptum hoc ad plura arbitramur pertinere, quorum necessaria alienatio sit. Nam & diabolo renunciamus imprimis, itemque carnis affectibus, qui abdicavimus occulta dedecoris, consangvinitatibusquè ac famliaritatibus, quæ cum hominibus nobis sint, similiterquè consuetudini etiam vitæ, quæ perfectioni Evangelicæ satis adversatur. Et quod his omnibus magis necessarium est, quilibet sibi ipsi renunciat, qui exuit veterem hominem cum actibus suis, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. *S. Augustinus*: Si perit homo, amando se, profectò invenitur negando se. *S. Gregorius*: Nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat, nec valet apprehendere, quod ultra ipsum est, si nescierit mactare quod est. Sic olerum plantæ transponuntur, ut proficiant: atque ut ita dixerim, eradicantur, ut crescant. Sic semina rerum in terræ admixtione deficiunt, ut in reparatione sui generis uberiùs assurgant. Unde enim videntur perdidisse quod erant, inde incipiunt apparere quod non erant. *Cassianus*: Mortificatione voluntatum extirpantur atque marcescunt universa vitia; expulsione vitiorum virtutes fructificant, atque succrescunt; pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur; puritate cordis Apostolicæ charitatis perfectio possidetur. *S. Bernardus*: Genus Martyrii est, inquit, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. *Idem*: Salvatorem siquidem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Quid adhuc murmuras caro misera, quid adhuc recalcitras, & adversus spiritum concupiscis, si te humiliat, si castigat, si redigit in servitutem, id profectò in tuo genere non minùs tua interest, quàm ipsius)) *Axiomata Spiritualis Mortificationis*: Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris. *Aliud*: Tantùm virtuti adjicies, quantùm voluptati detraxeris. *Aliud*: Tantùm quisquè vivit DEO, quantùm moritur sibi. *S. Bernardus*: Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur exstincta, sopita denuo excitantur. Parum ergo est semel putâsse, sæpè putandum est, imò si fieri potest semper, quia semper quid putari oportet, si non dissimulas, invenies. *S. Climacus*:

S August. serm. 77. de diversis.

S. Greg. Magnus in Evang. hom. 32.

Cassian. lib. 4. Instit. c. 43.

S. Bern. serm. 2. de Verb. Isaiæ.

S. Bernardus super Cant.

S. Clima. ferm. 13. de verb. Dom. macus: Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frænare, interimere. Hæc est actio nostra, hæc est militia nostra.

2. Cor. 4. *3tium ab Exemplis.* I. Apostolus inquit: Semper mortificationem JESU (*non quòd JESUS mortificaverit sua ulla vitia, quibus caruit, sed quòd mortificatus apparuerit ad similitudinem nostram*) in corpore nostro circumferentes, ut & vita JESU manifestetur in corporibus nostris. *1. Cor. 9.* *Idem*: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, nè fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.)) *Exempla ex Biblioth. Man. P. Lohner Tit. Mortificatio.* II. S. David, cùm valde desiderâsset aquam de cisterna Bethleem, postquam allata est, noluit bibere, sed Domino illam libavit. *1. Paral. 11. v. 17. & 8:* III. S. Macarius Alexandrinus mortificandi sui causâ toto septennio nihil præter cruda olera, vel legumina humectata sumpsit: totis viginti diebus & noctibus tectum non ingressus est, ut somnum vinceret, cùm interdiu quidem æstûs ardore, noctu verò algore rigeret. *Palladius in Hist. laus. c. 20.* Ad humiliandum se solitus est duorum modiorum spartam arenâ plenam, humeris impositam per totam solitudinem portare. IV. S. Polychronius mortificabat se aspero cilicio, viliquè & nullius pretii vestitu, tamquè inopem ducebat vitam, ut nec necessarium quidem semper haberet nutrimentum, ac noctem totam vigil in precibus, stans consumeret. *Theodor. in Hist. relig. c. 24.* Ad augendam mortificationem habebat in cella truncum ingentem è quercu (quem Theodoretus vitæ scriptor fatetur se duabus manibus vix potuisse tollere) eumquè noctu diuquè humeris imponebat, & sic in oratione persistebat. V. S. Edmundus Cantuariensis Episcopus, non tantùm zonâ, sed etiam calligis utebatur cilicinis, solo pane viliquè cibo contentus, nec carnes comedebat, sitim eò usquè tolerabat, ut labra dirumperentur; ad quietem nocturnam capiendam, nec lodicibus nec stragulo, sed propriis tantùm vestibus tectus considebat, idquè per 30 annos, etiam ad Archiepiscopi dignitatem evectus, continuabat. *Surius Novembri.* VI. S. Antonius cùm in adolescentia maximas pœnitentias fecisset, multisquè annis incredibiles pugnas cum dæmonibus sustinuisset; quando ad extremam senectam, in qua aliquid quieti dandum videbatur, pervenit, revocare cœpit omnia pristina pœnitentiæ exercitia ad dandum bonum *S. Athanasius in ejus vita.*

exemplum

exemplum aliis quibuscum versabatur. Idem S. Franciscus Seraphicus faciebat. VII. Cùm quidam ex antiquis Patribus nullum corporis affligendi modum teneret, ideoquè ab aliis de rigore temperando moneretur, respondit ille: Mihi credite, filii, si & locus, & status, conditioquè Beatorum in cælis dolorem aliquem admitteret, displicentiævè alicuius capax esset, profectò hoc unum maximè dolerent, quòd plures & graviores affligendi se, mortificandiquè occasiones non quæsivissent. VIII. S. Antonius quondam rogatus, quomodo totas noctes orando transigere posset? respondit: Scias, mi frater, tamdiu me latuisse, in quo vera contemplatio sita sit, quàm ullam mei ipsius habui rationem; ubi verò inquietis motibus mentem purgavi, & ab omni terrena concretione segregatum cor ad superiora transtuli, mox degustare cœpi mirificum illum Divinæ voluptatis fructum, qui cælestium rerum contemplatione à perpurgatis animis percipi solet. IX. S. Dorotheus cùm mox ab initio sui in Religionem ingressûs, totus in abnegationem voluntatis, aliarumquè affectionum inordinatarum incubuisset, ideoquè ob summam, quam inde percipiebat animi tranquillitatem, dubitans, num rectâ viâ incederet, à Patre Spirituali consilium peteret, respondit is; sine metu eum esse posse, tranquillitatem quippe eam ex mortificandi studio natam, ejusdem mortificationis præclarum esse fructum. X. P. Leonardus Lessius S. J. adeò rerum magnarum aviditatem extinxerat, ut diceret universum mundi desiderium è corde suo esse ablatum, hinc cúm Romæ, aut alibi subinde occasionem haberet, multas res curiosas videndi, constanter eam abnegabat, mentisquè animositatem, quam bilis commota sæpè in iram excitabat, adeò compressit, ut columbinâ eum modestiâ sine felle diceres. Aiebat; carnem blandè vulpeculari, proinde dolos ejus, sedulâ indagatione retegendos, petulantiamquè constanti fræno compescendam, id quod ipse assiduus faciebat; hinc quotidiana flagella, complura jeiunia, & cilicia usurpabat, adultâ hyeme ignem vitabat, oblata solatia morborum respuebat, aut si assumere necessarium foret, dulcedinem prius piâ cogitatione, aut aliâ simili ratione temperabat. Rogatus cur adeò in se severus esset? respondit, eò quòd, dum morti-

Lib. 1. in vita c. 42.

In vit. PP.

Vit. P. Gonzal. Sylu. l. 3. c. 5.

Arrias de Mortif. c. 15.

Vit. c. 12.

ficationes fugimus, ultra nos ipsæ Divinâ dispositione insequantur.

Plato in Phædone. *4tum. Exempla Profana.* Socrates immotus cælo immiti, ab uno solis ortu ad alterum eodem in loco persistebat, vestitu utebatur vili, lacero, & pervetusto, injurias & contumelias uxoris, quæ lotio illum etiam perfundebat, æquissimo ferebat animo. *Aliud.* Plato tam sobriè vivebat, ut sæpè semel tantùm de die cibum *Diogen. Laert. in vita.* sumeret, patrimonium suum fratribus relinquebat, honores in Republica nunquam ambiebat, iniurias à Dionysio Syracusano *Laertius in vita.* illatas placidissimè ferebat. *Aliud.* Diogenes herbis & crudis carnibus vescebatur, veste abjecta utebatur, dolio pro domo utebatur, hyeme nudis pedibus nives calcabat, & statuas nive coopertas amplectebatur, pluvio cælo imbres etiam maximos excipiebat. *Sozomenus.* *Aliud.* Theodosius Arcadii filius per Bithyniam fervente cælo iter faciens, cùm miles phialam frigidâ plenam obtulisset, eum remuneratus vas reddidit, sitimquè cum sociis tolerare maluit. *Aliud.* *Curtius lib. 7.* Alexander Magnus per loca arida exercitum ducens, oblatam aquam ante pedes effudit. *Aliud.* Solimanus Turcarum Imperator, cùm ex monte Salahia urbem Damascenam situ loci, palatiorum amœnitate, & omni deliciarum genere abundantem conspexisset. Salve, inquiebat, terrestris paradise, alteque ingemiscens subjungebat: Cùm mihi pulchra hæc civitas cælesti munere donata sit, non ingrediar eam, veritus nè cor animumquè mihi surripiat, quo cæli cælestiumquè obliviscar, quibus dictis recessit, & nunquam eam vidit.

In Praxi pro Mortificatione, seu abnegatione suiipsius *S. Bern. serm. 85. in Cant.* hæc *ex Bibl. Man. P. Lohner Tit. Mortif.* Observanda.

I. *Oratio.* Sic suasit *S. Bernardus* dicens: Id quidem (nempe contra seipsum indefatigabiliter prœliari) durum, si tuis obtemperaveris viribus, tale erit, ac si in uno digitorum tuorum torrentis impetum sistere, aut ipsum denuo coneris Jordanem convertere retrorsum. Quid facies? Quære Verbum cui con- *Phil. 4. v. 13. 1. Cor. 15. v. 10.* sentias, ipso faciente, ut consentias. Fuge ad illum, qui adversatur, per quem talis fias, cui jam non adversetur, ut blandiatur, qui minabatur, & sit ad imitandum efficacior infusa gratia, quàm incensa ira. Hinc meritò *S. Paulus* dixit: Omnia possum in eo, qui me confortat. Non ego autem, sed gratia DEI mecum.

II. *Seria*

II. *Seria resolutio.* Hoc medium senex quidam suasit, dum quærenti cuipiam, unde fieret, quod, cùm tantùm perfectionis consequendæ desiderium sentiat, tam parum tamen in eo studio proficiat? respondit, id unicè ex defectu seriæ, & cordatæ resolutionis contingere. *Rodriq. part.2. Tr.1. c.12.*

III. *Exercitatio assidua.* Ut enim qui in arte militandi, vel digladiandi excellere cupiunt, priùs privatim se per ludicra certamina exercent, ita idem faciendum ei, qui in arte mortificandi perfectus evadere cupit. *Ibidem c. 13.*

IV. *Amor DEI.* Fortis enim est ut mors dilectio: quia sicut mors corpus interimit; sic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ charitas occidit: nam quem perfectè absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit. Hinc Apostolus exclamat: Quis nos separabit à charitate Christi? *S. Greg. super Evang. Hom.11. S. August. Epist. 143. ad Demet.*

V. *Spes præmii.* Nam omne opus teste S. Augustino leve fieri solet, cùm ejus pretium cogitatur, & spes præmii solatium est laboris. Hinc meritò *S. Paulus.* Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Sed & *Basilius*: semper cor tuum promissa cælestia meditetur, ut ipsa te ad virtutis viam provocent. *1. Cor. 9. v. 25. S. Basil. in admon. ad filium spirit.*

VI. *Exempla secularium considerare,* illudquè S. Augustini sibi de his dictum applicare: Potuerunt isti, & istæ (milites, mercatores, agricolæ, aulici, pauperes, ægri) & tu non poteris? *Arrias Tract. de Mortif. part. 3. c. 10*

VII. *Victoria frequens in minoribus rebus.* Uti Eusebius, teste Theodoreto faciebat, causamquè hujus studii rogatus, respondit, quòd hac ratione, & graviores tentationes in leviores convertantur, & in his, si quis succumbat, parum deperdat; si verò vincat, diabolus magnopere confusus recedere cogatur, utpote videns, se nè in parvis quidem de tali homine triumphare posse. *In sua Hist. relat.*

VIII. Sex potissimùm sunt capita, quæ de hac virtute benè addiscere, aliis inculcare debet Asceta. *Primum* est: ut benè addiscat naturam, & substantiam Mortificationis, quæ quidem in eo ferè consistit, ut inferior animæ pars seu appetitus sensitivus superiori ejusdem animæ parti, id est, rationi perfectè subjiciatur; & sicut homo per peccatum spoliatus est gratuitis (id est donis

1. part. 2. v. I. c. 2. donis supernaturalibus) vulneratus in naturalibus (id est imaginationem nactus inconstantem, memoriam dispersam, intellectum obscuratum, voluntatem ad malum proclivem, & ad bonum langvidam) ita mortificationis beneficio duplex hoc malum à se removeat, seque in antiqvum justitiæ originalis statum, quoad cum Divino auxilio fieri potest, reducat, nè alioqui sensualem suum appetitum secutus, in se verificet illud Propheta: Psalm. 48. v. 13. Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. *Secundum est*: ut bene apprehendat axioma illud à Christo propositum, cui tota mortificationis praxis innititur: Qui amat animam suam, perdet eam; & qui perdiderit animam suam, propter me, inveniet eam. Quod scilicet odium sui, quoad inferiorem partem, sit verus amor sui quoad superiorem partem, quatenus per hoc odium procuratur animæ verum ac summum Bonum, quod est beatitudo, cujus etiam corpus olim suo modo fiet particeps. Unde, qui sic se odit, perinde censebitur agere, ac is, qui ut vitam salvet corporis, illud incidi & uri patitur, multaque ab eo desiderata obiecta negat, cùm è contrario alius omnia appetitui suo vitioso concedens, & per hoc sanitatem magis destruens, veriùs se odisse dicatur. *Tertium est*: ut sciat quem ordinem in Mortificationis exercitio observare debeat, nimirum ut 1. In rebus ultro obvenientibus, sive ex rigore superiorum, sive ex imperfectione fratrum, sive difficultate officiorum id contingat, mortificare nos discamus. 2 Ut inde gradum ad res necessarias, id est ab observatione mandatorum aut regularum impedientes, faciamus. 3. Ut etiam in licitis nos mortificare assvescamus. 4. Ut opera ex obligatione obeunda, non ex necessitate, aut ex consvetudine, sed unico voluntatis & beneplaciti Divini implendi desiderio peragere studeamus. *Quartum*: ut solitam discat praxim hoc mortificationis exercitium fructuosè instituendi, quæ quidem in tribus ferè præceptis consistit. I. Ut non conjunctim, sed per partes hoc studium arripiat, nam ut benè advertit *Macarius*: Quemadmodum in utero imperfectus infans, non quamprimùm crescit in hominem, sed paulatim formatur & gignitur; ita in rebus quoque Spiritualibus paulatim augetur homo, evaditque in virum perfectum,

fectum, & plenitudinem ætatis. Certè ipse DEUS mundum non in uno (ut tamen æquè facilè potuisset) sed sex diebus produxit, ut vel suo exemplo prudentem in studio perfectionis maturationem doceret. II. Ut initium fiat ab iis, quæ validius nos occupant, & graviora mala accersunt. Ita *Cassianus* suasit his verbis; *Collat. 5. c. 14.* Ita adversus vitia arripienda sunt prælia ut unusquisquè vitium, quo maximè infestatur, explorans adversus istud arripiat principale certamen, omnem mentis curam ac solicitudinem erga illius impugnationem observationemquè defigens. Cùm ab eo se senserit absolutum, rursum latebras sui cordis simili intentione perlustret, atquè exploret, quam sibi inter reliquas passiones perspexerit duriorem, atquè adversus eam specialiùs omnia spiritûs arma commoveat. III. Ut discretè hoc negotium assumat; nam ut sapienter advertits. *Gregorius*, sic necesse est, ut arcem conti- *S. Greg. lib.* nentiæ teneat, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat: nam *30. Moral. c. 28.* plerumq: dum plus nimio caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoquè vel prædicationem non sufficiat, dum incentiva vitiorũ in se funditus suffocare festinat. Optimus est in omni re, modus, & laudabilis ubique mensura (inquit rectè *S. Hieronymus*) corpus non frangendum, sed regen- *S. Hieronym. ad Demet. Virg.* dum est. Regulam autem pro hac discretione optimam assignat S. *Augustinus*, dum enarratis gravioribus Sanctorum sui ævi pœnitentiis subiungit: Charitas præcipuè custoditur, *S. August. in lib. de Mori. Ecc. c. 13.* charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur, hanc si quis offendit, uno die durare non sinitur. Sciunt hanc ita commendatam esse à Christo & Apostolis, ut si hæc una absit, inania, si hæc adsit, plena sunt omnia. Quintum est, ut fraudes diaboli in hoc studio occurrentes benè intelligat, & prudenter declinare studeat. Pro quibus dignoscendis, noverit triplex esse hominum genus ejusmodi fraudibus obnoxium. Primi sunt, qui naturâ difficili præditi, gravem ad virtutes exercendas repugnantiam sentiunt, ideoquè ruinæ se proximos arbitrantur. Quibus proinde sæpe illa Doctorum, & SS. Patrum regula: *Non nocet sensus, si absit consensus*, obiicienda est. Alii sunt, qui quia naturaliter sortiti sunt animum bonum, nullam in ulla prope re difficultatem sentiunt, qui proinde monendi

sunt, nè propterea altum sapiant, aliosvè despiciant, aut socordiæ occasionem arripiant, sed potiùs infirmitati suæ atquè fragilitati adscribant, quod in graves tentationes cadere non sinantur. Ultimi sunt, qui altissimâ pace non propter virtutis studium, nec propter naturæ bonitatem obtentâ fruuntur, sed quia omnia indulgent appetitui, quibus propter id, quod senior quidam similis genii Monacho dixit, exprobrandum est. Similis es portæ, per quam quivis vult, ingreditur, & egreditur, absquè eo, quòd sciat, quid jutus geratur, unde quia hostibus omnia patent, in perpetuo versantur animæ periculo: quod tunc primùm intelligent, quando ut avis laqueis irretita, avolare voluerint.

Actus Interni Mortificationis.

1. *Obsecro Domine, ut Mortificationem JESU in corpore meo semper circumferam.*

2. *Absit à me Domine, ut cadaveri meo abominabili, vel animo vitiis detestabili, in aliquo indulgeam.*

3. *Benè, optimè; quòd ego creatura nihilo & peccatis odibilis, aliqua patiar. Amplius Domine, amplius doloris permitte, infige.*

4. Dum tentaris ad aliquid mali, increpa teipsum: *O te omnium creaturarum fæcem & abominationem! adhuc amplius cupis sordescere?* Vel: *O me verè malignum! qui malo igne concupiscentiæ, sive malitiæ incendor.* Vel: *Itane, O Insane! pro momentaneo, quod delectat, placebit æternum, quod cruciat?* Vel: *Heu extremam dementiam meam! pro fumo gloriolæ, pro luti flavi aut albi* (illud est aurum, hoc argentum) *lucello, pro sterquilinio valuptatulæ, cupere æterno resignare Cælorum Regno!* Vel: *Absit à me, O Summum Bonum, & Pulchrum! ut Te offendam ego Creaturarum probrum.* Vel ejusmodi intercisis verbis te invades: *Sile o maledicte! O me infortunatissimum mortalium! quousque talia patiar?* Sive: *Quid bestia denuo incipis?* Sive: *Quid agis effrænis bellua?* Sive: *O te Cloacam omni foetore plenam!* &c.

Alios Actus vide supra I *2. tra. 1. c. 1. sec. 2. § 5. & sect. 4. subs. 1. § 3. Vide etiam suprapofita, & illa hic convenienter applica, Ibidem subs. 2. §. 2. & 3.*

Actus Mortificationis ex P. Lohner Bibli. Manual. Tit. Mortificatio.

PRimus. Sensus suos & potentias externas, puta oculos, aures, gustum, odoratum, tactum, non modò ab illicita operatione & delectatione cohibere, sed etiam ultro objecta illis adversantia & ingrata amplecti.

2dus Lingvam ab omni noxia, inutili, aut frequenti locutione coërcere.

3tius. Memoriam à vanis, importunis, & illicitis cogitationibus aut phantasiis avertere.

4tus. Intellectum à rebus inutilibus, aut noxiis addiscendis, aut discutiendis cohibere, atque ad judicium suum aliis submittendum adigere.

5tus. Voluntatem ab omni amore proprio, inordinato coërcere, eandemquè DEO & hominibus quandocunque honestè fieri potest, conformare.

6tus. Passiones animi, amorem præcipuè, & odium, gaudium, & timorem, & iram, nè extra rationis & voluntatis Divinæ semitam evagentur, & abripiant, studiosè refrænare.

Actus Mortificationis Interioris à P. Gaspar Druzbicki Soc: JESV in vita sua exerciti.

HIc Vir virtutis instruxerat contra se, vel potiùs pro se duodenam mortificationum internarum aciem, eamquè per duodecim totius anni menses, disposuerat; optimè arbitratus, internos animi hostes faciliùs superari posse, si duellari prælio cum illis concertetur, quàm si turmatim omnes impetantur.

In Januario itaque, vincere nitebatur Æstimationem suiipsius his modis. I. Crebrò in diem exuebat se coram DEO totâ honoris, & famæ curâ, abdicabatquè à se jus omne ad illam procurandam, & tradebat illud omni creaturæ, verbis illis S Augustini. *Senti de Augustino quidquid libet* &c. II Intentus ad id erat, nè quisquam aliquid in laudem ejus, vel ille ipse in laudem propriam diceret. III. Non cupiebat scire, vel audire de se, suisquè rebus, talentis, gestis, judicia, sensus speciosos, & amplos.

Mortificatio Æstimationis suiipsius.

IV. Petebat à DEO, (si ita ei placeret) humilem atque infimum inter omnes gradum, abjectamquè omnium de se opinionem, & ad externos etiam evulgationem. V. Speciali reflexione respiciebat occasiones vilificandi se, in oculis aliorum, absque censura vanitatis, & vitio affectationis. VI. Si quid æstimationi propriæ contrarium acciderat, de eo, coram Infante Verbo pro nobis facto contemptibili, gaudebat, & triumphabat.

Mortificatio Libertatis propriæ.

In Februario, subdere specialiter adlaborabat Libertatem voluntatis propriæ, & independentiam in agendo, his modis. I. In rebus voluntati, atque libertati propriæ commissis, hoc potiùs agebat, quod aliis videbatur, quàm quod sibi, quodquè repugnabat inclinationi suæ, quàm quod arridebat. II. Amabat alienum judicium & sensum præsertim Superiorum, quorum directioni instar pueri rudis, senisvè bajuli, aut peregrini ignorantis, in simplicitate acquiescebat. III. Declinabat ab illa benevolentia, qua propriæ voluntati, & arbitrio permitteretur agere, quod vellet, esse ubi vellet &c. perindequè hoc censebat, atque à DEO & providentiæ ejus regimine exclusus esset, ac in sensum reprobum datus, & in desiderium passionum, inquè infrunitum, & irreverentem animum traditus. IV. Libertatem suam sibi relictam, similem putabat hederæ, aut viti non alligatæ palo: item membro luxato, & extra sedem suam nativam constituto. V. Providentiam Divinam, in omni eventu, ordinatione, seriè venerabatur, eandemquè dulciter expendebat in quotidianis rebus, etiam minimis, & ea dulcedine pascebatur. VI. Curabat omnia, tam imperata, quàm spontanea peragere, amplectendo spontaneâ voluntate imperium.

Mortificatio Amoris proprii.

In Martio, Amorem proprium abnegare curabat, his modis. I. Peculiariter attendebat, nè uteretur cum sensu, & respectu ad se, illis vocibus; *Ego, Meum, Me &c:* II. Exercebat se in odio sui, & increpatione, atquè maledictione, ac exprobratione nequitiæ ac miseriæ propriæ. III. Nullam rem, nullum opus, nullum successum sibi adscribebat, sive voce, sive mente, nec cupiebat sibi adscribi ab ullo. IV. Nulli rei, officio, personæ, commoditati affici curabat. Et identidem omnia prædicta præcurrens, reflectebat se, an aliquid ex his habere vellet, aut aliquid adimi nollet. V. Nihil boni sibi deberi, si autem aliquid boni sibi præsta-

præstabatur, id ex mera commiseratione præstari sentiebat. VI. In nulla re defensionem sui, aut ultionem quærebat, & si aliquando quæsivit, ejurabat. VII. Gaudebat dum cuipiam, id quod suum erat, adscribebatur: idquè silentio premebat, & alteri congratulabatur.

In Aprili, mortificabat Amorem internum creaturarum, his modis. I. Severè dispiciebat nè aliquam creaturam haberet, non tantùm pro fine ultimo, sed etiam pro motivo aliquo impulsivo ad quiduis agendum. II. In actionibus omnibus, præ oculis habere curabat, non in quod appetitus, impetuosè ferebatur, aut à quo abhorrebat, sed quod spiritui, rationi, & profectui suo competens erat. III. Non plus quamlibet rem appretiabat, quàm quantum eam DEUS appretiat, & natura cujusquè exigit. IV. Certis temporibus omnem affectum etiam licitum abstrahebat ab omni re creata, eumquè toto impetu, totaliter, unà secum ad DEUM convertebat. V. utebatur certis temporibus exspoliatione sui ab omnium rerum non amore tantùm, sed etiam usu, & cura, & possessione, eo modo, quo id facturus erat in articulo mortis.

Mortificatio Amoris interni creaturarum.

In Majo, speciali curâ incumbebat in mortificationem Amoris in se sensualis, his modis. I. Crebrò in se renovabat odium, nauseam, & contemptum omnium sensuum, & sensualium illis verbis: *Heu mihi! quia incolatus meus* &c. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* II. Excitabat in se tædium patiens, & modestum, indigentiarum corporalium, & sensualium, nempe, cibi, potûs, vestitûs, calefactionis, venti, ablutionis, variationis sitûs, & similium. III. Ingerebat sibi singulis diebus aliquoties, sensualem molestiam, incommoda irrogando, & commoda derogando. IV. Curabat esse hostis omnium mollium, delectantiumquè sensus internos, & externos, quin & naturales commoditates salvâ valetudine, aut fugiebat, aut differebat, aut supernaturales faciebat. V. Omnia metiebatur purâ necessitate, eâque arctâ & durâ. VI. Alternis diebus in hebdomada, inquirebat in ea objecta, atque occasiones, in quibus potentiùs sensibus abstrahebatur, dominiumquè sui in talibus proponebat, & decernebat.

Mortificatio Amoris sensualis.

Mortificatio Amoris sanitatis.

In Junio, attenuabat in se Amorem sanitatis his modis. I. Scrupulosas & superstitiosas observationes in valetudine conservanda, lecto, vestitu, cibo, devitabat; nec de eis loquebatur. II. Laboribus, & defatigationibus libenter se impendebat, ut confessionibus, concionibus, vigiliis, & similibus, etiam cum aliquo, non tamen notabili detrimento sanitatis. III. Appetitum vivendi, ipsamquè vitam offerebat DEO, Christo, animarumquè saluti. IV. Frequenter illud commune dictamen; Nocet valetudini: frangam me intempestivè: explodebat, ablegabatquè à se illo opposito S. Pauli; Ego non solùm alligari, lassari, frangi, sed & mori paratus sum. Et illo: Vis servire Christo, usque ad defatigationem? Et illo: Nunquid meus sum? nunquid vires meæ, valetudo mea, vita mea, est mea & non Domini? nunquid servus, mancipium, jumentum sibi vivit, & non Domino? majorem nè mihi debet servitutem creatura, quàm ego Creatori? & illa tamen servit mihi perditione sui. V. Desiderabat dissolvi, & esse cum Christo.

Mortificatio Intellectûs proprii.

In Julio, mortificabat interiùs Curiositatem intellectûs proprii, his modis. I. Omnem non necessariam, & non necessariorum sciendi cupiditatem frænabat. II. Rumores omnes nescire, nec narrare cupiebat, multò minus scribere præsertim bellorum, aut alios peregrinos, nisi urgens necessitas suasisset. III. Opiniones in omni materia communes sequebatur, novitatibusquè nisi valde probatis non inhærebat. IV. Libros curiosos vitabat. V. Dum res fidei, revelationes, & mysteria recogitabat, faciebat id non curiositatis gratiâ, sed ex reverentia & ob devotionem, atque practicationem. VI. Ostentationem ingenii in acumine, perspicacia, claritate, subtilitate, discursu, celeritate, vitabat: quod si quid ejusmodi prodendum erat, DEI, & proximi causâ modestè & neglectim elevando id faciebat.

Mortificatio Cogitetivæ facultatis.

In Augusto, subigere studebat Intellectûs cogitativam facultatem his modis. I. Curabat (quod etiam diebus omnibus in usu illi fuit) primitias cogitationum, de DEO habere, nec eas sinebat à diabolo, vel natura, vel otiositate, impetuvè præripi. II. Cogitationibus directis, reflexas adjungebat, non sinebatquè esse indifferentes, vel ordinis merè naturalis; sed curabat

eas ad finem supernaturalem ordinare. III. Imaginativam facultatem dominio reflexionis subjiciebat. IV. Brutalitatem sensitivæ partis, fine supernaturali & ratione dirigebat, præsentiâque DEI frænabat. V. Conabatur semper aliquid volvere in mente, præviâ deliberatione. VI. Curabat cuilibet operi, & tempori, assignatas habere regulas & observationes.

In Septembri, intentus erat mortificationi judicii proprii his modis. I. Curabat habere judicium flexibile non tantùm ad judicium superiorum, sed etiam cujuscunquè alterius. II. Etsi evidens aliquando erat, sensum illius esse bonum, cedebat nihilominus de suo sensu. III. Nunquam contentiosiùs agebat pro suo sensu, ac judicio, imò etiam à rationibus inculcandis abstinebat. IV. Facilè, imò libenter patiebatur, si quis discedens à judicio ejus, alium consuleret, & sequeretur: nec, dum iterum in aliqua re judicium ejus poscebat, eum repellebat. V. Non utebatur illis verbis: Cogitabam hoc ego. Ego ita judicavi, & suasi. Pridem ego hoc cogito. Oportet etiam aliquando hominibus (id est mihi) credere. VI. Virtutem diffidentiæ familiarem sibi reddebat. *Mortificatio judicii proprii.*

In Octobri, mortificare conabatur judicium de rebus alienis, his modis. I. Occasiones vitabat cognoscendi alienos mores, facta, talenta, dum id sibi non incumbebat, præterquam in bonum, & laudem proximi. II. Sermonem de alienis rebus, nec inferebat, nec excipiebat, sed dextrè interrumpebat, aliudquè intrudebat. II. Vitabat suspiciositates, & umbrositates omnes. IV. Impetum mentis prurientis aliena judicare, etiam sub specie zeli refrænabat, his, & similibus dictaminibus: Quid ad te? Tu me sequere. Tu quis es? qui judicas alienum seruum? Quis tibi clavem cordium dedit? Nunquid libri conscientiarum jam tibi aperti sunt? Si absquè peccato es, primus in eum lapidem mittas. V. Dum ex officio mores, facta, & talenta aliorum cognoscebat, charitatem, misericordiam, & compassionem adjungebat, mansvetudinemquè præmittebat. VI. Cavebat determinatum ferre iudicium aut concludere, suspendebatquè judicium, donec res in liquido esset. VII Si quando apertè malum aliquid erat, & ex officio culpandnm, differre tantisper reprehensionem curabat. *Mortificatio judicii de rebus alienis.*

In No-

Mortificatio Appetitus irascibilis.

In Novembri, cohibebat specialiter Appetitum irascibilem his modis. I. Impatientiam, amaritudinem, & omnes choleræ impetus reprimebat. II. Odium, & omnes vindictæ modos vitabat. III. Audaciæ modum statuebat, nihilquè supra vires tentabat, nihil præcipitanter aggrediebatur. IV. Nihil præter DEUM, & ab ejus gratia lapsum timebat. V. contra terriculamenta nocturna animum obfirmabat; & assuefaciebat. VI. Tristitiam, melancholiamquè omnem fugiebat. VII. Omnes fiduciæ nidulos, speiquè in se, & in hominibus, in corde suo disturbabat, tantumquè conabatur desperare de se, quantum sperare de DEO. VIII. Æqualis tam in prosperis, quàm in adversis esse curabat.

Mortificatio Appetitus concupiscentiæ.

In Decembri, mortificabat in se Appetitum concupiscibilem, & puram naturam his modis. I. Nullâ re utebatur non tantùm tanquam propriâ, sed etiam tanquam aliquo modo ad se spectante. II. Actionum suarum dominium, liberumquè exercitium subdebat dominio Sanctissimæ TRINITATIS, atquè Infantis VERBI possessioni. III. Impetus & æstus desideriorum inhibebat, & morâ dilationequè temperabat. IV. Ab occupatione transferre se curabat quietum. V. Puræ naturæ actus, & commoda, quatenus puræ naturæ sunt, prævertebat, & fine sublimi intento supernaturalizabat. VI. Incommoda, molestiasquè naturæ non removebat, nisi prævio aliquo rationis ductu: commoda quoquè naturæ, & exigentias non explebat, nisi etiam ratione præviâ.

Actus Mortificationis Exterioris à P. Gasp. Druzbicki S. I. in vita sua exerciti.

IDem magnus castigator corporis sui quinduplici in affligendo corpore, utebatur instrumento, nempe virgis, flagellis variis, cilicio, pectinibus ferreis & hemisphærico globo. Fecerat autem ordinata in eo charitas DEI, ordinem ejusmodi afflictionum, ita ut quasdam habuerit quotidianas, alias menstruas, annuas deniquè, & extraordinarias alias.

Dum has mortificationes in reconditis Patris Gasparis pagellis, &

& consvetudinibus repertas, in lucem profero, inde exordior, unde exorsus est B. Petrus Damianus vitam S. Dominici Loricati descripturus, dum ita ait: *Viri DEI Dominici vita si scribatur, vereor ne à quibusdam Fratribus incredibilis judicetur.* Et infra ait: *Dicam, sed quis sciat, utrum fides assertioni fidelissimæ præbeatur? Sed parvipendendum est, si humana temeritas arguat, quem summa Veritas, falsitatis excusat.* Scribit autem ille de S. Dominico Loricato hæc: Hanc continuæ vitæ consvetudinem indifferentem habet, „ ut vix dies ulla prætereat quin duo Psalteria modulando, utra- „ què manu scopis armatâ nudum corpus allidat. Et hoc qui- „ dem remissiori tempore. Nam quadragesimalibus circulis, „ sive cùm pœnitentiam peragendam habet (crebrò enim cen- „ tum annorum pœnitentiam suscipit) tunc per dies singulos, „ dum se scoparum tunsionibus afficit, ut minus tria Psalteria „ meditando persolvit. Centum autem annorum pœnitentia, „ sicut ipso auctore didicimus, sic expletur; Cùm tria scoparum „ millia unum pœnitentiæ annum apud nos regulariter, decem „ autem Psalmorum modulatio, ut sæpe probatum est, mille sco- „ pas admittat dum 150. psalmis constare Psalterium non ambi- „ gitur, quinque annorum pœnitentia in unius Psalterii discipli- „ na rectè supputantibus invenitur. Consequitur ergo, ut qui „ 20. Psalteria cum disciplina decantat, centum annorum pœni- „ tentiam se peregisse confidat. Hanc autem centum annorum „ pœnitentiam ut mihi ipse professus est, sex diebus ex more „ consummat. Memini quoque quia cuiusdam Quadragesimæ „ imminentis initio, mille annorum imponi sibi per nos pœniten- „ tiam petiit, quos certè omnes ferme, antequam jejunii tempus trāsigeretur, explevit. Hactenus B. Damianus. Computemus jam. „ Quotidie ille Sanctus bis Psalterium recitabat, id est bis 150. Psalmos: ad singulos autem Psalmos infligebat sibi 100 ictus, multiplicentur 300. per 100. & fient 30000. triginta millia ictuum, quæ quotidie sibi infligebat. Quando autem centum annorum faciebat pœnitentiam, per Quadragesimam infligebat sibi ictuum 300000. trecenta millia. Illâ verò vice, quando impetravit, & explevit per Quadragesimam mille annorum pœnitentiam, inflixit sibi ictuum 3000000. tres milliones. Instituit nonnihil vestigiis Sancti hu-

jus Loricati Pater Gaſpar, dum ita in ſe deſæviit, ut interdum, præſertim dum privatam vitam ageret, diverſis diei & noctis temporibus, ad quindecim millia percusſionum, cum raſuris ferreorum pectinum, & hemiſphæræ aculeatæ puncturis, pervenerit.

Mortificatio Oculorum in Januario. Quoad MenſtruasMortificationes. *In Januario*, præcipuè adhibebat mortificationem Oculorum his modis. I. Nullam perſonam de facie intuebatur, præſertim alicujus conditionis, aut formæ comptioris, niſi merus id caſus, aut necesſitas ferret. II. In alieno cubiculo, ſi illud ingredi contingebat, nihil eorum, quæ expoſita erant, intuebatur, diſpiciebatve. III. Ab aſpiciendis novis, ſpecioſis, ſplendidis, curioſis in omni materia abſtinebat; ut ſunt ædificia, imagines, pompæ perſonarum, &c. quantum ſinebat urbanitas. IV. Obvios quosque domi, ac foris, item parietes domûs, Templi, plateas, frontiſpicia, turres, non circumſpiciebat, niſi necesſitate depoſcente, vel ob officia communia. V. Ad menſuram ſui aciem oculorum ferme jaciebat, vix ultra, & nonniſi ex necesſitate, ac ratione: liberam circumprovolutionem oculorum frænabat in quibuſcunque occurſibus, concurſibus, quod obſervabat etiam cùm ſolus eſſet. VI. Poſitivè autem mortificabat oculos, captando occaſiones reſpiciendi res nauſeam provocantes, uti ſunt ulcera, fimeta, ſordes, tabidi homines.

Mortificatio Auditûs in Februario. *In Februario*, mortificabat Auditum, & aures, his modis. I. Vellicabat aures ſuas ſingulis diebus aliquoties, manè ad revocandam mortificationis hujus memoriam: veſperi in pœnam defectuum illo die per aures commiſſorum, expiandæque & expellendæ delectationis per aures habitæ, cauſatæq; II. Delectationem ex colloquiis, & ex cantu, etiam in templis vitabat, aut ſi vitare non poterat, negligebat, nec ad concinnitatem ejus attendebat, conſultò internæ operationi intentus. III. Conſultò (ſine tota tamen) vitabat perſonas, quarum converſatione, vel lepore poſſet recreari. IV. Ab audiendis rumuſculis abſtinebat. V. Secretè, & ſecreta loquentibus, ſe non adjungebat.

Mortificatio totius Corporis in Martio. *In Martio*, qui incidit in Quadrageſimam, totum corpus, omniaquè membra, & omnes ſenſus externos, conſtituebat, objectum, ſubjectumquè quotidianæ afflictationis, ut invenietur

tur in mortificationibus quadragesimalibus infra ponendis.

In Aprili, mortificabat sensumTactûs his modis. I. Pungebat se, & fricabat pectine ferreo, aut aciculâ aliquas corporis partes aliquoties de die. II. Reclinari in parietem, in sellam, inter standum, aut sedendum, vitabat. III. Duritiem sellæ, lecti, indusii, genuflexionis sectabatur. IV. Neminem omnino hominum, aut brutorum, & nihil mollium quarumvis rerum attingebat, nè quidem amicitiæ, aut ludicri causâ. V. Non solùm in alieno cubiculo, sed nè in proprio quidem quidquam attingebat impertinens. *Mortificatio Tactûs in Aprili.*

In Majo, mortificabat Odoratum sic. I. Nullum florem decerpebat, aut odorabatur. II. In cubiculo nihil odoriferum servabat, non florem, non pomum, non aromata. III. Consultò odorabatur habentia odorem gravem, & ingratum. IV. In certis occasionibus osculabatur, & odorabatur graveolentia loca ad vilificationem sui: mira tamen (ut hac occasione innuam) fuit ejus mundities; Nullus unquam in ejus cubiculo nidor etiam cùm ægrotaret, imò nec tempore æstatis, quamvis clausæ manerent fenestræ, sentiebatur. *Mortificatio Odoratûs in Majo.*

In Junio, mortificabat Gustum his modis. I. Condimenta ferculis non addebat, sed prout oblata fuerunt, sumebat. II. Ordinem ferculorum non permutabat. III. Non ferebat judicium, de qualitate ciborum, saporum, condimentorum, vinorum &c. IV. Inter comedendum, & bibendum inhibebat, & irritabat appetitum, impetumquè ejus, morâ temporis frangebat. V. Absynthio, vel alio tingebat lingvam, vel labia ante cibum, citra notam. VI. Ante ferculi sumptionem attendebat, quam in partem ferebatur appetitus suo pondere, & hac abstinendo, vel saltèm differendo, illum eludebat. *Mortificatio Gustûs in Junio.*

In Julio, mortificabat Caput his modis. I. Pruritum capitis sustinebat, nec facilis erat ad fricandum. II. Capite, & fronte, terram manè & vesperi feriebat ex humiliatione sui, & reverentia Majestatis Divinæ. III. Pectine ferreo, vel aciculâ pungebat & scalpebat caput. IV. Capillos capitis vellebat. V. Dormiturus in duro & humili cervicali collocabat caput. *Mortificatio Capitis in Julio:*

In Augusto, mortificabat Manus his modis. I. Ungves digitorum profundè abradebat, doloris causâ, nunc hujus, nunc illius *Mortificatio Manuũ in Augusto.*

illius digiti. II. Manus verberatione, aciculâ, pectine ferreo, catenulâ, expansione affligebat. III. Cohibebat manum à fricatione in pruritu. IV. Semper manus modestè compositas tenebat, & à faciendis inter loquendum, gestibus cohibebat.

Mortificatio Pedum in Septembri. In Septembri, mortificabat Pedes his modis. I. Stabat frequentiùs & diutiùs usque ad dolorem. II. Scrupulos pedibus supponebat ambulaturus per aliquod tempus. III. Igne plantas adurebat. IV. In quovis situ, pedibus commoditatem subtrahebat, incommoditatem verò obtrudebat. V. Verberatione, pectine, aliisquè modis pungebat pedes. VI. Insistebat interdum uni pedi usque ad molestiam. VII. Sedebat suspenso altero, vel utroque pede. VIII. Genuflexiones diu continuabat, & per aliquot decades repetebat, adjectis aliquibus actibus: v. g. adorationis æternæ Sapientiæ, & similibus.

Mortificatio Pectoris & Laterum in Octobri. In Octobri, adhibebat mortificationem Pectoris, Ventris, & Laterum his modis. I. Pectine ferreo sulcabat & radebat dictas corporis partes. II. In forma Crucis pronus orabat ad dolorem usque (discretum tamen) pectoris. III. Flagello, vel virgâ affligebat. IV. Latera igne adurebat aliquantulum. V. Tundebat frequenter pectus, cum compunctione animi.

Mortificatio Lingvæ in Novembri. In Novembri, Lingvam mortificabat his modis. I. Premebat, & admordebat eam dentibus. II. Aciculâ pungebat, & pectine ferreo radebat. III. Lingebat ea ferrum, laterem, vel aliam quampiam rem asperam. IV. Illiniebat, atque imbuebat eam amaris, vel acetosis succis, aloë &c. V. Calidis, & ferventibus cibis eam adurebat.

Mortificatio Vocis in Decembri. In Decembri, specialiter mortificabat Vocem his modis. I. Rarò loquebatur, parce, non diu, non multis, & purè necessaria. II. Submissè loquebatur, & elationem vocis, cachinnationes, & risus vitabat. III. Abstinebat à cantilatione, quæ esset cujuscunque delectationis, etiam honestæ & piæ causâ. IV. Utebatur vocibus, juxta usum loquendi simplicem. V. Fractiones vocis, & verborum, vitabat, non utendo diminutivis, superlativis, hyperbolicis, loquendi modis.

Tempus porrò harum mortificationum, in memoriam revocandarum, habebat post meditationem matutinam.

Præter

Præter has mortificationes quot annis graves faciebat disciplinas, & subinde pectineas rasuras. I. In fine anni. II. Triduo Bachanalium. III. Singulis Quadragesimæ diebus, semel manè, & iterum vespere affiictiones omnium sensuum, & membrorum instituebat collectim sumptas; quæ alias distributæ per singulos menses erant. IV. Die Parasceve. V. Diebus Rogationum. VI. Tempore Adventûs. VII. Die fidelium defunctorum. VIII Post quamlibet Concionem. *Mortificationes Quadragesimales.*

Quodque magis mirum, etiam in infirmitatibus corporis, hoc in negotio mortificationis validus erat; adverti ego eum ad initium extremi morbi, virgarum disciplinâ usum. Dicere quoque solebat, non obfuturum valetudini, si aliquis morbo pressus ter, vel quinquies vel licèt utrumque pedem, in honorem Sacrosanctæ TRINITATIS, vel quinque Christi vulnerum, aut simile quid in morbo, vividâ mente faciat. *Hæc Author vitæ ejus.* *Mortificatio in ipsis Morbis.*

NB. *Conare omnino, quatenus ex Odio tuiipsius utì Nibili, infiniteque Mali, ac Offensoris DEI super omnia dilecti, & potentis eum summè offendere, exerceas Actus internos & externos multiplicis Mortificationis: De quo Odio sui vide antecedentem sect. 5.*

SECTIO IX

De Oppositis Mortificationis.

PRimò opponitur *Pseudomortificatio.* Qualis fuit illa antiquorum Philosophorum, qui studio inanis gloriæ, intantùm moderabant affectus suos, inquantùm non prorumperent ad extra in actum aliquem vitiosum, minùs soliciti de fundamentali eliminatione interiorum sordium suarum. Planè sepulchra foris dealbata, intus plena sanie & fœtore. Ejusmodi morsificatos *B. Dorotheus* affirmat *Philosophicè vivere*, eô quòd veteres Philosophos imitentur. Hoc autem secundùm Richardum nôsse oportet: Quia disciplina corporis sine disciplina cordis absque dubio inutilis est. *Richard. de præpar. ad Contemp. c. 32.*

2*do* opponitur *per Excessum.* Contra quem *S. Bernardus*: Discretio autem in hac discretione tenenda est, nè dum nimis flagellare cupimus, salutem perdamus: & nè dum hostem subjugare *S. Bern. serm. 40. de 7 gradib. Confess.*

gare quærimus, civem occidamus. Considera corpus suum, & corporis tui possibilitatem, intuere carnis complexionem, impone modum tuæ districtioni. Custodi corpus tuum incolume ad obsequium Creatoris. Multos vidimus ita in principiis carnem suam verberâsse, & discretionis infregisse repagula, ut inhabiles laudum solemniis redderentur, & lautioribus deinceps, diuturnis foverentur temporibus.

Rom. 8. 3tio. Opponitur *per Defectum.* Contra quem *Apostolus*: Debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus; si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. *Idem*: Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. *S. Bernardus*: Quomodò dicunt nobis carnales homines, crudelis est vita vestra, non parcitis carni vestræ? Esto non parcimus semini. In quo ei magis parcere poteramus? An non meliùs est illi renovari & multiplicari in agro, quàm in horreo putrefieri? Heu! computruerunt jumenta in stercore suo; Sic vos parcitis carni vestræ, simus nos crudeles interim non parcendo, at vos planè parcendo crudeliores.

Galat. c. 6.

S. Bernard. serm. 10. super psalm. Qui habitat.

In Praxi contra Opposita Mortificationis exerceas te proportione factâ juxta Methodum suprà datam.

l. 2. tr. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2 § 2. & 3.

SECTIO X.

De Innocentia.

INnocentia est Virtus specialis, & generalis. *Specialis est, quatenus importat carentiam peccati actualis, nunquam commissi, ut offensa DEI est. Generalis est, quatenus includit carentiam peccati actualis nunquam commissi ut offensa DEI est, vel summè boni homini, vel summè in se boni, vel summè colendi*, &c. Ita enim ejusmodi Innocentia pertinebit vel ad Spem, vel ad Charitatem, vel ad Religionem, vel ad aliam aliquam Virtutem; ex cujus motivo cavet peccatum, ejusquè carentiam amat. Carentia verò peccati actualis nunquam commissi, ut offensa DEI est, nullius alterius virtutis est, nisi Innocentiæ, à quo objecto etiam ipsa specificatur: quod obje-

ctum quia summè difficile, imò difficultas difficultatum est, dat rationem virtutis Innocentiæ, ut ipsa hoc modo virtus virtutum sit. De specificatione autem objecti Innocentiæ specialis & generalis, planè ad eum modum discurre; secùndum quem suprá egimus de Pœnitentia speciali & generali.

Gradus Innocentiæ altus est, nunquam committere actuale peccatum mortale post baptismum, ut de nonnullis Sanctis legimus. Altior est, nunquam in adulta ætate committere peccatum actuale etiam veniale; quod solius Christi, & Beatissimæ Virginis fuit: Et infantum baptizatorum, sed in ætate immatura. Nam de aliis dicitur: *In multis offendimus omnes.* Altissimus est, carere peccato originali, & omni actuali. Hoc privilegium Christi, & Deiparæ est, non dabitur alteri. Siquidem nemo mundus à sorde, nec infans cujus est vita unius diei super terram. *Jac. 3. v. 2.*

Incitamenta ad Innocentiam. 1mum. *Job.* Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum. *Psalm.* Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde. *Psalm.* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. *Job. 22. Psalm. 23. Psalm. 118.*

2dum. *S. Augustinus*: Vera Innocentia est, ubi integritas sine peccato, venditio sine debito, flagellum sine merito. *S. Ambrosius*: Innocentia & integritas levi sorde violatur aspersa, & gratiæ suæ munus amittit. *S. Hieronymus*: Innocentia inter ipsa tormenta fruitur conscientiæ bono, & inter malignitates, quùm de pœna metuit, de innocentia gloriatur. *Idem*: Sicut parvulus non perseverat in iracundia, læsus non meminit, videns pulchram mulierem non delectatur, non aliud cogitat, & aliud loquitur: sic & nos nisi talem habuerimus innocentiam, & animi puritatem, regna cælorum non poterimus intrare. *Lactantius*: Nihil sancta & singularis illa Majestas aliud ab homine desiderat, quàm solam innocentiam, quam si quis obtulerit DEO, satis piè religiosequè litavit. *S. Bernardus*: Immediocris est titulus virtutis, inter pravos vivere benè, & inter malignantes retinere innocentiæ candorem, & morum lenitatem. *S. Thomas*: Dignitatem innocentiæ pœnitens recuperare non potest. Recuperat tamen quandoque aliquid majus: quia ut Gregorius dicit in Homil. de *S. August. psal. 38. Hieron. ad Demetr. Idem super Illud Mat. Quicunque humiliaverit se sicut parvulus. Lactantius Firmianus lib. 6. Divin. Instit. S. Bern. in Cant.*

centum

centum ovibus. Qui errâsse à DEO se considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Majus ergo gaudium de eis fit in cælo, quia & Dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit.

3tium. *Exempla Innocentiæ.* I. *Christus*, de quo *Apostolus* inquit: Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, in-
Heb. 7. nocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes priùs pro suis delictis hostias offerre: deinde pro po-
Petr. 2. puli, hoc enim fecit semel se offerendo. *Petrus Apostolus*: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. II. Virgo Beatissima, quæ communi Doctorũ Ecclesiæ sensu fuit immunis à peccato Originali, & Actuali, tam mortali quàm
Job. c. 7. veniali. III. *Job.* de seipso ait: Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Justificationem meam quam cœpi tenere non deseram, neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.

Circa *Praxim* Innocentiæ sciendum est. I. Solius DEI speciale munus est, nunquam peccâsse, nec peccare mortaliter, & rarissimè venialiter, quod multis gemitibus, & actibus virtutum implorandum adeò ineffabile donum. Etsi fors aliquando pec-
1.2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. cavit lethaliter, saltèm imposterum non peccet. II. *Applica hic convenienter, supradicta.*

SECTIO XI.

De Rectitudine Actuum indifferentium.

ACtus indifferens, seu opus adiophorum est, quod nec est moraliter bonum, nec moraliter malum: quales actus sunt v.g Labor manualis, comestio, dormitio, ambulatio, & similia. Eiusmodi actus ut fiant moraliter & supernaturaliter boni ac meritorii gratiæ & æternæ gloriæ, conandum est cuivis salutis suæ cordato Christiano. Etenim non rectificantes actus nostros indifferentes per Intentionem bonam, vel toties DEUM offen-

ostendimus, quoties ejusmodi actus committimus juxta sententiam illorum, qui negant dari actum indifferentem quoad individuum nisi quoad speciem, & in particulari non esse nisi actum bonum, aut malum: Vel saltèm immensa lucra cælestis beatitudinis æternùm perdimus, tot quotidie actus indifferentes exercendo, sicut ex sententia illorum colligitur, qui admittunt actum indifferentem dari quoquè in individuo.

Quomodò verò in Praxi Actus indifferentes possint fieri moraliter boni, & supernaturaliter meritorii, fusè actum suprà. 1. 2. *tra*: 1. *cap*. 1. *sec*. 2: & *sec*. 4. *subs*. 1. § 1. *sub Circumstantia Cur*.

SECTIO XII.

De Labore ex Bibl. Man: P. Lohner Tit. Labor.

Labor est juxta Ciceronem, functio quædam animi, vel corporis, gravioris operis, vel muneris. Vel breviùs. *Est seria occupatio hominis.* Cic. lib. 2. Tusc. q.

Dividitur in Laborem *Mentalem*, & *Corporalem*. Ille est, quo animus seu mens potissimum exercetur, utì est studium, meditatio &c. iste est, quo corporeæ vires præcipuè occupantur, utì sunt artificum & opificum, aut operariorum, ac servorum occupationes.

Motiva ad Laborem. *Imum. Gen.* Tulit ergo DEUS hominem, & posuit eum in Paradisum voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum. *Gen.* Quia audisti vocem uxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultûs tui vesceris pane. *Eccl.* Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo. *Prov.* Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, Filius confusionis. *Iob.*: Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum. *Eccl*: Quæ in juventute tua non congregâsti, quomodo in Senectute invenies? *Psalm.* Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit. *Sap.* Bonorum laborum gloriosus est fructus. *Sap.* Iustum deduxit Dominus per vias rectas, &c. honestavit illum in laboribus & complevit labores illius. *Thessal.* Rogamus vos fratres, ut abunde-

Gen. 2. *Gen.* 3. *Eccl*: 7. v. 16. *Prov*. 10. v. 5. *Job*. 5. v. 7. *Eccl*. 25. v 5. *Psalm*. 127. v. 10. *Sap*. 3. & 10. 1. *Thessal*. 4. v. 10.

bundetis magis, & operam detis, ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, & ut honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis. *Thessal:* Cùm essemus apud vos, denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet.

2. Thessal. 3. v. 10.

S. Chrys. in 2. ad Thessal. 3. 2dum. *S. Chrysostomus:* DEUS posuit hominem ad laborandum, artusquè ejus ad hoc effinxit. Idcirco otiosus, ab ordine suo & creatione deficit. *Cassianus:* Labor carnalis Spiritus contritioni conjunctus acceptissimum DEO sacrificium, dignumquè sanctitatis habitaculum puris mundisquè recessibus exhibebit. *S. Hieronymus:* Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. *S. Bernardus:* Ad laborem cùm veneris, sic temperabis opus agendum, ut solicitudo operis intentionem animi tui ab iis, quæ DEI sunt, non auertat. *Idem:* Qui in labore hominum non sunt, in labore profectò dæmonum erunt.

Cassian. lib. 5. Instit. c. 21. *S. Hieron. in Epist.* *S. Bern. in doct.* *Idem super Cant.*

Psalm. 87. v. 16. 3tium *Exempla.* I. Christus in laboribus fuit à juventute sua. Quod idem etiam confirmat *S. Basilius* dicens: Christus primâ suâ ætate parentum suorum imperio subiectus fuit, & labores corporis æquo cum ipsis animo illis obediens toleravit: Verisimile enim est, cùm homines illi essent, & justitiæ pietatis cultores, tenues tamen, nequè necessariis ad vivendum copiis satis instructi (quod ex præsepio intelligi potest, in quo venerabilis ille foetus est fotus) solitos, eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione quotidianum victum quæritare. Porrò IESUS, cùm in his, ut Divinæ literæ prædicant, esset subiectus, sine dubio in perferendis etiam unà cum ipsis laboribus morigeram declarabat suam obedientiam. II. De B. Virgine Christus S. Brigittæ dixit: Mater omne tempus suum tribus distinxit temporibuss, unum, quo laudavit DEUM ore suo; aliud, quo manibus ei serviebat; tertium, quo corporis infirmitati compatiens, necessaria tribuit ei iuxta modum. III. *S. Paulus* ipsemet de se fatetur, se argentum aut aurum nulius concupiisse, sed ad ea, quæ sibi opus erant, manus suas ministrâsse. IV. *S. Bernardus* in virtute spiritûs simul & totus quodammodo laborabat, exterius

S: Basilius Const. Mon. c. 5. *In Reg. S. Brigit. c. 23.* *Act. 20. v. 33.* *Vita lib. 1. c. 7.*

teriùs, & totus interiùs vacabat, in altero paſcens conſcientiam, in altero devotionem. Laboris tempore & intus orabat ſeu meditabatur ſine intermisſione exterioris laboris, & exteriùs laborabat abſquè iactura interioris ſuavitatis. Et ut alio in loco dicitur, ita ſeſe fecerat omnium ſervum, ac ſi toti genitus foret orbi: ita tamen liber ab omnibus, conſcientiæ ſuæ curam gerens, tanquam ſoli deditus curæ & cuſtodiæ cordis ſui. V. B. Virgo Ciſtercienſes Monachos, cùm toto die in agro laborâſſent, in dormitorio dormientes inviſere cum aliis duabus pediſſequis conſpecta eſt, vaſculumquè portans Cellario id videnti dicere: Meos ego hodie Monachos in agro inviſi, eorumquè ſudores in hoc vaſculum collegi, quorum odor & mihi, & Filio meo ſuavisſimus afflatur, dignus utiquè ſuo prœmio ac mercede. VI. Aliàs Reinoldo vidente ad Fratres in agro laborantes deſcendere, atquè ſingulos amplexata & oſculata ſudorem à frontibus abſtergere dignata eſt. VII. S. Franciſcus Seraphicus, licet infirmæ admodum valetudinis, nunquam ſibi paſſus eſt à Fratribus miniſtrari, ſed ipſe ſuis manibus pavimentum purgavit, & laceras veſtes refecit. VIII. S. Clara de monte Falco dixit, ſe velle libenter occupari in vilisſimis Monaſterii officiis, eò quòd experiretur, orationem non perdi in talibus officiis, ſed augeri. IX. S. Brigittæ dixit Chriſtus: In ſpirituali vita, qui perfectus eſſe deſiderat, debet priùs eſſe Martha laborando in honore meo corporaliter. X. S. Ignatius de quodam fratre Murario dixit: Quot ponebat lateres in muro, quoties tundebat eos ſuo malleo, quoties calcem apponebat, tot ſibi ponebat coronas in cælo. XI. Chriſtus dixit S. Gertrudi: In reſurrectione futura, quando corpus hoc mortale induet incorruptionem, tunc ſingula membra humana recipient ſingula prœmia meritorum pro ſingulis laboribus & exercitationibus in meo nomine & pro meo amore peractis. XII. S. Bernardus cuidam Fratri ſtrenuè laboranti dixit: Eja frater perge ſic laborare, quia nullum poſt hanc vitam purgatorium habebis. XIII. Simon Murarius P. Petro Scargæ Rectori Collegii Vilnenſis totus ſplendidus, ſed in manibus præcipuè apparuit dixitquè cauſam majoris ſplendoris eſſe, quod manibus illis ſpecialiter

Specul. Exemp. exemplo 103. & Lanciz. Opuſc. 15. c. 6.

Lanciz. opuſc. 15. n. 54.

Vit. p. 2. c. 27.

Lib. 6. Revel. c. 65.

Lanciz. Opuſc. 15. n. 8.

Lib. 3. in fin. c. 69.

Cantiprat. lib. 1. Apum. c. 5.

Lanciz. opuſc. 15. n. 10.

Ibidem n. 9. pro DEI gloria laboràsset. XIV. Vincentius Scortiglia, licèt per 30. annos podagræ doloribus fuerit exercitatus, domestica tamen munia & labores magna cum charitae obivit, unde post mortem cum suavissimo concentu P. Iulio Mancinello apparuit, & sequenti die inter Cælites conspectus est. XV. Alphonsus Rex, cùm à Matthæo Siculo eximiæ sanctitatis viro reprehensus fuisset, quòd manibus laboraret, subridens respondit: Nunquid DEUS & natura regibus frustra manus dederunt?

Panorm. lib. 1. de rebus Alphon.

In praxi circa Labores hæc observa. Tria sunt præcipuè, quæ Asceta de labore specialiter nôsse debet. 1mum. Quid ante laborem observare debeat, nempe ut in nomine Domini eundem inchoet, id est in gratia sit constitutus, propter DEUM peragat, & auxilium Divinum invocet, hos enim sensus patiuntur verba illa: *In nomine Domini.* *Alterum* est. Ut nôrit, quid sub labore observare debeat, scilicet ut diligenter, alacriter, & constanter eum peragat; hilarem enim datorem diligit DEUS, & in Christianis non exordia laudantur, sed finis coronatur. Itaquè sic laborare decet, ut cum Christo dicere possit: *Consummatum est.* 3tium *est* Ut pariter sciat, quid post laborem observare debeat, nempe ut nihil suis viribus adscribat, gratias pro felici successu debitas persolvat, & omnem eventum DEO penitus relinquat.

V. supra formulas intentionis particularis p. 1. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 1. § 9. sub Circumst. Cur.

Pro labore virtuoso; seu ex virtute, aut laudabili intentione procedente, serviunt quoquè suprà specificata hic proportionatâ methodo applicanda ad practicum exercitium.

1. 2. tra. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2.

CAPUT VI.

DE VIRTUTE CARDINALI JUSTITIÆ.

IUstitia multipliciter accipitur. *Primò*, pro Gratia Sanctificante, quæ justificat impium. *Secundò*, pro generalitate omnium virtutum. *Tertiò*, pro Legali Justitia (quæ etiam Generalis appellatur) respicitquè jus seu bonum Communitatis. *Quartò*, pro Iustitia Particulari, quæ dicit re-

ſpectum ad jus alicujus in particulari. Igitur de Juſtitia prout eſt Legalis, & Particularis virtus, ſuisquè partibus Subjectivi, & Poteſtativis, tum ſuis Oppoſitis, in præſenti eſt agendum.

SECTIO I.

De Juſtitia in genere.

Juſtitia includens Legalem & Particularem Juſtitiam, eſt habitus, ſecundùm quem aliquis conſtanti & perpetuâ voluntate jus ſuum unicuique (ſcilicet vel in communi, vel in particulari) tribuit. Dicitur; *conſtanti & perpetuâ voluntate.* Ubi voluntas ſumitur non pro potentia, ſed pro actu. Deinde non ſumitur hic conſtans & perpetua voluntas phyſicè, quaſi ſit nunquam defectibilis quoad actum: ſed moraliter, inquantùm eſt hoc proprium cujusque virtutis, ut contineat formaliter vel virtualiter propoſitum non operandi contra ſuam honeſtatem. Dicitur; *jus ſuum unicuiquè tribuit*, ſive poſitivè, dando, ſive negativè, non auferendo, quod ſuum eſt.

Advertendum autem, quia ſicut triplex datur combinatio inter partes & totum, ita etiam exinde triplex ratio conſurgit juſtitiæ. Nam *Primò* habet ſe pars ad totum, bonum totius ſpectando: & hoc fit per *Legalem juſtitiam*, quæ commune bonum intendit. *Secundò*, habet ſe totum ad partem; ſuum & partis bonum quærendo: quod facit *Diſtributiva juſtitia.* *Tertiò*, habet ſe in toto pars ad partem, invicem ſuo bono particulari conſulendo: quod præſtat *Commutativa juſtitia.*

Gradus Juſtitiæ ex D. Bonaventura Comp. Theol. Verit. lib. 5. c. 37.

Juſtitiæ politicæ ſecundùm Macrobium, eſt, ſervare unicuiquè, quod ſuum eſt. Juſtitiæ purgatoriæ ſecundùm eundem, eſt, ad unum, cujuſquè propoſiti viam, uniuscujusque viam virtutis, officium conſervare. Juſtitiæ autem purgati animi eſt, ita cum Superna Mente ſociari, ut ſervet cum ea fœdus perpetuum, eam imitando. Juſtitiæ Exemplaris eſt, quòd perenni lege ſempiternâ, operis ſui continuatione non flectitur.

Macrob. lib. 1. in ſomn. ſcip. c. 8.

Alii Gradus Justitiæ ex Formula aurea D. Bonaventuræ de grad. Virt. c. 11.

Graduum Justitiæ Christianæ ordo. I. Justitiæ altus gradus est, reddere proximo jus suum, scilicet congratulationem in prosperitate, & compassionem in adversitate, juxta illud: Gaudete cum gaudentibus &c. Et altior, reddere sibimet jus suum, scilicet dolorem de malis commissis, juxta illud Propheticum: Dole quasi parturiens: & cautelam contra mala committenda juxta illud: Non solùm à malo, sed ab omni specie mala abstinete vos. Altissimus, reddere DEO jus suum, scilicet timorem, quia Dominus justus; & amorem, quia Pater bonus est: unde Dominus dicit: Si ego Dominus ubi timor meus? si Pater, ubi amor meus?

Rom. 12. Cap. Michoæ. c. 4. 1. Thes. 5. Malach. 1.

II. Item altus gradus est, reddere unicuiquè bonum pro bono. Altior, reddere bonum pro malo. Altissimus, reddere optimum pro pessimo. Hoc fecit Christus, quando dedit corpus suum sanctissimum Judæ pessimo traditori.

III. Item altus gradus est, Justificare omnes operationes ut DEO placeant. Altior, justificare omnes locutiones. Altissimus, justificare omnes voluntates. In istis gradibus fuit Christus, cum dicit: Quæ placita sunt eis facio semper. *Joan. 8.*

IV. Item altus gradus est, discere judicare omnia opera sua, quâ intentione, & ad quem finem fiant. Altior, judicare verba, utrum sint utilia vel nociva. Altissimus, judicare conscientiam utrum recta vel erronea sit, & omnes affectiones, utrum ordinatæ vel inordinatæ sint.

V. Item altus gradus est, exhibere naturalem justitiam omnibus vivis, scilicet quod oderis tibi fieri; & quæcunque vultis ut faciant vobis homines &c. *Matth. 5.* Altior, exhibere justitiam omnibus mortuis consangvineis in eleemosynis, orationibus, & maximè in testamentis eorum distribuendis secundum ordinationem ipsorum, & in omnibus, quæ ipsis fideliter commiserunt. Altissimus, Justitiam exhibere mortuis extraneis, sicut eis commiserunt & confidunt.

Prov. c. 15. Prov. c. 14. Prov. c. 15. *Illicia* sectandæ Iustitiæ sunt. *Primum. Prov*: In abundanti justitia virtus maxima est *Item*: Iustitia elevat gentem, miseros autem populos facit peccatum. *Item.* Qui sequitur justitiam

tiam, diligitur â Domino. *Christus Dominus*: Beati qui esuriunt *Matth. c. 5.*
& sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Supra quod *B.*
Chrysostomus inquit: Iustitiam autem dicit vel universalem vir- *Hom. 15. in*
tutem, vel particularem avaritiæ contrariam. *Matth.*

2*dum. S. Bonaventura* effectus justitiæ enumerat: quòd 1. *In comp. Theol.*
beatificat. Si quid patimini propter justitiam, beati. Quòd *verit. l. 5. c.*
exaltat. Qui operatur justitiam exaltabitur. 2. Appetitum *37.*
concupiscentiæ refrænat. Erit Iustitia cingulum lumborum *1. Pet. 3.*
ejus. 3. Locum DEO præparat. Iustitia & judicium præparatio *Eccl. 20.*
&c. 4. A morte liberat. Iustitia liberabit â morte. 5. coro- *Isa. 11.*
nat. Reposita est mihi corona justitiæ. 6. remunerat. Retri- *Psal. 88.*
buet mihi Dominus secundùm &c. *S. Ambros.* ait: Prudentia *Psal. 10.*
sine iustitia nocet. Fortitudo quoquè nisi eam justitia tempe- *Timot. 4.*
ret, intolerabilis insolentia est, furori quàm rationi propior, *Psal. 17.*
dominationi quàm libertati. Sobrietas & temperantia privata *S. Ambr. Tom.*
bona sunt, nec ullius vis, nisi justâ erga Deum reverentiâ & fi- *4. c. 10. lib. 2.*
deli mente pietatem colas. Iustitia sola est, quæ virtutes o- *de Abra.*
mnes complectitur, & commendat omnes. *Doctor Angelicus* inquit: *D. Thomas 2. 2.*
Dicendum, quòd si loquamur de justitia legali, manifestum est, *q. 58. a. 12.*
quòd est præclarior inter omnes virtutes morales, inquantùm
bonum commune præeminet bono singulari unius personæ. Et
secundùm hoc Philos. in 5. Ethic. dicit: quòd præclarissima *Lib. 5. c. 1. Tom.*
virtutum videtur esse justitia, & neque est Hesperus neque Luci- *5.*
fer ita admirabilis. Sed etiam si loquamur de justitia particu-
lari præcellit inter alias virtutes morales duplici ratione. Qua-
rum prima potest sumi ex parte subjecti: quia scilicet est in no-
biliori parte animæ, id est in appetitu rationali, scilicet in voluntate,
aliis virtutibus moralibus existẽtibus in appetitu sensitivo, ad quẽ
pertinent passiones, quæ sunt materia aliarum virtutum morali-
um. Secunda ratio sumitur ex parte objecti. nam aliæ virtu-
tes laudantur solùm secundùm bonum ipsius virtuosi: justitia
autem laudatur, secundùm quod virtuosus ad alium benè se ha-
bet. Et sic Iustitia quodammodo est bonum alterius, ut dici-
tur in 5. Ethic. & propter hoc dicit Philos: in 1. Rhe: Necesse *Lib. 5. c. 1. T. 5.*
est maximas virtutes esse eas, quæ sunt aliis honestissimæ: Si- *Lib. 1. Rh. c. 9.*
quidem est virtus potentia benefactiva. Propter hoc & fortes *T. 6.*

&

& justos maximè honorant, quoniã fortitudo est utilis aliis in bello, justitia autem & in bello & in pace. *S. Cyprianus*: Justitia est pax populorum, tutamem patriæ, munimentum gentis, gaudium hominum, solatium pauperum, hereditas filiorum, & sibimetipsi spes futuræ beatitudinis.

D. Cyprian. lib. de 12. abus.

I. *Christi Domini exempla* quoad justitiam ostensa sunt supra in Gradibus justitiæ à S. Bonaventura delineatis, & alia proponentur infra sub aliquibus speciebus & actibus Justitiæ.

Job, 29.

II. *S. Job* de se dicit: Justitiâ indutus sum, & vestivi me sicut vestimento, & diademate judicio meo.

Biblioth. manual. tit. Justitia.

In Praxi hæc ex *P. Lohner* observa. *1mum* est. Ut cùm justitia sit virtus ad jus suum cuique tribuendum inclinans, benè cognoscere studeat, quod sit jus illud, quod variis personis tribuere debeat. Nimirum 1. DEO amorem, reverentiam, obedientiam, gratitudinem. 2. Sanctis cultum, fiduciam, imitationem. 3. Superioribus reverentiam, & obedientiam. 4. Parentibus pietatem, honorem, & gratitudinem. 5. Benefactoribus beneficiorum gratam memoriam, prædicationem, & compensationem. 6. Senioribus & maioribus observantiam. 7. Æqualibus concordiam, & affabilitatem. 8. Subditis prudentem directionem, liberalem sustentationem, discretam correctionem. 9. Pauperibus compassionem, misericordiam, & liberalitatem. *2dum est*; Ut regulas perfectæ justitiæ à Lipsio in Politicis assignatas discat. 1. Nihil in penatibus venale sit, aut ambitioni pervium: quia hæc duo vitia sunt extremus hostis iustitiæ. 2. Causas, reosquè semper audire oportet: quia inauditi ac indefensi, tanquam innocentes pereunt, Tacito teste. 3. Novæ leges parcè ferendæ: nam & illud verum Taciti effatum: Corruptissimâ Republicâ plurimæ leges; certè si hoc ævum aspicias fateare, ut antea flagitiis, sic nunc legibus laborari. 4. Leges ab ipso Legislatore accuratè observentur: nam in his iuxta Aristotelem, salus Reipublicæ sita est. Et ùt sapienter notavit Seneca: Minimum decet liberè, cui nimium licet. 5. Justitiæ rigor clementiâ temperandus: nam invisa imperia nemo retinuit diu.

Actus justitiæ interni.

PRopono Domine nunquam lædere jus alienum, sed reddere cuique quod suum est: sicut mihi volo fieri, ita & aliis semper faciam.

Absit Domine in æternum, ut alicujus lædam vitam, sanitatem, honorem, famam, substantiam.

Precor Domine ut omnibus faciam satis ad votum juxta tuum beneplacitum. Mater DEI succurre, ut satisfaciam piis justitiæ propositis. Reliqua hìc supple ut supra. *l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2.*

SECTIO II.

De Oppositis Justitiæ in genere.

PRimò. Opponitur *Falsa justitia* seu *Pharisæorum*, qui eam inter arctos limites conclusam videbantur observare, nec tam internè ex motivo honestatis justitiæ, quàm externè ad apparentiam hominum. Unde Christus præmonet: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Loquitur autem de virtute justitiæ moralis (de qua in præsenti) ut ex sequenti contextu Evangelii patet. *Matth. 5.*

2do. Opponitur *justitia per Excessum*: quod vitium etsi dari à Doctoribus communiter negetur, assignatur tamen ab aliis, ut infra videbimus. Potestquè hìc illud propriè applicari: *Noli esse justus multùm.* *Eccl. c. 7.*

3tio. Opponitur *justitia per Defectum*, quæ aliàs dicitur *Injustitia*, vel *Injuria*: estquè vitium, quo jus alienum læditur vel *negativè*, non reddendo cuique quod suum est, vel *positivè*, auferendo, quod alterius est.

Contra Injustitiam est 1mo. *Psal.* Virum injustum mala capient in interitu. *Idem*: Injusti punientur, & semen impiorum peribit. *Eccl.* Non placeat sibi injuria injustorum, sciens quoniam usque ad inferos non placebit impius. *Idem*: Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias & injurias, & contumelias, & diversos dolos. *Idem*: Objurgatio & injuriæ annullabunt substantiam. *Apostolus*. Vos injuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum DEI non possidebunt? *2do. S. Ambros.* Omnis injustus in timore est: non fortis *Psal. 139. Psal. 36. Eccl. c. 9. Eccl. 10. Eccl. 21. 1. Cor. 6. S. Ambr. in 2. Epis. ad Tim. c. 1.*

fortis sed infirmus: non est in dilectione, sed in odio: nec in mentis sobrietate, sed errore saucius. Si autem his caruerit, per fidem & fortis & dilectus & sobrius erit *Idem supra Psalm.* 68. Dixit injustus ut delinquat &c: *hæc habet.* Sibi ergo delinquit injustus. Nihil hâc sententiâ sublimius dici arbitror. In illis, qui sibi sapientiam seculi vendicârunt, nihil tale legi, nihil tale cognovi. Nec mirum, quandoquidem illi humano ingenio locuti sunt: hìc infudit Spiritus DEI, Spiritus veritatis, quia injustus sibi delinquat, sibi generet vulnera, se ipse confodiat. Nam sicut spinæ nascuntur in manu ebriosi, ut scriptura asserit: ita & in Injusti sermone nascuntur, quæ compungant loquentem. Loquitur injustus, & interius ejus conscientia vulneratur: quia in omni sermone quem loquitur, non est fraudis immunis. Cujus enim gravior est pœna quàm propria, cùm pro omni sermone det pœnas? Serpens aliis infundit venenum: Injustus sibi. In eum enim refunditur quidquid effuderit. *S. Augustinus*: Remotâ justitiâ, quid sunt Regna nisi magna latrocinia? Quia & ipsa latrocinia quid sunt nisi parva Regna? *Idem*: Qui non repellit à socio suo injuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit.

Idem alibi.

S. August. lib. 4. de Civit. Dei

Idem de ver. Relig.

Ad Praxim vitandi injuriam proportionatè hìc ex supradictis 1, 2, *tra.* 1. *c.* 1. *sec.* 4. *subs.* 2. *adhibe* § 2, & 3.

SECTIO III.

De Justitia Legali.

Justitia Legalis est virtus, quâ obligantur cives ad reddendum jus proprium Communitatis, seu ut provideant bono Communitatis propter specialem quam habent cum ipsa connexionem tanquam Partis cum Toto. Unde *S. Ambros.* Justitia, *inquit*, in alto quodam suggestu locata, videt, exploratquè omnia, quæ aliis potiùs nota quàm sibi, non tam suas utilitates, quàm publica emolumenta rimatur.)) *Ratio* autem est: quia cùm per mutuam connexionem Cives cum Republica in se invicem conferant bona, puta Cives in Rempublicam conferunt sapientiam, bonitatem, obsequium, &c. Respublica verò in Cives confert gubernationem, defensionem, &c. Sequitur quòd Cives juxta illum contractum innominatum: Do, ut des,

S. Amb. de Virg. lib. 3.

des; Facio, ut facias, ſeſe tacitè obligent Reipublicæ ad ipſius bono publico conſulendum, quæ illis adeò multa tribuit bona, multaquè facit eorum causâ.

Motiva Juſtitiæ Legalis. *Chriſtus* jubet: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Ubi nomine Cæſaris intelligitur quodvis Caput (ſive illud ſit una perſona, ſive plures) penes quod eſt regimen alicujus Reipublicæ, uti Imperii, Regni, Provinciæ, Civitatis, aut cujuſpiam alterius Congregationis Eccleſiaſticæ, Religioſæ, Politicæ. Porrò Reſpublica ad tale Caput habet ſe per modum Moralis corporis. Unde ſicut ad commodum & conſervationem totius Corporis phyſici quodvis membrum debet concurrere ſibi propriis officiis, ſicut ad unum membrum confovendum omnia alia totius corporis conducunt: Ita & in morali corpore Reipublicæ idem obſervare eſt neceſſe. Alioquin membrum aliquod non præſtando ſibi competens officium, injurium erit in totum corpus Hinc Apoſtolus pulchrè diſſerit de Myſtico corpore Eccleſiæ dicens: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundē actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Et: *Non poteſt oculus dicere manui: Operâ tuâ non indigeo: Aut iterum caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarii: ſed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt.* Et paulò poſt: *DEUS temperavit corpus, ei* (id eſt membro) *cui deerat* (honeſtas) *abundantiorem tribuendo honorem, ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro invicem ſolicita ſint membra: Et. Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: Sive gloriatur unum membrum: congaudent omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* *S. Ambr.* Injuſtus & aliis inutilis, & ſibi noxius eſt. Juſti autem vita fructuoſa aliis, & ſibi dulcis. Dixit enim Salomon: Fili ſi ſapiens eris, tibi ſapiens eris, & proximis. Si autem malus evaſeris, ſolus hauries mala. Advertimus ergo quia Juſtitia aliis eſt potiùs nata quàm ſibi. Commune commodum non ſuum expectat: & alienum bonum pro ſuo ducit emolumento. Beata & præclara Juſtitia, cujus bonum omnibus proficit. Ex uno plerumque ad plures proficiſcitur, atque ad omnes pervenit. *Item.* Sola Juſtitia eſt, quæ omnibus temporibus aliis potiùs nata, quàm ſibi, quotidiano uſu & fructu, publico

[Margin notes: *Matth.* 22. — *Rom.* 12. — I. *Cor.* 12. — *In Milleloquio S. Ambr. tit. Juſtitia.* — *Ibidem.*]

blico suo damno alienas custodit utilitates, quæ nihil habeat utilitatis, & plurimum laudis. Hanc igitur Propheta prætendit ad sui meriti commendationem dicens: Feci judicium & justitiam, non tradas me nocentibus me.

Pro Praxi exercendæ Justitiæ Legalis *1mo.* Ex motivo honestatis ejusdem Justitiæ, vel alio supernaturali, operari est necessarium. *2do.* Ex eadem Justitia Politici statûs superiores tenentur providere suis Inferioribus mutuam pacem & concordiam, defensionem ab hostibus, commodam rationem vivendi, eis qui serviunt Bono publico &c. & super omnia adjutorium impendere Ecclesiasticis personis ad promovendam veram fidem, & religionem, exstirpare infideles & perversos. Superiores verò Ecclesiastici statûs ex hac justitia obligantur ducere suos Inferiores ad supernaturale bonum gratiæ & gloriæ. Porrò subditi (quique in suo statu) hâc justitiâ stringuntur ad obedientiam, reverentiam, fidelitatem, obsequia, tributa, vectigalia, denique bona animi, corporis, fortunæ, in toto, vel in parte, conferenda, quantùm publicum bonum requisierit. Ecce materia justitiæ legalis, & ejus Actus. *Sic fac & vives, felix in præsenti & in futurò.*

L. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §2. & 3. *Applica quoque hìc proportionatè ex suprà datis.*

§.

De Injustitia Legali.

INjustitia opposita Legali justitiæ, est vitium, quo non servatur honestas æqualitatis cum jure communitatis, seu contemnitur

2. 2. quæst. 59. a. 1. bonum publicum. Unde *S. Thomas* docet: Illegalis injustitia secundùm essentiam est speciale vitium ab injustitia derivata.

SECTIO IV.
De Justitia particulari.

IUstitia particularis sic definiri aliter potest: *Est virtus intendens honestatem æqualitatis operationis tuæ cum jure alterius.* Id est, ut illa res, vel operatio, quæ est apud te, & ad quam habet jus alter, in tanta amplitudine proportionetur, & commensuretur juri alterius, in quantam amplitudinem jus alterius sese extendit per

respe-

respectum ad illam rem, vel operationem. V. G. habet jus aliquis ad decem aureos apud te manentes; Igitur ut æqualitatem serves illius numeri auri cum jure alterius, non sufficit reddere quinque aureos, nisi & alios quinque reddideris. Similiter habet jus alter ad te ut ei labores totâ die, non commensurabitur ad æqualitatem illius juris operatio mediæ diei, nisi totius. Porrò Justitia particularis dividitur in Distributivam, & Commutativam.

SUBSECTIO I.
De Justitia Distributiva.

Justitia Distributiva est virtus, intendens honestatem æqualitatis cum jure alterius misto ex jure communi & privato, cum mutua utriusquè juris connexione & dependentia. Dicitur: *cum jure alterius misto &c.* Quia bona, quæ per justitiam Distributivam alicui dantur, talia sunt bona, ut & ante distributionem & post distributionem maneant bona Reipublicæ seu communitatis. Unde, eadem bona quando alicui ex intentione communitatis distribuuntur, ita debent distribui, ut cedant non modò in utilitatem privatorum quibus distribuuntur, verùm & in utiltatem communitatis; adeoquè conservetur æqualitas inter utilitatem & jus utriusquè nempe privatorum & communitatis; quod fit dum benemeritis de communi bono & dignis, seu qui habent vim benefactivam, officia & bona communitatis tribuuntur, ut inde honorem & commodum pro suis meritis percipiant, & communitas ipsis se gratam præstet, aliosquè ad bene merendum inciter, ipsumquè præmiatum talem habeat, qui possit amplius de communi Bono bene mereri.

Motiva rite exercendi Justitiam Distributivam. 1mum *S. Augustinus*: Justitiâ solâ Respublica sustentatur *S. Gregorius*: Summum in Regibus est, justitiam colere, ac sua cuiquè servare; & subiectis non sinere, quod potestatis est, fieri, sed quod æqvum est custodire. 2dum Quia bene meritis & dignis conferre dignitates, officia, beneficia &c. est attigisse punctum ipsius honestatis: est honorâsse virtutem, solam dignam honore: est in tuto, pace, ac omni felicitate collocâsse Bonum publicum: cui susten-

S. August. de civ.
S. Gregor. ad Franc. Reg.

sustentando viri digni tanquam firmæ & præclaræ columnæ supponuntur, quodve ut amplius promoveant, habent ex sibi collata dignitate subsidium. Est deniquè addere animos ad heroicos ausus & magna molimina pro emolumento Reipublicæ quam cernunt esse gratam de bene meritis. Et quid dicam de Ecclesiasticis honoribus, muniis, beneficiis, si ea (ut taceam rationem meritorum) dignioribus & melioribus, non attentâ dignitate carnali & vanâ, sed virtutis, prudentiæ, doctrinæ, conferantur; quanta lux pietatis, & sanctitatis per orbem hunc tenebricosum sceleribus, solis adinstar refulgeret? quot milliones animarum â via spatiosa perditionis æternæ in perennem beatitudinem auocarentur? Videant hæc & penitiùs considerent Distributivam in manibus habentes, quàm grauiter hoc in passu Bono publico sive temporali sive æterno sunt obstricti. Equidem Capita populorum nullum vobis foret onus in portando Orbe terrarum, cui sublevando dignos vestri Comites & Vicarios substituereris.

L. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. *Circa Praxim adhibe hic convenienti methodo suprà specificata.*

SUBSECTIO II.
De Oppositis Justitiæ Distributivæ.

PRimum *per Excessum*. Quando ultra merita vel vim benefactivam amplius benemerendi de bono publico, aliquid ex bonis Reipublicæ superfluum cuipiam tribuitur, quod aliàs potuisset cessisse in majus emolumentum boni communis.

2dum per Defectum. Dum Distributor deficit â motivo formali ejusdem justitiæ, nempe â causa concernente bonum publicum, quale est meritum ac vis benefaciendi in Rempublicam seu communitatem: & vel respectum personæ habet, cui aliquid confert, vel absolutè denegat meritum beneficium. Quoad 1mum, ejusmodi vitium vocatur *Acceptio personarum*, quâ non attenditur causa. v. g. meritum vel dignitas seu vis benefactiva personæ, propter quam conferẽdum est officium aut beneficium, sed respicitur solùm præcisè persona v. g. hic Petrus, aut Paulus: vel etiam respicitur conditio aliqua personæ (v. g. divitiæ, consan-

D. Thom. 2. 2. q. 63. a. 1.

gui-

gvinitas non conferēs ad causam propter quam fit dignus illo dono. Unde Glossa super illud Eph. 6. Personarum acceptio non est apud Deum; dicit: quòd Deus judex justus causas discernit, non personas.

Contra Acceptionem personarum est. *Eccl.* Qui perdet animam suam præ confusione, & ab imprudenti persona perdet eam, personæ acceptione perdet se. *Eccl.* 20. *Petrus* ait: In veritate deprehendo quia non est personarum acceptor DEUS, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, is acceptus est illi. *Act.* 10. Super illud *Jac.* 2. Fratres mei nolite peccare. *Glossa & S. Augustinus* ait: Si hanc distantiam sedendi & standi ad honores Ecclesiasticos referamus, non est putandum leve esse peccatum, in personarum acceptione habere fidem Domini gloriæ. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ contempto paupere instructiore, sanctiore? Et *Lessius*: Acceptio personarum in Distributiva Justitia quoad Ecclesiasticos, gradus, & beneficia, ut digniores postponantur, peccatum est mortale: Unde graviter vetatur â Concilio Tridentino session. 24 C. 1. de Reform. *Lessius de Jure & Just. c.* 32. *& alii.*

Quod vero concernit Seculares dignitates, officia, beneficia; & horum distributores, iniqui per respectum personarum gravissimè quandoquè peccant ob multiplices rationes. *Ima* est, defraudatio benemerentis de Republica: alter exposuit fortunam, & periculo vitam suam, ob bonum publicum, in spem debitæ gratificationis, & ecce illâ privatur. *2do*, defraudatur Respublica intentione suâ, quæ sibi addictis ejusmodi bona cupit conferre: Unde distributor iniquus infidelis dispensationis arguitur, quòd se non conformet voluntati dispensandi bona, quæ sunt aliena nempe Reipublicæ, non verò ipsius distributoris privata. *3tia*, omnium privationis bonorum constituit se reum iniquus distributor, quæ aliàs bona redundare poterant in Rempublicam tum ex vi benefactiva illius personæ, cui debebatur recta distributio, tum ut allicerentur alii ad alacriter & fortiter agendum pro bono communi: dum vident non gratìs suos conatus & labores æstimari, iam verò his omnibus subsidiis carere debet Respublica per promotionem nec benemeritæ nec dignæ personæ. *4ta*, si indigna seu impia aliqua persona promovea-

moveatur, quæ bonis Reipublicæ in ejus exitium utatur, equidem prævidens talia distributor, quantùm pondus criminum in suum caput devolvit? *Væ potentibus! quiq; potenter tormenta patientur*, maximè ob participationem alienorum innumerabilium scelerum, quorum illi causæ morales exstitêre. Igitur *Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri Regni illius, non rectè judicâstis nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem DEI ambulâstis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum in his qui præsunt, fiet.* Et paulopost: *Fortioribus autem fortior cruciatio.* Hæc pro Ecclesiasticis & Politicis Distributoribus.

Sap. 6.

Ibidem.

1. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §2. & 3.

Ad Praxim cavendi opposita Distributivæ justitiæ applica proportionatè ex suprà dictis.

SUBSECTIO III.
De Justitia Commutativa.

Justitia commutativa, est virtus intendens honestatem æqualitatis cum jure alicujus privato. Porrò sicut multiplex est Jus privatum alicujus; ita quoquè multiplex erit Actus justitiæ Commutativæ. Hinc per homicidium vel mutilationem, nolle lædere jus alterius, quod habet ad suam vitam, & membra corporis: Item per convitium, calumniam, improperium, sive per obtrectationem, aut susurrationem, seu irrisionem nolle violare jus alicujus, quod habet ad proprium honorem, famam, amicitiam cum aliis, quietem: Item per furtum, aut rapinam, sive fraudulentiam in emptionibus & venditionibus, vel per usuram nolle alterius jus tollere, quod habet ad suam substantiam: Item per maledictionem non optare auferendum jus alicui quod habet ad bona sui corporis, animi, substantiæ: sunt actus iustitiæ sumpti negativè, quatenus non lædendo jus alterius eo ipso redditur ei quod suum est, maximè si actus voluntatis non lædendi jus alterius ex motivo honestatis in tali non læsione reperto formaliter eliciatur, erit Actus justitiæ Commutativæ & meritorius,

rius. Sicut & Actus justitiæ commutativæ erit positivus ac meritorius circa prædicta jura, quando ea quispiam alteri vult conservare, Ut v. g. in emptionibus & venditionibus.

Ecce quanta possent sibi augere justitiæ merita qui circa mercimonia vel aliam justitiæ materiam versantur; tantummodò supraspecificatos Actus justitiæ rectâ intentione præmissâ faciant; & cum reflexione ad aliquod motivum supernaturale assuescant elicere. Ad quod Curatores animarum studeant illos perducere. Reliqua, quæ *Motivum* & *Praxim justitiæ* Comutativæ concernunt, ex supradictis facilè colligi possunt.

SUBSECTIO IV.

De Oppositis Justitiæ Commutativæ.

Vitia justitæ commutativæ in duplici differentia opponuntur: Nam aliqua versantur circa commutationes involuntarias, aliqua circa commutationes voluntarias. Circa commutationes involuntarias versantur, quando aliquod nocumentum infertur proximo, contra eius voluntatem. Quod potest contingere dupliciter: Facto, & Verbo. Facto contingit homicidium, furtum, & rapina. Verbo autem, idquè extra judicium accidit contumelia, detractio, derisio, maledictio. In judicio autem ex injustitia judicis, Accusatoris, Rei, Testium, Advocati. Quæ injustitia ponetur in Oppositione justitiæ judicis, Accusatoris &c. Porrò in commutationibus voluntariis contingunt vitia; nempe fraus, usura. De quibus agendum sequentibus.

§. I.

De Homicidio, & Mutilatione membrorum.

Homicidium est peccatum, quo ex animo & intentione mors homini violenta injustè infertur.

Contra Homicidium est, *imo.* Quia homicidium est clamans in cælum peccatum pro ultione. Hinc DEUS ad Cain peremptorem Abelis dixit: *Quid fecisti? Vox sangvinis Fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram.* Deinde gra- Gen. c. 4. Exod. 20.

 vissimè

1. Joan. 3. visſimè prohibetur præcepto Divino: *Non occides.* *Joan: Omnis*
S. Aug. lib. 1. de *homicida non habet vitam æternam in ſe manentem.* 2do. *S. Auguſtinus:*
Civit. DEI. Qui ſine publica adminiſtratione maleficum interfecerit, veluti homicida judicabitur, & tantò amplius quantò ſibi poteſtatem à DEO non conceſſam uſurpare non timuit.
Idem ibidem. *Idem:* Periculosè decipiuntur, qui æſtimant eos tantùm homicidas eſſe, qui manibus homines occidunt, & non potiùs eos, per quorum conſilium, & fraudem, & hortationem homines extinguuntur.
Idem lib. 1. de Civit. DEI c. 26. *Idem:* Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc omnibus modis approbamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales, nè incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, nè hoc ipſo incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter ſua peccata præterita, propter quæ magis hac vitâ opus eſt, ut poſſint pœnitendo ſanari: neminem velut deſiderio melioris vitæ, quæ poſt mortem ſperatur, quia reos ſuæ mortis melior poſt mortem vita non ſuſcipit.

2. Paral. 24. Joas Rex Juda Zachariam lapidare jubens, vix exacto anno, magnis cladibus coanguſtatus, in lectulo à ſuis, multis vulneribus, vindice DEO, peremptus eſt. Achab Rex Iſrael occidens
3. Reg. c. 21. Naboth, audivit ab Helia ſibi prædici: *Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes ſangvinem Naboth, lambent quoque ſangvinem tuum.*

Quoad Mutilationem membrorum hæc prohibetur per pœ-
Exod. 20. nam Divinitùs ſtatutam: *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.* Adonibezec capto ab Iſrael cæſæ
Jud. c. 1. ſunt ſummitates manuum ejus, ac pedum: *Dixitquè Adonibezec: Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi DEUS.*

1. 2. tra. 1. c. 1. ſec. 4. ſubſ. 2. § 2. & 3. In *Praxi* execrandi & cavendi Homicidium, ſeu Læſionem membrorum proximi tui applica convenienter ſuprà dicta.

§ II.
De Furto, & Rapina.

V. D. Thom. 22 q. 66. art. 3. & Ibidem a. 4. **F***Urtum, eſt alienæ rei occulta ablatio* invito rationabiliter Domino. *Rapina, eſt alienæ rei violenta ablatio.*

Motiva

Motiva cavendi Furtum. *1mum Prov.* Qui cum fure participat, odit animam suam. *Eccl* Super furem est confusio, & pœnitentia. *Apostolus:* Fures Regnum DEI non possidebunt. *2dum. S. Aug.* ait: Septimum præceptum est: *Non furaberis*, & plaga septima fuit grando in fructibus; quod per furtum contra DEI præceptum subducis, de cælo perdis. Nemo enim habet injustum lucrum sine justo damno. Qui furatur, acquirit vestem, sed cælesti judicio perdit fidem; ubi lucrum ibi damnum; visibiliter lucrum, invisibiliter damnum. Lucrum suâ cæcitate, damnum, quia vivit sine æquitate: Ergo qui suo judicio forinsecus furantur, justo judicio DEI intrinsecus grandinantur, quia scilicet reatu mortis æternæ in anima feriuntur. *S. Cyrillus*: Omnis furis est mens immundissima, discordiæ amica, fellita voluntas, civilitas æmula, ferocissima vita. *Idem*: Omnis fur ante perdit sua quam aliena, nempe dat pro veste fidei gloriam, pro auro justitiam, pro libo vitam, pro accidenti substantiam, pro iniquitate pascenda, tanquam mercator stolidus virtutis charissimæ farinam perdit. Melior est igitur labor factus fructu justitiæ, quàm tempestuosissima quies rapacis avaritiæ. *Prov. 29. Eccl. c. 1. Cor. c. 6. Cyrillus lib. 3. apol. Moral. Ibidem.*

Motiva cavendi Rapinam. Prov. Alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. *Et*: Rapinæ impiorum detrahent eos, quia voluerunt facere judicium. Vel ut *Aben Esra* vertit: Rapina est quasi serra serrans, & dissecans raptorum conscientiam, animum & mentem. Rapina enim magis mordet conscientiam, quàm cætera crimina, ac sicut vulnus serrâ inflictum difficile coalescit ut tradunt chirurgi, eò quòd inæqualiter admorsæ, & dentibus serræ extritæ carnes non coeant; sic pariter vulnus menti inflictum à forti conscientia vix coalescit & persanatur, etiam post pœnitentiam, & rei furto sublatæ restitutionem; rapinæ enim præteritæ memoria jugiter conscientiam flagellat, eiquè occlamat: Cur aliena rapuisti? cur hoc te dedecore & maculâ inussisti, ut in perpetuum auditurus sis raptor, omnesquè conscii digito te ostensuri dicant: En ille raptor, En ille fur. *Eccl.* Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum homo sangvinis est. *Idem:* Qui aufert in sudore panem (id est sudoris) *Prov. 11. Prov. 21. Eccl. 34. Ibidem.*

Hom. 33. ad pop. ad doris) quasi qui occidit proximum suum. Unde *S. Chrysost*: Cæde pejor est rapina paulatim pauperem devorans. *Isaias*: Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? Hinc *S. Aug.* Ideo te quærit major raptor, quia invenit minorem raptorem: ideo te quærit major aquila, quia prior cepisti leporem. Præda tibi fuit minor, præda eris majori. *Idem*: Si in ignem æternum ibit, cui dicturus est Christus: Nudus fui, & non vestisti me; quem locum habebit in igne æterno, cui dicturus est: Vestitus fui, & spoliâsti me?

Isa. 33.
S. Aug. in psalm. 123.
Idem serm. 45. de divers.

Orosius advers. pagan. lib. 4. c. 13. Exemplum contra furtum. Fabius Censorinus Fabium Buteonem filium suum furti insimulatum interfecit: dignum scilicet facinus quod pater vel parricidii plectendum duceret, quod nè leges quidem nisi mulcta pecuniæ, aut ad summum exilii circa quemlibet hominum censuerunt.

l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3. *Ad Praxim abominandi & vitandi Furtum & Rapinam servire possunt proportionatè applicata suprà notata.*

§ III.
De Contumelia, Conuitio, & Improperio.

Contumelia, & Convitium, & Improperium, quandoquè unum pro altero ponitur. Interim tamen hæc tria consistunt in verbis, quibus aliquis id, quod est contra alicujus honorem, deducit ad ejus, & aliorum notitiam. Per Contumeliam autem exprobratur defectus culpæ; per Convitium defectus pœnæ corporalis vel spiritualis; per Improperium defectus minorationis, seu indigentiæ.

Contra Contumeliam, Convitium, & Improperium in genere.

Prov. c. 13. *Prov.* Impius confundit, & confundetur. *Et Christus*: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. *S. Joannes Chrysost*; Sive fatuum quis dixerit, sive vanum, sive latronem, sive quolibet alio nomine injuriam vel maledictum fratri ingesserit: ex quolibet horum vocabulo sub maledicti titulo gehennæ ignis suppliciis condemnatur.

S. Chrys. de comp. cordis lib. 1. To. 5.

Prov. 10. *Contra Contumeliam in specie.* *Prov.* Qui profert contume-
Eccl. c. 22. liam, insipiens est. *Eccl*: Ante ignem camini, vapor & fumus

gnis i

ignis dilatatur: sic & ante sangvinem maledicta, & contumeliæ, & minæ. *S. Basilius* Non sic Echo in ipsos clamantes intempestivè infringitur, sicut in hominem injustum & contumeliosum contumelia revertitur. Et *S. Joannes Eleemosynarius*: Iniqvum est id ab homine exprobrari, quod à DEO est clementer condonatum.)) Ita fecit in Evangelio Pharisæus ille superbus contra Publicanum pœnitentem, unde hic præ illo justificatus abscesſit. *S. Chrysost.* Non cernitis porcos cœnum edentes ac volventes? Sic & isti detractores. Quid enim fœtidius verbis quæ contumeliosi loqvuntur? *S. Gregorius*: Sæpe qui in potestate sunt ad subjectorum pasſim contumelias erumpunt, & hoc quod invigilantes regimini serviunt, per lingvæ procacitatem perdunt, minori scilicet rectitudine verba judicis pensantes; quia qui sine causa fratrem fatuum dixerit, gehennæ se ignibus adjicit. Optimè *Siracides*: Est correptio mendax in ira contumeliosi. *S. Bas. homil. de ira.* *S. Chrys. hom. 32. ad pop.* *S. Greg. Moral. lib. 5. c. 8.* *C. 9.*

Contra Convitium. *Eccl*: Mittens lapidem in volatilia, deiiciet illa: sic & qui convitiatur amico, dissolvit amicitiam.)) Ex pueris convitiantibus Elisæo hisce dictis: *Ascende calve; ascende calve*: mox quadraginta duo ab ursis lacerantur. *S. Hieronymus*: Homicidii est reatus, convitium in Fratres. *Eccl. c. 22.* *4. Reg. 1.* *Epist. 1. ad Hebod.*

Contra Improperium. *Eccl*: Homo assvetus in verbis improperii, in omnibus operibus suis non erudietur. Hinc *Palatius*: Cave nè lingva assvescat iacere in alios contumelias. Nam id signum æternæ reprobationis est; non enim tales homines â DEO erudiuntur. At verò ut beatus est, quem tu erudieris Domine, ita reprobus, ac ideo omni infelicitate infelicior, quem tu non erudieris. *Eccl. c. 23.*

In Praxi detestandi & fugiendi Contumeliam, Convitium, & Improperium, agendum est iuxta datam supra Methodum hic congruè applicandam. *l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3.*

§ IV.

De Obtrectatione.

SIcut Contumelia est publicè, seu in faciem præsentis personæ per verba læsiva honoris eius; ita *Detractio est famæ,*

 occultè

V. D. Thom. 2. 2. q. 73. a. 1. occultè, seu absentis personæ per verba, denigrativa. Contingit autem detractio directè & indirectè. *Directè* quadrupliciter: *Uno modo*, quando falsum imponit alteri. *2do*, quando peccatum adauget suis verbis. *3tio*, quando occultum revelat. *4to*, quando id, quod est bonum, dicit malâ intentione factum. *Indirectè* autem vel negando bonum alterius, vel malitiosè reticendo, vel minuendo.

Ibid. a. 2. Peccatur autem detractione mortaliter, quando fama alicuius malitiosè & ex intentione aufertur. Quia fama inter bona temporalia esse pretiosior videtur. Non est verò detractio mortalis, si ex levitate animi, vel propter causam aliquam non necessariam fiat: nisi fortè verbum quod dicitur sit adeò grave, quod notabiliter famam alicuius lædat, maximè in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ. Cæterùm si verba per quæ fama alterius diminuitur proferat aliquis propter aliquod bonum, vel necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec dici potest detractio.

Incitamenta fugiendi execrabile vitium detractonis hæc
Eccl. c. 10. afferuntur. *Eccl*: Si mordeat serpens in silentio, nihil eo mi-
Prov. 24. nus habet, qui occultè detrahit. *Prov*. Abominatio hominum
Apos. ad Rom. detractor. *Apostolus*: Detractores DEO odibiles. *S Iacobus*:
1. Nolite detrahere alterutrum fratres mei: Qui detrahit Fratri,
Jacob. 4. aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem.
S. Chrys. hom. *2dum S. Chrysost*: Grave malum est detractio, turbulen-
in psal. 100. tus dæmon, nec unquam pacatum hominem reddens. Ex ea odia pullulant, jurgia conflantur, dissidia ortum habent, suspiciones malæ procreantur, sine ulla causa hostem reddit, qui paulò antè amicus erat, vniversas domos subvertit, & pacatas urbes ad bellum excitat, pulchræ pacis vincula dissolvit, magnæ charitatis nodum infringit. Qui detractioni studet, diabolo servit, utpote qui calumniæ opera exequatur. Quare detractor
Marchan. hort. tanquam mendax & fur est propellendus. *Jacobus Marchan*. Cer-
past. Trac. 4. de tè hoc vitium comparare possumus caudæ draconis, de qua dici-
char. prop. 2. tur in Apocalypsi, quòd per illam draco tertiam partem stellarum è cælo detraxerit, quia illi qui tanquam stellæ videntur lucere, hoc vitio implicati obtenebrantur, & in perditionis abyssum ruunt.

unt. Magna utique pars hominum ob hoc vitium lingvæ maledicæ, in æternam ruinam dilabitur, etiam inter Religiosos. Sic verum eſt illud Prov. 23. *Mors & vita in manibus lingvæ*)) *Et paulò pòſt idem Author.* Sunt mulra peccata, quæ etſi committuntur, non ita tamen in omnibus locis, nec in omni tempore, nec ab omnibus perſonis. Hoc vero detractionis vitium vix ullum excipit locum, vix tempus, vix perſonam. In colloquiis privatis, in conviviis, in locis & perſonis ſacris frequentisſimum eſt. Invicem ſe mordent homines, comedunt, invicem famam dilacerant, invidiæ veneno tabefacti. Nec verò ſolùm communes perſonas virulentâ lingvâ lædunt, ſed & maximè eas quæ in ſublimitate eminent. Principes, Magiſtratus, Sacerdotes, Religioſos, Prælatos cujuslibet ordinis, lingvâ maledicâ impetere non ceſſant, & ſacro eorum ſtatui maculas inurere. In perſona eorum verè dixit Propheta: *In me pſallebant, qui bibebant vinum.* Nec ſolùm vivos attingunt, ſed & mortuos è ſepulchris educunt, ut dilanient, nullis parcunt: ita ut quilibet irreprehenſibilis licèt vitæ, debeat timere multorum lingvam maledicam, quæ ſæpè infligit vulnus irremediabile. *S. Hieronymus*: Pauci ſunt, qui huic vitio renuntient, tantaquè hujns mali libido, mentes hominum invaſit, ut etiam quàm procul ab aliis vitiis receſſerũt, in iſtud tamen quaſi in extraneum laqueum incidant. *S. Bernardus*: Alii ſimulatæ verecundiæ fuco inceptam malitiam, quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta ſuſpiria, ſicquè quadam cum gravitate & tarditate, vultu mœſto, ſuperciliis demisſis, voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tantò perſuaſibiliore, quantò creditur ab his, qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo, quod diligo, cùm ſatis & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait, benè compertum fuerat de illo iſtud, ſed per me nunquam innotuiſſet: at quoniam per alterum patefacta eſt res, veritatem negare non poſſum dolens dico, revera ita eſt.

Pſal. 68. 13.

S. Hieron. ad Celantiam.

S. Bern. ſerm. 24. in Cant.

3tium. Legitur in libro, qui dicitur Faſciculus morum: quòd ſceleratus quidam omnes detractionibus ſuis lacerare conſuetus, morte præventus eſt, non confeſſus. Neque enim merebatur, ut

Joan. Ædeus Minorita.

ut ea lingva peccati venenum evomeret, quæ tam frequenter aliorum etiam innocentiam lacesserat. Apparuit autem non longè post mortem cuidam vitæ suæ præmia condigna ostendens. Habebat autem lingvam quasi igneam ab ore usque ad terram dependentem, quam crebris morsibus idem ipse momordit, corrosit, & expuit. Cumque particulatim eam usque ad fundamenta abscissam ejecisset, rursus ad priorem quantitatem reformabatur denuo corrodenda. Quæsivit vivus à mortuo, quidnam hoc designaret? qui respondit: quoniam dum vixi per hoc membrum maledictum omnes persequebar: idcirco ab hoc tormento in perpetuum non liberabor. Per quæ enim peccavit quis, per hæc punietur.

D. Thom. 2. 2. q. 78. a. 4. *Inducens* juxta D. Thomam alium ad detrahendum, vel complacens sibi in detractione propter odium ejus, cui detrahitur, non minus peccat, quàm detrahens, imò quandoque magis. Quia secundùm Apostolum ad *Romanos primò*: Digni sunt morte non solùm qui peccata faciunt, sed etiam qui facientibus peccata consentiunt. Quod quidem dupliciter contingit. Uno modo directè, quando scilicet quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum. Alio modo indirectè, quando scilicet non resistit, cùm resistere possit. Et hoc contingit quandoque non quia peccatum placeat, sed propter aliquem humanum timorem. Dicendum est ergo quod si aliquis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori consentire: unde fit particeps peccati ejus. Et si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltèm placeat ei detractio propter odium ejus cui detrahitur, non minus peccat quam detrahens, & quandoque magis. Unde *Bernardus dicit:* Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. Si verò non placeat ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundiâ quâdam omittat repellere detrahentem, peccat qnidem, sed multo minus quam detrahens & plerumque venialiter. Quandoque etiam hoc potest esse peccatum mortale, vel propter hoc, quod alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum quod audiens novit consequens, vel propter radicem qua timor humanus quandoque qotest esse peccatum mortale.

Lib. 2. de Consid. ad Eugenium circa fin. illius:

Mo-

Motiva, non præbendi animum, vel etiam resistendi detractoribus. *S. Bern*: Nunquid non vipera est lingua ista? Ferocissima planè, nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Nunquid non lancea est ista lingua? Profectò & acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Lingua, inquit, eorum gladius acutus. Gladius quidem anceps, imò triceps est lingua detractoris. Nec verò ejusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus transfixum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoquè Christi corpus, & membrum de membro, nec jam exanimè fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoqvè nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit, seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis & pedibus consummatio Judaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim hujus quod nunc pungitur & transfoditur corporis sui vitam illius vitæ corporis prætulisset, nunquam illud pro isto mortis injuriæ, crucis ignominiæ tradidisset. Et dicimus: Levis res sermo, tenera, mollis, & exigua caro lingua hominis, quis sapiens magni pendat? Levis quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat, leviter transit, sed graviter urit, leviter penetrat animum, sed non leviter exit: profertur leviter, sed non leviter revocatur: facilè volat, atquè ideo facilè violat charitatem. Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest: Substantiâ quidem infirmum atquè exiguum, sed usu magnum & validum invenitur. *Idem*: Facilè lingua labitur, nec minùs facilè illabitur cordi, ita ut multis inter loquendum minùs profuerit, quòd propriam cohibuerint, dum non caverint alienam. Utilis est frater qui tibi loquitur, sapiens est, Religiosus ac timens DEum, plus dico, Angelus est, & Angelus lucis, etiam sic cave tibi, nè audias unde lædaris. Nec personam velim tibi suspectam esse sed linguam, præsertim in sermocinatione communi. *Idem*: Detractor, & lubens auditor, uterquè diabolum portat in lingua. Si pauper es, vilem & abjectum reputat; si dives, ambitiosum, avarum, & cupidum; si affabilis dissolutum; si prædicator vel doctor, honoris, & humani favoris quæsitorem; si tacens, inutilem; si jejunus, hypocritam; si comedens, voratorem. *S. Hieron*: Est planè hoc vitium,

S. Bern. de triplici custodia manus, linguæ, cordis.

S: Bern. Serm. de 3. custod.

S. Bern. in Serm.

S. Hieron. Epist. ad Celanciam.

um, quod vel extingvi debeat, & ab eis qui se sanctè instituere volunt prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem ac levem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi: hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia injusta nascuntur. Hoc est quod sæpè de amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas maliloqua lingva dissociat.)) Dixit Abbas Ypericus: Meliùs est comedere carnes, & vinum bibere, quàm comedere in vituperatione carnes fratrum. Sicut enim susurrans serpens Evam de paradiso excussit: ita qui fratri suo detrahit, non solùm suam, sed & audientis animam perdit.)) Legitur de quodam Episcopo in purgatorio existente, qui vehementer affligebatur in fœtore Clerici sui in inferno existentis, & ascendentis ad ipsum, qui detractiones suas libenter audiebat, & eum non satis corripuerat, quanquam esset satis bonus Episcopus.)) S. Propheta David de se ipso fatetur, quantoperè hoc vitium fugerit, dum ait: Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar. Vespasianus & Titus Imperatores tanto odio Detractores prosecuti sunt, ut flagellis cæsos veluti publico exitio destinatos, per Amphitheatri arenam spectandos traducerent. Domitianus Detractores urbe expulit, hanc vocem crebrò usurpans: Obtrectatores & Calumniatores, qui non castigat, irritat.

Ex lib. sent. Patr. §. 1. 25.

Collect. spec. exemp.

Psalm. 100.

Alex. ab Alex. lib. 3. Gen: C. 22.

Tympius in spec. Mag: p. 1. fig. 47.

Praxim cavendi facere, & audire detractiones, porrigit *Cornelius à lap.* supra illud Ecclesiastici: *Sepi aures tuas spinis, & lingvam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras*, ita dicens: Porrò variæ sunt spinæ, praxes & modi, quibus aures sepiantur detractioni, illaquè succidatur. *1mus*, Si apertè ei resistatur, & detractor increpetur, ut cùm audiens usurpet illud Christi: *Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Aut illud Pauli: *Nolite ante tempus judicare.* *2dus*, Si somnum ineat, aut simulet. Ita Machetes, si quis verbum detractionis protulisset, illicò in somnum incidebat, ait Cass. *3tius*, Si alium sermonem inducat. Ita faciebat Thomas Morus Angliæ Cancellarius, vir sapientiâ & virtute celebris, qui audiens detractionem,

Cornel. à lap. comm. in Eccli. c. 28.

Matth. 7.

1. Cor. 4.

Cassia: lib. 1 de Instit. renunc. C. 29.

sumptâ aliunde occasione aliò colloquium divertebat. Exempli gratia inquiebat: Dicat quisque quod volet, ego dicam domum illam pulcherrimè exstructam, eumquè qui illam fabricavit excellentem in sua arte esse architectum. Ita Stapleton in ejus vita. Hinc gentiles Jovem in Creta pingebant sine auribus, ut hac effigie omnes, præsertim principes admonerentur, non oportere eos aures præbere delatoribus. Midas verò Rex asininis auribus deformabatur, quia & delatores circum se, & consultores, quos hodie auditores vocant, habebat parum ab asinis differentes. *4tus*, Si superior subditos detrahentes compescat & castiget. Ita S. Franciscus ait S. Bonaventura in ejus vita c. 8. §1. suos castigabat, quin & habitu monastico spoliandos censebat. *Detractionis enim vitium inimicum fonti pietatis & gratiæ, tanquam serpentinum abhorrebat morsum, & atrocissimam pestem, & piissimo DEO abominabile esse affirmabat, pro eo quod detractor animarum sangvine pascitur, quas gladio lingvæ necat.* Et inferius: *Tantò major est* inquiebat *detractorum impietas quàm latronum, quantò lex Christi, quæ in observantia pietatis impletur, magis animarum quàm corporum nos optat amare salutem.* *5tus*, Si detractori velut cani, os proprium, quod rodat, puta vitium publicum quo laborat, auditor objiciat. Ita fecit Christus accusatoribus adulteræ: *Qui* inquit *sine peccato est vestrûm, primus, in illam lapidem mittat*: Sciebat enim illos ipsos adulteros. Sæpè enim fit, ut qui alios de vitio quopiam culpant, eodem laborent magis quàm illi quos culpant, aut certè justo DEI judicio in illud ipsum incidant. Cujus rei exemplum memorabile Machetis Abbatis recenset Cassianus. Dicat ergò auditor detractori cum Christo: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* *6tus*, Detractor inquirat & succidat radicem detractionis. Origo enim, fons & radix judicii temerarii & detractionis est amor proprius, quo ut tegamus vel minuamus vitia propria, judicamus & accusamus aliena. Quocirca omnis detractor propria mala non videns, arguit aliena. Ex adverso qui sui est inspector, proximi est laudator. Ita Pimenius Abbas apud Ruffin. lib. 3. Vit. SS. Patr. num. 133. rogatus: *Quomodo potest vitare homo nè loquatur malum*

Joann. 8. 7.

Lib. 5. de Instit. renun. C. 30.

Matth. 7. 3.

malum de proximo suo? respondit: *Ego & proximus meus duæ imagines sumus, cùm ergo meam perspexero & reprehendero, invenitur imago fratris mei apud me venerabilis: quando autem meam laudavero, tunc fratris mei imaginem pravam respicio. Tunc ergò de alio non detracto, si semper me ipsum reprehendo.* Et Joannes Abbas: *Parvam,* inquit, *sarcinam dimisimus,* id est, *nosipsos reprehendere, & gravem portare elegimus,* id est, *ut nos justificemus, & alios condemnemus.*

Epist. 2. ad Rustic. Præclarè verò S. Hieronymus eorum excusationes excludit, qui se negant obtrectatoribus aures claudere posse. *Nequè verò,* inquit, *illa justa excusatio est, referentibus aliis injuriam facere non possum. Nemo invito auditori libenter refert: sagitta in lapidem, nunquam figitur, interdum resiliens percutit dirigentem. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facilè detrahere. Cum detractoribus,* ait Salomon, *non miscearis, quia repentè veniet perditio eorum, & ruinam utriusquè quis novit? tam videlicet ejus, qui detrahit, quàm illius qui aurem accommodat detrahenti.* Dequè S. Ambrosius lib. 4. Epist. 29. Floriano normam vitæ præscribens: *De malo alieno,* inquit, *non coinquines os tuum, nunquam detrahe peccanti, sed condole: quod in aliis detrahis, in te potiùs pertimesce. Nunquam profectò detrahes, si te ipsum benè perspexeris. Tantùm cura corrigere vitam suam, quantùm perspicis alienam.* Deinde ut virus linguæ nequam caveas, claude ostium, nè cum illa sermonem misceas, illiquè blandiaris, consentias, corrideas, applaudas, itaquè ipse detrahas & maledicas. Quare *ori tuo facito* non unum, sed multa *ostia & seras.* Sicut enim civitas, domus, hortus, & vinea non tantùm sepitur muro vel sepe contra incursus bestiarum, & hostium, sed etiam multis ostiis & seris obseratur, tum ut bestiæ, & hostes excludantur, tum ut domestici egredi nequeant, nisi ad nutum heri vel custodis, qui claves tenet: ita pariter ut animam intactam à maledica lingua serves, non tantùm aures occludendæ sunt, sed & os obturandum, & clausurâ labiorum & dentium, puta obfirmatione animi ad silendum, nè interim tui sensus & cogitationes prurientes ad colloquendum, & proximi vitia narrandum, per os erumpant, hostemqvè puta maledica verba, intromittant. Ita obseravit os suum David di-

Psalm. 38. 2. cens: *Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversum me.*

Obmu-

Obmutui, & humiliatus sum, & silui. Verùm, quia hæc custodia à nobis & viribus naturæ præstari nequit, sed est opus gratiæ DEI, hinc eandem instanter invoca, dicens: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis*, puta ostium circumstans, claudens, custodiens labia mea. *Psalm. 140. 3.*

Vide quoquè supradicta, & hìc ad eradicandum detractionis vitium convenienti modo adhibe. *l. 2. tra. 1. C. 1. Sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.*

§ V.
De Susurratione.

SUsurratio est vitium, quo inter aliquos amicitia læditur, & illius intenditur separatio. *D. Tho. 22. q. 74.*

Contra Susurrationem. Levit: Non eris criminator, nec susurro in populo. *Prov:* Cùm defecerint ligna extingvetur ignis, & susurrone subtracto jurgia conquiescent. *Eccl:* Non appelleris susurro, & lingvâ tuâ nè capiaris, & confundaris. *Ibidem:* Susurratori odium, & inimicitia, & contumelia. *Eccl:* Susurro & bilinguis maledictus. Multos enim turbavit pacem habentes. Lingva tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem: civitates muratas divitum destruxit, & domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissolvit. Lingva tertia mulieres viratas ejecit, & privavit illas laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicùm in quo requiescat. Flagelli plaga livorem facit: plaga autem lingvæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per lingvam suam. Beatus qui tectus à lingva nequam, qui in iracundiam illius non transivit, & qui non attraxit jugum illius, & in vinculis ejus non est ligatus: jugum enim illius jugum ferreum est, & vinculum illius vinculum æreum est. Mors illius, mors nequissima, & utilis potius inferus quàm illa. Perseverantia illius non permanebit, sed obtinebit vias injustorum: & in flamma sua non comburet justos. Qui relinquunt DEUM, incident in illam, & exardebit in illis, & non extingvetur, & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos. *S. Gregorius:* Omnes qui per discordiam separantur, à viriditate dilectionis aresiunt: qui etsi boni

Levit. C. 19. Prov. 26. Eccl. 5. Ibidem. Eccli. C. 28.

S. Gregor. part. 3. past. admon. 24.

boni operis fructus in suis actionibus proferunt, profectò nulli sunt, quia non ex unitate charitatis oriuntur. Hinc autem perpendant seminantes jurgia, quàm multipliciter peccent, qui dum unam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas simul virtutes eradicant. In uno enim malo, innumera peragunt, quia seminando discordiam, charitatem, quæ nimirum omnium virtutum mater est, extingvunt, quia autem nihil pretiosius est DEO virtute dilectionis, nihil delectabilius diabolo extinctione charitatis. Quisquis ergo seminando jurgia dilectionem proximorum perimit, hosti DEI familiariùs servit, quia quâ ille amissâ cecidit, hanc iste vulneratis cordibus subtrahens, eis iter ascensionis abscidit. *Doctor Angelicus*: Susurratio majus est peccatum, quàm detractio, etiam quam contumelia: quia amicus (quem aufert susurro) est melior quam honor, & amari, quàm honorari, uti Ethic. c. 8. Philosophus dicit: *Et in Respons. ad 3. ait*: hoc peccatum (*Susurrationis*) maximè contra DEUM est, quia DEUS dilectio est, ut dicitur 1. Joan. 4. Et propter hoc dicitur Prov. 6. Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus: & hoc septimum ponit eum qui seminat inter fratres discordias.

S. Thom. 22. q. 74. a. 2.

Circa Praxim execrandi, & cavendi Susurrationem, proportionatè adhibe suprà specificata.

1. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3.

§ VI.
De Irrisione.

S. Thom. 2. 2. q. 75.

D*Erisio est vitium, quo intenditur proximi erubescentia.* Bifariam autem contingit. 1*mo* quando irrisio fit ore, id est verbis & cachinnis. 2*do* quando fit alio modo v. g. naso rugato, tunc ejusmodi irrisio vocatur *Subsannatio*. Porrò sicut per calumniam tollitur honor & fama, quæ proveniunt ex virtuoso opere: ita ad irrisionem per erubescentiam & confusionem propriam tollitur quædam securitas, quies, ac gloria, conscientiæ testimonium sibi perhibentis de sua virtute juxta illud Apostoli 2. Cor. 1. Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Derisio tamen est peccatum mortale dum quis alterius honorem per ludum contemnit, sicut contumeliosus honorem alterius seriosè spernit. Estquè eò gravius peccatum, quò persona fuerit majori hono-

honore digna. Cæterùm veniale est, si malum vel defectum personæ secundùm se parvum in risum vel ludum accipit. Vel si persona est talis, quales sunt pueri & stulti, quorum defectus parum ponderare solemus.

Contra Irrisionem. 1mo. *Prov.* Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit, & qui arguit impium, sibi maculam generat. *Prov. c. 9.* *Prov*: Qui annuit oculo, dabit dolorem: & stultus labiis verberatur. *Prov. c. 10.* Quod *Beda* & *Cajetanus* explicant de irrisore, qui annuens oculis dat dolorem aliis, unde pariter & ipse labiis suis verberatur, dum propter labia sua irrisoria verbis & verberibus malè afficitur. *Prov.* Parata sunt derisoribus judicia: & mallei percutientes etiam stultorum corporibus. Unde *Dionysius.* Parata derisoribus veritatis & æquitatis judicia: quoniam DEUS paratus est eos judicare & condemnare. *Prov. c. 19.* *Prov.* Ejice derisorem & exibit cum eo jurgium, cessabuntquè causæ & contumeliæ. *Prov. c. 22.* *S. Gregorius.* Timendum est nè etiam nobis cadentibus surgat, qui à nobis stantibus irridetur, quamvis stare jam non noverit, qui non stantem noverit irridere. *S. Greg. lib. 25. Moral. c. 8.* 2do. Comes Geldriæ Ottho cursorem cum literis Parisios miserat, cursu perpeti rediturum: Quem redeuntem Comes Ottho interrogans quæsivit, si Regem Franciæ Ludovicum vidisset? At ille ubi more subsannantis contorsit collum: Vidi, inquit, vidi istum miserum papalardum Regem, caputium habentem capitis super scapulas. Hæc dicens faciem contorsit ex adverso, & sic facies contorta remansit toto tempore vitæ suæ. *Cantip. lib. 2. c. 53. par. 63. de Apibus.*

In Praxi vitandæ irrisionis adhibe convenienter suprà dicta. *l. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. § 2. & 3.*

§ VII.
De Maledictione.

M*Aledictio est vitium, quo optatur malum alteri, inquantùm est malum, quasi ipsum malum intendens.* Porrò optare malum alterius sub ratione boni, sic licitum est: quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit autem aliquod malum dici imperando vel optando sub ratione duplici boni. Quandoquè quidem sub ratione justi: Et ita Ecclesia maledicit anathematizando: Quandoque dicitur malum sub ratione utilis, puta cùm aliquis optat aliquem peccato- *D. Tho. 2. 2. q. 76. a. 1.*

rem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipse melior efficiatur, vel ut saltèm ab aliorum nocumento
Ibidem a. 4. cesset. Maledicere formaliter, & magnum imprecari malum, ex suo genere mortale vitium est: quia id repugnat charitati, quâ diligimus proximum, volentes ipsius bonum. Et tantò gravius peccatum, quantò personam cui maledicimus, magis amare & revereri tenemur. Veniale autem peccatum Maledictio est, si vel malum quod imprecatur alteri, est ex se leve, vel fiat maledictio ex levi motu, aut ex ludo, aut ex surreptione aliqua: quia peccata verborum maximè ex affectu pensantur.

Lev. c. 29. *Motiva contra Maledictionem.* 1mum: *Levi:* Qui ma-
Prov. 20. c. ledixerit Patri suo, aut Matri, moriatur. *Item:* Qui maledixerit Patri suo, & (sive) Matri, extingvetur lucerna ejus in mediis tenebris. *Lucerna*, id est, lumen rationis, honoris, famæ, felicitatis præsentis, & quod majus est, lumen gratiæ DEI & gloriæ, ejusmodi maledictione deficiet: Ut maneat medius Cimmerias inter tenebras miseriæ ac calamitatis, & demùm proji-
Eccl. 21. ciatur in tenebras exteriores: *Eccl:* Dum maledicit impius ca-
Eccl. 4. lumniatorem, maledicit ipse animam suam. *Eccl.* Maledicentis tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius, ex-
Prov. c. 3. audiet autem eum, qui fecit illum. *Prov:* Nè accuses servum
Eccl. c. 3. ad Dominum suum, nè fortè maledicat tibi, & corruas. *Eccl:* Benedictio Patris firmat domos filiorum: maledictio autem Matris eradicat fundamenta.)) Cham à Patre Noë maledictus, talis in omni sua Chananæorum posteritate evasit. Sic & Ruben
Gen. 49. v. 4. à Jacob ob incestum maledictus, talis extitit; Idem contigit Levi
& 5. & Simeoni. Exemplum memorabile habet S. August. Civ. 8. de 10. prolibus à matre maledictis, qui mox horribili membrorum tremore percussi sunt, prout infra fusiùs refertur.

S. Chrysost. forte hom. 49. 2dum: *S. Chrysost:* Omnes aversantur maledicum, ut eum qui lutum redoleat, & hirundinem quæ tetra sangvine, & scara-
S. Greg. lib. 3. Dial. c. 15. beum, qui stercore, id est alienis malis aluntur. *S. Gregorius:* Neque maledici regnum DEI possidebunt. Pensa quàm gra-
S. Aug. de conflictu vitiorum & virtutũ c. 9. vis est culpa, quæ separat à regno cælestis vitæ. *S. August.* Quid de illis dicendum est, qui in furore cœcitatis usque ad verba prorumpunt maledictionis, nisi hoc quod *Apostolus ait:* Neque ma-
1. Cor. 6. ledici

ledici regnum DEI possidebunt. *Et in Proverbiis*: Maledictum frustra prolatum in quempiam devolvetur. *Interlinearis*: In proferentem. *S. Ephrem*: Verè beatus, iterumquè beatus ille est, qui à deterrimo maledicendi genere se integrum custodierit, quoniam Spiritus Sanctus in eo habitabit. Homo maledicus utroquè & odii & susurrationis morbo laborat. Et qui talis est, fratricida, & crudelis atquè immitis censetur. Quid hoc scelere gravius?

Prov. 26. *S. Ephrem, de virt. & vit. Tom. I.*

3tium. In Oratorio dum vir DEI Florentinus solus habitaret, simplicem ducens vitam, à DEO petiit, ut ei illic ad habendum aliquid solatii largiretur, qui post orationem Oratorium egressus, ante fores ursum reperit stantem, nihil feritatis in suis moribus demonstrantem, & quia in eadem cella pecudes quatuor vel quinquè remanserant relictæ à viro DEI Eutichio, eidem urso præcepit dicens: Vade & has oves ad pastum educ, ad sextam verò horam revertere. Cœpit hoc itaquè indesinenter agere: cùm vir DEI jejunare voluisset ad nonam horam, præcipiebat ursum cum ovibus reverti, cùm verò noluisset ad sextam. Cùm hoc diutiùs ageretur, cœpit longè tantæ virtutis fama increbrescere. Sed quatuor discipuli Eutichii invidentes, quòd eorum Magister signa non faceret, eundem ursum insidiantes occiderunt. Die verò altero perrexit vir DEI ad agrum, ursum pariter ovesquè quæsiturus, quem occisum reperit, sed sollicitè inquirens, citiùs à quibus fuerat occisus invenit, tunc sese in lamentum dedit, fratrum magis malitiam, quàm ursi mortem deplorans, quem Eutichius consolari studuit, sed ille magno dolore accensus imprecatus est dicens: Spero in Domino, quia in hac vita ante omnium oculos ex malitia vindictam recipient. Cujus vocem protinus ultio Divina secuta est. Nam illi quatuor elephantino morbo percussi sunt, ut membris putrescentibus interirent. Quod factum vir DEI Florentinus expavit, sequè ita Fratribus maledixisse pertimuit, omni enim vitæ suæ tempore flebat. *Aliud* B. August. scribit dicens: Unum est apud nos factum tam clarum atquè illustre miraculum, ut nullum arbitrer esse Hipponensium, qui hoc non vel viderit, vel didicerit, nullum qui oblivisci ullâ ratione potuerit.

S. Gregor. Dial. lib. 3. C. 15.

S. Aug. lic. 22. de Civit. DEI C. 8.

 Decem

Decem quidam fratres fuerunt, quorum septem sunt mares, tres fœminæ, de Cæsarea Cappadociæ suorum civium non ignobiles, recenti patris eorum obitu destitutæ maledicto matris, quæ injuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pœnâ sunt Divinitùs coërciti, ut horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum. In qua fœdissima specie oculos suorum civium non ferentes, quaquaversum cuiquè ire visum est, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, Frater & Soror, Paulus & Palladia, multis aliis locis miseriâ diffamante jam cogniti.

l. 2. tra. 1. c. 1, Sec. 4. Subs. 2. §. 2. & 3. *In Praxi vitandæ Maledictionis, & profligandæ, observa proportionatè suprà specificata.*

§. VIII.

De Fraudulentia in emptionibus, & venditionibus.

D. Thom. 2. 2. q. 77. a. 1. Ejusmodi fraudulentia committitur *imò*, si res cariùs vendatur, vel viliùs ematur, quàm in sui pretio digna est. Unde talis emptor, vel venditor, tenetur ad restitutionem. Considerato autem, quòd talis Venditor damnificetur ex venditione illius rei, unde Emptor multùm juvatur, ita licebit ratione illius damni rem cariùs vendere, quàm in se digna est. Sin verò Emptor multùm juvatur, & Venditor non damnificatur, non licebit cariùs vendere: quia nemo vendere potest, quod suum *Ibidem Art. 2.* non est, illa verò utilitas est ementis, non vendentis. *2do* committitur dicta fraudulentia in venditione rei secundùm triplicem defectum. Secundùm defectum quoad speciem, dum una species pro altera specie, v. g. vinum aquâ mistum pro puro vino, vitrum pro gemma venditur. 2. Secundùm defectum quoad quantitatem, dum mensuræ, pondera, deficiunt in debita sua proportione. 3. Secundùm defectum quoad qualitatem, dum v. g. equus infirmus vel piger pro sano aut veloce vendi- *ibid. A. 3.* tur. Potest autem nonnunquam venditor indemnitati suæ consulendo, rei occultum vitium tacere, dummodò in damnum seu periculum non vertatur emptoris, præcipuè si vitium sit occultum: cæterùm ejusmodi fraudes scienter factæ sunt illicitæ, & tenen-

tenentur ad restitutionem, ignoranter autem commissæ, tum obligant ad restitutionem damni, postquam hoc ad notitiam venerit. Idem intelligendum de Emptore, contingit enim quandoquè Venditorem credere, rem suam esse minùs pretiosam, quantùm ad speciem, sicut si aliquis vendat aurum loco aurichalci, Emptor si id cognoscat, injustè emit, & ad restitutionem tenetur, & eadem ratio est de defectu quantitatis, & qualitatis.

Contra dictam Fraudulentiam. *Prov:* Statera dolosa abominatio est apud Dominum, & pondus æquum voluntas ejus. *Ibidem: Statera & bilances judicii Domino sunt* (id est, propter Dominum sunt). Ille enim præcipit, ut æquo pondere & trutinâ justum unicuiquè tribuatur. Rursum, *Domino & Domini sunt:* hoc enim est; Dominus eorum æquitate & rectitudine delectatur. *Eccl:* Noli anxius esse in divitiis injustis, non enim proderunt tibi in die obductionis, & vindictæ. *Ezech:* Qui dissolvit pactum (*seu contractus*) nunquid effugiet? *S. August:* Ille verò non solùm Christianus est, sed & ipse Christus in illo habitat, qui stateras dolosas & mensuras duplices velut gladium diaboli pertimescit. *S. Hieronymus:* Manus assveta thesaurum condere, fraudulentam lingvam possidet.)) Unde *Christus* inter præcepta enumerat dicens: Nè fraudem feceris. *Apostolus:* Quare non magis injuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum DEI non possidebunt?

Prov. C. 11.
Prov. c. 16. v. 11.
Eccl. C. 5.
Ezech. C. 17.
S. August. Serm. 2. de tempore.
S. Hieron. Cap. 6. Michææ.
Marci 10.
1. Cor. 6.

Ad Praxim detestandi & cavendi specificatam Fraudulentiam accipe proportionatè methodum juxta suprà data.

l. 2. tra. 1. c. 1. Sec. 4 subs. 2. §. 2. & 3.

§ IX.

De Usura.

U*Sura est lucrum immediatè proveniens, ex mutuo, tanquàm debitum ex justitia.* Ubi lucrum intelligitur exactio rei ultra sortem seu summam mutuatam, sive eadem res, sit ejusdem speciei cum sorte, sive alterius speciei, modò sit pretio æstimabilis. Deinde hic materia mutua supponitur res usu consumptibilis, unde in reddendo mutuo, creditori, non tenetur debitor ean-

dem numero rem reddere, sed nonnisi specie v. g. non eandem numero pecuniam, vel vinum, sed specie eandem pecuniam, aut vinum. Dicitur: *tanquam debitum ex justitia.* Quia si lucrum detur ex alia virtute, v. g. liberalitate, vel tanquam quid gratuitum, aut ex amicitia, sive etiam vi lucri, aut damni emergentis, uti ex hoc motivo nunc permittitur 5. vel 6. à centum accipere, hoc lucrum non est usura.

Usura alia est *Realis*, includens pactum saltèm implicitum, reddendi aliquid supra sortem. Alia usura est *Mentalis*, dum mutuans intendit ex mutuo lucrum, quanquam hoc extrinsecus non aperiat. Item alia usura est *Formalis*, quando aliquis re ipsâ mutuo tradit alteri rem. Alia usura est *Virtualis*, quæ importat mutuum implicitum & palliatum alio contractu.

Porrò Usuram esse peccatum. Quia per illam accipitur pretium pro nihilo, v. g. pro consumptione seu *usu rei*, unde nomen usura, quæ consumptio quasi annihilatio quædam rei est. Unde non servatur æqualitas inter datum & acceptum, quod injustum ac illicitum est.

Levit. 25. *Motiva ad fugam Usuræ.* 1mum *Præceptum DEI*: Pecuniam non dabis fratri tuo ad usuram, & frugum abundantiam non exiges. *Deuter, 23.* *Et*: Fratri tuo absque usura commodabis id, quo indiget, ut benedicat tibi Dominus in omni opere tuo. *Luc. C. 6.* *Præceptum Christi*: Mutuum date nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa.

S. Chrys. hom. 12. in Matth. C. 5. 2dum. *S. Chrysost*: Pecunia usuraria similis est morsui aspidis Percussus ab aspide quasi delectatus in somnum vadit, & per suavitatem soporis moritur: quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit, sic qui pecuniam sub usura accipit eo tempore quasi beneficium sentit, sed usura per omnes ejus facultates decurrit, & totum convertit in debitum, id est hominem cum substantia devorat. *S. Amb. Epist. 70. ad Vigilium.* *S. Ambrosius*: Non dabis pecuniam tuam ad usuram, quoniam scriptum est, quòd is qui pecuniam suam non dedit ad usuram, habitabit in tabernaculo DEI. Nam ille est supplantator, qui usurarum captat emolumenta. Itaque vir Christianus, si habet, det pecuniam quasi non recepturus

pturus, aut certè sortem quam dedit recepturus. Habet in ea non mediocrem usuram gratiæ. Alioquin decipere istud est, non subvenire. Quid enim durius quàm ut des pecuniam tuam non habenti, & ipse duplum exigas? qui simplum non habuit, unde solueret, quemadmodum duplum solvet? Exemplo nobis sit Tobias, qui nunquam requisivit pecuniam quam dederat, nisi in extremo vitæ suæ tempore, magis nè fraudaret heredem, quàm ut depositam pecuniam cogeret ac recuperaret. Populi sibi conciderunt fœnore, & ea publici exitii causa extitit. Unde nobis Sacerdotibus id præcipuè curæ sit, ut ea vitia resecemus, quæ in plurimos videntur serpere. *Idem*: Spina usura est, spina centesima est: tribulus fœnus est, malè urit. Quomodo ergo potes fructum habere de spinis? Si iste fructus de spinis non nascitur, illic nascitur æternus. De ærumnis ditaris, de lachrymis lucrum quæris, de fame alterius pasceris, de exuviis spoliatorum hominum cudis argentum, & judicas te divitem, qui stipem poscis à paupere? Sed audi quid dicat Salvator; Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. *Idem*: Potestis benedicti esse si velitis. Potestis justi esse. Homo enim justus secundùm Ezechielem, qui pignus debitori reddiderit, & pecuniam suam in usuram non dederit, & superabundantiam non acceperit, & ab injustitia averterit manum suam; justus est, inquit, iste: vitâ vivet dicit Dominus: Qui autem pignus non reddidit, & in simulachra apposuit oculos suos, iniquitatem fecit, cum usura dedit, & superabundantiam accepit, hic vitâ non vivet: omnes iniquitates istas fecit, morte morietur: sangvis ejus super ipsum manet. Vide quomodo fœneratorem cum idololatria copulavit, quasi crimen æquaret. *Idem*: Dives es, non sumas mutuum; pauper es, non sumas mutuum. Dives es, nullam pateris petendi necessitatem. Pauperes, considera soluendi difficultatem. Opulentia usuris minuitur: Paupertas usuris non levatur. Nunquam enim malum malo corrigitur, nec vulnus curatur vulnere, sed exasperatur ulcere. *S. August.* Quid dicam de usuris, quas etiam ipse leges & judices reddi jubent? An crudelior est qui subtrahit aliquid vel eripit diviti, quàm qui trucidat pauperem fœnore? Hæc atque hujusmodi malè utique possidentur, & vellem

Idem in tract. de Tobia C. 14.

Ibid. C 15.

Ibid. C. 21.

S. August. ad Maced. Epist. 54.

vellem ut restituerentur. Sed non est, quo judice repetantur. *Idem de verbis Apost.* Idem. Quod invenisti & non reddidisti, rapuisti. Qui alienum negat, si potuit, tollit.

S. Bernard. Serm. 43. art. 3. c. 5. 3tium. *S. Bernardinus Senensis.* Legitur, inquit, de usurario quodam, quòd nocte quadam, post splendidam cœnam cùm dormiret in lecto cum uxore sua, subitò expergefactus exilierit de lecto: cùm autem ab uxore sua quid haberet, interrogaretur, ait: Modò raptus fui ante judicium Dei, sunt opposita contra me, quòd nec scivi, nec potui respondere: cumquè fuerim diu ad pœnitentiam expectatus, nec hucusquè volui Divinis præceptis & bonis inspirationibus obedire: audivi nunc Judicem contra me sententiam protulisse, mequè datum audivi potestati dæmonum, qui me hodie ad æterna supplicia asportare debeant. Quo dicto de pertica, vili veste assumptâ domum rapido cursu egressus est: quem sui hinc inde quærentes in quodam monasterio Monachorum matutinum cantantium invenerunt. Cunctis igitur eum ad pœnitentiam inducentibus, nec proficere valentibus, ratione, aut exhortatione, vel precibus, custoditus est diligenter usquè ad sextam horam. Denique cùm ejus consangvinei domum illum reducere vellent, & ad quendam fluvium, per cujus pontem transituri erant, pervenirent: Viderunt navim quandam rapido cursu ascendentem, à nullo, ut videbatur, conductam, sed ab usurario plena dæmonibus visa est, qui, ut ait, ideò venirent, ut eum ad æterna supplicia asportarent. Quo dicto statim violenter de manibus eorum à dæmonibus rapitur, & in navem projicitur, & cursu rapido retracta subitò disparuit cum dæmonibus & præda præfata & navis. *Nicolai Dinckespule.* *Aliud.* Legitur in libro de septem donis, quòd Frater Wilhelmus Pictaviensis, minister Ordinis fratrum Minorum, prædicavit in quâdam civitate, quòd quidam frater Ordinis sui, homo valde religiosus, vidit in quadam visione hominem unum in medio flammarum prostratum, de cujus utero procedebat arbor alta, in cujus ramis homines diversi, masculini & fœminini sexûs, sursum pedibus, & capite deorsum suspensi erant, qui omnes flammâ ab imo procedente diversimodè & acerrimè torquebantur. Sed ille, qui in fundo jacebat,

bat, super omnes alios maximè cruciabatur. Et cùm ille frater, qui hæc audiebat, quæreret à Ductore suo, quid hoc esset? respondit ei: Ille, qui jacet in imo, pater fuit, & principium generationis istorum omnium, & fuit pauper, & per usuras ascendit. Alii omnes sunt filii sui & nepotes, qui processerunt ab eo, in quibus ipse delectabatur, & torquentur, quia fuerunt imitatores sceleris paterni, & quia per usuras acquisita possederunt, nec restituerunt; Pater autem super omnes torquetur, videndo illos, qui per eum in hoc tormentum venerunt, & pro omnibus his pœna ei cumulatur.

4tum. Exempla Profana. Romani 12. tabularum caverunt, nè quis plus unciario fœnore fœneraret: mox tribunitiâ rogatione ad semiunciam fœnus redactum est, statim ad semissem, posteà ad trientem; demum L. Semutius tribunus plebis tulit ad populum, nè omninò fœnerari liceret: paulatim iterum fœnus succrescens, Cæsar succidit. *Aliud.* Ex Catone Censorio cùm quispiam percontaretur, quid in re domestica maximè expediret? respondit: Benè pascere, benè vestire, & benè agrum colere, & ille qui quæsierat: quid fœnerari? Cato, quid? hominem (inquit) occidere: Non minùs igitur fœneratorem peccare censuit quàm homicidam. *V. Beyerlinck. Cic. lib. 2. Offic.*

In Praxi abominandæ & cavendæ Usuræ adhibe convenienter suprà notata. *l. 2. tra. 1. C. 1. Sec. 4. Subs. 2. §. 2. & 3.*

SUBSECTIO V.

De actu justitiæ Commutativæ, qui est Judicium.

JUdicium est actus justitiæ commutativæ, quo ex ejusdem motivo, publica authoritate, ad leges, & rectam rationem aliquid juris vel justi secundùm allegata & probata decernitur. Dicitur; *Actus Justitiæ* &c. Quia aliquid benè definire in operibus virtuosis propriè procedit ab habitu virtutis, sicut rectè castus determinat ea, quæ pertinent ad castitatem: Et ideo etiam recta determinatio justi, seu ejus quod est justum, pertinet ad justitiam. Unde Philos. Eth. 5. dicit, quòd homines ad judicem confugiunt, sicut ad *D. Thom. 2. 2. q. 60. a. 1.*

quan-

Ibid. q. 60. a. 2. quandam justitiam animatam. Porrò Judicium ut sit actus justitiæ, tria ad hoc requiruntur: *1mo* quidem, ut procedat ex inclinatione justitiæ. *2do*, quòd procedat ex authoritate præsidentis. *3tio*, quòd proferatur secundùm rectam rationem prudentiæ. Quodcunque autem horum defuerit, judicium erit vitiosum & illicitum. Uno quidem modo, quando est contra rectitudinem justitiæ. Et sic dicitur judicium perversum, vel injustum. Alio modo, quando homo judicat de his, in quibus non habet authoritatem: & sic dicitur judicium usurpatum Tertio modo, quando deest certitudo rationis, puta cùm aliquis de his judicat, quæ sunt dubia vel occulta propter aliquas leves conjecturas, & sic dicitur judicium suspiciosum, vel temerarium.))

S Aug. de Civit. DEI lib. 16. His adnecto *S. Augustinum* qui ait: Ignorantia iudiciis plerumquè est calamitas innocentis.)) Ratione publicæ authoritatis in judice: quia sicut *D. Thomas* inquit: Judex constituitur ut minister *D. Thom. 1. 2* DEI. Unde dicitur: *Quod justum est, judicate.* Et postea subdit: *Deuter. 1.* *Quia DEI est judicium.* Dicitur in definitione: *2dùm allegata & In 2. ad Cor.* *probata*: quia ut S. Ambros. ait: Judicis non est sine accusatore damnare, quia Dominus Judam licèt fuisset fur, cùm non esset accusatus, minimè abjecit.

Deuter. C. 25. *Motiva* Sectandi justitiam in judicio. *1mum. Deut.* Si fuerit causa inter aliquos, & interpellaverint Judices, quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt, quem impium condemnabunt, impietatis. Pro mensura peccati erit & plagarum modus. *Psalm. 105.* *Psalm.* Beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore. *Sap. 1.* *Sap.* Diligite justitiam, qui judicatis terram. *Eccl. 7.* *Eccl.* Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, nè fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua. *Prov. 16.* *Prov.* Justitiâ firmatur solium. *Prov. C. 29.* *Prov.* Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam.

Petrus Raven. in quadam Epist. *2dum. Petrus Ravennat.* Nihil adeò gloriosius lucet in judice, sicut amare & exhibere justitiam sine omni acceptione personarum, teste enim Cicerone: Exuit personam judicis, quisquis amicum induit. Æquitas cui judex obsequitur, sinistram odii, vel amoris dexteram nescit. Nam talis debet esse juris minister, ut in ejus manu nullius authoritate personæ titubet, aut vacillet libra justitiæ.

3tium:

3*tium*: *Exemplum DEI*, de quo Pſalmiſta: Juſtus Dominus & juſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. *Et*: Juſtus es Domine: & rectum judicium tuum. *Exemplum Chriſti*: de quo Iſaias: Non ſecundùm viſionem oculorum judicabit, neque ſecundùm auditum aurium arguet; ſed judicabit in juſtitiâ pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ.)) Præclarum è multis hîc afferre libet Exemplum Magni Mori Angliæ Cancellarii Cùm enim gener ejus injuſtam litem coram ſe instituerer, monuit ipſum, ut ab ea deſiſteret. Quod cùm non faceret, contra eum expeditè tulit ſententiam. Aliud ejus in tribunalibus innocentiæ argumentum hoc fuit, inſigni cum lepore mixtum. Quidam cui lis cum vidua quadam interceſſerat, cùm Thoma judice, causâ cecidiſſet, calumniatus eſt poſt prolatam ſententiam, Morum ab adverſaria poculum aureum accepiſſe. Res ad Regis aures pervenerat. Jubetur in diem certum adeſſe vidua. Eâ præſente, coram multis nobilisſimis viris rogat Cancellarium Rex, an poculo aureo ab illa vidua remuneratus fuiſſet. Fatetur Morus. Hoc cùm indigniùs Rex ferre videretur, orat Morus, ut interrogetur Matrona, quid porrò de poculo factum ſit, reſpondit illa, Cancellarium hilari quidem vultu, promptâ manu ſcyphum accepiſſe, & magnas egiſſe gratias, convocatâque familiâ, magnificis verbis donum prædicâſſe, verùm poſtulato vino ipſi hilariter præbibiſſe, ſimulque poculum reddidiſſe. Indignatus Rex ob rem tam futilem ſe interpellari, objurgatos delatores faceſſere jusſit. Luculentum & hoc ejus in re judiciaria ſpecimen extitit. Eſt tribunal illud Londini ſupremum, cui præſidebat Morus, ita cauſis & litibus prægravatum, ut vix unquam fiat, quin innumeræ controverſiæ pendeant non deciſæ. Certè Moro Magiſtratum hunc ineunte viginti facilè cauſæ injudicatæ hærebant. Ille verò tam dextrè & feliciter hoc munus gesſit, ut (quod antea nec deinceps unquam viſum) ſemel tribunal de more conſcendens, & lite quâdam expeditâ ſequentem proferri jubens, reſponſum acceperit, nullam illic ampliùs cauſam ſupereſſe. DEO igitur gratiis actis, quod negotioſisſimum illud tribunal ſemel vacaret, lætus ſurrexit, & jusſit in acta referri. Porrò quantùm abhor-

Pſalm. 10.
Pſalm. 118
Iſa. c. 11.
P. *Michael Perxenfelder Conc. Hiſtor. hiſtoria* 114.

abhorreret à rebus iniquè partis familiari verbo ostendebat; cúm diceret: *Qui cum DEI offensa bona mundi vel acquirit, vel conservat, certissimè sibi persvadeat illa bona nunquam ei bona futura, nam vel citò DEUS malè parta auferet, vel ad majus malum conservari permittet.* Inter Ethnicos quoquè Principes ac Judices non defuerunt, qui insigni justitiæ laude florerent. In quibus fuit Trajanus Imperator, qui profecturus ad bellum, cùm equum jam conscendisset, vidua quædam occurrit altâ voce inclamans: Filius meus ô Cæsar te regnante interfectus est: Mox apprehenso pede illius dixit: Obsecro Domine, ut cùm eum mihi reddere non valeas, sangvinem saltèm ejus vindicare velis. Ego, ait ille, satisfaciam tibi cùm rediero. Quid si non redieris? subjungit illa, quis mihi judicium præstabit? Successor meus, respondet Imperator. At illa: Quando hoc sciam? quod etsi facturus est, quid tibi proderit, si alius benefecerit? Successor tuus injuriam patientibus, vel passuris, pro se tenebitur, te non liberabit à justitia aliena, nonnè melius tibi sit, si tu justitiam mihi administres, & pro hoc mercedem à Diis recipias, quàm alteri causam transmittas? Movit Imperatorem pietas, & equo descendens causam viduæ diligenter examinavit, eamquè condignâ satisfactione consolatus est. *Aliud.* Totila Gothorum Rex homo cæteroquin barbarus, æquitate judicandi præcelluit. Fortè accesserat ad eum Calaber quidam, incusaverat à Satellitio regio quendam filiæ suæ per vim oppressæ. Totila statim hominem in vincula dat, debitas pœnas sumpturus. Remorantur sententiam milites miseratione, an cupidine paris licentiæ tacti, agmine facto adeunt Regem, petuntquè dimitti, ac donari sibi commilitonem notâ virtute ac fortitudine clarum. Totila auditos acri oratione castigat, & altâ voce ingeminans: *Non feram,* inquit, *non feram, justitiæ vim fieri, vos si ferre vultis, me auferte. Ecce corpus & pectus, aut peream ego, aut perdam malos.* Quibus verbis moti sunt militum animi, & judicium Regi permiserunt, qui stupratorem è carcere eductum gladio feriri jussit, damnatiquè fortunas vitiatæ tanquam in dotem addixit.)) Visus est DEUS hanc utriusquè Principis justitiæ laudem remunerari, nam & Trajanus toto Oriente victor, se Romanum

Vincentius Belluac. Spec. histor. lib. 10. c. 46.

Timpius in Spec. Princ. Sig. X. c. 11. Sigonius ad annum 543. Baron. ad annum 547. 542. 543. 546.

prædicabat Alexandrum: Totila verò exercitu non amplius quinquè millium è Gothis non semel cæsis collecto, collatis signis Romanos Duces superavit, Italiam & Siciliam in potestatem redegit. Neapolim & Romam ipsam cœpit.

Circa Praxim servandæ justitiæ in judicio adhibe proportionatè suprà dicta. 1. 2. tra. 1 c. 1. Sec. 2. Subs. 4. §. 2.

SUBSECTIO VI.

De Competitoribus Judicii.

POst Judicem ejusmodi sunt Accusator, Reus, Testes, Advocatus.

§. I.

A*Ccusator juxta Isidorum quasì Adcausator, qui ad causam* (id est ad respondendum coram Judice) *vocat eum, quem appellat*, seu insinuat deliquisse. Porrò Accusatio talis, si fiat ex motivo justitiæ, erit actus justitiæ; si ex motivo Correctionis fraternæ, juxta illud Christi: *Dic Ecclesiæ*, erit actus charitatis & misericordiæ. lib. 8. Orig. Matth. 18.

§. II.

R*Eus ille est, cujus delictum denunciatur Judici.* Unde, si in veritate culpabilis est, & agnoscit, fateturquè se peccâsse, exercet actum Humilitatis; tum justitiæ Legalis, in cujus gratiam tenetur publico bono privatum suum postponere; insuper & vitam propter illam profundere, dum aliàs Communitati malum imminet: jam verò Reus, maximè qui se æstimat difficilè corrigi posse, nisi pœnis urgeatur, est publicum malum Communitatis. Igitur ob bonum commune Reus fatens culpam suam, paratus ad subeundam justitiæ pœnam, exercet actum justitiæ Legalis.

§. III.

T*Estis*, quasi tenens statum causæ in judicio, concurrit, juxta *Christi doctrinam*, ad opus Correctionis fraternæ, dum privatim non emendatum & delatum ad judicium, suis testimoniis Matth. 18.

Prov. c. 14. culpam delati confirmat. Deinde *liberat animam testis fidelis*, qui est actus Misericordiæ. Vel testimonium prolatum ex motivo justitiæ, erit quoquè ipsius actus.

§. IV.

ADvocatus, qui propriè vocatur Patronus Causarum, si hæ justæ sint, quid aliud quàm justitiæ defensorem ejusmodi Causidicus agit? Tum insuper multiplex opus Misericordiæ exercet, ut manifestum est. *S. Gregorius* inquit: Justus Advocatus à nullo injustas causas accipit, nec verba dare pro injustitia sustinet.

S. Greg. super Ezechiel.

In Praxi servandi justitiam à Competitoribus Judicii, applicentur convenienter suprà specificata.

l. 2. tra. I. c. I. Sec. 4. Subs. 2. §. 2. & 3.

SUBSECTIO VII.

De Injustitia Judicis, Accusatorum, Rei, Testium, Advocatorum.

§. I.

INjustitia Judicis *imò* committitur quoad substantiam judicii, dum scilicet non decernit id, quod aliquem concernit. *2dò.* Quoad modum, dum format processum judicii non juxta leges, vel allegata, & probata &c.

Exod. 23. *Motiva vitandi Injustitiam Judicii. Imùm. Exod:* Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à veritate devies Pauperis quoquè non misereberis in judicio. *Eccl:* Judex sapiens judicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit. Secundùm Judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis rector civitatis, tales & habitantes in ea. *Deut:* Maledictus, qui pervertit judicium advenæ, pupilli, & viduæ. *Prov:* Et qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterquè apud DEUM. *Esa:* Væ! qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo. *Idem:* Væ! qui condunt leges iniquas,

Eccl. 10. Deut. 27. Prov. 17. Esa. 5. Idem 10.

iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt; ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum, & pupillos eorum diriperent. Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longè venientis? ad cujus confugietis auxilium? *Amos*: Quoniam convertistis in amaritudinem judicium, & fructum justitiæ in absinthium, qui lætamini in nihilo: Ecce ego suscitabo super vos domus Israël, dicit Dominus exercituum, gentem, & conterent vos. *2dùm. S. Gregorius*: Judicare digna de subditis nequeunt, qui in subditorum causis vel odium, vel gratiam sequuntur. *S. Bernardus*: Quid faciet de injustis judiciis, qui ipsas quoquè justitias judicabit, qui cuiquè merita recitabit? Veniet, inquam, veniet Dominus judicii, ubi plùs valebunt pura corda, quàm astuta verba: conscientia bona, quàm marsupia plena: ibi judex non falletur verbis, nec flectetur donis. *S. Isid:* Graviùs lacerantur pauperes à pravis judicibus, quám à cruentissimis hostibus: Nullus enim prædo tam cupidus in alienis, quàm judex iniquus in suis. *Idem*: Qui enim consanguinitatis, vel amicitiæ favore, sive inimicitiarum odio judicium pervertunt, sinè dubio in Christum, qui est veritas, & justitia, peccare noscuntur. *S. Bernardus*: Non parvi te reum peccati existimes, si facies peccatorum sumis, & non potiùs causas judicas meritorum. Est enim vitium, cujus si te immunem sentis, inter omnes quos novi, ex his qui cathedras ascenderunt, sedebis me judice solitarius; quia veraciter singulariterquè levâsti te, super te. Hujus callidissimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi satis cavisse versutias. *3tiùm.* Cambyses Rex Persarum, Judici iniquo, & muneribus corrupto, pellem detrahi, & Judicum tribunali insterni jussit, ut vel hujus exempli severitate moti, justiùs judicarent.

Amos 6.

S. Gregor. in Moral.

S. Bern. in Epist.

S. Isid. de summo bono lib. 3.

Idem lib. 3. Sent. c. 53.

S. Bern. de Consid. lib. 2. ad Eugen. Pontif.

Faber in auct. Them. 5. in festo S. Barthol.

§. II,

INjusta omnis redditur *Accusatio*, vel per calumniam falsa crimina imponendo, vel per prævaricationem, fraudem scilicet in accusatione adhibendo, vel per tergiversationem, omnino

D. Thom. 2. 2. q. 68. a. 3.

Prov. c. 22. videlicet ab accusatione desistendo.)) *Prov*: Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit.

§. III.

S. Thom. 2. 2. q. 69. INjustitiam *Reus* committit, si justè requisitus, veritatem, quam confiteri tenetur, tacet, vel falsitatem dicit, vel quoquo modo mentitur. Deindè si injustè appellat, ut remoretur decretum. Deniquè si justè condemnatus sese defendit. Quia quoad *1mum.* Cùm Iudex habeat jus, ut Reus ipsi obediat manifestando veritatem, hoc Jus à Reo læditur per inobedientiam, occultando veritatem. Quoad *2dum.* Quia facit injuriam Judici, cujus officium impedit, & adversario, cujus justitiam, quantùm potest, perturbat. Quoad *3tium* Quia defendendo se, dum potestati resistit, DEI ordinationi resistit, qui potestatem instituit ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. *S. Ambrosius*: Mitigat Judicem pudor Reorum, excitat autem pertinacia negantium.

S. Amb. de Cain & Abel.

§. IV:

INjustitia *Testium* in judicio trifariam committitur, vel occultando veritatem, nè alter liberetur: vel dicendo falsum testimonium, ut alter condemnetur, aut etiam liberetur.

Exod. 20. Mandatum DEI grave. *Exod*: Non loqueris contra *Prov. 21.* proximum tuum, falsum testimonium. *Prov*: Testis mendax *Origenes super Levit.* peribit. *Origenes*: Si quis ea, quæ videt in proximi sui delicto, vel non indicat, vel in testimonium vocatus, non quæ vera sunt, dixerit, peccatum, quod commisit ille, qui celat, ipse suscipiet, & pœna commissi revertitur ad conscium.

Daniel. 3. Falsi Testes Susannam adulterii insimulant, mendacii au- *Plutarch. in Apophť.* tem convicti lapidati sunt. Pericles amico roganti, ut pro se falsum testimonium diceret, se quidem Amicum esse dixit, sed usquè ad Aras.

§ V.

D. Thom. q. 71. ADvocatus delinquit, dum pauperum causas (si scilicet eis aliter occurri non potest) minimè defendit, aut causam injustam defendendam suscipit.

Advo-

Advocatus quidam multarum causarum injustarum patronus effectus, post mortem absquè lingva repertus est, justo DEI judicio, quo effectum, ut lingvam perdiderit moriens, quam vivens toties vendiderat. Cæsar lib. VII. hist. c.46.

Circa Praxim cavendi injustitiam in judicio ab ejusdem competitoribus, serviunt suprà notata hic proportionato modo applicata. I. 2. tra. I. c. I. Sec. 4. Subs. 2. §. 2. & 3.

SUBSECTIO VIII.

De Actu Justitiæ Commutativæ, qui est Restitutio.

Restitutio, est actus justitiæ commutativæ, quo iteratò aliquis statuitur in possessionem, vel dominium rei, vel honoris, vel famæ suæ, formaliter, sive æquivalenter, vel alio possibili modo. Ratio est; quia ad eandem virtutem pertinet illæsum jus alienum servare, & læsum reparare. Deindè si res seu bonum utile restituendum est, multò magìs id verum de bono honesto, qualis est honor, & bona fama, multò enim pretiosius hoc bonum, utpotè proprium naturæ rationalis præ illo, quod etiam est commune cum brutis, æstimatur, adeoquè magìs in jure istius quàm illius homo læditur. V. D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 1. & 2.

Motiva ad faciendam Restitutionem sunt hæc. Imùm. *Apostolus* monet, dicens: Reddite omnibus debita. Rom. 13. 2dùm. D. *Augustinus* ait: Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur; pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si (ut dixi) restitui potest. Epist. ad Maced. 14. 9.6. *Origenes:* Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant, & dicunt: DEUS mihi dedit, cui habeo reddere? Discant ergo, peccatum hoc esse, simile rapinæ, si quid inventum non reddant. Orig. super Levit. 3tiùm. Ratio ex S. Thoma est: quia Restitutio est actus justitiæ commutativæ, jam verò conservare justitiam, est de necessitate salutis. Ergo & restituere, quod injustè ablatum est, est de necessitate salutis. D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 2. Ratio ex eodem S. Doctore ulterior Ibid. Ar. 8. & 1.

ulterior est. Quia præceptum de restitutione facienda, quamvis secundùm formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere. Atqui præceptum negativum obligat pro semper. Ergo & restituere, obligat pro semper, nisi adsit impossibilitas.

Collector Specul. Exempl.

4tum. Quidam dæmoniacus ductus erat ad quendam S. Virum, qui præcepit dæmoni, ut exiret, & nomen suum diceret: Nos (ait ille) sumus tres, qui habitamus in isto homine, & ego vocor claudens cor, & officium meum est, cor peccatoris claudere, quòd non possit habere contritionem: si verò contritionem habuerit, tunc frater meus, qui hic moratur, vocatur claudens os, qui laborat ad hoc, ut homo non possit confiteri. Sed si confitetur & convertitur, tunc tertius frater meus, qui hic moratur, vocatur claudens bursam, nè pecunia deficiat, & incidat in paupertatem, qui laborat ad hoc, ut non satisfaciat restituendo ablata, & injustè acquisita. Et ille plures nobis omnibus acquirit, quia licèt conteruntur quandoquè & confitentur, tamen raró vel nunquam omnia plenè restituunt, & sic seipsos damnant, quia peccatum non dimittitur, nisi res ablata restituatur.

Collector Speculi Exempl. apud P. Majorem tit. Restitutio

Cæsarius lib. 2. c. 35.

Damianus Epist. ad Dominicum c. 8.

Aliud. Puer quidam oblitus restituere exiguum accommodatum, atrocissimè igne purgatorii torquebatur, donec per restitutionem factam liberatus est. *Aliud.* Religiosus quidam, quos Conversos vocant, ob Naulum medii denarii haud solutum, minimè potuit venire ad requiem æternam, quousquè idem pretium persolveretur. *Aliud.* In Teutonicis partibus Comes quidam dives ac præpotens, sed (quod in illo ordine hominum prodigium est) bonæ opinionis, & innocentis vitæ, prout humanum de ejus æstimatione erat judicium, ante decennium verò defunctus est. Post cujus obitum quidam Religiosus vir per Spiritum ad inferna descendit, præfatumquè Comitem in supremo gradu cujusdam scalæ positum vidit. Ajebat namquè: quia scala inter stridentes & crepitantes ultricis incendii flammas videbatur erecta, atquè ad suscipiendos omnes, qui ex ejus Comitis Genealogia descenderent, constituta. Erat autem tartarum immanè & infinitè patens, atquè in profunda diversum, unde scala producta surgebat. Hoc igitur ordine succe-

ſuccedenti uni ſibimet ſeries texebatur, ut cùm quis eorum novus accederet, primum interim ſcalæ teneret gradum: is autem, qui illic repertus erat, aliiquè omnes ad proximorum ſibi graduum ima deſcenderent. Cùmquè alii atquè ex eodem genere homines poſt carnis opera ad præfatam ſcalam per temporum intervalla confluerent, alii protinus cedentes, inevitabilis neceſſitate judicii ad inferiora migrabant. Planè cùm vir, qui hæc contemplabatur, cauſam hujus horrendæ damnationis inquireret, & præſertim, cur ille Comes ſui temporis puniretur, qui tam juſtè, tam honeſtè, tamquè decenter vixiſſet, audivit, quia propter quandam prœdii poſſeſſionem Metenſis Eccleſiæ, quam Beato Stephano proavus ejus abſtulerat, cui videlicet jam iſte decimus in hereditate ſucceſſit, omnes iſti non diverſo ſupplicio deputati ſunt; Et ſicut eos ad peccandum non diſpar avaritiæ culpa conjunxit: ita nihilominus ad perferendas atroces pœnas incendii, commune ſupplicium copulavit.

Quoad *Praxim Reſtitutionis* univerſaliter ſciendum eſt juxta *D. Thomam:* Non modò qui aliena rapuerunt, ſed qui etiam injuſtæ acceptionis aliquo modo cauſa fuerunt, reſtituere tenentur; quanquam ipſi non acceperint: idquè ei cujus fuit res accepta, & quidem absquè dilatione, niſi hæc obtineatur ab injuriato. Reſtitutio autem debet fieri vel formaliter reddendo eandem rem acceptam; & ſic in fama, fatendo ſe falſum dixiſſe; ſi diffamavit fallò & injuſtè: aut fatendo ſe malè dixiſſe ſive injuſtè diffamâſſe, ſi verum crimen contra ordinem tamen debitum revelaverit, exhibendo reverentiam ei, quem læſit in honore. Vel ſi formaliter reſtitutio fieri nequit, debet fieri æquivalenter, v. g. pro equo ablato æquivalens pecunia danda: Aut ſi nec æquivalenter poteſt, tum alio modo, quo posſibile eſt, facienda eſt reſtitutio, ut pro mutilato membro, pecuniâ, vel honore reddendum: conſideratâ conditione utriusquè perſonæ, ſecundùm arbitrium boni & prudentis viri. Sed de his plura enucleatiùs Moralis Theologia agit.

V. D. Thom. 2. 2. q. 62.

Ad Praxim faciendi Reſtitutionem valent quoquè ſuprà notata, hìc convenienti methodo applicata.

l. 2. tra. 1. c. 1. Sec. 4. Subſ. 2. §. 2.

SECTIO V.

De Justitiæ Partibus Potentialibus, & earum Oppositis.

D. Thom. 2. 2. q. 80. a. 1.

DIcendum, quòd in Virtutibus, quæ adjunguntur alicui principali Virtuti, duo sunt consideranda. 1mò quidem, quòd virtutes illæ in aliquo cum principali virtute contineantur. 2dò, quòd in aliquo deficiant à perfecta ratione ipsius. Quia verò justitia ad alterum est, omnes virtutes, quæ ad alterum sunt, possunt ratione convenientiæ, justitiæ annecti. Ratio verò justitiæ consistit in hoc, quòd alteri reddatur, quod ei debetur secundùm æqualitatem. Dupliciter ergo aliqua virtus ad alterum existens à ratione justitiæ deficit. Uno quidem modo, inquantùm deficit à ratione æqualis. Alio modo inquantùm deficit à ratione debiti. Sunt enim quædam virtutes, quæ debitum quidem alteri reddunt, sed non possunt reddere æquale. Et 1mò quidem, quidquid ab homine DEO redditur, debitum est, non tamen potest esse æquale, ut scilicet tantum ei homo reddat, quantum debet, secundùm illud Psalm. 115: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Et secundùm hoc, adjungitur justitiæ Religio, quæ, ut dicit Tullius: Superioris ejusdem naturæ (quam Divinam vocant) curam, cæremoniamquè vel cultum affert. 2dò. Parentibus non potest secundùm æqualitatem recompensari, quod eis debetur, ut patet in Philos. in 8. Ethic: Et sic adjungitur justitiæ Pietas, per quam, ut Tullius dicit: Sangvine junctis patriæquè benevolis, officium & diligens tribuitur cultus. 3tiò Non potest secundùm æquale præmium recompensari ab homine virtus, ut patet per Philosophum in 4. Ethic: Et sic adjungitur justitiæ Observantia, per quam, ut Tullius dicit: Homines aliquá dignitate antecedentes quodam cultu & honore dignantur. A ratione verò debiti justitiæ defectus potest attendi, secundùm quod est duplex debitum, scilicet Morale, & Legale. Unde & Philos. in 8. Ethic. secundùm hoc duplex justum assignat. Debitum

In f. 4. ante finem lib. 2. de Invent. lib. 8. cap. 6. Tom. 5.

Lib. 2. de Invent. in f. 4.

Lib. 4. c. 3. Tom. 5.

Lib. 2. de Invent. f. 4. ante finem l.

Lib. 8. c. 13. 10. 5.

bitum quidem Legale est, ad quod reddendum aliquis lege adstringitur. Et tale debitum propriè attendit justitia, quæ est principalis virtus. Debitum autem Morale est, quod aliquis debet ex honestate virtutis. Et quia debitum necessitatem importat, ideò tale debitum habet duplicem gradum. Quoddam enim est sic necessarium, ut sine eo honestas morum conservari non possit. Et hoc habet plus de ratione debiti. Et potest hoc debitum attendi ex parte ipsius debentis: & sic ad hoc debitum pertinet, quòd homo talem se exhibeat alteri in verbis, & in factis, qualis est. Et ita adjungitur justitiæ Veritas, per quam, ut Tullius dicit: immutata sunt ea, quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt. *Ibidem.* Potest etiam attendi ex parte ejus, cui debetur, prout scilicet aliquis compensat alicui secundùm ea, quæ fecit. Quandoquè quidem in bonis, & sic adjungitur justitiæ Gratia, in qua, ut Tullius dicit, amicitiarum & officiorum alterius memoria, remunerandi voluntas continetur alterius. *Ibidem.* Quandoquè autem in malis, & sic adjungitur justitiæ Vindicatio, per quam, ut Tullius dicit, vis aut injuria, & omnino quidquid obscurum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur. *Ibidem.* Aliud verò debitum est necessarium, sicut conferens ad majorem honestatem, sine quo tamen honestas conservari potest. Quod quidem debitum attendit Liberalitas, Affabilitas, sive Amicitia, aut alia hujusmodi, quæ Tullius prætermittit in prædicta enumeratione, quia parum habent de debiti ratione. *Hæc D. Thomas.*

SUBSECTIO I.

De Religione.

R*Eligio, est dicta à religando hominem, DEO tanquam summo & indeficienti nostro Principio, ad quem etiam nostra electio semper dirigi debet, sicut in ultimum finem.* V. D. Thom. 2. 2. q. 81. Definitur autem *esse virtus, quâ homo DEO debitum cultum vel exhibendo aliquid ei, vel assumendo aliquid Divinum, ad protestationem ipsius summæ excellentiæ, & nostræ ad eum subjectionis & dependentiæ, facit in ordine ad præstandam ipsius Divinæ Majestati reverentiam, honorem, & gloriam.*

Gradus Religionis *ex Formula aurea de grad. Virt. S. Bonaventuræ c. 21. quorum graduum aliqui supponunt actus elicitos proprios Virtutis Religionis, alii imperatos à Virtute Religionis actus cæterarum Viriutum, quæ spectant ad perfectionem status Religiosi. Itaquè*

Ordo graduum Religionis. Religionis altus gradus est, cognoscere omnia impedimenta Religionis, & ea odisse, sicut est otium, dissolutio, mala

I. societas, curiositas, & nimia libertas. Altior est, cognoscere omnia incitamenta Religionis, & ea desiderare, ut est maturitas, solitudo, taciturnitas, bona societas, bona exempla. Altissimus, studiosè exercitare se in omnibus, quæ pertinent ad Religionem, ut sunt virtutes, & opera virtuosa.

II. Item altus gradus est, diligenter servare omnia præcepta Religionis. Altior, servare omnia vota Religionis, non solùm maxima, sed & minima. Qui enim minima negligit, paulatim decidet. Altissimus, imitari optimos in Religione, & ipsis se conformare.

III. Item altus gradus est, relinquere res temporales. Altior, relinquere omnes amicos, tam carnales, quàm spirituales. Altissimus, relinquere proprium sensum, & propriam voluntatem.

IV. Item altus gradus est, servare Religionem, & amare Religionem, propter pœnam vitandam, quæ debetur irreligiosis. Altior, propter spem in præcedenti, & gloriam in futuro, quæ debetur Religiosis. Altissimus, amare Religionem purè propter DEUM.

V. Item altus gradus est, semper niti ad proprios defectus videndos, qui semper pullulant. Altior, niti semper ad crescendum in virtutibus, & spiritualibus donis, ad conformandum se Divinis moribus. Altissimus, semper dolere, quod non potest omnes defectus devincere, nec semper exercere virtutes. In multis his gradibus fuit Christus.

Eccl. c. 1. *Motiva* ad fervens exercitium Religionis. *1mum. Eccl:* Religiositas custodiet & justificabit cor, jucunditatem atquè

Eccl. 1. gaudium dabit. *Prov:* Initium sapientiæ timor Domini. Vel secundùm 70: *Interp:* Pietas Domini, & Religio.

2dum.

2dum. Religio eſt virtutum moralium excellentisſima; quia Doctore Angelico ea, quæ ſunt ad finem, ſortiuntur bonitatem ex ordine in finem. Et ideo, quantò ſunt fini propinquiora, tantò ſunt meliora. Virtutes autem morales ſunt circa ea, quæ ordinantur in DEUM, ſicut in finem. Religio autem magìs de propinquo accedit ad DEUM, quàm aliæ Virtutes morales, inquantùm operatur ea, quæ directè & immediatè ordinantur in honorem Divinum. Et ideò Religio præeminet inter alias Virtutes morales.)) *S. Ambroſius*: Religio præponit Divina humanis, perpetua temporalibus. *Lactantius*: Apparet nullam aliam ſpem vitæ homini eſſe propoſitam, niſi ut abjectis vanitatibus, & errore miſerabili, DEUM cognoſcat, & DEO ſerviat, niſi huic temporali renunciet vitæ, ac ſe rudimentis juſtitiæ ad cultum veræ Religionis inſtituat. Hac enim conditione gignimur, ut generanti nos DEO juſta & debita obſequia præbeamus: hunc ſolum noverimus, hunc ſequamur. Hoc vinculo pietatis obſtricti DEO & religati ſumus, unde ipſa Religio nomen accepit. *Idem*: Religio & timor DEI ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem. *Livius*: Omnia proſpera eveniunt colentibus DEUM, adverſa ſpernentibus. *Cicero*: Diligentiori Urbem Religione, quàm ipſis mœnibus cingitis.

S. Thom. 2. 2. q. 81. a. 6. *S. Ambr. ſuper Levit.* *Lactantius Firm. lib. 4. c. 28.* *Idem lib. de ira c. 12.* *Livius lib. 5.* *Cicero lib. 3. de nat. Deor.*

3tium. Felix ſucceſſus Iſraelitici populi ſub Judicibus, tum Regni David, Ezechiæ, Joſiæ, maximè provenire videbatur ex ſolerti cultu veri DEI. Uti & Magnum Conſtantinum, Magnum Theodoſium, Magnum Carolum, aliosquè Imperatores Orbis, Reges, Principes, quid cælo terræquè extulit? niſi magnus zelus promovendi Religionem veram, cultumquè Numinis ſummi. Sufficiat nunc, aliquid fuſiùs dixiſſe de religioſitate Magni Conſtantini. Quòd hic Orientis atquè Occidentis Domitor ac Rector Conſtantinus, octavo poſt ſuſceptum baptiſma die, contulerit ſe ad aream in ædificanda Baſilica Apoſtolorum Petri & Pauli, depoſitoquè diademate, & humi procumbens, vim lachrymarum profuderit, mox ſumpto ligone & bidente terram eruerit, indequè duodecim terræ cophinis, honoris duodecim Apoſtolorum cauſâ, ablatis, locum Eccleſiæ deſignârit.

V. P. Pexenfelder. Hiſt. Concionat. Hiſtoria 101.

Brev: Rom. 18. Novem. Quid quod testamento mandavit, ut corpus defuncti in limine basilicæ à se conditæ humaretur? Hinc à S. Chrysostomo hom. 60. ad populum. Janitor Piscatoris appellatur. De zelo autem disseminandæ Religionis Catholicæ, quæ lingua, quis calamus satis disertus reperiatur? Christi Crucifixi cultum ac venerationem in libris Evangelicis, quos emendatissimè describi curavit, in statuis, quas posuit, in lampadibus, in ære, argento, & auro omnium oculis objecit & commendavit. Superato Maxentio Tyranno, nec in laudes acclamantis populi Romani, nec in plausu tantæ urbis animos laxavit, nequè suæ virtuti rem gestam, sed Divino muneri attribuit. Imagines ubi Senatus triumphanti erexit, vexillum Dominicæ Crucis in dextera sua jussit depingi, & subter adscribi: *In hoc signo singulari, quod est veræ virtutis insigne, Urbem Romam, Senatumquè, & populum Romanum, jugo Tyrannicæ dominationis ereptum, pristinæ libertati, nobilitatiquè restituit Constantinus.* Euseb. lib. 9. Niceph. c. 30. Idem Imperator non contentus, militum suorum vestibus & armis signum crucis inseruisse, etiam in moneta effigiari voluit dextram præferentem globum aureum cruce signatum, ut inter manus vendentium & ementium versaretur salutis nostræ pretium: & quemadmodum pecuniæ obediunt omnia: sic ipsa obediret DEO, charumquè inciperet esse mortalibus, invisum nuper & infame mortis instrumentum. Liberalitatem verò ac munificentiam, quâ piissimus Imperator tot per orbem templa Christianis excitavit, tot Sacerdotia fundavit, tantum ornamentorum, tantum suppellectilis ex argento, auro, gemmis in ædes sacras, sacrorumquè ministros contulit, quis vel cursim memorando explicet? Jam quantâ reverentiâ & observantiâ in Pontifices, Præsules, Sacerdotes ferebatur? Cùm fortè aliquot altercationum libellos accepisset ab Episcopis, in consilio Nicæno congregatis, nequaquam eos legit, sed combussit; Nam *Sacerdotum, ajebat, vitia non sunt populo aperienda, nè is inde causâ offendiculi acceptâ, licenter peccare aggrediatur.* Idem dicebat: Si Sacerdotem flagitiosè aliquid patrantem cerneret, se purpurâ eum suâ contecturum. Theodoret. lib. 1. c. 11. Quid mirum igitur, Imperatorem hunc æquè ab Ethnicis quàm Christianis celebratum,

tum, Cælitum ordinibus adſcriptum eſſe? Gentiles quidem imaginem ejus in curru triumphali quatuor equis candidis junĉto in nubes intulerunt, è quibus manus portandi viſa, quæ ipſum ad immortalitatem invitabat. *Cauſſin.* Chriſtiani verò vigeſimum primum menſis Martii diem ejus honori dedicaverunt. Fulgoſ. lib. 8. c. 16. *Aliud.* Adſtet magno Imperatori magnus in Religione Comes, Morus Angliæ Cancellarius. Hic matrimonio junctus, ſacellum domeſticum inſtruxit, eique apparatum ſacrificalem liberaliter ex auro, argentoquè addidit. Quotidianum precum penſum ita habebat defixum, ſtrenuèquè obſervabat, ut à Rege ipſo Henrico 8. accerſitus, cùm fortè ſacris asſiſterer, & iterum ac tertiò vocaretur, venire noluerit, niſi re Divinâ peractâ: urgentibus mandatum reſpondit: *Majori priùs Domino obſequium præſtandum eſſe.* Jam Cancellarius lineo amiculo indutus, miniſtrabat ad Aram operanti, quin etiam eodem cultu Crucem in publica ſupplicatione præferebat, eoquè nomine reprehenſus à Duce Nortfalicæ, Magno Regni Theſaurario, Davidis ante arcam tripudiantis exemplum ei objecit. Veſperi domeſticis in aulam ædium convocatis precationes præire, & menſam ſacrarum lectione literarum anagnoſten agente filiâ condire ſolebat. Maximum damnum ex incendio perpesſus, conſolans ſuam conſortem literis, tandem ad eam concludit, ſcribens: *Rogo itaquè, bono ſis animo, & omnem tecum familiam duc ad templum, DEOquè gratias age, tam de his, quæ nobis donavit, quàm quæ nunc abſtulit, & quæ etiamnum reliquit. Facilè DEO eſt, ſi ei ſic viſum augere nondum ablata. Quodſi plura velit auferre, ſicut Domino placuerit: ita fiat.* Unde Regum Sapientisſimus ait: *Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem.* Ubi *S. Athanaſius* ad Imperat. Conſtantium: Orthodoxam Religionem, veriquè DEI cultum intelligit. Non exercitus, non theſauri, non præſidia, firmiorem cuſtodiam addunt Regibus, quàm conſervatio pietatis avitæ. Hinc lauri & triumphi, hinc repugnantium ſalus, & Regnorum propagationes ac felicitates innumeræ.

V. Pexenfelder Hiſt: Concion. hiſt. 114.

Prov. 20.

V. P. Pexenfelder Hiſt. Conc. hiſtoria 75.

4tum. Romanus Senatus, inquit Marcus Varro, ita magni Religionem fecit, ut quotiescunquè à Magiſtratu coactus ille eſſet, hoc ipſum, quod ad Religionem pertineret, primò pro-

proponebatur; nullaquè quanquam gravior causa, vel quæ celeritatem requireret, morem hunc anteverteret.

Praxis circa virtutem Religionis est. *1mò.* Excitare in se pios motus actus, & affectus in eadem, aliaquè proportionatè agere, secundùm suprà dicta. *2dò.* Exercere se in actibus interioribus & exterioribus Religionis, tum elicitis, tum imperatis. Sunt autem interni actus Devotio, & Oratio. Externi. *1mò.* Adoratio, per quam aliquis suum corpus ad DEUM venerandum exhibet. *2dò.* Illi actus, quibus aliquid de rebus exterioribus DEO offertur; ut sunt Sacrificium, Oblationes, Primitiæ, Decimæ, Vota. *3tiò.* Actus illi, quibus ea, quæ DEI sunt, assumuntur, nempe Sacramentum aliquod, vel ipsum Nomen Divinum per Juramentum, Adjurationem, Invocationem ad Orandum vel Laudandum. De quibus omnibus in sequentibus agendum.

1. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4 subs. 2. §. 2.

§ I.

De actu Religionis interiori, qui est Devotio.

v. D. Thom. 2. 2. q. 82.

DEvotio, alia est *generalis*, quæ scilicet in omni virtute reperiri debet, de qua suprà inter perfectiones virtutis sub actu virtutis in genere. Alia *specialis*, pertinens ad Religionem: *Estquè actus Religionis, faciens voluntatem promptam & paratam ad exequenda, quæcunquè ad DEI cultum concurrunt.*

Eccl. c. 35. *Motiva* ad studium Devotionis. *1mum.* *Eccl:* Oblatio justi (*adeoquè devoti*) impingvat altare, & odor suavitatis est in conspectu Altissimi. *Item:* In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Unde *Cornel. à Lap.* inquit: Multùm virtuti & Sanctitati æquè ac oblationi addit hilaritas animi. Hæc enim facit, ut opus sit speciosius, intensius, melius & perfectius, ac hilaritate quasi sacccharo conditum. *Et paulò post:* Hilaritas enim est bonæ & devotæ voluntatis signum ait *Lyran:* adeoquè ipsa est decor & flos virtutis: longè enim magis decorum est opus misericordiæ, obedientiæ, patientiæ, humilitatis, &c. quod fit hilariter, quàm quod fit animo tristi, adeoquè tardo & torpido. Unde vidua hilariter

Ibidem.

Corn. in Eccl. c. 35.

Luc. 21. 4.

riter offerens duo minuta plus cæteris, plura offerentibus judicata est obtulisse à Christo. *Apostolus*: Hilarem datorem diligit DEUS. *2dum. S. Prosper*: Cùm bonum facis, hilariter fac, si enim tristis facis, magìs de te fit, quàm facis. *S. August*: Si tu panem dederis tristis, & panem & meritum perdidisti. *Idem S. Aug.* docet justum delinquere, dum in beneficentia ei subrepit tædium, obfuscans hilaritatem, ob quam DEUS diligit datorem. *3tium. S. Bernardus* præmonet: Quantùm potest, laborat adversarius noster, ut holocaustum nostrum devotionis pingvedine vacuetur, & ut minùs acceptum sit DEO, & conscientia nostra in Spirituali gaudio minùs exhilaretur: si quid de pusillanimitate tolerantiæ, etiam conscientiæ pusillanimitas generetur. Cujus astutias non ignorantes, totâ obsecro adversùs eum solicitudine vigilemus. *4tum* Lætitia est devotionis effectus. Ita *S. Thomas*: Dicendum, quòd devotio per se quidem & principaliter lætitiam mentis causat: ex consequenti autem, & per accidens causat tristitiam. Dictum est enim, quòd devotio ex duplici consideratione procedit. Principaliter quidem, ex consideratione Divinæ bonitatis: quia ista consideratio pertinet quasi ad terminum motûs voluntatis, tradentis se DEO. Et ex ista consideratione per se quidem sequitur delectatio, secundùm illud Psalm. 76: *Memor fui DEI, & delectatus sum.* Sed per accidens hæc consideratio tristitiam quandam causat in his, qui nondum planè DEO fruuntur, secundùm illud Psalm. 41: Sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum, & posteà sequitur: Fuerunt mihi lachrymæ meæ &c. Secundariò verò causatur devotio, ut dictum est Art. præcedenti, ex consideratione propriorum defectuum. Nam hæc consideratio pertinet ad terminum, à quo homo per motum voluntatis devotæ recedit, scilicet ut in se non existat, sed DEO se subdat. Hæc autem consideratio è converso se habet ad primam. Nam per se quidem nata est tristitiam causare: recogitando proprios defectus. Per accidens autem lætitiam, scilicet propter spem divinæ subventionis. Et sic patet, quòd ad devotionem primò & per se consequitur delectatio: Secundariò autem, & per accidens, tristitia, quæ est secundùm DEUM.)) *S. Hieronymus*: Non solùm

Apost. ad Cor. 9.
S. Prosp. Ser. 2.
Idem S. Aug. in Psal. 42.
Idem lib. de perf. justitiæ.
S. Bern. Serm. 3. de jejunio Quad.
S. Thom. 2. 2. q. 82. a. 4.
Psalm. 76.

S. Hieron. vita S. Paulæ Rom. in effusio sangvinis in confessione reputatur, sed devotæ quoquè mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis & violis, ista de liliis. *5tum.* Imitare DEUM, qui omnia ab æterno disposita, in tempore tum propter suam gloriam, tum propter nostrum bonum in instanti celerrimè facit, idquè cum summo gaudio, hilaritate, & amore erga nos. *6tum.* Imitare Christum: hic, quàm promptus fuerit ad offerendum se in sacrificium DEO Patri, in Ara Crucis pro salute nostra insinuat, cùm, ut bibat calicem passionis, resignat se Patri, dicens: *Fiat voluntas tua.* *Matth. 26.* Quæ verba, quòd ex summo fervore charitatis, devotionis, promptitudinis processerint, signum est ille sudor sangvineus, dispulsus ab amore summâ vi à corde per totum corpus ad extra usquè, largissimè & effusissimè prorumpens. *7timum.* Imitare Beatissimam Virginem, quæ agnitâ voluntate DEI, de ineffabili mysterio Incarnationis Filii DEI in suo purissimo utero, mox promptissimè annuit, dicens: *Luc. 1.* *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* *8vum.* Imitare Sanctos, S. Job de se ipso dicentem: *Si negavi, quod volebant, pauperibus: & oculos viduæ expectare feci.* *Moral. 21. c. 11.* Unde *S. Gregorius* inquit: Petentem Viduam expectare noluit, ut non solùm ex munere, sed ex celeritate quoquè muneris bonorum operum merita augeret.)) *Exod. 35.* Exod: legitur, quòd multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissimâ atquè devotâ primitias Domino. *S. Ambrosius* promptitudinem devotionis declarat exemplo Abraham Patriarchæ, dicens: *S. Ambros. lib. 1. de Cain & Abel c. 1.* Abraham filium suum ad holocaustum jussus offerre, non post dies, ut Cain, obtulit, sed exsurgens manè, *Genes. 22. v. 9.* stravit asinam &c. *Et*: Cucurrit & accepit vitulum unum tenerum & bonum, & dedit puero, & festinavit facere cibum, ubiquè impigra devotio, & ideo fuit munus ejus acceptum. Mox subjicit exemplum devoti Zachæi: Festinans descendit, & accepit illum (Christum) gaudens. Et ideo probavit Dominus ejus affectum, & eum celeri remuneratione donavit, dicens: quia hodiè salus domui huic facta est. Festinavit enim & Dominus ad beneficium, & ideo non expectavit, ut promitteret & impleret omnia, sed antè fecit, posteà declaravit. Dixit enim, facta est salus, quod utiquè prævenienti servit, non promittenti.

Praxis

Praxis circa studium Devotionis. 1mò. Tollere impedimenta Devotionis, ut Acediam; de qua suprà: tum Consolatiunculas carnis, impeditivas gaudii Spiritualis; & ex illo resultantis devotionis seu hilaritatis & promptitudinis in omni opere bono, potissimùm cultu Divino. 2dò. Juxta D. Bernardum: *Quatuor esse dicuntur, quæ nostræ gratiam devotionis adaugent. Memoria peccatorum, quæ hominem reddit humilem apud se. Recordatio poenarum, quæ illum solicitat ad benè agendum. Consideratio peregrinationis, quæ illum hortatur, visibilia debere contemni. Desiderium vitæ perennis, quæ hominem incitat ad profectum, cogit eum à terrenis affectibus voluntatis mutatione suspendi.* Porrò *Doctor Angelicus* proximam causam devotionis assignat dilectionem, quæ comparatur ex consideratione Divinæ bonitatis & beneficiorum. 3tiò. Cùm juxta eundem Doctorem DEUS causa sit extrinseca devotionis, ideo cum Psalmista ad eum identidem orandum: *Expandi manus meas ad Te, anima mea sicut terra sine aqua Tibi, velociter exaudi me, Domine: defecit Spiritus meus.* Et: *Sicut adipe & pingvedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* 4tò. Cognitâ voluntate DEI circa aliquid agendum, vel ommittendum, ingemina cum Regio Propheta: *Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum.*

l. 2. tra. 2. c. 3. sec. 7. §. 2.
S. Bern. in sententiis.
S. Thom. 2. 2. q. 82. a. 3.
Ibidem.
Psalm. 142.
Psalm. 62.
Psalm. 107.

Vide quoquè suprà dicta, & hic proportionata Methodo in Praxim applica.

l. 2. tra. 1 c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2.

§. II.

De actu Religionis interiori, qui est Oratio.

ORatio, *est actus Religionis, quo DEUM homo reveretur, quatenus se ei subjicit, & profitetur orando, se eo indigere, sicut Authore suorum bonorum.* Oratio communiter & latiùs accepta, sumitur pro omnibus suis partibus, quæ tamen strictè sumpta est, aliquid aliud præter suas partes, quales enumerat Apostolus 1. Timot. 2. & sequuntur. Nam *Oratio*, est ascensus mentis seu intellectûs in DEUM. *Postulatio*, seu *Petitio*, est, dum aliquid petitur à DEO determinatè, dum verò indeterminatè, ut si quis petit juvari à DEO, vocatur *Supplicatio*; sive solum factum narretur, secundùm

D. Thom. 2. 2. q 83. a. 3
S. Thom. ibidem a. 17.

cundùm illud Joan. 11: Ecce quem amas infirmatur; vocatur *Insinuatio*. *Obsecratio*, quæ est ratio impetrandi ex parte DEI, estquè per sacra contestatio, sicut dum dicimus, per Nativitatem Tuam libera nos Domine. Vel, ut Daniel, qui oravit: Propter Temetipsum inclina DEUS meus aurem tuam. Sicut etiam in Collectis Ecclesiæ ponitur in fine: Per Dominum nostrum &c. pertinet ad Obsecrationem. *Gratiarum actio*, quæ est ratio impetrandi ex parte petentis, quia de acceptis beneficiis gratias agentes, meremur accipere potiora.

Oratio, alia est *Vocalis*, quæ nempè verbis profertur. Eaquè est vel communis, vel singularis. *Communis* quidem Oratio est, quæ per Ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi DEO offertur. Et ideo oportet, quòd talis Oratio innotescat toti populo, pro quo offertur: quod non posset fieri, nisi esset Vocalis. Et ideo rationabiliter institutum est, ut Ministri Ecclesiæ hujusmodi Orationes etiam altâ voce pronuncient, ut ad notitiam omnium possint pervenire. *Oratio verò singularis est*, quæ offertur à singulari persona cujuscunquè, sivè pro se, sive pro aliis orantis. Et de hujusmodi Orationis necessitate non est, quòd sit Vocalis. Adjungitur tamen vox tali orationi triplici ratione. *Imò* quidem, ad excitandum interiorem devotionem, quâ mens orantis elevetur in DEUM: quia per exteriora signa, sive vocum, sive etiam aliquorum factorum, movetur mens hominis, & secundùm apprehensionem, & per consequens secundùm affectionem. Unde *S. Augustinus* dicit ad Probam: Quod verbis & aliis signis ad augendum desiderium Sanctum, nos ipsos acriùs excitamus. Et ideò in singulari Oratione tantùm est vocibus & hujusmodi signis utendum, quantùm proficit ad excitandum interiùs mentem: Si verò mens per hoc distrahatur, vel qualitercunquè impediatur, est à talibus cessandum. Quod præcipuè contingit in his, quorum mens sine hujusmodi signis est sufficienter ad devotionem parata. Unde Psalm 29. dicebat: Tibi dixit cor meum: exquisivit te facies mea. Et de Anna legitur 1. Reg. 1, quòd loquebatur in corde suo. *2dò*. Adjungitur Vocalis Oratio, quasi ad redditionem debiti, ut scilicet homo DEO serviat secundùm illud totum,

S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 12. in corp.

S. Aug. Epist. 121. c. 9. circa princ. To. 2.

tum, quod ex DEO habet, id eſt, non ſolùm mente, ſed etiam corpore Quod præcipuè competit orationi, ſecundùm quod eſt ſatisfactoria. Unde dicitur Oſeæ ultimo: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum. 3*tiò.* Adjungitur Vocalis Oratio, ex quadam redundantia ab anima in corpus, ex vehementi affectione, ſecundùm illud Pſalm.15: Lætatum eſt cor meum, & exultavit lingva mea.

Alia Oratio eſt *Mentalis*, nempè dum ſine verbis voceque ſolâ mente fit. Eaquè ſtrictè ſumitur, quatenus conſtat ſolis partibus Orationis, nempè, oratione, poſtulatione, obſecratione, gratiarum actione, vel laxè etiam accipitur, pro omni ſacra meditatione, ordinata ad mentis elevationem in DEUM, vel Divina. Alia Oratio eſt *Mixta*, ex Vocali & Mentali; dum ebulliens Spiritus fervore ſanctorum deſideriorum, ea modò gemitibus, ſuſpiriisquè devotis, modò voce, verbisquè prolatis, modò dulci cantu, per moras ſilentium ſuæ animæ internum (quod omni voce ineffabiliùs reſonat) identidem pandit.

Conditiones Orationis ſunt. 1*ma.* Ut determinatè petantur illa bona, quibus nemo malè uti poteſt, qualia continentur in petitionibus Orationis Dominicæ. Illa verò bona, quibus homo malè vel benè uti poteſt, quales ſunt v. g. honores, divitiæ, &c. in ſuum finem, & cum reſignatione in Divinam voluntatem petenda ſunt, vel inquantùm ad ſufficientiam ſtatûs ſui proportionatè conveniunt. Unde *D. Thomas*, citans *S. Auguſtinum*, dicit: Hoc licet orare, quod licet deſiderare. Temporalia autem licet deſiderare, non quidem principaliter, ut in eis finem conſtituamus, ſed ſicut quædam adminicula, quibus adjuvamur ad tendendum in beatitudinem: inquantùm ſcilicet per ea vita corporalis ſuſtentatur: & inquantùm nobis organicè deſerviunt ad actus Virtutum. Ut etiam Philoſ. dicit in 1. Ethic: Et ideo pro temporalibus licet orare. Et hoc eſt, quod *S. Auguſtinus* dicit ad Probam: quòd ſufficientiam vitæ non indecenter vult, quisquis eam vult, & non ampliùs: quæ quidem non appetitur propter ſe ipſam, ſed propter ſalutem corporis, & congruentem habitum perſonæ hominis, ut non ſit inconveniens

V. D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 5. & 6.

D. Thom. 2. 2 q. 183. a 6. S. Aug. Epiſt. 121. c. 12. to. 2.

Lib. 1. Ethic. c. 8. ad fin. to. 3. S. Aug. Epiſt. 121. c 6. to. 2. circa med.

eis, cum quibus vivendum est. Ista ergo cùm habentur, ut teneantur, cùm non habentur, ut habeantur, orandum est.

2da Conditio Orationis est, quòd debeat esse *Attenta*: hæc verò attentio per ordinem ad triplicem effectum orationis explicatur. Itaquè *1mus* effectus orationis communis omnibus actibus, charitate informatis, quod est *mereri*. Et ad hunc effectum non ex necessitate requiritur, quòd attentio adsit orationi per totum; sed vis primæ intentionis, quâ aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in aliis meritoriis actibus accidit. *2dus* autem effectus orationis est ei proprius, quod est *impetrare* Et ad hunc etiam effectum sufficit prima intentio, quam DEUS principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio nec meritoria est, nec impetrativa. Illam enim orationem DEUS non audit, cui ille, qui orat, non intendit; ut Gregorius dicit. *3tius* autem effectus orationis est, quem præsentialiter efficit, scilicet, quædam *spiritualis refectio mentis*. Et ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio, ut dicitur 1. Cor. 14: Si orem lingvâ, mens mea sine fructu est. Sciendum tamen, quòd triplex est *Attentio*, quæ orationi vocali potest adhiberi; una quidem, quâ attenditur *ad verba*, nè aliquis in eis erret: 2da, quâ attenditur *ad sensum verborum*. 3tia, quâ attenditur *ad finem orationis*, scilicet, *ad DEUM*, *& ad rem*, pro qua oratur, quæ quidem est maximè necessaria. Et hanc etiam possunt habere Idiotæ. Et quandoquè intantùm abundat hæc intentio, quâ mens fertur in DEUM, ut etiam omnium aliorum mens oblivìscatur: sicut dicit Hugo de S. Victore.)) *Marchantius* ad tertium genus attentionis reducit attentionem ad Christum, vel ejus mysteria, aliquid horum inter orandum considerando; & dicit: Hæc quoquè optima attentio est, quandoquidem & Ecclesia in memoriam passionis Christi preces suas ordinet. Sic optimè attendit ad Sacrificium, & Orationes ibi oblatas, qui sibi Christum Crucifixum repræsentat, aut redemptionis aliquod mysterium cogitatione volvit, cùm tota illa actio, Redemptionis & Crucis, sit rememoratio, & quædam renovatio, *Hæc, quotiescunquè feceritis, in mei commemorationem facie-*

D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 13. in corp.

In lib. de modo orandi c. 2.

March. Hort. past. de Offic. Past. lect. 8.

1. Cor. 11.

facietis. Similiter & Horarum lectio ſeptempliciter diſtincta varias Chriſti patientis horas repræſentat, juxta illud:

Matutina ligat Chriſtum, qui crimina ſolvit.
Prima replet ſputis, cauſam dat Tertia mortis.
Sexta Cruci nectit pectus, ſed Nona bipertit.
Veſpera deponit tumulo: Completa reponit.

Optimum ergo erit has perſolvendo (cum debita tamen verborum pronunciatione) aſpicere in JESUM, & hunc Crucifixum, ſicut & in omnibus aliis precibus. Quapropter non ſolùm ad diem judicii, ſed etiam ad totum tempus Eccleſiæ referri poteſt illud: *Effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem, Spiritum gratiæ, & precum, & adſpicient ad me, quem confixerunt, & plangent planctu, quaſi ſuper Unigenitum.* Sed nequè ſine myſterio eſt, quòd ibidem additur de diverſis familiis plorantibus: Familiæ & familiæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum, familiæ domûs David ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum, &c. Significatur enim diverſi generis, ordinis, conditionis, ſtatûs, congregationes, in memoriam Chriſti Crucifixi preces offerre debere, & pios gemitus. Et cùm dicitur, quòd ſeorſum viri plangent, ſeorſum mulieres, id maximè verificatur in tot monaſteriis virorum, & mulierum; quæ toto orbe, nocte diequè mentem elevant ad vulnera Crucifixi cum gemitu, & ſuſpiriis. Patet ergo ex his omnibus, non ſolùm ſufficientem eſſe hanc attentionem, dum oramus: ſed & omnibus commendandam & inculcandam, doctis & indoctis, utpotè quæ & literatis & idiotis communis eſſe poſſit, & maximè fructuoſa. Nec impertinens eſt, quælibet enim in eo fundatur oratio: quia quidquid petimus, petere debemus meritis Crucifixi, & omne noſtrum obſequium debet offerri Chriſto Crucifixo. Opportunè quoquè hoc modo diſtractiones propelluntur, dum cor noſtrum cordi Chriſti patientis firmiter jungimus, ut aliorſum non diffluat. Ad illius autem cor nobis acceſſus patet per latum illud oſtium lateris, per ſacram illam januam pietatis, apertam omnibus. Poſſunt & alia Myſteria ad eundem finem conſiderari. Unde *Thomas à Kempis* loquens iis, qui in Clauſtro preces perſolvunt,

Zach. 12. 10.

Thom. à Kemp. lib. 8. de discip. Claustr.

vunt, sic dicebat: Chorus est DEI, & Sanctorum Angelorum locus sacratus; sicut Angeli in cælo, sic Ministri ordinati sunt in choro. Opus Angelorum est, DEUM semper laudare; Opus Religiosorum est intentâ mente psallere, & orare. Sic sta in choro, & canta, quasi in medio Angelorum stares. Recordare dilecti Domini tui in præsepio jacentis, aut in cruce pendentis, aut in cælo ad dexteram Patris sedentis, tanquàm coram assisteres & cantares.)) *Hæc Marchantius.*

1. 2. tra. 1. c. 1. Sec. 4. Subs. 1. §. 3.

Vide quoquè suprà dicta, & hic convenienter adhibe de memoria Præsentiæ DEI.

Oppositum Attentionis est *Evagatio mentis*; Inculpabilis una, Culpabilis altera. De Inculpabili hæc affert *S. Thomas*: Dicendum, quòd in Spiritu & veritate orat, qui ex instinctu Spiritûs ad orandum accedit, etiamsi ex aliqua infirmitate mens postmodùm evagetur. Item dicendum, quòd mens humana, propter infirmitatem naturæ, diu stare in alto non potest. Pondere enim infirmitatis humanæ deprimitur anima ad inferiora. Et ideo contingit, quòd, quando mens orantis ascendit in DEUM per contemplationem, subitò evagetur ex quadam infirmitate. *Culpabilis* autem est, si quis ex proposito in Oratione mente evagetur; hoc enim peccatum est, & impedit Orationis fructum. Et contra hoc Augustinus dicit in Regula: Psalmis & hymnis cùm oratis DEUM, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Evagatio verò mentis, quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit. Unde Basilius dicit: Si verò debilitatus à peccato, fixè nequis orare, quantumcunquè potes, te ipsum cohibeas, & DEUS ignoscit, eo quòd non ex negligentiâ, sed ex fragilitate non potes, ut oportet, assistere coram eo.

D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 13. ad 1. 2. 3.

S. August. in 3. Regula to. 1.

In serm. de orando Deum, a. me: illius.

D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 14

3tia Conditio Orationis est, ut sit *Perpetua*, juxta illud Luc. 2. Oportet semper orare, & non deficere. Et 1 Thess. 3. Sine intermissione orate; id est, quoad causam Orationis, nempè desiderium charitatis, quod habetur actu, vel virtute, dum omnia ex charitate facit homo ad gloriam DEI. Undè Augustinus dicit ad Probum Epist. 121: In ipsâ fide, spe, & charitate, continuato desiderio semper oramus. Item: Continuè aliquis orat, vel,

Ibidem art. 14. ad 4.

vel, quia non intermittit, quin temporibus statutis oret, vel propter effectum, sive in ipso orante, qui etiam post orationem remanet magis devotus, sive etiam in alio, puta, cùm aliquis suis beneficiis provocat alium, ut pro se oret, etiam quando ipse ab orando cessat & quiescit.)) Oratio autem, secundùm se considerata, non potest esse assidua, quia aliis operibus oportet vacare, quare prolixior vel brevior oratio esse debet, quantùm utilis fuerit, ad excitandum interioris desiderii fervorem, sin verò sine tædio durare non possit, non est ulteriùs oratio protendenda, *nisi aliqua accesserit obligatio absolvendi certas preces, vel desolatione interna Spiritûs quis affligatur, tum & cum tædio vacandum orationi, ut in vita S. Teresfiæ, & S. Magdalenæ de Paz legimus* Hinc Augustinus dicit ad Probum: Dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas,& raptim quodammodò jaculatas: nè illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras evanescat, atquè hebetetur intentio : ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt hanc intentionem, sicut non esse obruendam, si durare non potest, ita si perduraverit, non citò esse rumpendam. Et sicut hoc est attendendum in oratione singulari, per comparationem ad intentionem orantis, ita etiam in communi oratione per comparationem, ad populi devotionem.)) Itaquè illa oratio, quæ plerumquè gemitibus quàm sermonibus agitur, affectusquè pius continuatur, salvâ discretione, prolixior facienda, juxta Domini exemplum, qui pernoctabat in orando, & prolixiùs oravit.

Ibidem a. 14. in corp.

Collector.

S. Aug. Epist. 121. c. 10. to. 2.

4ta Conditio, includens plures, ut Oratio habeat comites sui, sequentes Virtutes. *Fidem*, quâ orans credat, à DEO posse obtineri omnia, quæ petuntur. *Spem*, per quam confidat, DEUM & posse dare ob suam omnipotentiam, & velle dare ob suam bonitatem, & fidelitatem stando in promissis, quæ petuntur. Hinc Jacobus: *Si quis vestrûm indiget Sapientiâ, postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino. Charitatem*, ad quam pertinet

V.D.Thom. 2. 2. q. 83. a. 15.

Jacob. 1.

desiderium rei, cujus complementum petit oratio. *Devotionem*, qui proximus actus religionis est necessarius, ad omnes consequentes. *Humilitatem*, quâ orans suam indigentiam recognoscit. Unde *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat.* *Perseverantiam*, quædam enim non negantur, sed ut congruo dentur tempore, differuntur, ut August. dicit super Joannem, quod tamen potest impediri, si in petendo non perseveret. Cæterùm dicta hæc ex Basilio confirmantur: *Ideo, quandoquè petis,* inquit, *& non accipis, quia perperam postulâsti, vel infideliter, vel leviter, vel non conferentia tibi, vel destitisti.* Jam verò, quia nemo alteri vitam æternam, nec ea, quæ sunt ad vitam æternam, ex condigno mereri potest: & propter hoc non semper auditur, qui pro alio orat. Atquè ideò ponuntur quatuor Conditiones, quibus concurrentibus aliquis impetrat, quod petit, ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè & perseveranter.

Eccl. 35.

S. Basil. Serm. de orand. DEUM.

V. D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 13.

5ta *Conditio Orationis*, ut sit meritoria, debet fieri in statu gratiæ, quatenus verò impetratoria est, etiam extra statum gratiæ effectum impetrationis habet, dummodò fiat ex bono desiderio. Idquè peccator petat pro se necessaria ad salutem piè & perseveranter. Ratio differentiæ est, quia meritum impetrat quandam vim justitiæ retribuentis, impetratio autem soli puræ misericordiæ innititur. Cæterùm peccator si orat secundùm desiderium peccati, in hoc non auditur à DEO ex misericordia, sed quandoquè auditur ad vindictam, dum DEUS permittit peccatorem ampliùs ruere in peccatum. DEUS enim quædam negat propitius, quæ concedit iratus, ut D. Augustinus dicit.

D. Aug. tra. 73. in Joan.

V. D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 2.

Incentiva ad orandum sunt. 1mum. Oratio necessaria est, non quidem, ut Divina immutetur dispositio, sed ut impetremus, quod DEUS per orationes Sanctorum disposuit implendum.)) Quia cùm inter causas aliquorum effectuum naturalium, supernaturaliumquè Divina providentia ordinaverit etiam Actus humanos, inter quos quoquè est oratio, sequitur producendos esse vel non producendos eosdem effectus, positâ vel

non

non positâ oratione, tanquàm causâ ipsorum. Unde *S. August.* ait: Nisi Stephanus orâsset, Ecclesia Paulum non haberet. *2dum.* *In lib. Confess.* Utilitas Orationis exinde provenit. Quia, etsi DEUS nobis multa præstet ex sua liberalitate, etiam non petita: sed quòd aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem, ut scilicet fiduciam quandam accipiamus recurrendi ad DEUM, & ut recognoscamus, eum esse bonorum nostrorum Authorem. Unde *S. Chrysost.* dicit: Considera, quanta est tibi *S. Chrysost.* concessa felicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari *in lib. de orand.* cum DEO, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, *Deum.* quod desideras postulare. *3tium.* Impetrat omnia à DEO: Unde *Christus* promittit: Amen, Amen, dico vobis, si quid peti- *Joan. 16.* eritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Et:* Omnia, quæ- *Matth. 21. &* cunquè petieritis in oratione, credentes accipietis. *Et:* Petite, *Marc. 11.* & dabitur vobis Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit *Matth. 7. &* invenit, & pulsanti aperietur. Si ergo vos, cùm sitis mali, nô- *Luc. 11.* stis bona dare filiis vestris, quantò magis Pater vester, qui in cælis est, dabit Spiritum bonum petentibus se? *4tum.* A tentationibus præservat: Vigilate, & orate, nè intretis in tentatio- *Matth. 26.* nem. *5tum.* In tribulatione auxiliatur, & consolatur: Invoca *Psalm. 50.* me in die tribulationis, & eruam te. *Et:* Fili, in tua infirmitate nè despicias te ipsum, sed ora DEUM, & curabit te. *Et:* Tristatur aliquis vestrûm, oret.)) Ita Christus in agonia pro- *Jacob. c. 5.* lixiùs orans, habuit Angelum consolantem. *6tum.* Præclari effectus Orationis. *S. Augustinus:* Oratio justi clavis est cæli, *S. August.* ascendit precatio, & descendit DEI miseratio. *S. Bernardus;* O- *serm. 226. de* rando bibitur vinum Spirituale, lætificans cor hominis, vinum *temp.* scilicet Spiritûs Sancti, quod inebriat mentem, & carnalium vo- *S. Bern. apud* luptatum infundit oblivionem, humectans interiora arentis con- *Ludov. Gra-* scientiæ, escas bonorum actuum digerit, & deducit per quæ- *nat. lib. 3. de* dam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, vege- *orat. c. 8.* tans, ordinansquè charitatem, & impingvans mores. *7timum.* De nocte & manè monemur orare. S. Ambrosius super *Beati immaculati:* Pernoctabat in oratione Dominus JESUS, non indi- *S. Ambr. in* gens precationis auxilio, sed statuens tibi imitationis exemplum. *Psalm. 118.* *Idem:* Mediâ nocte (ait Propheta) surgebam, ad confitendum

tibi, super judicia justificationis tuæ, & tu surge vel mediâ nocte, si non potes totâ nocte vigilare. *Isidorus in Synonymis*: Pernocta in oratione, & prece: incumbe nocturnis vigiliis, ad modicum clausis oculis, rursum ora. Et *Eccl.* dicitur de Sapiente,

Eccl. 7. quòd cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet

Sapien. 16. os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur. Deinde *Sapiens* insinuat: Oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, & ad orientem lucis te adorare. 8vum. Dominico die à labore terreno cessandum est, atquè omnimodè orationibus insistendum: ut quod negligentiæ per sex dies est contractum per diem septimum, qui est Resurrectionis Dominicæ, expietur.

Isa. 56. 9num. In Ecclesia, quàm alio loco, devotior meliorquè oratio.

S. Chrys. hom. 3. de incompr. DEI nat. Ita DEUS per Prophetam: Lætificabo eos in domo orationis meæ. Et *S. Chrysost*: Orare vel domi possumus dicunt, sed homiliam, doctrinamquè audire, nonnisi in Ecclesia possumus. Te homo decipis. Nam etsi domi quoquè DEUM orandi est facultas, tamen fieri non potest, ut domi tam benè ores, quàm in Ecclesia, ubi tot Patres, ubi clamor felici societate excitus, ad DEUM Immortalem refertur. Non pariter exoras, cùm solus Dominum obsecras, atquè tuis cum fratribus. Est enim in hujusmodi plus aliquid v. g. concordia, conspiratio, copula amoris & charitatis, Sacerdotum clamores. Præsunt enim ob eam rem Sacerdotes, ut populi Orationes, quæ infirmiores

D. Thom. 2. 2. q. 84. a. 3. ad secundum. per se sunt, validiores illas complexæ, simul in cælum evehuntur. Deinde *S. Thomas* inquit: Determinatus locus eligitur ad orandum: non propter DEUM, qui adoratur, quasi loco concludatur, sed propter ipsos adorantes. Et hoc triplici ratione. 1. quidem, propter loci consecrationem, ex qua Spiritualem devotionem concipiunt orantes, ut magìs exaudiantur, sicut patet ex adoratione Salomonis 3. Reg. 8. 2. propter sacra mysteria, & alia Sanctitatis signa, quæ ibi continentur. 3. propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magìs exaudibilis, secundùm illud Matth. 18: Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum.

10mum. *Christi exemplum*, de quo *S. Gregorius* inquit: Humani generis Redemptor per diem miracula urbibus exhibet,

& ad

& ad orationis studium in monte pernoctat. Et *Seraphicus Doctor* piè meditatur, dicens: Compatere & admirare suam profundissimam humilitatem. Cùm enim sit DEUS Patri suo coæternus & coæqualis, oblitus videtur se DEUM esse, & orat ut homo, stat tanquam quilibet homunculus de populo Dominum orans. *Ibidem*: Sed & illud animadverte contra impatientiam nostram, quòd Dominus tribus vicibus oravit, antequam à Patre responsionem acciperet. *Idem*: Quis lugens, nisi qui cum clamore valido, & lachrymis preces, supplicationesquè offerens pro suis Crucifixoribus, & nobis peccatoribus, suisquè inimicissimis? *6. Moral. c. 17. S. Bonavent. medit. vitæ Christianæ. Idem in Stim. amor. c. 8.*

IImum. *Exemplum Deiparæ*, quæ de seipsa hæc refert, ad S. Elizabeth, dicens: Volo te facere, ut faciebam ego. Surgebam enim semper in noctis medio, & pergebam ante altare templi, & tanto desiderio, & tantâ voluntate, & tantâ affectione, quantâ poteram, & sciebam, petebam gratiam ab omnipotenti DEO observandi illa tria præcepta, & omnia alia mandata legis. Et sic stando ante altare, septem petitiones Domino faciebam, quæ sunt hæ: 1. enim petebam gratiam, quâ possem implere dilectionis præceptum, scilicet ipsum diligere ex toto corde &c. 2. petebam gratiam, quâ possem diligere proximum, secundùm voluntatem & beneplacitum suum, & ut faceret me amare omnia, quæ ipse amat & diligit. 3. petebam, ut me faceret odire & fugere omnia, quæ odit. 4. petebam humilitatem, patientiam, benignitatem, & mansvetudinem, & omnes virtutes, per quas efficerer gratiosa ante conspectum suum. 5. petebam, ut faceret me videre tempus, in quo esset nata illa beatissima Virgo, quæ debebat Filium DEI parere: & ut conservaret oculos meos, ut possem eam videre: lingvam, ut possem eam laudare: manus, ut possem ei servire: pedes, ut possem ire ad servitium suum: genua, ut possem adorare DEI Filium in gremio suo. 6. petebam gratiam obediendi mandatis, & ordinationibus Pontificis templi. 7. petebam, ut templum, & universum populum suum ad servitium suum conservaret. Beatus verò *Hieronymus* de vita ipsius scribit: Hanc sibi regulam Beata Virgo statuerat, ut à manè usquè ad horam tertiam orationibus *Dam. lib. 4. fid. Ortho. c. 15. Niceph. lib. 1. Eccl. hist. c. 17. V. D. Bonav. meditat. vitæ Christianæ cir. princip.*

tionibus insisteret, à tertia usquè ad nonam externo opere se occuparet; à nona verò iterum ab oratione non recedebat, quousquè dum illi Angelus appareret, de cujus manu escam accipere solebat, & meliùs in DEI opere & amore proficiebat. Fiebat, ut in vigiliis inveniretur prior; semper in oratione, & in scrutatione legis DEI permanebat.

12mum. *Exempla Sanctorum ex Biblio. Manual. P. Lohner tit. Orat.* S. Athanas. in vita ejus c. 6. *S. Antonius* sæpè totâ nocte orans exorto sole dixit: Ah! quid me impetis ô Sol? qui oriris, ut me ab amœniore Sole abstrahas. *Aliud.* *Beatus Aloysius* tantum studii in oratione Vit. lib. 2. c. 3. ponebat, ac si in ea virtutum summa omnium posita esset. Hinc dicebat: Religionum tam miseras facies ex una oratione neglecta provenire, illam esse compendiosam viam ad perfectionem, sinè illa neminem se perfectè vincere posse. Maximas reputabat delicias, cùm orationis tempus appropinquabat, dicebatquè se putare eum, qui has delicias semel gustâsset, non facilè ab oratione avelli se passurum. Omnem in præparatione adhibebat diligentiam, dicens: animum non præparatum, tam parum posse Divinam similitudinem in se recipere, quàm parum aqua turbida humanam faciem repræsentat. Nè distraheretur, ab exuendo etiam abstinebat. Nihil erat ei faciliùs, quàm mentem cum DEO conjunctam habere, tantumquè sentiebat ipse difficultatis in cogitationibus à DEO avellendis, quantum alii in mente DEO unienda.

Beierl. the. 2. in festo S. Bartholom. 13um. *Exempla profana ex citato P. Lohner.* Scipio Africanus nunquam rem aliquam arduam auspicatus est, quin priùs à Jove consilium & auxilium pro felici successu petierit. *Aliud.* Ibidem. Numam Pompilium Jovem è cælo precibus suis deducere potuisse, superstitiosa credidit antiquitas. *Aliud.* Lacedæmones, teste Platone, orantes solùm pulchra & bona petere solebant, nec Dadræus v. orat. in loc. simil. unquam aliud quid precari auditi sunt.

Quoad *Praxim Orationis* hæc observa. 1mò. Disponas te remotè, & proximè, ad orationem. *Remotè, per vitam bonam.* Ven. Beda de templo Salom. Unde *Venerab. Beda:* Multùm juvat orationis puritatem, si in omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis: Cassian. Coll. 9. c. 3. quidquid enim ante orationis horam (inquit *Cassianus*) anima

nostra

noſtra conceperit, neceſſe eſt, ut orantibus nobis per ingeſtionem recordationis recurrat. Quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus, ex præcedente enim ſtatu mens atquè animus in ſupplicatione formatur. Et idcirco quidquid orantes nolumus, ut nobis irrepat, ante orationem de abditis pectoris noſtri extrudere ſtudeamus. *Proxima diſpoſitio ad orationem eſt primò curarum ſepoſitio, & affectuum inordinatorum relictio*: nam & hæc duo inter potiora impedimenta orationis S Bernardus poſuit, *curam* ſcilicet *pungentem, & affectum vigentem*: id quod ſuper illa verba Iſaiæ: Et vocaberis Sabbatum delicatum, diſcurrens *Granatenſis*, pulchrè oſtendit, dum ait: Dictu mirum eſt, quàm arduum ac difficile ſit, piis etiam hominibus, mentem à terrenis ad cæleſtia perfectè elevare, non enim à peccatis ſolùm vel leviſſimis, quæ fervorem charitatis tepefaciunt, ſed à multis etiam aliis, quæ quamvis peccata non ſint, mentem tamen diſtrahunt, & ab interna illa vacatione vel avocant, vel impediunt, abſtinendum eſt. Ideò non mirum, ſi Sabbatum delicatum à nobis exigat, quod videlicet *delicatè*, hoc eſt, non ſegniter aut oſcitanter, ſed magnâ curâ & attentione, quod in eo præcipitur, agendum eſt. 2*dò*. *Temporis apti electio*. Ita *S. Bernardus* inſinuavit, dicens: Non modò locum, ſed & tempus obſervare oportet eum, qui ſibi orare voluerit. Tempus feriatum commodius, aptiusquè, maximè autem, cùm profundum nocturnus ſopor ſilentium indicit, tunc planè liberior, puriorquè exit oratio.

V. ſuprà in practica diſpoſitione adContemplat.

Lud. Granatenſis in Silva loc. comm. v. præparatio ad orat.

S. Bern. Serm. 86. in Cant.

2*dò*. In ipſa oratione ſit 1. *Senſuum exteriorum, & præcipuè oculorum cuſtodia*: hoc enim Chriſtus ſvaſit, dum clauſo oſtio cubiculi nos orare voluit. Et priſci Patres, dum amantem orationis, cæcum, ſurdumquè fieri volebant. 2. *Præſentia DEI, firmiter in animo impreſſa*: ita V. Beda ſvaſit, dum quæſitus, quomodo quis obtinere poſſit, ut ſenſus in oratione non vagetur? reſpondit; ſi certus ſit, ſe ante oculos Domini asſiſtere. Idem *S. Bernardus ſequentibus verbis*: Veniens ad Eccleſiam, pone manum tuam ſuper oſtium, & dic: Expectate hìc cogitationes peſſimæ, intentiones, & affectus cordis, & appetitus carnis: tu autem anima intra in gaudium Domini tui, ut videas voluntatem Domi-

Matth. 6. v. 6.

Drex. in Rhet. cæl. lib. 1. c. 5 §. 2.

V. Beda in hexam. Lo. 9.

S. Bern. apud Rodriq. par. 1. tr. 5. c. 22.

Domini, & visites templum Sanctum ejus. 3. *Præsentia Sanctorũ Angelorum, aliorumquè Cælitum cogitata*: quod medium *S. Chrysost.* suggessit, dicens: Imaginare tibi, quando ad orationem pergis, intrare te curiam illam beatam, in qua Rex gloriæ sedet stellis coronatus, innumerabilibusquè Angelis & Sanctis ipsi ministrantibus circumdatus, qui in te unum omnes oculos, mentemquè convertant, ut dicere orantes possint: Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus. 4. *Abigere tentationes*, perturbantes orationem, quarum *prima* est *Consolationum defectus*, pro qua vincenda sciat. I. Veram devotionem, non in sensibili sapore, sed in bona & prompta voluntate DEO serviendi consistere. II. Revocet in memoriam, uti nihil in orbe, ita nequè has desolationes sinè voluntate DEI obvenisse, utpote qui eas, vel ad negligentiam nostram in præparatione, aut alio genere, commissam, castigandam, vel ad humilitatem conservandam, vel virtutem ac patientiam probandam, vel majorem suam, & nostram gloriam promovendam immisit, unde oportet dicere *cum pio Asceta*: Adesto mihi Domine JESU, in omni loco & tempore. Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere omni solatio. Etsi tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas, & justa probatio pro summo solatio. *2da* tentatio est, *mentis instabilitas, & distractionum multitudo*: circa quam salubriter iterum sibi sequentem Thomæ Kempensis doctrinam in memoriam revocet: Nec est illusio, quòd aliquando in excelsum subitò raperis, & statim ad solitas ineptias cordis reverteris. Illas enim invitè magis pateris quàm agis, & quamdiu displicent, & reniteris, meritum est & non perditio. *3tia est, defectus temporis ad orandum ob varia negotia*: cui occurrat ostendendo 1. non requiri longas orationes, sed breves sufficere, quas antiqui Patres frequenter, imò assiduè usurpâsse dicuntur, nè illa vigilanter erecta intentio per productiores moras evanescat. Ostendat 2. varios modos quibus hunc defectum compensare possit, nempe *per pia desideria*, nam teste Galfaldo vir desideriorum, vir orationum est. Et benè semper orat, qui benè semper optat sine intermissione. Efficaciùs enim apud DEUM vota, quàm verba clamant. Sic, ut S. Anselmus testatur, orabat Moyses, cui tacenti Domi-

S. Chrys. in psal. 18.

lib. 3. de imit. c. 16. § 2.

3. c. 6. §. 3.

Galfaldus apud Nieremb. asc. doct. lib. 1. doc. 8. c. 74

S. Anselm. in c. 5. Epist. 1. ad Thessal.

Dominus dixit: quid clamas ad me? clamabat enim corde, quamvis nihil diceret ore. Ita juge desiderium, & incessabilis amor, assidua est oratio Sanctorum Alirer idem defectus *per bonam vitam* legisquè, & obedientiæ accuratam impletionem compensatur, nam ita *Siracides* docuit, dicens: Qui conservat Legem, multiplicat orationem: Sacrificium salutare est attendere mandatis. *Eccl. 35. v. 1. & 2.*

3tiò. *Vide suprà dicta, & hic convenienter applica l. 2. Tra 1. c. 1. Sec. 4. Subs. 2. §. 2.*

4tò. Quid autem orare debeamus, docet S. August. dicens: *Si non oraveritis, spem non habebitis, si aliter quàm Magister docuerit, oraveritis, non exaudiemini.* Hinc expedit Orationem Dominicam hic ore Angelici Doctoris explicatam apponere, qui ait: Dicendum est, quòd Oratio Dominica perfectissima est, quia, sicut Augustinus dicit ad Probam: Si rectè & congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quàm quòd in ista oratione Dominica positum est, quia enim oratio est quodammodo desiderii nostri interpres apud DEUM, illa rectè solùm orando petimus, quæ rectè desiderare valemus. In Oratione autem Dominica non solùm petuntur omnia, quæ rectè desiderare possumus, sed etiam eo ordine, quo desideranda sunt: ut sic hæc oratio non solùm instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectûs. Manifestum est autem, quòd primò cadit in desiderio nostro finis: deinde ea, quæ sunt ad finem. Finis autem noster DEUS est, in quem noster affectus tendit dupliciter: uno quidem modo, prout volumus gloriam DEI: alio modo, secundùm quod volumus frui gloriâ ejus. Quorum primum pertinet ad dilectionem, quâ DEUM in seipso diligimus. 2dum verò pertinet ad dilectionem, quâ diligimus nos in DEO. Et prima petitio ponitur: *Sanctificetur nomen tuum:* per quam petimus gloriam DEI: Secunda verò ponitur: *Adveniat regnum tuum:* per quam petimus ad gloriam DEI, & regni ejus pervenire. Ad finem autem prædictum nos ordinat aliquid dupliciter. Uno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem bonum, quod est utile in finem. Est autem aliquid utile in finem beatitudinis dupliciter: uno modo directè &

Apud Lohner Bibli. manual. tit. Orat. §. XL.

D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 9. Epist. 121. c. 12. in pri. to. 2.

principaliter secundùm meritum, quo beatitudinem meremur, DEO obediendo. Et quantùm ad hoc, ponitur: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Alio modo instrumentaliter, & quasi coadjuvans nos ad merendum. Et ad hoc pertinet, quod dicitur: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; sive hoc intelligatur de pane Sacramentali, cujus quotidianus usus proficit homini, in quo etiam intelliguntur omnia alia Sacramenta: sive etiam intelligatur de pane corporali, ut per panem intelligatur omnis sufficientia victûs: sicut dicit Augustinus ad Probam:

Epist. 121. *c.* 11. *in me. to.* 2. Quia & Eucharistia est præcipuum Sacramentum, & panis est præcipuus cibus. Unde & in Evangelio Matthæi scriptum est,

2. *Matth.* 6. *to.* 9. supersubstantialem, id est, præcipuum, ut Hieronymus exponit. Per accidens autem ordinamur in beatitudinem, per remotionem prohibentis. Tria autem sunt, quæ nos à beatitudine prohibent. Primò quidem peccatum, quod directè excludit à regno, secundùm illud 1. ad Corinth. 6: Nequè fornicarii, nequè idolis servientes, &c. regnum DEI possidebunt. Et ad hoc pertinet, quod dicitur: *Dimitte nobis debita nostra.* Secundò tentatio, quæ nos impedit ab observantia Divinæ voluntatis. Et ad hoc pertinet, quod dicitur: *Et nè nos inducas in tentationem*: per quod non petimus, ut non tentemur, sed ut à tentatione non vincamur, quod est in tentationem induci. Tertiò pœnalitas præsens, ut quæ impedit sufficientiam vitæ. Et quantum ad hoc dicitur: *Libera nos à malo. Hæc D. Thomas.*

Deniquè obvii sunt innumeri Libelli, in omni genere & forma precum, quos tibi pro tuo gustu, & spiritu selige, & illis feliciter utere. Commendo quoquè nostrum Incensum Orationis.

ACTUS EXTERIORES RELIGIONIS.

§ I.

De Adoratione.

D. Thom. 2. 2. *q.* 84. ADoratio, *est actus Religionis, quo non modò secundùm spiritualem naturam seu substantiam, verùm & secundùm corporalem, humiliatur homo coram Divina Majestate, ejus per hoc summam excellentiam desi-*

Ibid. a. 2. *gnando, & se ad ejus subjectionem excitando.* Ratio est: Quia con-

naturale

naturale est nobis, ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus. Tum quia ex duplici natura compositi sumus, sensibili & spirituali, duplicem quoquè adorationem DEO offerimus, spiritualem & sensibilem, v. g. per genuflexionem, quâ nostram infirmitatem designamus, in comparatione ad DEUM, per prostrationem, quasi profitentes, nos nihil esse ex nobis.

Duplex est adoratio. Alia Latriæ, quâ recognoscimus DEUM ut summum Numen, Principium, & ultimum Finem nostrum. Alia, *quâ*, juxta Damascenum, *Deiparam, ut DEI Matrem, honoramus, Apostolos, ut fratres Domini, & inspectores in passionibus ejus, Martyres verò ut milites Christi, & omnes Sanctos honorare decet, ut amicos Christi, & filios DEI, qui uniti sunt DEO, & cum ipso regnant.* Et quamvis in utraquè hac adoratione iidem Exteriores actus exercentur, diversâ tamen intentione, ut modò dictum est. Sicut & homines similibus actibus inclinationis, genuflexionis, prostrationis in terram, veneramur, in signum alicujus ipsorum excellentiæ vel dignitatis. Porrò Christum Dominum solâ adoratione Latriæ prosequimur; quia etsi humana & Divina natura in Christo reperiatur, quia tamen eadem natura humana solâ Personalitate Filii DEI subsistit, ideoquè Christum Dominum in Persona DEI unâ adoratione latreuticâ soli DEO competente, & non aliâ veneramur.

S. Joann. Damasc. lib. 4. de fide Orthod. c. 15.

Jam verò, qualiter Imagines & Reliquiæ Sanctorum adorentur à Christi Ecclesia paulò fusiùs, adeoquè clariùs est opus explicare, tum pro utili notitia Catholicorum, cùm horum sit quotidiana praxis, tum ut obstruatur os iniqua loquentium contra Catholicos, nunc ferè omnium hæreticorum, qui de crimine idololatriæ Catholicos calumniantur, ut suos sequaces, sub specie falsi boni dementatos, à veritate in tenebras errorum, & perditionis æternæ abducant. *Itaquè quoad imagines P. Franciscus Arias* ita discurrit, dicens: Sciendum est, nos posse Christi, ejusquè Sanctorum imagines bifariam considerare. Primò, ut sunt res naturales & artificiales ex auro, vel argento, vel ligno, & cum tali figura, forma, artificio, & ornatu. Et hoc modo clarum est, nos eas non adorare, nec posse adorare, cùm sic consideratæ, ut sunt res naturales, artificialesvè, nec virtutem habeant,

Franc. Arias thes. inextra. de Religionis Virt.

beant, nec ſanctitatem, nec ſenſum, nec ullâ reverentiâ ſint dignæ.

Alter modus, quo imagines conſideramus, eſt, inquantùm ſunt imagines, id eſt, inquantùm ſunt medium, quod nos ad rem præſentatam ducit, ita, ut adoratio non ſiſtat in imagine, ſed per eam tranſeat ad rem repræſentatam. Conſiderando hoc modo imagines, adoramus eas, ac debemus adorare, & eâdem adoratione, quâ rem repræſentatam adoramus. Si imago ſit Chriſti, DEI ac Domini noſtri, quemadmodum Crux & Crucifixus, quæ eſt imago Chriſti crucifixi, & quævis alia imago, quæ ipſum in nativitate, aut in columna, aut in quocunquè alio vitæ, ſive paſſionis ejus capite repræſentet, adoramus hanc talem Chriſti imaginem adoratione *Latriæ* propriâ & verâ, quæ ſoli DEO datur, quia adorare hoc modo Chriſti imaginem, ut
Cajet. p. 3. benè Cardinalis Cajetanus notat, idem eſt, quod adorare Chri-
q. 25. a. 3. ſtum, per talem imaginem repræſentatum. Unde cùm dicimus, nos non ſolùm adorare Chriſtum, ſed eâdem adoratione etiam adorare Chriſti imaginem, volumus dicere, nos non ſolùm adorare Chriſtum, conſiderando eum in ſe ipſo, ut eſt in cælo, & ut beati illum vident, ſed adorare nos etiam eum, conſiderando ipſum in ſua imagine repræſentatum. Et quia idem Dominus eſt, qui adoratur, ſive viſus in cælo, ſive in imagine repræſentatus, eandem ei adorationem tribuimus. Et ſic adorantes imaginem Chriſti, non damus adorationem *Latriæ* creaturæ, ſed Creatori; quia adoratio non ſiſtit in imagine, quæ eſt creatura, ſed per eam tranſit ad Chriſtum, qui Creator & Salvator noſter eſt.

Et ſi imago ſit Sancti cujuſpiam Beati, adoramus eâdem adoratione, quâ Sanctum adoramus, id eſt, tanquam magnum DEI amicum, qui regnat cum eo, fruiturquè illo in cælo. Et ſi imago ſit Sanctiſſimæ Virginis, adoramus eam eâdem adoratione, quâ Virginem adoramus, nempe, ut Matrem DEI, quæ ipſum concepit ac genuit, quà hominem, & ut cælorum Reginam, & excellentiſſimam inter omnes, quas DEUS fecit, puras creaturas. Siquidem (ut oſtendimus) adorare hoc modo Sancti imaginem, idem eſt, quod adorare Sanctum. dictâ imagine

repræ-

repræsentatum; & adorare hoc modo imaginem Virginis, est adorare Virginem, dictâ imagine repræsentatam. Atquè ita adorando Sanctorum imagines, non damus ullum honorem insensibilibus creaturis, sed beatis Sanctis, qui quoniam amici DEI sunt, magno sunt honore & reverentiâ digni: nam, uti diximus, adoratio, quam damus Sancti imagini, in ea non sistit, sed per eam ad Sanctum ipsum honorandum venerandumquè transit.

Hic ordinarius, & ab Ecclesia receptus modus est adorandi imagines, & sic verum est, nos propriè, verèquè eas adorare. Et quamvis alius licitus modus imagines adorandi, aliaquè propter hanc ratio, cur eæ adorentur, sit, hic tamen magis ordinarius, & in praxi, usuquè omnium Fidelium, receptior ab Ecclesia modus est. Et dando imaginibus eandem adorationem, quæ rei repræsentatæ secundùm Ecclesiæ usum datur hæc sola, quam diximus, ratio est, ob quam sanctè & religiosè fit. Et hæc, quam dicimus, Sanctorum doctrina est, traditione, usuquè universalis Ecclesiæ, & Sacrorum Conciliorum decretis confirmata. Id significavit S. Basilius, & qui eum alii sequuntur, dicentes: Honor, qui datur imagini, transit ac pervenit ad exemplar, hoc est, ad id, quod ab eadem imagine repræsentatur. Et hoc significant sacri Theologi, dum dicunt, imaginem non esse terminum, ubi adoratio sistat, sed rem ab ipsa repræsentatam terminum esse, & illam esse, veluti viam & medium, quod adorationem ducit ad rem, quam illa repræsentat, qui est Christus gloriosus, aut benedicta ejus Mater, aut beatus aliquis Sanctus.

D. Basil. lib. de Spir. S. c. 27. & 29.
Damasc. lib. 4. de fide c. 17.
D. Thom. p. 3. q. 25. a. 3. & 2. 2. q. 81. a. 3. ad 3.

In Concilio quarto Constantinopolitano, quod ex generalibus octavum est, sanxit hanc veritatem Ecclesia, his verbis: *Dignum est, ut secundùm congruentiam rationis, & antiquissimam traditionem, propter honorem, quia ad principalia ipsa refertur, etiam derivatæ imagines honorentur.* Et novissimè sacrum Concilium Tridentinum determinavit, declaravitquè, hanc sanctam consvetudinem, & hunc sanctum modum adorandi imagines, in hæc verba: *Mandat Sancta Synodus, ut juxta Catholicæ Ecclesiæ usum, à primævis Christianæ religionis temporibus receptum, imagines Christi, Dei-*

Tho. Wald. de Sac. l. 13. c. 120.
Campol. in 3. d. q. a. 3.
Medin. ibid.
Sil. in rosa aur. tr. 8. cas. 9.
Concil. Const. paræ 8. c. 3.

Trid. Sess. 25. princip. *paræ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habeantur, & retineantur, eisquè debitus honor & veneratio impertiatur, non quòd credatur inesse aliqua in iis Divinitas vel virtus, sed quoniam honos, qui imaginibus exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines, quas honoramus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.*

Thesaur. inex. tract. de Religionis virtute. Quantùm verò attinet *Sanctas Reliquias*, idem *Franciscus Arias hæc affert, dicens:* Docet insuper, svadetquè nobis virtus Religionis, ut Christi, & Sanctorum ejus reliquias adoremus. Reliquias Christi dicimus res, quæ Christum tetigerunt, ita, ut in eis nulla esset culpa, & quia ab eo benevolè contactæ fuerunt, sanctificatæ manserunt, cujusmodi sunt lancea, clavi, spinea corona, lignum crucis, vestimenta Domini, præsepe, sepulchrum, linteamen, in quo involutus fuit, &c. Reliquiæ Sanctorum sunt eorum corpora, ossa, sangvis, vestes, omniaquè alia, quæ illi ad suum usum corporibus ac manibus suis tetigerunt. His rebus omnibus honorem, venerationemquè debemus: nam qui personam aliquam æstimat, amatquè plurimùm, etiam res, quæ ad D. Thom. p. 2. q. 25. a. 6. illam pertinent, plurimùm amat & æstimat. Et DEUS magnis miraculis, singularibusquè beneficiis, quæ per suas, Sanctorumquè suorum reliquias, semper in Ecclesia sua, ejusquè filiis fecit, nec non magnis pœnis, quas illis irrogavit, qui eas profanârunt, malèquè tractârunt, aut contra ipsarum reverentiam aliquid designârunt, ostendit, hanc suam esse voluntatem. His aliisquè testimoniis, necnon authoritate ac consvetudine sanctæ suæ Ecclesiæ, manifestavit Christus rem valdè piam, magnæquè obligationis esse, reliquias suas, & Sanctorum suorum adorare.

Sed videamus, qualem illis adorationem ac reverentiam debeamus, sitnè eadem, quam personis, quarum sunt reliquiæ, damus, an diversa. Ad hoc sciendum est, duobus modis Christi Sanctorumquè ejus reliquias considerari posse, unus est considerando eas, tanquàm res unitas & conjunctas cum ipsa persona, cujus sunt reliquiæ, ut si consideremus clavos, præsepe, spinas, & frusta crucis, tanquàm res unitas cum Christo, quemadmodum unitæ fuerunt, quando tetigerunt corpus Christi; & sicuti,

sicuti, si consideremus Sanctorum corpora & membra, & ossa & vestimenta cum ipsis vestita, quemadmodum fuerunt cum ipsis vivis unita. Et considerando ad hunc modum Christi reliquias, damus illis eandem reverentiam & adorationem *Latriæ*, quam Christo, tanquàm Creatori ac supremo Domino damus, quia in hoc casu non dirigimus adoratiooem ad solas reliquias, sed ad ipsam personam, quæ est Christus Dominus noster, & totum in sua parte adoramus. Quemadmodum, si Rege vestito reverentiam vestimento faceremus, tangendo illud, & osculis admovendo, reverentiam illam ipsi Regi daremus, & quemadmodum si reverentiam pedi Pontificis exhibemus, osculando eum, quia unitus cum illo est, reverentiam ipsimet Pontifici facimus. Ita considerando Christi reliquias cum sacra ejus humanitate unitas, & humanitatem unitam cum Divina Persona, reverendo, adorandoquè reliquias, damus reverentiam & adorationem ipsimet Christo, adeoquè adoramus eas verâ adoratione, quam DEO tribuimus. Eodemquè modo considerando reliquias Sanctorum, prout, quando cum ipsis unitæ fuerunt, damus eis eandem reverentiam & adorationem, quam Sanctis, quia ad hos adorationem dirigimus. Et in hoc casu idem est adorare corpus, aut ossa, aut vestem Sancti, ac Sanctum, cùm est illud corpus, illa ossa, illud vestimentum. Atquè ita sub hac consideratione certum est, (ut ait S. Thomas,) non solùm crucem Christi propter contactum, sed etiam omnes cæteras res Christi, quæ ipsum tetigerunt, adorandas esse eâdem adoratione, quâ Dominus adoratur.

D. Thom. 3. p. q. 25. a. 6. Th. Wald. de Sacr. t. 13. c. 120.

Alter modus, quo Christi, ejusquè Sanctorum reliquias considerare possumus, est tanquàm res, quæ jam à Christo & Sanctis distinctæ, separatæquè sunt, cæterùm alio tempore cum iisdem unitæ, conjunctæquè fuerunt. Considerando hoc modo reliquias Christi, ejus clavos, lanceam, spinas, præsepe, & porticum, omnesquè cæteras, ratione contactûs, quem aliàs cum Christo habuerunt, eas veneramur & adoramus, sed non eâdem adoratione, quâ adoramus Christum, quia sub hac consideratione eas adorantes, non adoramus directè Christum, nec ad hunc adoratio transit, sicuti quando imaginem adoramus:

ideoquè non est una eademquè adoratio, sed adoramus easdem reliquias aliâ distinctâ adoratione; videlicet tanquàm creaturas dignas reverentiâ, quia à Christo contactæ fuerunt, & adoratio sistit in iisdem reliquiis, cum hoc respectu consideratis, quòd à pretiosissima Christi carne contactæ fuerunt, ob quem respectum debetur ipsis reverentia & adoratio, non illa, quæ Creatori datur, sed illa, quam par est certis creaturis ab ipsomet Creatore honoratis, dignatisquè dari. Quam adorationem vocamus *Duliam*, quod est generale vocabulum, quo significamus honorem ac reverentiam, quæ datur alicui creaturæ, ob quandam excellentiam, quam à DEO accepit, & propter ipsum DEUM. Et suppositâ hâc consideratione dixit idem S. Thomas, frusto ligni crucis, considerando illud non ut imaginem Christi, nec ut rem unitam cum ipso, sed ratione contactûs, quem alio tempore cum Christo habuit, nos non dare eandem adorationem, quam Christo, sed aliam distinctam ac minorem eâ, quam Virgini damus. Quia considerando illud tanquàm rem distinctam, quando id adoramus, non est Christus objectum ac terminus illius adorationis, sed creatura, quæ est lignum crucis, aut spina, aut clavus, ob illam excellentiam & respectum, quia à Christo contacta fuit. Considerando etiam hoc modo reliquias Sanctorum, tanquam res ab eis distinctas, ac separatas, cæterùm cum hoc respectu, quòd fuerunt aliàs cum Sanctis unitæ, non debetur iis eadem reverentia & adoratio, quæ Sanctis, sed alia longè diversa ac minor, tanquam creaturis quibusdam inanimatis, quæ à DEO fuerunt honoratæ, multoquè magìs erunt in resurrectione honoratæ.

D. Thom. in 3. d. 25. q. 1. Th. Wald. ubi suprà. Sil. ros. aur. tr. 3. cas. 2. Gabr. in cant. lect. 50.

Hisce duobus modis possumus adorare reliquias; & ambo sunt liciti, religiosi, ac Fidelibus usitati. Et utrumquè comprehendit, approbavitquè sacrum Concilium Tridentinum, dicens: *Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo regnantium corpora, quæ viva membra Christi, & templum Spiritûs Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda sunt, per quæ multa beneficia à DEO hominibus præstantur; unde Ecclesia Christi damnavit, & damnat eos, qui affirmant, Sanctorum reliquiis venerationem atquè honorem non deberi.*

Trid. Sess. 25. princ.

Demus

Demus igitur Christo hunc honorem, adorando ipsius, & Sanctorum ejus reliquias, eumquè illi demus cum Spiritu, & interiore devotione, elevando animam nostram ad considerationem infinitæ altitudinis Christi, quem in suis reliquiis adoramus, æstimando honorem ipsius, & gloriam, & impletionem Divinæ ejus voluntatis, super omnes res creatas, consecrando nos cum corpore & anima Divino illius obsequio, & desiderando, ut universi homines in mundo eum cognoscant, ei serviant, eum ament, quemadmodum ejus Sancti ipsum cognoverunt, serviêrunt, & amârunt, ut omnes in æterna vita eundem possideamus & perfruamur. *Hæc Franciscus Arias.*

Motiva. *1mum.* *Psalm:* Venite adoremus, & procidamus, & ploremus coram Domino. *Eccl:* Qui adorat DEUM, in oblectatione suscipietur, & deprecatio illius usquè ad nubes propinquabit. *Matth:* Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies. *2dum* ab Exemplis. I. *Christus* Dominus in horto orationem ad æternum Patrem faciens, adoravit eum *positis genibus,* quin etiam *procidens in faciem suam.* Et quòd tunc fecit, aliàs quoquè fecit, quando in montibus orabat, & in oratione pernoctabat; quia eandem semper erga æternum Patrem suum reverentiam habuit, & quemadmodum volebat, ut suum sanctissimum corpus adjuvaret, ac comitaretur animam in facienda ad æternum Patrem oratione, sic volebat, ut eandem juvaret, comitareturquè in eodem reverendo & adorando. Unde S. Gregorius Nyssenus: *Humanus,* inquit, *usus est, pronos terræ supplicare majoribus, unde ille, qui nostros langvores portavit, per hominem, quem sumpsit, genu flectit, orando Patrem, sanciens non esse superbiendum orationis tempore, sed per omnia, humilitati conformandum.* II. De *Beatissima Virgine* canit Ecclesia: *Quem genuit* (Christum) *adoravit.* Quod & toto suæ vitæ tempore, cum sponso suo S. Joseph, DEUM adorando, fidelissimè & perfectissimè exercuit. III. *Tres Reges,* coram infante Christo, *procidentes adoraverunt eum.* IV. *S. Jacobus Minor,* eo usquè DEUM pro populo flexis genibus solebat deprecari, ut callum durissimum obduceret. V. *S. Bartholomæus,* dè die centies, & de nocte centies, flexis genibus orabat. VI. *Sanctus Arsenius,* quovis Sabbato, à vespere usquè

Psalm. 94. *Eccl. 35.* *Matth. 4.* *Matth. 26. 33.* *Luc. 22. 42.* *D. Gregor. Nyss. Luc. 22. in caten.* *Matth. 2.* *S. Hieron. de vir. illus.* *Marul. lib. 2. c. 1.* *Marul. l. 2. c. 1*

usquè ad matutinum tempus, orationem submissis genibus facie versus orientem protrahebat, adorans eum, de quo per Prophetam dicitur: Ecce vir oriens nomen ejus.

In Praxi, ut non materialis, sed formalis fiat adoratio, necesse est, quatenus hæc exterior proveniat ab interiori. Unde

Joan. 4. Christus ait: *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum, Spiritus est DEUS, & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.*

l. 2. tra. 1 c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. *Applica quoquè hìc proportionatè supradicta.*

ACTUS INTERNI ADORATIONIS ex Thesauro indefic. Blasii Palma.

Dominum DEUM tuum adorabis. Luc. 4.

I. *DEUS infinitæ Majestatis, & magnitudinis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: si cultus latriæ, qui tibi soli DEO debetur, est actus internus, simul ac externus, quo rationalis creatura te colit, humiliando se animo te adorandi, & profitendi te DEUM: Ecce ego omni illâ, quâ possum, submissione & humilitate, positus coram tua Divina Majestate, DEUS meus, agnosco me creaturam, & opus manuum tuarum, à te per omnia dependens, te universorum absolutum Dominum: dignissimum, qui pro tali ab omnibus honoreris & habearis: infimâ, cordiali submissione humi prostratus, & ex profunda abysso mei nihili te adoro, adoratione Latriæ: & tantæ Majestati in infinitum me submitto, omnemquè reverentiam, & honorem, quem possum, exhibeo.*

II. *Contentus etiam sum, imò contentissimus nihil esse, ac posse, nisi à te provenire, imò nollem esse, nec aliquid posse, nisi dependenter à te.*

III. *Ideo invito & invoco Sanctissimam Virginem, beatos Spiritus, & totam Curiam cælestem, imò creaturas universas, ut mecum adorent, venerentur, & agnoscant tantam Majestatem, & jam nunc, unà cum illis te adoro, & agnosco: imò isto meo actu omnes alias adorationes, alios cultus, quibus hactenus affectus, & quibus affici te conveniebat, omnes, inquam, eos cultus uno fasciculo comprehensos & colligatos tibi offero, dedico.*

IV. *Tandem, ô DEUS meus, consecro tibi omnia, qui es absolutus Dominus universorum, singulariter autem omnes meas cogitationes, verba, & opera, tam interna quàm externa, tibi offero, & consecro;*

illud unum supplicans, ut in me perfectissimè impleatur amabilis tua voluntas, quâ me creâsti, & vocâsti ad tibi serviendum.

ACTUS EXTERNI ADORATIONIS
ex Thesauro inexhausto P. Ariæ de Virt. Relig.

Ejusmodi actus consistunt in humiliatione corporis, quæ fit caput aperiendo, inclinandoquè, genua flectendo, totum se solo adsternendo, manus tollendo, ac conjungendo, & pectus percutiendo. Fit etiam exterior adoratio lumina accendendo, thus adolendo, odores offerendo, & Divinas laudes dicendo. His exterioribus adorationis actibus profitemur interiorem adorationem cordis, eamquè excitamus, & adjuvamus.

§. II.
De Sanctissimo Missæ Sacrificio.

SAcrosanctum Missæ Sacrificium, est actus Religionis, quo in persona Christi & Ecclesiæ Sacerdos, per transubstantiationem panis & vini in Corpus & Sangvinem Christi, specierumquè panis & vini alterationem, protestatur supremum DEI dominium, aliosquè consequi intendit fines, & effectus. Dicitur: *quo in persona Christi* &c. Ubi Imò principalis Sacrificans seu offerens Missæ Sacrificium intelligitur esse Christus Dominus: Tum, quia ipse hoc Sacrificium instituit, omnemquè valorem ex suis meritis illi indidit: Tum, quia vocatur *Sacerdos in æternum*, ex eo, juxta interpretationem Patrum, quòd per suos Ministros offerat quotidie. Hinc Trident. inquit: *Idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit.* Tum, quia ipse Missas, quas celebrant Sacerdotes, DEO Patri actu & re ipsâ offert in cælo, tanquam Advocatus noster, & Mediator DEI & hominis, interpellans pro nobis: Tum potissimum, quia Sacerdos in persona Christi sacrificando illa verba profert: *Hoc est corpus meum.* Unde S. Anselmus ait: *Ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat Sacrificium, quod offertur.* Quare Sacerdos sacrificans, respectu Christi, est tanquam causa Instrumentalis seu Ministerialis, per quem Christus, ut causa Principalis, perficit Sacrificium Missæ. 2dus offerens Sacrificium Missæ, est Ecclesia, quæ per Sacerdotem non eo modo quo Christus, sed tanquam per suum Legatum & Mediato-

Psalm. 109.

Sess. 22. c. 2.

In Psalm. 38.

rem, nomine suo, offert DEO hoc Sacrificium. Hinc Sacerdos celebrans vices agit, & personam Ecclesiæ, sicut Legatus personam Reipublicæ, ut quidquid ille egerit, tota Respublica dicatur agere: Ita & in Sacrificante dicitur tota Ecclesia, seu omnes Catholici sacrificare. Hinc *S. Augustinus*: *Christus* inquit, *est Sacerdos ipse offerens, & ipse oblatio, cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium, quæ cùm ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum ducit offerre.* Porrò ex fidelibus Ecclesiæ, aliqui sacrificant tantùm habitualiter, nempe qui non assistunt Missæ Sacrificio, nequè cogitant de illo, nisi quòd propter unionem charitatis cum corpore Ecclesiæ dicuntur id habitualiter agere, quod agit Ecclesia. Alii verò actu ipso assistentes Missæ, illiquè intendentes, dicuntur illam actualiter offerre. Alii deniquè causaliter Sacrificium offerunt, qui illud prece, stipendio, vel alio modo procurant fieri à Sacerdote, qui solus propriè celebrat Sacrosanctum Missæ Sacrificium, ab ipso Christo in cæna incruentè, in cruce verò cruente, adeoquè publicâ authoritate institutum, quæ authoritas est requisitum Sacrificii. Dicitur: *per transubstantiationem* &c. quæ transubstantiatio fit, quando ad prolationem formæ Sacrificii: *Hoc est enim corpus meum.* Et: *Hic est enim calix sangvinis mei* &c. desinente substantiâ panis & vini, in eorum locum succedit verum & reale corpus & sangvis Christi, vel per Reproductionem novâ actione factam ejusdem corporis & sangvinis Christi, vel per Replicationem solam, id est, Adductionem corporis & sangvinis Christi. Dicitur: *specierumquè panis & vini alterationem.* Quia sicut antiqua Sacrificia essentialiter perficiebantur, dum victima occideretur, & integraliter fuerunt perfecta, quando comedebantur, vel igne absumebantur: ita Sanctissimum novæ legis Sacrificium, quoad suam substantiam, peragitur factâ consecratione, & transubstantiatione panis & vini, in corpus & sangvinem Christi, integraliter verò completur per Communionem seu Consumptionem Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenti. Dicitur: *protestatur supremum DEI dominium.* Etenim hic est principalis finis Sacrificii, protestatio scilicet summæ in DEO excellentiæ, nempe quòd ipse sit supremum Numen, primum Principium, & ultimus Finis

S. Aug. 10. civitat. 20.

nis omnium, habens abſolutisſimam poteſtatem ſupra creaturam, eam vitâ & ſuo Eſſe donare, vel privare; adeoquè dignisſimum eſſe, in cujus honorem & cultum vita, quam à DEO homo accepit, deſtruatur. Unde in ſignum hujus, ſicut in veteri lege per ſacrificium animalia occidebantur, & igne cremabantur, ita ad eundem finem ſub novo Teſtamento Chriſtus in Ara Crucis occiſus, ſeipſum obtulit DEO Patri. Cujus cruenti Sacrificii incruenta fit repræſentatio in Miſſa, ita tamen, ut hæc repræſentatio non ſit tantùm pura repræſentatio, ut v. g. eſt figura vel ſtatua Crucifixi, verùm etiam ſimul habeat perfectam rationem Sacrificii, ſitam in morali deſtructione corporis & ſangvinis Chriſti, dum ſcilicet per Conſecrationem corpus & ſangvis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini in tali ſtatu ponuntur, ut amittant alios uſus naturales corporis humani, ſolumque conſtituantur in ratione cibi & potûs, per modum panis manducabilis, & vini potabilis, fiuntquè ex non comeſtibilibus, & potabilibus, comeſtibilia ac potabilia. Quæ moralis deſtructio ſufficit ad veritatem Sacrificii, prout & in legis veteris Sacrificiis inveniebatur, quando vinum vel oleum pro DEI honore in terram effundebatur, per quam effuſionem non ſtatim phyſicè deſtruebatur, ſed nonniſi ad alios uſus antecedentes ineptum reddebatur. Deinde in Miſſa altera deſtructio ejusdem corporis & ſangvinis Chriſti fit non ſecundùm ſe, verùm ſecundùm rationem cibi manducabilis, & vini potabilis, quando per ſumptionem ſpecies corrumpuntur, ſub quibus Chriſtus in ratione cibi & potûs conſtituebatur. Quibus conſumptis, deſinit etiam corpus Chriſti eſſe manducabile, & ſangvis potabilis.

Præter hanc proteſtationem Supremi DEI dominii, alii quoquè fines & effectus Miſſæ Sacrificii à Chriſto intenti ſunt, & à Sacerdote intendi debent, de quibus modò ſequitur.

Motiva præclariſſima ad Miſſæ Sacrificium frequentandum hæc proponuntur. imum ex ejus valore, fine, fructu, effectu. De quo cumprimis breviter ſuppone valorem ſeu vim effectivam Miſſæ ſpectari in actu primo, & actu ſecundo. In actu primo, hæc vis effectiva conſiſtit in opere operato, & opere operantis.

Quòd in opere operato sita sit, inde patet, quia in Missæ Sacrificio actio principalis offerentis est actio Christi, quæ independenter à bonitate vel malitia ministri, ex vi sua est productiva certorum effectuum. Hinc Trident. docet: *Sacrificium Missæ habere vim & efficaciam applicandi aliquem fructum Christi passionis, & hoc ex vi suæ institutionis.* Et quidem Christus Dominus illâ actione suâ non actualiter meretur, & satisfacit, cùm jam sit extra statum merendi, & satisfaciendi, sed potiùs illâ actione per Missæ Sacrificium applicat præteritam suam satisfactionem, & merita, ad producendos certos effectus. Deinde quòd vis quoquè effectiva Missæ fundetur in opere operantis; Et primò quidem ex parte Ecclesiæ, in cujus etiam persona sacrificatur, inde est, quia cùm DEUS suam Ecclesiam diligat, hinc placet ei, & facilè acceptat, quod ejus nomine offertur, necnon flectitur ad dandum, quod ab Ecclesia postulatur. 2dò. Ex parte Sacerdotis operantis eadem vis effectiva in Missæ Sacrificio habetur, quia licèt hic in persona Christi & Ecclesiæ sacrificat, tamen dum sacrificat, exercet præstantissimum actum Virtutis Religionis, quæ eosdem effectus producere valet, quos possunt in generali, & aliæ virtutes. Cæterùm pro ratione perfectionis dispositionis Sacerdotalis ex opere operantis, crescit quoquè major Sacrificii Missæ valor, ad velociores & copiosiores, perfectioresquè effectus producendos. Quia talium oblatio non modò secundùm se, verùm & secundùm offerentes, est DEO gratior & acceptior, adeoquè magìs movens DEUM ad præstandum id, quod per Sacrificium intenditur. Quod aliàs non fit ex occasione minùs dispositorum Sacerdotum.

Sess. 22. Can. 1. & 2.

Porrò in *actu secundo* vis effectiva Missæ, proveniens ab actu primo, tanquam sua radice, est ipse actualis fructus & effectus Missæ; qui dividitur in Generalissimum, Specialem, & Specialissimum. *Generalissimus* est, qui ex parte Ecclesiæ tum refertur ad DEUM, & Sanctos, tum Ecclesiæ toti applicatur. Ut dum v. g. nomine Ecclesiæ totius hoc Sacrificio DEUS honoratur, ipsi gratiæ aguntur pro beneficiis toti Ecclesiæ concessis, aliquid impetratur pro tota Ecclesia, &c. *Specialis* similiter, qui ex nomine unius personæ vel plurium, respectu DEI & Sanctorum,

rum, intenditur ad eos honorandos &c. tum quoquè etiam illi vel illis personis, pro qua vel quibus determinatè offertur Missa, ejus fructus applicatur. *Specialissimus fructus* est, qui à Sacerdote sacrificante DEO, ac Sanctis exoptatur, ac ipsi Sacerdoti confertur. Deniquè hi actus, effectus, fructus scilicet Generalissimus, Specialis, & Specialissimus, subdividuntur in Latreuticum, Propitiatorium, Satisfactorium, Eucharisticum, Impetratorium effectum seu fructum. Quippe quod in veteri Synagoga multis Sacrificiorum generibus obtineri intendebatur, ac simul figurabatur, hoc uno Missæ Sacrificio in Ecclesia Christi multò nobiliora obtinentur, & præstantur. Deinde vis & ratio Latreutica, Propitiatoria, Satisfactoria, Eucharistica, & Impetratoria, vel continentur in dictis actibus, fructibus, effectibus, id est Generalissimo, Speciali, & Specialissimo, tanquam in suis generibus, vel non continentur. Si continentur, salva res; si non continentur, id maximè foret verum de Generalissimo. Atqui id non conceditur. Tum quia nulla in hoc implicantia. Tum quia id exigit Communio Sanctorum, ut membra Corporis mystici Ecclesiæ, tum inter se invicem, tum maximè à suo Capite Christo participent bona Sacrificiorum, Suffragiorum, &c. Ergo.

Primò itaquè Sacrosanctum Missæ Sacrificium præstat *Latreuticum effectum*, seu cultum Latriæ, quo DEUS honoratur, tanquam Supremum Numen, primum omnium Principium, & ultimus Finis, cujus absoluto dominio subsunt omnia, tanquam Domino vitæ & mortis, ut suprà insinuavimus. Hunc maximè effectum Missæ Sacrificio intendit Christus & Ecclesia, cùm is sit potissimus finis, ad rationem pertinens Sacrificii. Huc refertur 1. memoria vitæ & passionis Christi, & præcipuè memoria immensæ illius charitatis ostensæ in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento nobis relicto, seu Sacrificio incruento: Tum in Sacrificio cruento in Ara Crucis. Unde ipse præcepit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et Apostolus: *Quotiescunquè* &c. *mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* 2. Huc refertur Hyperdulia Humanitatis Christi, & Deiparæ, ac Dulia Sanctorum: Non quòd ipsis offeratur Missæ Sacrificium, utpote soli

Luc. 22.
1. *Cor.* 11.

soli DEO debitum, sed quòd offeratur DEO in honorem & gaudium accidentale ipsorum. Estquè hæc voluntas Christi, & Ecclesiæ, ut maximo, quo potest fieri, modo, Sancti honorentur, ex quorum cultu majore major quoquè in DEUM resultat gloria.

2dò Missæ Sacrificium est *Propitiatorium*, seu placativum DEI, & remissivum peccatorum. Quod insinuat Christus, dicens: *Hic est sangvis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et S. Chrysostomus: Sacerdos, inquit, pro universo Orbe terrarum legatus intercedit, deprecatorquè est apud DEUM, ut omnium hominum, non viventium modò, sed etiam peccatis defunctorum propitius fiat.)) Hæc autem remissio peccatorum non provenit immediatè à Sacrificio Missæ, sed mediatè, quòd nempe ex vi Sacrificii hujus conferuntur gratiæ actuales, & donum pœnitentiæ, ad cujus actuale exercitium consequitur venia peccatorum. Unde Trident docet: *DEUM hoc Sacrificio placatum, etiam ingentia crimina remittere, concedendo poenitentiæ donum.* Quod donum tribuitur ex opere Operato, seu ex vi meritorum Christi, ut citata Evangelii verba clarè ponunt: Tum ex opere Operantis Ecclesiæ, quia idem Actus, qui est impetratorius, (quale est Missæ Sacrificium,) est quoquè simul meritorius, saltèm de congruo, ut liquet ex Angelico Doctore. Et omnis actus moralis supernaturaliter bonus per intentionem Operantis fit hoc modo propitiatorius, uti placet Spiritualibus Magistris. Conceditur autem hoc donum pœnitentiæ secundùm generalissimum, specialem, & specialissimum fructum, aliis per efficaces, aliis per sufficientes gratias, pro ratione dispositionis cujusquè, & ratione æternæ DEI Providentiæ.

Matth. 26.

Lib. 6. de Sacerdotio.

Trid. Sess. 22. c. 2.

3tiò. Missa *Satisfactorium* producit effectum, seu satisfactionem, pro pœnis temporalibus. Etenim, si Sacrificia veteris testamenti tollebant pœnas legales, quidni id magis concedendum Sacrosancto huic Sacrificio, quoad veras pœnas peccatis debitas? Verùm soli justi ejusmodi participant favorem: quia in peccatoribus sinè mortalibus culpis non dimissis, non dimittitur quoquè pœna. Porrò id certum non modò de justis vivis,

vis, verùm & piè defunctis, eorum purgatorii pœnas Sacrificio Missæ potissimùm aboleri. Unde Cyrillus Hierosl. inquit: *Maximum esse credimus animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio Sancti illius, & tremendi, quod in altari positum est, Sacrificii.* Provenire autem hanc satisfactionem ex opere operato liquet: quia ex præcipuis fuit & iste finis passionis, & Sacrificii Christi cruenti in Cruce, nempe satisfactio rigorosa justitiæ DEI vindicativæ, in exsolvendo pœnas tales, quæ satisfactio æquivaleret, imò infinities superabundaret pœnis æternis totius mundi peccatis debitis. Porrò ejusmodi satisfactio alligata est Sacrificio Missæ, nè minoris conditionis foret præ Sacrificiis antiquis sui figurativis. Tum ex opere operantis Ecclesiæ, & Sacerdotis, prodit dicta satisfactio. Cùm omnis actus virtutis (quale etiam est Missæ Sacrificium) ex intentione operantis sortitur vim satisfactionis, juxta doctrinam Spiritualium Theologorum. Et Doctor Angelicus inquit: *Eucharistia, inquantùm est Sacrificium, habet vim Satisfactivam, sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis.* Unde & Dominus dicit Luc. 21. de vidua, quæ obtulit duo æra, *quòd plus omnibus misit. Quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundùm quantitatem suæ devotionis, & non pro tota poena.* Applicatur autem hæc satisfactio omnibus justis, vivis & defunctis, (qui nondum expiârunt suas pœnas,) juxta rationem generalissimi, specialis, & specialissimi fructûs.

Catech. 5. Mystag.

D. Thom. 3. q. 29. a. 5.

4tò. Missæ Sacrificium est *Eucharisticum*, id est, non modò collativum multiplicis bonæ gratiæ, (Eucharis enim bona gratia interpretatur) verùm est & gratiarum actorium. Quoad *1mum* patuit ex dictis, & patebit ex dicendis hæc multimoda gratia. Nunc verò asserendum, Sacrificium hoc, ut confert gratias actuales, dispositivas, ad gratiam primam habitualem (de quo visum suprà) ita conferre gratiarum auxilia, ad eandem conservandam, & augendam, vi meritorum Christi. Tum quia eadem ratio valet tam respectu primæ gratiæ, quàm respectu secundæ. Tum si in lege veteri Sacrificia externa conferebant sanctitatē, quantò magis in lege gratiæ sanctissimum hoc Sacrificium de-

bet conferre gratiam, gratum facientem, seu internam Sanctitatem gratiæ actualis dispositivam ad habitualem ejusquè conservativam (cujus figura erat illa externa sanctimonia) idquè toties, quoties peragitur? Imò etiam ex opere operantis Ecclesiæ, per Sacrificium Missæ procurantur gratiæ actuales in ordine ad augmentum gratiæ. Quia, si calix aquæ frigidæ datus pauperi, in justo immediatè promeretur incrementum gratiæ, quidni ob Sacrificium hoc Ecclesia justorum promereatur ejusdem gratiæ ampliorem proventum, saltèm mediatè? Deinde Angelicus Doctor inquit: *Spiritualiter communicantes (quod facit sacrificans Ecclesia in suo ministro) etsi non Sacramentum, rem tamen percipere Sacramenti.* Et hæc sunt dicta, respectivè ad Generalissimum & Specialem fructum. Cæterùm quoad Specialissimum effectum Sacerdoti sacrificanti dari solitum ex parte Communionis, seu sumptionis Sanctissimi Sacramenti, is sinè ulla controversia ex opere operato, & opere operantis talis tribuitur, qualis & aliis communicantibus in gratia accedentibus, nempe augmentum gratiæ habitualis, præservatio à peccatis, amplior gratia actualis pro faciendo incremento gratiæ Sanctificantis, &c.

Quod concernit gratitudinem, seu gratiarum actionem, pro beneficiis à DEO collatis, hanc quoquè sacrum Missæ Sacrificium præstare indubium est, idquè ex opere operato, & opere operantis, secundùm Generalissimum, Specialem, & Specialissimum actum, ex suprà dictis facilè probatio colligitur. Addo Suppositum ex Trident: *Si quis dixerit,* inquit, *Missæ Sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, &c. anathema sit.* (*Sess. 22. c. 3.*)

5tò. Missæ Sacrificium esse *Impetratorium* omnis generis beneficiorum, temporalium, & æternorum, sive ex opere operato, sive ex opere operantis, in vi Generalissimi, Specialis, & Specialissimi actûs & effectûs, liquet ex supradictis. Tum, quia etiam in veteri Testamento Levit. 7. jubentur offerri Sacrificia, pro impetrando beneficio. Tum, quia Christus Dominus, qui est interpellans pro nobis, maximè sangvine suo fuso clamat ad Patrem,

Patrem, non vindictam, sed gratiarum dona, pro nobis expostulando, unde etiam exauditur pro sua reverentia. Tum, quia ob suam dilectionem in Ecclesiam, maximè interposito hoc efficacissimo Missæ Sacrificii medio, movetur eidem ad collationem beneficiorum, quæ aliàs & simplici orationi promisit se daturum, juxta illud: *Petite, & dabitur vobis.* Matth. 7.

Deniquè, sicut omnis alius actus Virtutis potest offerri ad varios fines moraliter & supernaturaliter bonos, ut alibi vidimus: ita Sacerdos, ex nomine Ecclesiæ, & suo, potest similem oblationem facere cum Missæ Sacrificio, (salvis tamen debitis intentionibus, ad quas obligatur offerre,) quod profectò in maximum emolumentum Ecclesiæ, præcipuè ipsius sacrificantis Sacerdotis, cedere notum est, ac perspicuum. l. 2. tr. 1 c. 1. sec. 2.

Confirmantur dicta. Thomas Theodidactus inquit: *Quando Sacerdos celebrat, DEUM honorat, Angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat, & sese omnium bonorum participem efficit.* Lib. 4. de imit. Christi c. 5.

2*dum Motivum* à dignitate immensa Missæ Sacrificii: hoc enim juxta SS. Patres vocatur à DEO per Prophetam oblatio munda, de qua sic ait: *Ab ortu solis usquè ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Et juxta Zachar: *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Et Psalmista: *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* S. Dionysius Eucharistiam appellat *omnium Sacramentorum consummationem, Divinissimum & Sacrosanctum Sacramentum, Sacrosancta & augustissima mysteria.* S. Chrysostomus inquit: *Cùm benedictionem dico, Eucharistiam dico, & dicendo Eucharistiam, omnem benignitatis DEI thesaurum aperio. Etenim cum calice inenarrabilia DEI beneficia consecuti sumus, &c.* S. Gregorius: *Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem, cælos aperiri, in illo JESU Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus jungi, unum quid ex visibilibus atquè invisibilibus fieri?* P. Lohner in Biblio. Man. tit. Sacr. Missæ inquit: *Unius Sacrificii oblatione novo gratius præstatur DEO obsequium, quàm si omnes possibiles virtutum actus to.*

Malach. c. 1. Zach. c. 9. Psalm. 110. S. Dion. Eccl. Hierar. c. 3. S. Chrysost. hom. 24. in Epist. 1. Cor. S. Greg. 4. Dial. c. 58. In Missali anno 1634. recogni-

actus elicerentur, & omnia excogitabilia tormenta ex amore DEI sustinerentur. Hinc *Urbanus VIII.* in quodam diplomate ait: *Si quid esset in rebus humanis planè Divinum, quod nobis Superni Cives (si in eos invidia caderet) invidere possent, id certè est Sacrosanctum Missæ Sacrificium.*

3tium Motivum. Imitari Christum, qui summo charitatis ardore incensus, in ultima cœna Sacrificium hoc Divinissimum
Luc. 22. peregit, dum ait: *Desiderio desideravi, hoc Pascha manducare vobis-*
D. Hieron. *cum, antequam patiar.* Ipseque, juxta *D. Hieronymum*, Dominus
Epist. ad Hed. JESUS Conviva, & Convivium, ipse comedens, & qui comeditur. Deinde post Consecrationem à Matthæo & Luca Christus
Matth 26. dixisse refertur: *Non bibam à modo de hoc genimine vitis, donec illud*
Luc. 22. *bibam novum in regno Patris mei.* S. Andreas, dum à Tyranno Di-
Petrus Sanch. is sacrificare juberetur, respondit: Quotidie sacrifico Omnipo-
in regno DEI tenti DEO, non boves & oves, sed immaculatum agnum, cujus
p. 7. c. 4. caro, licèt à populo manducetur, integer tamen ipse perseverat. B. Cassius Episcopus quotidie celebrans (sed vitâ corre-
S. Greg. Dial. spondente tanto Sacrificio) audivit sibi à Domino dici: Age,
lib. 4. c. 56. quod agis, operare, quod operaris, non cesset opus tuum, non
lib. 3. c. 6. cesset pes tuus, non cesset manus tua: Natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. S. Cajetanus
Rho. lib. 3. plerumquè horas octonas sese ad Sanctissimum Missæ Sacrifici-
Virt. c. 1. 15. um præparabat, idquè præmissâ Confessione, tunc primùm celebrabat.

4tum Motivum. Specialiter incitans ad singularem devotionem, in audiendo & ministrando Sanctissimo Missæ Sacrifi-
Comment. in cio. Ex *Corn. à lap.* hæc accipe: Quinquè hujus rei (id est
Exod. c. 29. auditionis sacri) fructus paucis assignat Toletus lib. 6. summæ cap. 10. *1mus*, inquit, est gratiæ augmentum, qui enim in gratia est, sacrum audiendo gratiæ augmentum consequitur, tum, quia offert, tum, quia pro ipso etiam sacrum offertur. *2dò*, consequitur pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ, remissionem. *3tiò*, quod petit, faciliùs impetrat. Nam DEO Patri oblationem acceptissimam, puta Christum offert. *4tò*, actus virtutum exercentur, & præcipuè trium, quæ sunt magni momenti, scilicet Fidei, Charitatis, & Religionis. *5tò*, comparet homo

in præſentia Chriſti, & eo quo poteſt modo, puta per fidem. Præſentem videt Chriſtum, & habet, atquè impetrat, quod impetraret, ſi videret, ſi debito modo petat, ut cæcus impetravit. Eosdem fuſiùs tradit Svarez to. 3. in 3. part. diſp. 79. ſect. 8. §. 4. qui præterea piè & probabiliter opinatur, asſiſtentes Miſſæ (quos & offerentes eſſe cenſet) ex opere operato conſequi proprium fructum ſuum, etiamſi Sacerdos intentione ſuâ nullum eis talem fructum applicet.)) Beatisſima Virgo poſt aſcenſionem Filii ſui, quotidie ſacrum audiebat, quod à Sancto Joanne, vel ab alio Sacerdote, celebrabatur. Ita Svarez, & alii. S. Anſelmus, Cantuar. Archiepiſc. cùm ob ſenium facere Miſſam non poſſet, delatus in Oratorium, quotidie Miſſam audiebat, ait Edinerus in ejus vita lib. 2 S. Thomas Aquinas, in ſummis etiam ſtudiis, quotidie Miſſam faciebat, & alteram audiebat, & eidem ſæpè miniſtrabat. In Chronicis Hiſpaniæ celebris eſt Capitaneus Paſchalis Vivas, qui tempore prælii contra Regem Cardubæ Maurum, dum audiret Miſſas in templo S. Martini, viſus eſt in prælio fortiter pugnare, & vexilliferum occidere, eſſequè cauſa victoriæ, cùm tamen pugnæ non interfuiſſet, Angelo ſub ejus forma pugnante. Multos à periculis, à morte, à paupertate liberatos, quòd Miſſam quotidie audirent, collegit Pinellus lib. de fruct. Miſſæ. Ecquid mirum? ipſi Angeli Miſſæ asſiſtunt, & miniſtrant. Unde in Canone orat Sacerdos: Jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui. Vidit S. Chryſoſt. teſte B. Nilo, ejus diſcipulo, Presbyteris, Euchariſtiam diſtribuentibus, Angelos auxilium ac robur ferre. Scribit Cyrillus in vita S. Euthymii, ſæpè ab eo viſam terribilem Angelorum multitudinem, unà ſecum DEO miniſtrantem, & ſacra contrectantem. Unde S. Bonav: Ad Miſſam, inquit, libenter miniſtra, quia hoc eſt officium Angelorum: ipſi enim DEO ſuo ubiquè miniſtrant devotisſimè. Et S. Ephrem: Angeli mundi, inquit, cum tremore miniſtrant, faciemquè obtegentes non audent reſpicere. S. Ambroſ. in c. 1. Lucæ: Non dubites, ait, asſiſtere Angelum, quando Chriſtus immolatur. S. Chryſoſt. lib. 6 de Sacerd. ait: Altare Angelorum choris plenum eſſe, qui clamores excitant, dum Chriſtus immolatur.)) S. Nilus Abbas Epiſt. ad

Collector ex de la Croix Hort. Mariani art. 5. c. 8.

ad Anast. Episc. scribit de S. Joanne Chrysost. eum, quoties ferè celebrabat, Angelos vidisse. Cùm cœpisset, inquit, sanctum Sacrificium, plurimæ statim ex illis Virtutibus, de cælo descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari, magno cum silentio, & reverentia, quoad venerandum illud mysterium expletum fuit, circumsteterunt. Deinde huc, illuc singulæ per totam domum diffusæ, Presbyteris, & Diaconibus, distributionem corporis & pretiosi sangvinis ministrantibus, adhæserunt, satagentes, & sedulò adjuvantes.)) Audiant in Ecclesia garruli, audiant immodesti. S. Ambros. lib. 3. de Virgin. Estnè quicquam, inquit, indignius, quàm oracula Divina circumstrepi, nè audiantur, nè credantur, nè revelentur? circumsonare Sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cùm gentiles idolis suis reverentiam tacendo referant? Unde illud exemplum proditur: Alexandro Macedonum Rege sacrificante, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atquè adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicâsse fletu. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut naturam vinceret, atquè ille non Deos, qui nulli erant, sed Regem timebat.)) Apud Græcos sacrificaturus Sacerdos præfabatur: *Quis hic?* Assistentes sacris respondebant: *Multi, & boni.* Quare Virg: *Procul hinc, procul este profani.* In India Porcæ Rex, etsi primis adhuc juvenilis licentiæ annis, tam erat tamen in colendis idolis suis, quæ non pauciora quingentis in Larario asservabat superstitiosè religiosus, ut quotidie totum antemeridianum tempus, sex solidas horas, offerendis suis cuiquè donis impenderet, nec ad alia ulla negotia daret aditum. Christiane, cave, & pave, nè paganorum devotio inter suos nidores, condemnet tuam incuriam inter Divinissimi Sacrificii odores.

P. Lohner Bibli. Manua. ex Petro Jamon l. 6. hist. Ind. Orient.

In Praxi circa celebrationem Missæ observa 1mò, quod S. Augustinus ait: Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit, sic vive, ut quotidie merearis accipere: qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. 2dò adhibe præparationes ad Missam, quæ passim in Libellis piis circumferuntur.

S August. tractans illud Matth. 6. Pan. &c.

tur. 3tiò. Audi *S. Ambrosium*: Quantâ enim cordis contritione, & lachrymarum fonte, quantâ reverentiâ & tremore, quantâ corporis castitate, atquè animi puritate, illud Divinum Cæleste mysterium est celebrandum, Domine DEUS! ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sangvis tuus in veritate bibitur, ubi summis ima, humanis Divina junguntur, ubi adest Sanctorum præsentia Angelorum, ubi tu es Sacerdos, & Sacrificium, mirabiliter & ineffabiliter. Quis dignè hoc celebrare mysterium potest, nisi tu DEUS Omnipotens offerentem feceris dignum?)) Deinde vide, quod apud *Rom. Numa* sancitum tulit, ut nempe quatenus ad Sacrificia præco ingenti voce præcedens clamaret: *Hoc age*, nimirum, ut toti essent animo intenti ad Sacrificium. Deinde illa sanctio huc pertinet: *Ad Divos adeunto castè, pietatem adhibento, opus amovento, qui secus faxit, DEUS vindex erit.* Ægyptii Sacerdotes, contemptâ negotiorum curâ, carne & vino abstinentes, castimoniam vitæ colebant. Hæc dæmoniorum Sacrificuli, quid non agendum Summi Numinis Mystis?

S. Ambros. in orat. ante Missam dicenda.

Adhibe quoquè hìc proportionatè suprà specificata. 1. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2.

Præparationem ad Sanctissimum Missæ Sacrificium, & alias devotiones circa illud, reperies quoquè in nostro Incenso Orationis.

§. III.
De Sanctissimæ Eucharistiæ Communione Sacramentali.

COmmunio Eucharistica, *est actus Religionis, quo immensam excellentiam Divinæ Charitatis in institutione hujus Sacramenti, tum in Passione, & Morte Christi, ostensam, per sumptionem Eucharistiæ Sacramentalem recolimus, & veneramur; acceptâquè eâdem Divinissimâ alimoniâ, & ejus fructu, hoc ipso DEUM honoramus, & in ejus cultu in Spiritu reficimur.* Dicitur: *Excellentiam Divinæ Charitatis &c.* Quia id Dominus jubet, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, scilicet in memoriam tantæ meæ dulcedinis, & dilectionis erga vos, ut illam multùm appretiemini, & veneremini, dignantemquè vos tali honore reciprocè honoretis, & quod maximum est, ut amantem redametis. Hæc enim duo, honorem videli-

Luc. 22.

videlicet, & amorem mutuum, inter se amici valedicentes, donativo aliquo testatum, ad invicem relinquere solent. Siquidem amor potest esse absquè honore: sic flosculum elegantem amamus, sed præ parva æstimatione facilè rejicimus in terram. Lapidem verò pretiosum & amamus, & simul ejus pretium multùm æstimamus, semperquè ei honorificentissimum locum assignamus, uti in Corona, in annulo.

Illicia ad dignè & devotè frequentandam Sanctissimæ Eucharistiæ Communionem sunt. *1mum. Joann:* Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. *Item:* Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangvinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea verè est cibus, & sangvis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangvinem, in me manet, & ego in illo. *Item:* Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Joann. 16. *Ibidem.* *Ibidem.*

2dum. S. Cyrillus: Non mortem solùm, verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cùm in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extingvit: nec in quibus sumus peccatis, considerat: sed ægrotos curat, collisos reintegrat, & sicut pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos erigit casu. Ex *Doctore Angelico* hæc accipe: Effectus Sacramenti hujus debet considerari: 1. quidem, & principaliter, ex eo, quod in hoc Sacramento continetur, quod est Christus. Qui sicut in mundum visibiliter veniens, contulit mundo vitam gratiæ, (secundùm illud Joann. 1: Gratia & veritas per JESUM CHRISTUM facta est) ita in hominem Sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur, secundùm illud Joann. 6: Qui manducat me, vivet propter me. Unde & *Cyrillus* dicit: Vivificativum DEI Verbum, uniens seipsum propriæ carni, fecit ipsam vivificativam: decebat enim eum, nostris quodammodo uniri corporibus, per sacram ejus carnem, & pretiosum sangvinem,

S. Cyrill. l. 4. c. 17. *D. Thom. p. 3. q. 79. a. 1.* *Lib. 4. in Joan. c. 22. & 14.*

quæ accipimus in benedictionem vivificativam, in pane, & in vino. 2. consideratur ex eo, quòd per hoc Sacramentum repræsentatur, quod est passio Christi. Et ideo effectum, quem passio Christi fecit in mundo, hoc Sacramentum facit in homine. Unde super illud Joann. 19: *Continuò exivit sangvis & aqua,* dicit Chrysostomus: Quia hinc suscipiunt principium sacra mysteria, cùm accesseris ad tremendum calicem, ut ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas. Unde & ipse Dominus dicit Matth. 26: Hic est sangvis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. 3. consideratur effectus hujus Sacramenti ex modo, quo traditur hoc Sacramentum, quod traditur per modum cibi & potûs. Et ideo omnem effectum, quem cibus & potus materialis facit, quantum ad vitam corporalem, (quod scilicet sustentat, auget, reparat, & delectat,) hoc totum facit hoc Sacramentum, quantum ad vitam Spiritualem. Unde Ambros. dicit in lib. de Sacramentis: Iste panis est vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Et Chrysost. dicit super Joann: Præstat se nobis desiderantibus, & palpare, & comedere, & amplecti. Unde ipse Dominus dicit Joann. 6: Caro mea verè est cibus, & sangvis meus verè est potus. 4. consideratur effectus hujus Sacramenti ex Speciebus, in quibus traditur hoc Sacramentum. Unde August. ibidem dicit: Dominus noster corpus & sangvinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis: namquè aliud, scilicet panis, ex multis granis in unum constat, aliud, scilicet vinum, in unum ex multis acinis confluit. Et ideo ipse alibi dicit super Joann: O Sacramentum pietatis! ô signum unitatis! ô vinculum charitatis. Et quia Christus, & ejus passio est causa gratiæ, & Spiritualis refectio, & charitas sinè gratia esse non potest. Ex omnibus præmissis manifestum est, quòd hoc Sacramentum gratiam confert.))

Hom. 84 in Joan. cir. me. to. 3.

Per hoc Sacramentum, juxta *D. Thomam*, augetur gratia, & perficitur Spiritualis vita, ad hoc, quòd homo in seipso perfectus existat per Conjunctionem ad DEUM. *Ibidem*: Hoc Sacramentum confert gratiam Spiritualiter cum virtute charitatis. Unde *Damascenus* comparat hoc Sacramentum carboni, quem Isaias

S. Thom. p. 3. q. 79. a. 1.

Ibidem ad secundum.

Lib. 4. ort. fid. c. 14. à med.

Isaias vidit, Isa. 6. Carbo enim lignum simplex non est, sed unitum igni: ita & panis Communionis non simplex panis est, sed unitus Divinitati. Sicut Gregor. dicit in hom Pentec: Amor DEI non est otiosus, magna enim operatur, si est. Et ideo per hoc Sacramentum, quantum est ex sui virtute, non solùm habitus gratiæ & virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum: secundum illud 2. Cor. 5: Charitas Christi urget nos. Et inde est, quòd ex virtute hujus Sacramenti anima Spiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis Divinæ: secundùm illud Cant. 5: Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. *Idem* citat S. August. dicentem super illud Joann. 6: Caro mea verè est cibus, cùm cibo & potu id appetant homines, ut non esuriant, nequè sitiant, hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit in societate Sanctorum, ubi pax erit, & unitas plena, atquè perfecta. *Idem Angelicus Doctor:* Hoc Sacramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam, & ideo Viaticum dicitur. In cujus figura loquitur 3. Reg. 19. quòd Elias comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usquè ad montem DEI Horeb. *Ibidem:* Qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet: fortè enim primò non fuit sufficienter contritus: sed devotè & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati. *Ibidem:* Dicendum, quòd in hoc Sacramento duo possunt considerari, scilicet, ipsum Sacramentum, & res Sacramenti, & ex utroquè apparet, quòd hoc Sacramentum habet virtutem ad remissionem venialium peccatorum. Nam hoc Sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi, est necessarium corpori, ad restaurandum id, quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur, ex calore concupiscentiæ, per peccata venialia, quæ diminuunt fervorem charitatis. Et ideo competit huic Sacramento, ut remittat peccata venialia. Unde & Ambros. dicit in lib.

Hom. 30. in Evang. non longè à princ.

S. Thom. cit. ibidem art. 2.

Ibid. a. 2. ad 1.

Ibid. a. 4.

lib. de Sacram: Quòd iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Res autem hujus Sacramenti, eſt charitas, non ſolùm quantùm ad habitum, ſed etiam quantùm ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento, per quod peccata venialia ſolvuntur. Unde manifeſtum eſt, quòd virtute hujus Sacramenti remittuntur peccata venialia. *Ibidem*: Quoad remiſſionem pœnæ dicit: Hoc Sacramentum directè ex vi ſua non eſſe inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad Spiritualiter nutriendum, per unionem ad Chriſtum, & ad membra ejus: ſicut & nutrimentum unitur nutrito. Sed quia hæc unitas fit per charitatem: ex cujus fervore aliquis conſequitur remiſſionem, non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ; unde eſt, quòd ex conſequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo conſequitur remiſſionem pœnæ: non quidem totius, ſed ſecùndùm modum ſuæ devotionis & fervoris. *Ibidem*; Peccatum eſt quædam Spiritualis mors animæ. Unde hoc modo præſervatur aliquis à peccato futuro, quo præſervatur corpus à morte futura. Quod quidem fit dupliciter. Uno modo, inquantùm natura hominis interiùs roboratur contra interiora corruptiva: & ſic præſervatur à morte per cibum, & medicinam. Alio modo per hoc, quod munitur contra exteriores impugnationes, & ſic præſervatur per arma, quibus munitur corpus. Utroquè autem modo hoc Sacramentum præſervat à peccato. Nam *imò* quidem per hoc, quòd Chriſto conjungit per gratiam, roborat Spiritualem vitam hominis, tanquam Spiritualis cibus, & Spiritualis medicina: ſecundùm illud Pſalm. 103: Panis cor hominis confirmat. Et Auguſt. dicit ſuper Joannem: Securus accede, panis eſt, non venenum. Alio modo, inquantùm eſt quoddam ſignum Paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem. Unde Chryſoſt. dicit ſuper Joann: Ut Leones flammam ſpirantes, ſic ab illa menſa diſcedimus, terribiles effecti diabolo. *Ibidem* S. Thomas: Licèt hoc Sacramentum non directè ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam conſequentia, inquantùm auget charitatem: quia, ſicut Auguſt. dicit in lib. 83. Quæſt. augmentum charitatis eſt diminutio cupidi-

Ibidem a. 5.

Ibidem a. 6.

Tract. 26. in Io. à me. to. 9.

Hom. 45. in Io. à me: illius, l. 3.

Ibid. a. 6. ad tertium.

piditatis: Directè autem confirmat cor hominis in bono, per quod etiam præservatur homo à peccato. *Hæc Angelicus Doctor de Angelico cibo & potu.*

Trid. Sess. 13. c. 2. *Concilium Tridentinum* hæc habet: Salvator discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcipit, suamquè annunciare mortem, donec ipse veniat ad judicandum. Sumere autem voluit Sacramentum hoc, tanquam Spiritualem cibum animarum, quo alantur, & confortentur, viventes vitâ illius, qui dixit: Qui manducat me, vivet propter me: & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à mortalibus præservemur. Dignus etiam voluit esse futuræ felicitatis, adeoquè Symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuiquè nos, tanquam membra arctissima, Fidei, Spei, & Charitatis conjunctione, astrictos esse voluit.

P. de La Croix. Hort. Mar. ar. 5. c. 9. 3*tium Illicium* est exemplum Deiparæ, quam Filio suo in terris Superstitem quotidie Sacram Eucharistiam sumpsisse, & ipsius ferventissima pietas, atquè ad res Divinas inexplicabilis propensio, & devota Christianorum tunc temporis consvetudo manifestè probant. *Alia exempla ex Biblio. manual. P. Lobner tit. Eucharistia.* 1. S. Mechtildis, Christum, post Communionem peractam, sibi dicentem audivit: Tu in me, & ego in Te, & in æternum non derelinquam Te. 2. Ad Sanctam Catharinam Senensem hæc quondam dixit verba DEUS: Ut pleniùs intelligas, quàm ardenti desiderio cupiam vobiscum esse, utquè magis accendaris ad subigendam mihi, copulandamquè meæ voluntatem tuam: vide, & altâ mente considera, voluisse me, ut Unigenitus meus incarnaretur, parâsse insuper mensam maximi, parumquè agniti Sacramenti, Corporis ipsius & Sangvinis, ut in cibum sumentes transformemini, mutemini què in me. Et hoc est, quod Augustino Servo meo his verbis dixi: *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me, sed tu mutaberis in me.* 3. Cùm Sancta Gertrudis Domino diceret: Quid in me omnium creaturarum peripsemate poteris invenire, in quo taliter delecteris, & hoc amplexibus, & osculis sponsalis blanditatis æquiparare digneris? respondit Dominus: Hoc, quod toties me tibi communico in Sacramento Altaris. Et in hoc ego in infinitum plus delector, quàm omnes simul, qui unquam in humanis amplexibus & osculis

Daur. in Cat. c. 5. tit. 16. Daur. l. tit. 10. ex. 19. L. 5. insin. c. 30.

oſculis ſunt delectari, potuerunt experiri, nam delectatio amplexuum & oſculorum humanorum vilis eſt, & cum tempore tranſit, ſvavitas verò unionis illius, quâ ego me tibi communico per hoc Sacramentum Altaris, nobilisſima eſt, nec unquam deficit, aut tepeſcit, ſed quantò ſæpiùs renovatur, tantò efficaciùs viget in æternum. 4. Cùm Sanctimonialis quædam alias à frequenti Communione abſterreret, Christus de ea S. Gertrudi pro illa oranti dixit: Non placet, quæ cæteras à ſacra Corporis mei menſa abſterret, cùm ſummæ mihi deliciæ ſint eſſe cum hominibus. 5. S. Bonaventura, cùm aliquamdiu ex reverentia SS. Miſſæ Sacrificio abſtineret, alteri cuipiam Sacerdoti ad Aram facienti asſiſtens, ſenſit, unam ſacræ hoſtiæ particulam ab Altari in os mirabiliter transferri, ex quo intellexit, gratiùs eſſe DEO, ſi ex amore ad tremenda illa myſteria accedamus, quàm ſi ex timore quodam & reverentia ſubterfugiamus. 6. S. Catharina Genuenſis, quando ex cauſa ad Divinam menſam accedere non poterat, toto illo die dolore conficiebatur, & ſibi ipſi intolerabilis erat, unde, qui apud illam morabantur, ei compatientes dicebant clarum eſſe placere DEO, ut quotidie cæleſte epulum accipiat. 7. Cùm S. Gertrudis Communionem, quam valdè deſiderârat, conſilio Matris Spiritualis omiſiſſet, Chriſtus ei dixit: Quia deliberâſti me omittere purè propter me, ego in gremio meo confovebo te. 8. S. Franciſcus flagrabat erga Sacramentum Dominici Corporis fervore omnium medullarum, ſtupore admirans permaximo illam carisſimam dignationem, & dignisſimam charitatem. Sæpè communicabat, & tam devotè, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni deguſtationem ſvavem, quaſi Spiritu ebrius, in mentis plurimum rapiebatur exceſſum. 9. B. Virgini animam agenti Chriſtus ipſe læto vultu corpus ſuum obtulit, dicens: Accipe chara Mater, quod mox complebitur tibi in regno meo, unà cum Patre meo. 10. S. Hieronymus Viaticum ſumpturus, de lectulo humi ſe proſterni, ſaccoquè operiri jusſit, tunc genibus provolutus lachrymas fudit, pectus pugno percusſit, & ſic ſacram oblationem hauſit. 11 Lucianus Martyr, cùm aliter ob carcerem & vincula non poſſet, ſuper pectus ſuum ſacrificans, ſibi & aliis Viaticum præbuit. 12. S. Auguſtinus moribundus ſic Chriſtum pro Viatico oblatũ allocutꝰ eſt: Ave principiũ noſtræ creationis, & reparationis: ave Sacrificiũ noſtræ reconciliationis: ave antidotũ

Bloſius in Monili c. 6.

Ribad. in vita 19. Maji.

Vita c. 3.

Bloſius in Monili c. 6.

D. Bonav. in vita c. 9.

Daur. c. 5. tit. 13. ex. 1.

Ibid. ex. 7.

Ibid. ex. 9.

Jo. Nadas. in annot.

nostræ curationis: ave viaticum nostræ peregrinationis: ave solatium nostri laboris: ave refugium nostræ tribulationis: ave præmium nostræ expectationis. 13. D. Thomas Sanchez Sanctissimam Eucharistiam quinquies quotidie visitabat; die Jovis (quem singulariter hanc ob causam venerabatur) octies, quo die etiam disciplinam fecit, cilicium gestavit, totoquè pene die de illa cogitabat. Si tentabatur, solùm hæc verba dicebat: *JESUS Crucifixus, Sanctissimum Sacramentum, Beatissima Virgo*: & statim omni tentatione liberatus est. Et accidit aliquando, ut jumento insidens, cùm mulo perterrito in præcipitium toto impetu ferretur, sed prolatis his verbis, mulus repentè in medio cursu substitit. *Hactenus Lohner.* 14. S. Magdalena de Pazis adeò fuit devota erga Sanctissimam Eucharistiam, ut in seculo quolibet die octavo, in Religione verò quâlibet die, totâ vitâ suâ nunquam intermiserit Communionem sacram. Imò in infirmitatibus suis gravissimis, ejusmodi sibi comparabat patientiam, & hilaritatem, propter hanc solùm rationem, nè privaretur hoc edulio cælesti. Igitur quâdam vice, dum persvaderetur ab una Sororum, vellet in morbo sese aliquantulum reficere cibo vel potu, respondit: Soror, magìs ego infirmor, desiderando illam Spiritualem refectionem: majora ego pro amore JESU mei suscipere debeo. Super omnes dolores, id mihi maximum dolorem infligeret, si quamvis ab una Sanctissima Communione hoc uno die removerer. Eidem Sanctæ, dum svaderetur graviter infirmanti, ut ad tres dies saltèm intermitteret Communionem Sacram, respondit: Id non faciam, etiamsi in maximo valetudinis meæ periculo, nisi adacta fuero obedientiâ Patris Spiritualis. Censeo enim pro re certissima, nisi quotidianâ Sanctissimæ Communionis essem roborata refectione, nunquam hos assiduos morbos, dolores, & afflictiones Spirituales, perferre ulteriùs possem. Suscipiens enim hunc panem vitæ, in omnibus meis tribulationibus, etiam potentissimis, de ipso experior magnum valde & efficax robur.

Annuæ 1610. — *In Vita ejus.*

In Praxi circa Communionem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti hæc præcipuè exercenda. *Imò. Puritas à peccato lethali.* Quia juxta Apostolum: *Quicunquè manducaverit panem hunc, & bi-*

I. Cor. II.

& biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sangvinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, id est, condemnationem. Dicit autem glossa ibidem, quòd indignè manducat, & bibit, qui in crimine est, vel irreverenter tractat. Propter quod etiam S. Hildegardis anno 1180. prophetavit, Germaniam, aliasquè Provincias, à fide defecturas, justo DEI judicio, veritatem fidei ab eis subtrahente, ob indignam & impuram tractationem Sanctissimi Corporis Domini. Et quanquam ad gratiæ statum reparandum, ac puritatem à peccato quovis, sufficiat Contritio: tamen accessurus ad mensam Domini, juxta præceptum Ecclesiæ, confessione Sacramentali expianda sunt peccata, nisi Sacerdos absit, & conveniri pro confessione nequeat, insterquè necessitas Sacrificandi, quæ necessitas non Sacerdotibus tam facilè obtingere non potest, nisi in quibusdam rarissimis & gravissimis casibus. Sed de his plura *Morales*. Deinde requiritur *puritas à venialibus, circa ipsam Communionem*: quia Doctore *D. Thoma*: Etsi peccata venialia præterita nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti, potest enim aliquis, post multa peccata venialia commissa, devotè accedere ad hoc Sacramentum, & plenariè hujus Sacramenti consequi effectum, tamen secundarius effectus, qui est actualis, refectio Spiritualis dulcedinis impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum, per peccata venialia mente distractus. Non autem tollitur augmentum gratiæ habitualis, vel charitatis. Deniquè *puritas corporis*: ita, ut si pollutio nocturna accidat cum peccato mortali, vel præcedente, vel simul comitante, debet à Communione abstineri ex necessitate: Sin verò contigerit sinè peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem hujus Sacramenti, quasi sumendo sit reus corporis & sangvinis Domini: sed ex congruitate, tum propter fœditatem corporalem, tum propter evagationem mentis circa pollutionem, præcipuè, quando cum turpi imaginatione evenit, nisi id excuset aliqua necessitas, v. g. festus dies, quòd Sacerdos deest, qui celebret. *2dò. Profunda reverentia, & humilitas*, dicendo: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum*.

S Hildegardis anno 1180.

Trident. Sess. 13. *c.* 7. *& can.* 11.

3. *q.* 79. *a.* 8

D. Thom. ibid. a. 7.

Matth. 8.

Quæ

Quæ submissio summoperè placuit Christo in illo Centurione Evangelico. 3tiò. *Fervens charitas, & desiderium hujus Sacratissimi cibi.* Quia id Sacramentum vocatur *Pignus Amoris*, quatenus ejus sumptione recordemur immensæ dilectionis Divinæ in institutione Eucharistiæ, tum in sua passione & morte pro nobis manifestatæ, eiquè, sicut Sacramentaliter per susceptionem intra nos, ita & Spiritualiter per reciprocum amorem uniamur: quare eliciendi ante, sub, post Communionem maximè actus charitatis. 4tò. *Marchantius docet cum aliis Theologis*, probabile omnino esse, quamdiu realis præsentia Christi manet in sumente, (manet autem, quamdiu species non sunt digestæ,) si homo majorem dispositionem in se excitet, majori etiam donari gratiâ vi ipsius Sacramenti. Ratio est, quia gratia Sacramento promissa est propter Christum manducatum: *Qui manducat me, vivet propter me.* Ipse verò, quamdiu nobiscum manet, non est otiosus, sed vim sanctificandi habet: & ideo, si homo se meliùs & meliùs disponat, gratiæ hujus Sanctificantis influxum, & copiam majorem à Christo præsente recipit. Confirmat idipsum similitudo cibi materialis, qui non tantùm operatur, cùm sumitur, sed quamdiu in stomacho durat, confortat, & nutrit: ergo & hoc Sacramentum, quod per modum cibi est institutum, idipsum præstat, quamdiu in homine perdurat, & quidem inæqualiter juxta proportionem crescentis dispositionis. Hæc est sententia Cardinalis Cajetani, & Ruardi Tapperi, quos sequuntur multi Theologi. *Hactenus Marchantius.* Cæterùm ejusmodi dispositiones, & alia circa Sanctissimam Communionem adhibenda, in obviis libellis piis passim traduntur. 5tò. *S. August.* inquit, quotidie Eucharistiæ Communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo, omnibus tamen diebus Dominicis svadeo & hortor, si tamen mens sinè voluntate peccandi sit. 6tò. *Imploratio Sanctorum, ad supplendam per merita sua indignitatem suscipientis;* Ita Christus S. Mechtildem docuit, dicens: Quando Sacram Communionem perceptura es, desidera, & opta, ad laudem nominis mei, habere omne desiderium, omnemquè amorem, quo unquam cor aliquod erga me flagravit, & ita ad me accede, nam ego amorem illum in te attendam, atquè suscipiam,

Marchant: Hort. pastor. Can. delab. myst. tract. 4. lect. 11.

Joann. 6. 58.

In lib. de Eccl. dogm.

Blosius in Monil. Spir. c. 6.

piam, non ſicut in te eſt, ſed ſicut velles eum in te eſſe. Cùm Sanctam Gertrudem ingens cupido communicandi inceſſiſſet, & ipſa ſe ad eam minùs diſpoſitam credidiſſet, triſtis ad DEI Matrem, Cælitesquè ſe convertit, rogavitquè, ut quidquid in illis olim gratiæ ad promerendos Divinos favores fuerat, totum pro ſe DEO offerant, quo modo effecit, ut in oculis DEI talis viſa fuerit, qualis eſſe optabat, uti ipſe Chriſtus ei revelavit. *Bloſius in Monil. c. 6.*

7mò. *Effuſionis animi poſt Communionem vitandæ ſtudium*; ita *Thomas Kempen.* indicavit, dum dixit: Oportet, ut non ſolùm te præpares ad devotionem ante Communionem, ſed ut etiam te ſolicitè conſerves in ea poſt Sacramenti perceptionem. Nam bona poſtmodum cuſtodia iterum eſt præparatio ad majorem gratiam conſequendam. *Lib. 4.* Ferdinandus II. Imperator ante Synaxin percipiendam, ſemper ſeveriore abſtinentiâ cœnulam accidit. *Vitæ c. 4.* Ipſo verò Euchariſtiæ ſuſcipiendæ tempore tantum ardorem & pietatem, tot ſuſpiria & lachrymas præſeferebat, ut incenſus DEI amore animus, planè è corpore ſuo Servatori obvius ire velle videretur. Indi poſt acceptum Chriſti corpus, quod ſupereſt temporis ad horam cibi capiendi uſquè, precibus, gratiisquè agendis, magnâ reverentiâ in templo ponunt. *Annuæ 1589. f. 578.* Multi etiam poſt cibum ſumptum in templum redeunt, manentquè uſquè ad veſperam. Dies, quâ primò accedunt ad Euchariſtiam, eſt illis feſtivâ lætitiâ celebris. S. Magdalena de Pazzis optabat, nè poſt Communionem citò ad occupationes & exercitia Clauſtri ſe reciperent, ſed potiùs, ut non exiguo tempore continerent ſe Sorores in ſolatio de præſentia illius Divini Hoſpitis, intra ſui cordis intima ſuſcepti. *In vita S. Magdal. de Paz.* Dicebatquè, illud tempus eſſe pretioſiſſimum, quod in hac vita habemus, & aptiſſimum ad agendum cum DEO. Quare dandum Domino tempus, & ſpatium ad purgationem, illuminationem, & Sanctificationem animarum noſtrarum. Quare conſumendum eſt in affectibus ardentis amoris, in glorificatione, & laude, in gratiarum actione, & oblatione ſuipſius DEO. Affirmabatquè, quòd non poſſit reperiri efficacius medium ad perfectionem cujuscunquè animæ, quàm totum tempus poſt Communionem conſumere in his ſanctis exercitiis. Nam qui diſcit à JESU, (in-

(inquiebat) non indiget, ut doceatur ex aliis libris & exercitiis.

1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. *Vide etiam suprà specificata, & hic convenienter applica.*

PUNCTUM UNICUM
De Oppositis Sanctissimæ Eucharistiæ in Communione Sacramentali.

PRimum *Oppositum est, tum negligens dispositio ad Sanctissimum hoc Sacramentum: Tum negligentia Sanctissimæ Communionis.* Quæ, si fit contra præceptum Ecclesiæ, in omittenda Communione Paschali, vel contra præceptum Christi, in omittendo Viatico, arguitur lethalis culpæ. Aliàs extra hos & alios casus, in quibus non obligatur graviter aliquis ad Communionem, quamvis non peccet graviter, negligens tamen incurrit ingens damnum bonorum Spiritualium, & æternorum, quæ aliàs lucrari poterat, ut ex dictis patet.

Contra Negligentiam circa Sanctissimam Communionem, est 1mò. Pædag. Christ. p. 2. c. 16. §. 3. Sicut ignis fortiùs ac citiùs in ligno sicco, quàm viridi exardescit; sic Christus in Eucharistia citiùs & copiosiùs amore suo incendit eum, qui à terrenis cupiditatibus exsiccatus est, quàm quem iisdem adhuc repletum invenit. Thom. Kemp. lib 4 c. 10 §. 7. Qui aliter se non præparat, nisi instante Festo, vel consvetudine compellente, sæpiùs imparatus erit. Ibid. §. 4. Oportet autem, ut non solùm te præpares ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te solicitè conserves in ea post Sacramenti perceptionem. Non minor custodia pòst exigitur, quàm devota præparatio priùs. Nam bona postmodum custodia, optima est iterum præparatio, ad majorem gratiam consequendam. Psalm. 101. v. 5. *Psalm:* Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Joan. 6 v. 53. *Joann:* Amen, Amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis. S. Cyrill. in Joann. *2dò.* Sciant baptizati homines, si longo temporis spatio, propter simulatam Religionem, mysticè Christo communicare recusent, ab æterna vita se procul depellere. Quippe recusatio hujusmodi, quamvis ex Religione proficisci

ficiſci videatur, & ſcandalum facit, & laqueos inſtruit. Quare oportet omnibus viribus à peccato mundari, & rectè vivendi jactis fundamentis, magna cum fiducia ad ſumendam vitam concurrere. *Tho: Kempis:* Frequenter recurrendum eſt ad fontem gratiæ, & divinæ miſericordiæ, ad fontem bonitatis, & totius pietatis: quatenus à paſſionibus tuis & vitiis curari valeas, & contra univerſas tentationes, & fallacias diaboli, fortior atquè vigilantior effici merearis. *De imitat. Christi l. 4. c. 10. §. 1.*

P. Balthaſar Alvarez dicere ſolebat, cur multi recuſent arcam vivam novi Teſtamenti, in Sanctisſimo Sacramento latentem, aut eam recipiant cum exiguo ſenſu ac fructu, cauſam eſſe, quòd velint in Altari cordis ſui idolum Dagon, id eſt Creaturarum, quas inordinatè diligunt, retinere, quod niſi in terram cadat, & mortificationis gladio ita ejus manus ac caput amputent, ut ampliùs non audeat cogitare, loqui, ac facere, quod ſolebat, non efficiet in tali corde divina hæc arca ſtupenda miſericordiæ ſuæ opera, ſed juſtitiæ, puniendo illos magnâ ariditate, tenebris, cordis duritiâ, aliisquè internis deſertionibus, donec verè ſe emendent, aut indurati arcam à ſe rejiciant, judicantes, eſſe grave, & planè inſulſũ, frequenter communicare. *Vitæ c. 6.*

S. Magdalena de Pazzis, ipſa Magiſtra in medio Novitiarum cadens in genua, formatisquè in pectore per modum crucis manibus, dixit: O Sorores! ſi penetraremus, quòd illo tempore, quo perſeverant in nobis Sacramentales Species, Verbum Divinum hos in nobis perficit effectus & opera, quæ & in ſinu æterni Patris peragit; O ſi penetraremus, quòd cùm Verbum in Patre ſit, & Pater in Verbo, & Spiritus S. inſeparabiliter in ambobus! Nos verbum ſuſcipientes, perfectam Trinitatem Sanctisſimam ſuſcipimus. O ſi penetraremus has veritates! profectò cum majori multò devotione, cum diligentiori præparatione animi ad Angelicum accederemus convivium, non taliter, qualiter; non caſu; non omitteremus illum ſuſcipere, propter minutas occaſiones, conſideraremus multum, antequam illum deberemus interdum omittere. Unde quandò advertit, quòd aliqua Sororum ex propria voluntate omiſiſſet Communionem, flebat, corripiebatquè illam Sororem, oſtendendo ſuum errorem, ac damnum tanti boni, ſolebatquè tali dicere: Vos neſcitis, ô Soror, *In vita ejus.*

quàm magno bono vos privâstis! O quàm magnum bonum hâc die perdidistis! O si comprehenderetis damnum animæ vestræ, quod ei attulit negligentia Sanctissimæ Communionis! Ostendebatquè ineffabilia bona & gratias, quas operatur in anima hoc Sacramentum; tum injuriam, quæ fit amori JESU per talem negligentiam. Quando verò videbat frequentationes Sanctissimæ Communionis frigidas, & cum minori diligentia, magno cordis angustiata dolore dicebat: Eheu! quænam hæc socordia hominum in usu cibi vitæ. Ego enim sum omninò hujus certa, quòd una Communio cum vero absoluta spiritu & sensu, est apta facere, ut anima veniat citò ad magnam vitæ perfectionem. Maximè verò Communicaturis consulebat, nè cum minima etiam amaritudine, aut inquietudine contra proximum, accederent Mensæ Divinæ. Nam amoris Sacramentum sine amore proximi non debet suscipi. Deinde monebat, ut loco præparationis ad hoc Sacramentum, accederetur ad illud cum desiderio, totum mundum juvandi.

2dum Oppositum, est indigna Sanctissimi Sacramenti Communio, quâ aliquis existens in peccato mortali, participat de Sanctissima Eucharistia. *Contra ejusmodi indignam Communionem* accipe:
Levit. 7. v. 20. Imò. Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis. *Ibidem*: Le-
Levit. 22. v. 4. prosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his, quæ
Matth. 7. v. 6. sanctificata sunt mihi, donec sanetur. *Et hæc de figura Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti dicta. Christus*: Nolite Sanctum dare canibus, nequè mittatis margaritas ante porcos, nè fortè
1. Cor. 11. v. 29. conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos. *Apo-*
S. Remigius *stolus*: Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi mandu-
super Matth. cat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. *2dò.* Væ! traden-
S. Chrysost. tibus Christum ad crucifigendum: sed væ! cum maligna con-
in c. 6. Joann. scientia sumentibus illum. *S. Chrysost*: Nam si qui regiam purpuram coinquinant, haud secus qui scindunt, puniuntur: quid mirum, si, qui immundâ conscientiâ Christi Corpus accipiunt,
S. Bern. apud idem supplicium subeant, quod qui eum clavis affixerunt. S.
Bromiard. lit. *Bernard*: Heu! quàm temerarium, quàmquè nefarium est, cruen-
L. c. 6. tatis manibus tractare Virginis Filium, quis auditus sustineret aurium? quis oculus non confunderetur ad intuitum? quæ
mens

mens non raperetur in excessum? ubi mundi pretium mittitur in sterquilinium? non est minùs detestabile, in os pollutum, quàm in lutum mittere Virginis Filium. *S. Chrysost:* Sicut corporalis cibus, cùm ventrem invenerit malignis humoribus occupatum, ampliùs lædit, & nullum præstat auxilium; ita & iste Spiritualis cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, quàm proderit, non naturâ suâ, sed accipientis vitio.)) Hinc Ecclesia canit: Mors est malis, vita bonis: vide, paris sumptionis, quàm sit dispar exitus.)) Sicut Sole super fimetum lucente, ipsum ampliùs fœtet, Sole ipso nec fœtente, nec aliud damnum patiente; ita Christus peccatorem ipsum sumentem magìs fœtere facit, nec tamen propterea ipse inquinatur.)) In Primitiva Ecclesia Diaconus populo Communionem præbiturus, altâ voce clamabat: *Sancta Sanctis. Si quis non sit Sanctus, Sacramentum non accedat.* 3tiò, Quidam Sacerdos in sumenda Eucharistia magnam difficultatem expertus, vidit Christum manibus pedibusquè reluctantem; jussus ergo mores corrigere, vidit sinè resistentia ingredientem. *Aliud.* Quidam Episcopus celebrans, post Divinam illam, atquè terribilem Consecrationem, dum accederent singuli ad participationem Sancti mysterii, per vultus eorum cernebat, quibus unaquæquè anima subjaceret peccatis: Et peccatorum quidem hominum videbat facies nigras, quosdam verò ipsorum tanquam ab æstu exustas facies habentes, oculos autem igneos & sangvineos: alios autem eorum claros quidem facie, candidos verò amictu. Et alii quidem, dum acciperent Corpus Domini, exurebat, & incendebat eos: aliis autem, sicut lumen efficiebatur in se, & per os ingressum omne eorum corpus illustrabat. Erant autem inter eos etiam, qui solitariam vitam elegerant, & qui in conjugiis erant, qui & ipsi ita esse videbantur. Porrò Angelus Domini explicans singulorum statum, dixit ad Episcopum: Hi quidem qui splendidi, atquè hilari sunt vultu, in sobrietate, & castitate, & justitia vivunt, modesti quoquè, & condolentes, ac misericordes sunt Hi verò, qui nigras habent facies, fornicationis, & libidinis operarii sunt, cæterorumquè scelerum & delictorum. Hi verò, qui apparuerunt sangvinei, atquè rubei, in-

S. Chrys. hom. 5. super Matth.

Bromiardus v. Euchar. n. 8.

Peda. Christ. c. 16. §. 3.

Rodriq. p. 2. c. ult.

Lib. de Provid. in Vitis PP. n. 24.

malignitate, & injustitia viventes sunt, amantes detrectationes, blasphemias, & dolosi, & homicidæ sunt.

l. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3. *Contra Opposita Communionis Sacramentalis accipe congruo modo exercenda suprà specificata.*

§. IV:
De Communione Sanctissimæ Eucharistiæ Spirituali.

V. S. Thom. 3. q. 80. a. 1. Spiritualis communio, est desiderium sumendi ipsum Sacramentum Eucharistiæ. Nequè otiosa potest esse talis Communio: quia idem Sanctus docet, effectus Sacramenti potest ab aliquo percipi, si Sacramentum habeat in voto, quamvis non accipiat in re. Et ideo, sicut aliqui baptizantur in baptismo flaminis propter desiderium baptismi, antequam baptizentur baptismo aquæ: ita etiam aliqui manducant Spiritualiter hoc Sacramentum, ante-quam Sacramentaliter sumant. Per Spiritualem autem manducationem percipit quis effectum hujus Sacramenti, quo Spiritualiter homo Christo conjungitur per fidem & charitatem.))

Ibid. in corp. 1.

Jacob. Merlo Horst. Paradis. sect. 5. de Sacr. Euchar. Piissimus *Jacobus Merlo Horstius* inquit: Magnæ virtutis, & utilitatis est hæc Spiritualis Communio, ita, ut sæpè non minorem adferat fructum, & gratiam, quàm plerisquè ipsa Sacramentalis: Unde colligitur, quàm ea nobis curæ esse debeat, maximè cùm sæpiùs uno die, nunquam sinè novo sed semper cum gratiæ & charitatis incremento institui possit.)) Cùm quidam Conversus Monachos communicare vidisset, & sibi hoc minimè licere vidisset, stans contra Altare, communicandi desiderio suspiravit. Et ecce, pius Dominus, sinè Sacerdotis ministerio, de Altari per Sacramentum descendere dignatus est in os ejus, qui mox hostiam aperto ore ostendens, causam tantæ gratiæ manifestans, cunctos in stuporem convertit. Eandem enim hostiam defuisse, repererunt in Altari.)) B. Joanna de Cruce affirmabat, se in Spirituali Communione iisdem gratiis cumulari solitam esse, quibus in reali Communione fruebatur. Et suspirans, ô præclaram, ajebat, communicandi methodum, nequè enim Confessario, nequè Superioris facultate, nequè ullius alloquio

Daur. c. 5. tit. 18. ex. 1.

Barrius die. 10. med. 2. in solit.

opus

opus est, præterquam tuo, ô DEUS meus!)) Beata Agatha à Cruce quotidie Communionem Spiritualem ducenties iterabat. *Hagiophila intent. 24.*

Praxim Communionis Spiritualis accipe ex Paradiso animæ Christianæ, authore *Jacobo Merlo Horstio. Primùm.* Excitanda viva, & vera fides, circa hoc Sacramentum, quæ facilè fulciri potest, consideratione Divinæ Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, & Veritatis. Hinc sequatur exercitium spei, quid enim neget tam bonus & clemens DEUS, qui seipsum dedit? quid non poterit etiam non præsens corpore? qui puerum Centurionis, & plures alios, etiam absens, curavit? Denique excita amorem, & ardenti cordis desiderio, aspira & desidera ad Christum, velut ad fontem vivum, ex quo qui biberit, non sitiet in æternum. Opta ergo, Christo per Virtutem Corporis & Sangvinis ejus uniri, & incorporari intimè, ut velut unus cum illo Spiritus effectus, nunquam ab eo separari possis. *Paradisi sect. 5. de Sacram. Euchar.*

Orationem pro Spirituali Communione ex eodem Authore in nostro Incenso Orationis vide.

§ V.
De Oblationibus.

Oblatio, est actus Religionis, quo aliquid offertur Sacerdotibus, tanquam DEI Ministris, & Mediatoribus inter DEUM & homines, non solùm, ut eas in proprium usum assumant, sed ut fideliter quoquè dispensent in his, quæ ad Divinum cultum spectant, & in usus ac sustentationem pauperum. D. Thom. 2. 2. q. 86.

Incitamenta. Num: Omnia, quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt. *Eccl:* Fili, si habes, benefac tecum (*tibi*), & DEO dignas oblationes offer. *Malach. Proph:* Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino. *Eccles:* Altissimo secundùm donatum ejus, & in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum, quoniam Dominus retribuens est, & septies reddet tibi. *S. Gregorius:* Omnino Christianus procuret, ad Missarum Solennia aliquid DEO offerre. *S. Thomas* docet, contingere posse aliquem, ad oblationes teneri quadruplici ratione. *1mò* quidem ex *Num. c. 18. Eccl. c. 14. Malach. c. 1. Eccl. 35. D. Habetur de Consecr. DEI 1. c. D. Thom. 2. 2. q. 86. a. 1. corp.*

ex præcedenti conventione, sicut cùm alicui conceditur aliquis fundus Ecclesiæ, ut certis temporibus certas oblationes faciat, quod tamen habet rationem censûs. *2dò* propter præcedentem deputationem, sive promissionem; sicut cùm aliquis offert donationem inter vivos, vel cùm relinquit in testamento Ecclesiæ aliquam rem mobilem vel immobilem in posterum solvendam. *3tiò* modo propter necessitatem, puta, si Ministri Ecclesiæ non haberent, unde sustentarentur. *4tò* propter consvetudinem. Tenentur enim fideles in aliquibus Solennitatibus ad aliquas oblationes consvetas. Tamen in his duobus ultimis casibus remanet oblatio quodammodo voluntaria, scilicet quantùm ad quantitatem, vel speciem rei oblatæ.))

Offerre proles suas DEO, quàm sit beatum, probavit Anna, quæ Samuelem obtulit DEO, qui fidelis Propheta Domini inventus fuit in Israel, simul Supremus, & Sanctissimus Judex. Ita Aleydis, parens S. Bernardi, eum recens natum obtulit, & deposuit in Altari templi. Idem facere solebat singulis suis prolibus recens natis. Sed, ô quàm felici eventu, quod nempe sunt beatificati. Ita B. Virgo, S. Joannes Baptista, S. Gregor. Nazianzenus, S. Dominicus, S. Bonaventura, S. Bernardinus, S. Nicolaus Tolentinas, S. Elzearius Comes, S. Franciscus de Paula, & alii, DEO in ipso ortu à Parentibus oblati, sanctitate, & miraculis fuerunt illustres.

1. Reg. 1. & seq.

§. VI.

De Primitiis.

PRimitiæ pertinent ad genus oblationis, quo offertur DEI Ministris id, quod est præcipuum de fructibus terræ, in recognitionem beneficii accepti à Supremo Largitore omnium, cujus est Orbis terræ, & plenitudo ejus.

D. Thom. 2. 2. q. 86. a. 4.

Motiva. *Prov:* Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei: & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.)) Quod Judæi sub *Ezechia* Rege experti dixerunt: Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & saturati sumus,

Prov. 3.

2. *Paral.* 31.

ſumus, & remanſerunt plurima, eo, quòd benedixerit Dominus populo ſuo. *Geneſis* dicitur, quòd *reſpexit Dominus ad Abel, & munera ejus: Ad Cain verò, & ad munera ejus non reſpexit.* Rationem horum interpretes dant, quia Abel de primis, & melioribus obtulit, Cain autem deteriora pro munere ſelegit. Cujus Oblationis diſparitas Abelo ad coronam martyrii, Caino ad deſperationem, & damnationem fuit occaſio.

Gen. 4.

V. Corn. à lap. Comm. in 4. Gen.

§. VII.

De Decimis.

DEcimarum penſio, eſt Religionis actus, quatenus animarum curam gerentibus (quæ neceſſariò miniſterium DEI, & reſpectum Divinorum importat) ad eorum uſum & ſuſtentationem neceſſaria vitæ tribuuntur.

Stimuli ad promptè & hilariter ſolvendas Decimas. *1mus.* Quia eas ſolvere, eſt juris naturalis; Unde Abraham dedit Melchiſedecho Sacerdoti DEI Altisſimi Decimas ex omnibus. In quo, juxta D. Chryſoſtomum, Melchiſedech præfigurabat novæ legis Sacerdotes, Abraham Laicos. *2dus.* Decimas dare, eſt de jure Divino. Ita Alexander III. aſſerit, dicens: Cùm Decimæ nec ab hominibus, ſed ab ipſo Domino ſunt inſtitutæ, quaſi debitum exigi poſſunt.)) Quippe Jus Naturale & Divinum univerſaliter dictat, Miniſtros DEI, & Sacerdotes eſſe alendos à populo, cujus etiam nomine recompenſant cultum DEO debitum, quem populus curâ vitæ hujus diſtentus, non ita perfectè, ut tenetur, exhibet DEO. *3tius. Exod:* Decimas, & primitias tuas, non tardabis offerre Domino. *Et:* Decimam partem ſeparabis de cunctis fructibus tuis, qui naſcuntur in terra per ſingulos annos. *Item:* Omnia, quæ offeretis ex Decimis, & in donaria Domini ſeparabitis, optima & electa erunt cuncta.... *Item:* Et non peccabitis ſuper hoc: Egregia, & pingvia ſervantes, nè polluatis Oblationes Filiorum Iſrael, & moriamini. *Item:* In omni dato fac hilarem vultum tuum, & in exultatione ſanctifica Decimas tuas. *Item:* Inferte omnem Decimam in horreum meum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus: Si non aperuero vobis cataractas cæli, & effu-

Gen. c. 14.

Orat. 4. contra Judæos.

Exod. 22.

Deut. 14.

Num 18.

Ibidem.

Eccl. 35.

Malach. 3.

effudero vobis benedictionem, usquè ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. *4tus. S. Augustinus*: Majores nostri ideo omnibus copiis abundabant, quia DEO Decimas dabant, & Cæsari censum reddebant: modò autem, quia discessit devotio DEI, accessit indictio fisci. Nolumus partiri cum DEO Decimas, modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. *Idem*: Hæc est Domini justissima consvetudo, ut si tu illi Decimam non dederis, tu ad Decimam revocaberis: id est dæmonibus, quæ est decima pars Angelorum, associaberis. Dabis, inquit, impio militi, quod non vis dare Sacerdoti. *Ibidem*: Si Decimam dederis, non solùm abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem animæ & corporis consequeris: & quia Decimas dando, & terrena, & cælestia possis præmia promereri. Unde, qui Decimas dare nolunt, res alienas invadunt, & Dominus, qui dignatus est totum donare, Decimas à nobis dignatus est recipere. *S. Hieronymus*: Quoniam, quidquid habent Clerici, pauperum est: & domus illorum omnibus debent esse communes: susceptioni peregrinorum, & hospitum invigilare debent. Maximè curandum est illis, ut de Decimis & Oblationibus, Cœnobiis, & Xenodochiis, qualem voluerint, & potuerint, sustentationem impendant.

S. August. hom. 48. inter. 50. — *Idem de doct. Christi.* — *Ibidem.* — *S. Hieron. Damaso Papæ, & habetur 16. q. 1. Quoniam quidquid.*

§. VIII.
De Voto.

D. Thom. 2. 2. q. 88.

VOtum, *est actus Religionis, seu Latriæ, soli DEO debitus, quo aliquis deliberatè, animo se obligandi, promittit DEO de meliori bono, hoc est de quopiam actu virtutis supererogatorio (quanquam & de necessario actu virtutis fieri possit) præstando in obsequium, cultum, & reverentiam Divinæ Majestatis.* Dicitur: *Soli DEO debitus*; quia vota ordinata sunt in cultum DEI; Unde homo promittens aliquid Sanctis, vel Prælatis, illud cadit sub voto materialiter, inquantùm scilicet homo vovet se DEO impleturum, quod Sanctis, vel Prælatis promittit.

Votum

Votum aliud eſt *Reale*, quo res aliqua præſtanda vovetur. Aliud *Perſonale*, quo actio aliqua ab ipſo vovente exercenda promittitur. Aliud *Simplex*, quod ſinè Solemnitatibus ab Eccleſia inſtitutis fit. Aliud *Solemne*, quod cum iisdem Solemnitatibus factum, inhabilem reddit voventem, ad certos actus & contractus.

Illicia ad Vota facienda & præſtanda. *Imum. Deut:* Cùm Votum voveris Domino tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus DEUS tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, &c. *Pſalm:* Vovete, & reddite Domino DEO veſtro. *Eccleſ:* Si quid voviſti DEO, nè moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promisſio. *Prov:* Vota juſtorum placabilia. *2dum. S. Thomas* docet, laudabiliùs eſſe, magìsquè meritorium, quicpiam ex voto facere, quàm ſinè voto: cujus ratio triplex eſt: 1. quia vovere eſt actus Latriæ, quæ eſt præcipua inter Virtutes Morales. Nobilioris autem Virtutis eſt opus melius & magìs meritorium, unde actus inferioris Virtutis eſt melior, & magìs meritorius ex hoc, quòd imperatur à ſuperiore Virtute, cujus actus fit imperium, ſicut actus fidei, vel ſpei, melior eſt, ſi imperetur à charitate. Et ideo actus aliarum Virtutum Moralium, puta jejunare, quod eſt actus abſtinentiæ, & continere, quod eſt actus caſtitatis, ſunt meliora, & magìs meritoria, ſi fiant ex Voto: quia ſic jam pertinent ad Divinum cultum, quaſi quædam DEI Sacrificia. Unde Auguſtin. dicit in lib. de Virginitate, quòd neque ipſa Virginitas, quia Virginitas eſt, ſed quia DEO dedicata eſt, honoratur, quam fovet & conſervat continentia Pietatis. 2. Quia ille, qui vovet aliquid, & facit, plus ſe DEO ſubjicit, quàm ille, qui ſolùm facit. Subjicit enim ſe DEO, non ſolùm quantùm ad actum, ſed etiam quantùm ad poteſtatem, quia de cætero non poteſt aliud facere: ſicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quàm qui daret ei fructus tantùm; ut dicit Anſelmus in libro de Similitudinibus. Et inde eſt, quòd etiam promittentibus gratiæ aguntur. 3. Quia per votum immobiliter voluntas firmatur ad bonum. Facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad perfectionem Vir-

Deut. c. 21. *Pſalm. 75.* *Eccl. 5.* *Prov. 15.* *D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 6. corp.* *Cap. 8. circa princ. tom. 9.* *C. 84.*

tutis, ut patet per Philosophum in 2. Ethic. Sicut etiam peccare mente obstinatâ aggravat peccatum, & dicitur peccatum in Spiritum Sanctum.)) *S. Ambrosius*: Redde promissum, dum in hoc corpore es, priusquam veniat exactor, & mittat te in carcerem. *Idem*: Prima Voti gratia est celeritas solutionis: cùm enim moram facis, non reddis. *S. Augustinus*: Quia jam voluisti, jam te adstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Non talis eris, si non feceris, quod voluisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses. Minor enim tunc esses, non pejor; modò autem quod absit miserior, si DEO fidem fregeris, quantò beatior, si persolveris. *Idem*: Felix necessitas, quòd ad meliora compellit. *3tium.* Christus Dominus in primo Conceptionis suæ instanti per Votum se consecravit DEO ad redemptionem humani generis, quare in hunc finem omnes actiones & passiones suas, tum ipsam mortem per Votum DEO obtulit, prout dicit Svarez. S. David de seipso indicavit, dicens: *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus.* *Aliud.* Lætatus est populus, cùm Vota spontè promitterent, quia corde toto offerebant ea Domino. Sed & David Rex gavisus est gaudio magno. *Aliud.* S. Franciscus Xaverius quotidie faciebat Votorum renovationem, dicebatquè, vix ullum esse hominibus DEO sacris tutius contra diaboli impetus munimentum, hâc quotidianâ renovatione. *Aliud.* Apud Italos antiquos mos inolevit vovendi *Ver Sacrum.* Quali Voto in magnis periculis se obstringebant, adeoquè vovebant se omnia animalia, (pueros quoquè, & puellas,) quæ proximo vere nascerentur, oblaturos.

S. Ambros. lib. 9. in Luc. ad c. 20.

De Cain & Abel lib. 1. c. 7.

S. August. in Epist. ad Armentarium & Paulinum.

Epist. 45. ad Arment.

Svarez in 3. par. t. 2. q. 28. sect. 2.

Psalm. 115.

1. Paral. 29.

Vita lib. 6. c. 13. & 15.

V. Beyerlinck thea. fol. 239.

PUNCTUM
De Votis statûs Religiosi.

Vota statûs Religiosi sunt Solemnia, eaquè tria, nempe Votum Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ. In nonnullis Religionibus additur & quartum, ut v. g. S. Franciscus de Paula, suos Fratres quarto Voto obstrinxit ad abstinentiam Quadragesimalem toto anno servandam.

In vita ejus.

Præter suprà data *Allectiva* ad reddendum DEO Vota etiam

etiam Religiosa est *unum* à nobilissimis effectibus Votorum statûs Religiosi, qui juxta *D. Thomam* potest considerari tripliciter. Uno modo, secundùm quod est quoddam exercitium tendendi ad perfectionem charitatis: Alio modo, secundùm quod quietat animum humanum ab exterioribus solicitudinibus: secundùm illud 1. Corinth. 7: Volo vos sinè solicitudine esse. Tertio modo, secundùm quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se & sua offert DEO. Et secundùm hoc, ex his tribus Votis integratur Religionis status. Primò enim quantùm ad exercitium perfectionis requiritur, quòd aliquis à se removeat illa, per quæ posset impediri, nè totaliter ejus affectus tendat in DEUM, in quo consistit perfectio charitatis. Hujusmodi autem sunt tria: Primum quidem, cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis: Secundum autem est concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes venereæ, quæ excluduntur per votum continentiæ. Tertium autem est inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ. Similiter autem solicitudinis sæcularis inquietudo præcipuè ingeritur homini circa tria. Primò quidem, circa dispositionem exteriorum rerum, & hæc solicitudo per votum paupertatis homini aufertur. Secundò, circa gubernationem uxoris, & filiorum, quæ amputatur per votum continentiæ. Tertiò, circa dispositionem propriorum actuum, quæ amputatur per votum obedientiæ, quo aliquis se alterius dispositioni committit. Similiter etiam holocaustum est, cùm aliquis totum, quod habet, offert DEO, ut Gregorius dicit super Ezechielem: Habet autem homo triplex bonum, secundùm Philosophum in 1mo Ethicorum. Primò quidem exteriorum rerum, quas quidem totaliter aliquis DEO offert per votum voluntariæ paupertatis. Secundò autem bonum proprii corporis, quod aliquis præcipuè DEO offert per votum continentiæ, quo abrenunciat maximis delectationibus corporis. Tertium autem bonum est animæ, quod aliquis totaliter DEO offert per obedientiam, quâ aliquis offert DEO propriam voluntatem: per quam homo utitur omnibus potentiis, & habitibus animæ. Et ideo convenienter ex tribus votis

D. Thom. 2. 2. q. 186. a. 7. corp.

Hom. 20. à med. illius. Lib. 1. c. 8. & lib. 7. c. 13.

statûs Religionis integratur. *Hæc Angelicus Doctor.* 2*dum.* *S.* *Magdalena de Paz dicebat*: Si propriè perciperemus dignitatem animæ nostræ ob strictam unionem, quam fecit cum DEO per merita trium Votorum Religiosorum, procederemus more cujusdam villanæ filiæ pastoritiæ, quæ accepta à potentissimo Rege in thalamum Regium, offenditur, dum ei aliquis in memoriam revocat primum statum abjectum. Ita & nos contemptui duceremus, trahi à propriis cogitationibus ad considerationem rerum mundanarum. Et cognoscendo, quòd factæ simus Sponsæ Regis totius mundi, non accommodaremus nos voluntati nostræ in rebus terrenis, & corruptibilibus: sed potiùs elevaremur sanctâ elatione ad considerandum æterna in cælo.

In vita ejus.

Praxis servandi Vota Religiosa, ex parte est suprà proposita sub statu Religioso in summa Theologiæ Spiritualis: nunc adjicio ex *P. Lohner* sequentia media. I. *Crebra Divinæ gratiæ invocatio.* Sic enim *Salomon* exemplo suo docuit, dum de seipso dixit; Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi DEUS det, & hoc ipsum erat Sapientiæ, scire, cujus esset hoc donum, adii Dominum, & deprecatus sum illum.)) Quod ipsum etiam confirmans *S. Augustinus*: Est, inquit, devotio voventis, sed est humilitas deprecantis. Nemo præsumat se viribus suis reddere, quod voverit. Qui te hortatur, ut voveas, ipse adjuvat, ut reddas.

P. Lohner Bibli. Manual. tit. Votum.

Sap. 8. v. 21.

S. August. in Psalm. 31.

II. *Crebra memoria factæ Professionis.* Sic *S. Basilius* Virgini cuipiam lapsæ svasit, dicens: Revoca in memoriam honestam Professionem, venerandam Congregationem, & Sacrarum Virginum chorum. Recordare dierum carentium tumultu, & noctium illuminatarum, cantilenarum Spiritualium, orationum Sanctarum, & cubiculi casti, & Virginei progressûs, & mensæ temperantis, &c.

S. Basilius ad Virg. lapſ.

III. *Crebra Votorum renovatio*: Nam ut sapienter S. Greg. dixit: Si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necessarium est, ut inchoare nos quotidie credamus. Sicut enim, quò crebrioribus ictibus clavus in lignum aut murum adigitur, tantò firmiùs hæret, sic quò crebriùs hæc promissio repetitur, tantò difficiliùs violatur.

S. Gregor. in Moral.

IV. *Crebra*

IV. *Crebra consideratio fructuum, qui ex Votis, Religionis maximè, oriuntur:* quis enim, si centuplum pro ejusmodi Votorum editione promissum consideret, non vehementer accendatur ad Vota talia perfectissimè servanda, ut tam pretiosi centupli & ipse fieri particeps possit?

V, *Crebra ponderatio sententiæ à Christo prolatæ:* Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave est, & onus meum leve.)) Sic enim phantasiam corriget, quæ multos absterret persvadendo, difficilem nimis esse Votorum editionem. Contra quam opinionem etiam *S. Chrysostomus* sic loquitur: Quid leviùs dices ac meliùs, quàm solicitudine sæculari, & laboribus, & metu exui? quàm ab istius mundi fluctibus segregari, & possidere placidi, tranquilliquè portûs securitatem? *Hæc Lohner.*

Matth. 11. v. 28.

S. Chrysost. ad Theod. Lapsum.

VI. Actus Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ, exercere ex hoc motivo: quia vovi, quia promisi; & en modus renovationis Votorum 1. *DEUS meus, libenter hanc penuriam sustineo, ut sim pauper, sicut tibi promisi; & nunc iterum promitto ad honorem tui.* 2. *DEUS meus, detestor nimis omnes foetores libidinis, amo nitorem castitatis ideo, ut exequar, quod tibi vovi ad colendum te. Quam integritatem carnis & Spiritûs iterum ac iterum tibi voveo, adjuva me.* 3. *DEUS meus, obedio promptissimè ad explendam tibi promissam obedientiam pro gloria tua; quam nunc iteratis vicibus promitto, voveo.*

Applica proportionatè hìc supràspecificata.

l. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2.

§ IX.

De Administratione, & Susceptione Sacramentorum.

S*Uppone* Sacramentum esse signum sensibile, ac stabile, ex institutione Divina, symbolicè significativum gratiæ DEI, ejusquè collativum. Dicitur: *Signum sensibile;* quia est institutum pro hominibus, quibus, juxta D. Thomam, cùm naturale sit per sensibilia ad intelligibilium cognitionem pervenire, Sacramentum, quod Spiritualia & intelligibilia homini significat, res sensibilis esse debet. Dicitur: *stabile;* quia Sacramentum est Cæremonia

3. q. 60. a. 4.

remonia principalis, pertinens ad statum Ecclesiæ, effectiva uniformis ritûs colendi DEUM ab omnibus fidelibus. Dicitur: *ex institutione Divina*; quia, cùm gratia sit supra vires, captumquè naturalem hominis, in soliusquè DEI collatione consistat, hinc non ad alium, quàm ad solum DEUM spectat, pro suo beneplacito signa gratiæ instituere. Dicitur: *symbolicè significativum gratiæ* &c. id est, quòd illa signa sensibilia in Sacramentis habeant similitudinem quandam ex effectibus certis gratiæ DEI, qui effectus ad positionem eorundem signorum causantur in homine, uti infra patebit.

Administrare, & suscipere Sacramenta, sunt actus Religionis, quibus signa quædam sacra adhibentur, ut hoc pacto per ea designentur veri Cultores DEI, simulquè ad eundem cultum convenienter exhibendum, requisitam per eadem signa participent sanctitatem, & gratiam.

Motiva ad probam administrationem, & susceptionem Sacramentorum. Quod concernit *administrationem*, monet A-
1. Cor. 4. postolus: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum DEI. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Fidelis, inquam, nè scilicet margaritas projiciat ante porcos, sacra mysteria haud conferat minùs dignis, & indispositis, vel de eis turpem questum Mammonæ, aut inanis gloriæ captet, quin potiùs solius DEI cultum, gloriam, animarumquè
1. Tim. 3. salutem promovere adnitatur. *Qui enim benè ministraverint*, ut idem Apostolus promittit, *gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in CHRISTO JESU.* Quos enim amplissimos gradus gloriæ essentialis & accidentalis, non habet sperare bonus Minister, qui tot ex mancipiis diaboli per Baptismum regenerat in filios DEI? tot per Confirmationem roborat fortissimos athletas Christi, & præmittit in cælum gloriosissimos triumphatores mundi, carnis, diaboli? tot per Sacramentalem Pœnitentiam ex inferno erutos cælo restituit? tot alimoniâ Sanctissimæ Eucharistiæ confortat in constanti cursu viæ Regni Superni? tot extremâ Unctione feliciter expedit in beatam vitam? Deniquè his omnibus fiunt Ministri per Sacramenta, ad alia Specialium gratiarum actualium, tum maxima gratiæ Sanctifi-
cantis,

cantis, virtutum, donorumquè, ac consequenter æternæ gloriæ augmenta? Profectò inæstimabile prœmium expectat fidelem Mysteriorum DEI Ministrum. Quanquam etiam non exiguus labor requiritur, ut in hoc passu sit quis prudens, & fidelis dispensator; multâ enim ad hoc est opus scientiâ, prudentiâ, Sanctimoniâ, diligentiâ, ut suprà patet.

De statu Ecclesiast. in sum. Theol. Spirit.

Quod verò spectat dignam *susceptionem & usum Sacramentorum*, ad hoc excitare potest. Quia Sacramenta in vita Spirituali, juxta *Angelicum Doctorem*, conferunt gratiam Sacramentalem, super gratiam virtutum, & donorum. Id est, præter adeptionem, vel reparationem primæ gratiæ Sanctificantis, cum suis habitibus virtutum, & donorum, ut fit in baptismo, & pœnitentia, aut incrementum ejusdem gratiæ, quod contingit in reliquis Sacramentis, insuper additur actualis gratia, seu quoddam auxilium Divinum, ad finem Sacramenti consequendum. Ecclesiæ enim Sacramenta ordinantur ad quosdam speciales effectus necessarios, in vita Christiana, nempe, ut idem *S. Doctor* ait: Ordinantur ad duo, scilicet perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultum DEI, secundùm Religionem Christianæ vitæ, & etiam in remedium contra defectum peccati. Utroquè autem modo convenienter ponuntur 7. Sacramenta. Vita enim Spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut & cætera corporalia conformitatem quandam Spiritualium habent. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur. Uno modo, quantùm ad personam propriam: alio modo, per respectum ad totam communitatem Societatis, in qua vivit: quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu autem suiipsius, perficitur homo in vita corporali dupliciter. Uno modo per se, acquirendo scilicet aliquam vitæ perfectionem; alio modo per accidens, scilicet removendo impedimenta vitæ, puta ægritudines, vel aliquid hujusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter. *1mò* quidem per generationem, per quam homo incipit esse, & vivere. Et loco hujus in Spirituali vita est Baptismus, qui est Spiritualis generatio: secundùm illud ad Titum 3: Per lavacrum regenerationis, &c. *2dò* per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem,

D. Thom. p 3. q. 62. a. 2.

Ibid. q. 65. a. 1.

& virtutem. Et loco hujus in Spirituali vita est Confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur. Unde dicitur Discipulis jam baptizatis Luc. ult: Sedete in Civitate, quousquè induamini virtute ex alto. *3tiò* per nutritionem, quâ conservatur in homine vita & virtus. Et loco hujus in vita Spirituali est Eucharistia: Unde dicitur Joann. 6: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis. Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet & corporaliter & spiritualiter impassibilem vitam. Sed quia homo incurrit interdum & corporalem infirmitatem, & Spiritualem, scilicet peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate. Quæ quidem est duplex, una quidem est sanatio, quæ sanitatem restituit. Et loco hujus in Spirituali vita est pœnitentia, secundùm illud Psalm. 40: Sana animam meam, quia peccavi tibi. Alia autem est restitutio valetudinis pristinæ, per convenientem dietam & exercitium. Et loco hujus in Spirituali vita est Extrema unctio, quæ removet peccatorum reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam: unde dicitur Jacobi 5: Et si in peccatis sit, dimittentur ei. Perficitur autem homo in ordine ad totam Communitatem dupliciter. Uno modo per hoc, quòd accipit potestatem regendi multitudinem, & exercendi actus publicos. Et loco hujus in Spirituali vita est Sacramentum Ordinis: secundùm illud Heb. 7. Quòd Sacerdotes hostias offerunt non solùm pro se, sed etiam pro populo. *2dò* quantùm ad naturalem propagationem: quod fit per Matrimonium, tam in corporali, quàm in Spirituali vita, eò quod est non solùm Sacramentum, sed naturæ officium. Ex his etiam patet Sacramentorum numerus, secundùm quod ordinantur contra defectum peccati. Nam Baptismus ordinatur contra carentiam vitæ Spiritualis: Confirmatio contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis invenitur: Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum: Pœnitentia contra actuale peccatum, post Baptismum commissum: Extrema Unctio, contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex negligentia, aut ex ignorantia: Ordo contra dissolutionem multitudinis: Matrimonium in remedium

dium contra concupiſcentiam perſonalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. Quidam verò accipiunt numerum Sacramentorum per quandam adaptationem ad virtutes, & ad defectus culparum, & pœnalitatum, dicentes, quòd Fidei reſpondet Baptiſmus, & ordinatur contra culpam originalem: Spei, Extrema Unctio, & ordinatur contra culpam venialem: Charitati, Euchariſtia, & ordinatur contra pœnalitatem malitiæ: Prudentiæ, Ordo, & ordinatur contra ignorantiam: Juſtitiæ, Pœnitentia, & ordinatur contra peccatum mortale: Temperantiæ, Matrimonium, & ordinatur contra Concupiſcentiam: Fortitudini Confirmatio, & ordinatur contra infirmitatem. *Hæc D. Thomas.*

Circa *Praxim* ritè adminiſtrandi, ſuſcipiendiquè Sacramenta, pleniſſimè tractant Morales Theologi, & habent Ritualia. Nos hìc, quæ concernunt uſum bonum Sacramentalis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, utpote ſæpiùs frequentandum à fidelibus, ſuis locis in particulari propoſuimus. *1.2. tra. 2. cap 5. ſect. 6. & cap. 6. ſect. 5. ſubſ. 1. §. 2. 3.*

§. X.

De Sacramentalibus.

SAcramentalia ſunt, Aſperſio aquâ benedictâ, Benedictio Epiſcopi vel Abbatis, ingreſſus Eccleſiæ, tunſio pectoris, geſtatio Agni cerealis, & ſimilia. Dicuntur *Sacramentalia*; quia ſimilitudinem quandam habent in ratione ſigni exterioris, conferentis aliquam Sanctificationem animi, non quidem cauſativè, ut faciunt Sacramenta, & ex opere operato, ſed occaſionativè, quatenus in adhibente ejuſmodi ſigna, excitantur pii motus animi, v. g. compunctio cordis, elevatio mentis in Divina, & Spiritualia, Sancta deſideria, & propoſita, &c. ad quorum poſitionem dimittuntur peccata venialia, conferuntur auxilia gratiæ actualia, imò & gratia Sanctificans quandoquè datur, vel augetur. Et hic eſt primus Sacramentalium fructus.

Alius effectus formalis Sacramentalium eſt, habere rationem virtutis, & conſequenter ea mereri, quæ meretur virtus. Et ita Sacramentalia miniſtrans, vel ſuſcipiens ex motivo Religi-

onis, sive alterius Virtutis, erit actus Religionis, sive alicujus alterius Virtutis. Propriè tamen Sacramentalia pertinent ad actus Religionis, quia sunt quidam ritus, cæremoniæ, vel signa verorum Cultorum DEI, signa, inquam, in Ecclesia DEI ex Spiritu S. instituta, & significativa alicujus rei Divinæ, & sacræ, aut Sanctificationis veræ, per quod differunt à similibus ritibus, & signis falsorum Cultorum DEI, utpote pro eorum beneplacito, non verò DEI institutis, nec correlativis cum vera Sanctitate ex vi supremi arbitrii.

§. XI.
De Juramento.

D. Thom. 2. 2. q. 89. *Juramentum, est actus Latriæ, seu Religionis, quo ad alicujus rei certam confirmationem efficiendam, quispiam DEUM Testem invocat; hoc ipso profitens, DEUM esse indefectibilis Veritatis, & super omnes Excelsum, & Sapientem.*

Hier. 4. *Conditiones Juramenti* insinuantur apud Prophetam, qui ait: *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in judicio, & in justitia.* Quod exponens *S. Hieronymus* dicit: Animadvertendum est, quòd jusjurandum hos habet comites, scilicet veritatem, judicium, & justitiam. Porrò *Angelicus Doctor*: Juramentum non est bonum, nisi ei, qui benè utitur Juramento. Ad bonum autem usum Juramenti duo requiruntur. *1mò* quidem, quòd aliquis non leviter, sed ex necessaria causa, & discretè juret. Et quantùm ad hoc requiritur judicium, scilicet discretionis ex parte jurantis. *2dò* quantùm ad id, quod per Juramentum confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum. Et quantùm ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis Juramento confirmat, quod verum est, & justitia, per quam confirmat, quod licitum est. Judicio autem caret juramentum incautum: veritate autem juramentum mendax, justitiâ autem juramentum iniquum, & illicitum.

D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 3.

Ibid. a. 6. Juramentum fit duplici modo. *1mo*, per simplicem contestationem, inquantùm scilicet DEI testimonium invocatur: & hoc juramentum innititur DEI veritate. *2do modo* fit, dum ad jura-

juramentum assumuntur aliquæ creaturæ, non secundùm se, sed inquantùm in eis Divina veritas manifestatur. Sicut juramus per Evangelium, id est, per DEUM, cujus veritas in Evangelio manifestatur: & per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & observaverunt. Alius autem modus jurandi est per execrationem. Et in hoc juramento inducitur creatura aliqua, in qua Divinum judicium exerceatur. Et sic solet homo jurare per caput suum, aut per filium suum, aut per aliquam aliam rem, quam diligit. Sicut & Apostolus juravit 2. ad Cor. 1. dicens: Ego testem DEUM invoco in animam meam. Quod autem Joseph per salutem Pharaonis juravit, utroquè modo intelligi potest: vel per modum execrationis, quasi salutem Pharaonis obligaverit DEO: & per modum contestationis, quasi contestando veritatem Divinæ Justitiæ, ad cujus executionem Principes terræ constituuntur.

Juramentum aliud est Assertorium, quando testimonium Divinum inducitur ad asserendum præterita, vel præsentia. Aliud est promissorium, quando inducitur Divinum testimonium ad confirmandum aliquid futurum. *Ibid. a. 1.*

Etsi Juramentum convenienti modo factum sit licitum & bonum, maximè, dum gravis instat necessitas, v. g. in judicio, ad liberandum alterum à grandi injuria; cæteris tamen paribus multò meliùs præstat, non jurare. *Estquè hoc ipsum actus Religionis, quo præcavetur, nè per juramenti sui aliquem defectum, qui facillimè contingere potest, in ejusmodi, DEO fiat irreverentia.* Quia ad eandem virtutem pertinet & actus prosecutionis, & actus fugæ. Quare ad hoc secundum Motiva potiùs adhibenda, quàm ad illud imum. Itaquè cavendi omne Juramentum, *Motivum imum est. Christus monet:* Iterum audîstis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis, reddes enim Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omninò, nequè per cælum, quia thronus DEI est, nequè per terram, quia scabellum est pedum ejus. Sit autem sermo vester: Est, Est; Non, Non: quod autem his abundantius est, à malo est. *Jacobus Apostolus:* Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, nequè per cælum, nequè per terram, nequè aliud quodcunquè juramentum. Sit *Matth. 5.* *Jacobi 5.*

autem sermo vester, Est, Est; Non, Non, ut non sub judicio decidatis. 2dum. S. Augustinus: Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est. Idem: Dico vobis, non jurare omnino, nè scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur, de facilitate ad consvetudinem, de consvetudine ad perjurium decidatur. S. Joann. Chrysost: Nemo est, qui frequenter juret, quin aliquando non perjuret: sicut qui consvevit multa loqui, aliquando loquitur importuna. 3tium. Juramentum homini libero pro tormento est. Unde Romani à Servis veritatem tormentis extorquebant, à Cive Juramento, à Sacerdote solo verbo.

S. Aug. serm. 28. de verb. Apost.

Idem lib. de mendacio.

Joann. Chrys. super illud Matth. 5. Non jurare omnino.

Plutarch in probl.

§. XII.

De Adjuratione.

Adjuratio, est actus Religionis, quo per interpositionem, ac reverentiam Divini Nominis, aut alicujus rei sacræ, alium inducimus ad aliquid agendum, vel omittendum.

D. Thom. 2. 2. q. 90. a. 1. Adjuratio illicita est, si aliquis per invocationem Divini Nominis, vel cujuscunquè rei sacræ, alicui non sibi subdito, adjurando, necessitatem agendi aliquid imponere intendit: sicut imponit sibi ipsi jurando, quia usurpat potestatem in alium, quam non habet. Tamen propter aliquam necessitatem Superiores, suos inferiores tali genere adjurationis constringere possunt: Si verò intendat solummodo per reverentiam Divini Nominis, vel alicujus rei sacræ, aliquid ab alio obtinere absquè necessitatis impositione, talis adjuratio licita est respectu quorumlibet. *Ibid. a. 2.* Porrò dæmones licet adjurare, non per modum deprecationis, seu inductionis, ob reverentiam alicujus sacri, quia hoc videtur ad quandam amicitiam vel benevolentiam pertinere, quâ non licet ad dæmones uti: sed per modum compulsionis adjuratio potest fieri dæmonum, non quidem ad aliquid ab eis addiscendum, vel obtinendum: quia hoc pertinet ad aliquam societatem cum eis habendam (nisi fortè ex speciali instinctu, vel revelatione Divina aliqui Sancti ad aliquos effectus dæmonum operatione utantur, sicut legitur de beato

Jacobo, quòd per dæmones fecit Hermogenem ad ſe adduci) verùm ad repellendum eos, nè nobis noceant ſpiritualiter, vel corporaliter, ſecundùm poteſtatem Divinam, datam à Chriſto, juxta illud Luc. 10: Ecce, dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Cæterùm adjurare creaturas irrationales ſecundùm ſe, eſt vanum: inquantùm verò adjurantur per reſpectum ad eum, à quo moventur, eſt licitum: & ita irrationabilium fit adjuratio, vel per modum deprecationis ad DEUM directæ, prout ſolent miracula facientes: vel per modum compulſionis, directæ ad dæmonem, nè per easdem creaturas nobis noceat. Et talis eſt modus adjurandi in Eccleſiæ exorciſmis, per quos dæmonum poteſtas excluditur ab irrationabilibus creaturis. *Ibid. a. 3.*

§. XIII.
De Laude DEI.

LAus DEI, *eſt actus Religionis, dum aliquis Magnalia DEI ore loquitur, vel deprædicat, ſive hymnis, & canticis Spiritualibus celebrat; ad excitandum in ſe, tum in aliis erga DEUM pium affectum, devotionem, reverentiam, ejusquè glorificationem.* *V. D. Thom. 2. 2. q. 91.*

Incitamenta ad Laudem DEI hæc proponuntur. *1mum. Pſalm:* Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis. Juvenes, & virgines, ſenes cum junioribus laudent nomen Domini. *Et:* Laudate Dominum in Sanctis ejus: Laudate eum in firmamento virtutis ejus. Laudate eum in Virtutibus ejus, laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis ejus. Laudate eum in ſono tubæ; laudate eum in pſalterio, & cythara. Laudate eum in tympano, & choro; laudate eum in chordis, & organo. Laudate eum in cymbalis benèſonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis Spiritus laudet Dominum. *Pſalm. 148.* *Pſalm. 150.*

Eccl: Sapientiæ DEI aſtabit laus, & in ore fideli abundabit, & Dominator dabit eam illi. *Idem:* Glorificantes Dominum, quantumcunquè potueritis, ſupervalebit adhuc, & admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quan- *Eccl. 15.* *Eccl. c. 43.*

quantum potestis, major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute. Nè laboretis: non enim comprehendetis. Quis enim videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum, sicut est ab initio?

Psalm. 134. *2dum.* Psaltes exhortatur: Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum. *Ibidem S. August:* Psalmus iste, ut laudemus nomen Domini, svadet, causamquè, quare justum sit, illum laudare, subdit, cùm dicit: Laudate servi Dominum. Quid justius, quid dignius, quid gratius? Etenim, si non laudaverint servi Dominum, superbi, ingrati, irreligiosi erunt. *S. Justinus*

S. Justin. q. 107. ad Orthod. *Martyr*, ita hymnodiam celebrat, & psalmodiam: Excitat, inquiens, hæc cum voluptate quadam animum ad flagrans ejus, quod carmine celebratur, desiderium. Affectiones, & concupiscentias carnis sedat: cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, amolitur. Mentem ad fructificationem bonorum Divinorum rigat, pietatis decertatores gloriosos & fortes per constantiam in rebus adversis efficit; omnium rerum, quæ in vita tristes & luctuosæ accidunt piis, affert medicinam.

S. Aug lib. 9. Conf. c. 4. *S. Augustinus:* DEUM alloquens, sic inquit: Quas tibi voces dabam in psalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare, si possem toto orbe terrarum adversum typhum generis humani. *S. Isidorus:* Nescio, quo pacto

S. Isid. lib. 7. sent. c. 7. modulatione canentis major nascitur compunctio cordis. Multi enim reperiuntur, qui cantûs svavitate commoti crimina plangunt, atquè ex parte magìs flectuntur ad lachrymas, ex qua psallentis insonuerit dulcedo svavissima. *S. Bernardus:* Nihil ita propriè quendam in terris repræsentat cælestis habitationis statum, sicut alacritas Laudantium DEUM, dicente Scripturâ: Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.

S. Bernard. serm. 11. in Cant.

S. Basil. in Epist. S. Jacobi. *S. Basilius:* Psalmus est animarum tranquillitas, pacis arbiter, turbas, & fluctus cogitationum compescens, iracundiam mollit. Psalmus amicitiæ conciliator, dissidentium conjunctio, inimicorum reconciliatio. Quis enim inimicum existimabit eum, cum quo unam ad DEUM vocem emittit? *Et inferiùs:* Psalmus dæmones fugat, auxiliares Angelos advocat, in nocturnis terroribus securitas, in diurnis laboribus

boribus requies est: Infantibus tutela, junioribus decor, senioribus solatium, mulieribus honestissimus ornatus: solitudines celebres facit: elementum incipientibus, incrementum proficientibus, consummatio perfectorum. Psalmus est vox Ecclesiæ, ac dies festos agit. Psalmus est Angelorum opus, cælestis reipublicæ spirituale ornamentum.

3tium ab Exemplis. *Corn. à lap.* explicans illud Ecclesiastici: *Porrò Sapientiæ DEI adstat Laus DEI*; ait: Quia Sapientiam DEI laudant, non tantùm omnes Angeli, & Beati, sed & ipse DEUS, puta ipsa SS. Trinitas, in qua Pater immensâ laude laudat, & glorificat Filium, & Spiritum Sanctum: Spiritus Sanctus Patrem, & Filium. Dum enim videt quisquè in eis Deitatem, & Divinam Majestatem, plenam infinitis dotibus, ideoquè infinitâ laude & gloriâ dignum: idcirco jugiter eos toto affectu laudat, & celebrat, idquè fecit ab æterno, & faciet in omnem æternitatem. Hæc laus nobis imitanda, & assumenda est, utì assumit Ecclesia, cùm in fine cujusquè Psalmi canit: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto:* hâc enim doxologiâ non tantùm creatam & finitam dicit, optatquè SS. Trinitati gloriam, sed & increatam, ac infinitam, idquè magis propriè. Sequitur enim: *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.* Certum autem est *in principio*, id est, ab æterno nullam creaturam (utpote quæ nulla tunc fuerit) dixisse: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*: Sed idipsum sola potuit dicere SS. Trinitas sibi ipsi. Atquè hæc est summa laus, quam DEO dare possumus: est enim immensa, ideoquè DEO adæquata. *Idem*: Quis comprehendet, quanto ardore, quantâ perfectione, quanto jubilo Christus glorificet DEUM Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, in se, & in opere Incarnationis, quod in se operatus est, sibiquè tribuit, ut scilicet hæc sua Humanitas uniretur Verbo, ideoquè hic Homo hypostaticè esset DEUS, & DEI Filius, ac per eam operaretur Redemptionem nostram, & salutem totius Universi? *Idem*: Beata Virgo, & Christus laudant DEUM; B. Virgo enim, sicut omnes homines & Angelos longè superat in gratia, ita in gloria, ac visione DEI. Unde magis penetrans speciem DEI, & attributa,

Cornelius Comment. in Ecclesi. c. 15. v. 10.

Idem Comment. in Eccl. c. 43.

Ibidem.

buta, excellentiùs omnibus ea celebrat. Laudavitquè in terris adhuc existens: *Magnificat anima mea Dominum.* *Idem*: Beati in cælo, homines & Angeli, præsertim Seraphini, ardentes amore: & admiratione DEI, semper ei accinunt: *Alleluja: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabbaoth: plena est omnis terra gloriâ ejus.* Isa. 6. Apocal. 4. Sicut ergo philomelæ integros dies & noctes canunt, laudantquè DEUM initio Veris, nec aliâ re, quàm cantu suo delectantur, eumquè semper augere & intendere, aliosquè omnes superare contendunt, adeò, ut quandoquè ex hac vocis contentione rumpantur & moriantur: Sic & Beati, ac Seraphini omnes vires suas exhauriunt in laudando DEUM: & cùm vident, se eum dignè, ut meretur, laudare non posse, sed in immensum eum esse pulchriorem, & laudabiliorem, optant, in immensum ampliùs eum laudare: sed quia se vinci ab eo vident, in eo gaudent, quòd tantus sit DEUS, ut omni laude sit Superior. *Idem*: Homines, præsertim fideles & sancti in terra, considerantes immensam DEI Majestatem, beneficentiam, & perfectionem, eam mente & voce deprædicant, ac quia id in hac vita plenè præstare nequeunt, adspirant ad alteram, dicentes: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Ita S. Franciscus, considerans perpetim immensam DEI pulchritudinem, ad eam aspirabat, ac præ desiderio langvebat, adeoquè ipsi immortuus est, dicendo: *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi*: testis est S. Bonaventura in ejus vita. *Hæc Cornelius à lapide.* II. Sanctissimus Rex David *septies per diem laudem dixit Domino.* Imò dicit: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Qui simul omnes creaturas invitat ad laudandum DEUM, & præcipuè homines, quibus exhibuit Psalterium, plenum Divinis laudibus, chorosquè DEUM laudantium Levitarum instituit. Deniquè omnes creaturæ mutâ voce suum Creatorem jugiter celebrant, dum in seipsis ejus Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, omnibus commendant, & ostentant, juxta illud Psalm 18 v. 1: *Cæli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Hinc sibi arroget fidelis quisquè, invitando cum Daniele creaturas

Ibidem. *Ibidem.* *Psalm. 118.* *Psalm. 33.*

omnes

omnes ad DEI laudem; *Benedicite omnia opera Domini Domino.* III. Choris alternantibus in Ecclesia cantare Antiphonas, Psalmos, & Hymnos, ait Socrates esse à S. Ignatio, Apostolorum discipulo, & Episcopo Antiocheno. Hic, inquit, visionem vidit Angelorum Sanctam Trinitatem hymnis alternâ vice decantatis collaudantium, & formam canendi in ea visione expressam Ecclesiæ Antiochenæ tradidit. Unde illa traditio in omnibus Ecclesiis recepta est. IV. Novitius quidam, Gratiano nomen erat, pro culpa sua à P. Gvardiano ad chorum relegatus est, ut ibi ad revocationem usquè oraret. Cujus memoriâ, cùm Patri excidisset, Gratiano in choro pernoctandum fuit. Hora instabat decima, & ecce quàm plurimi templum ingrediuntur splendidissimè vestiti. Hi factâ profundâ reverentiâ SS. Eucharistiæ Altari, fratrumquè communi sepulturæ, in his locis thus adolebant. Obstupuit principio frater, deinde proximum ex iis rogat: Ecquid hæc pompa, tamquè splendidus amictus sibi velit? Cui ille: Tam pretiosæ, inquit, immortales, atquè imputrescibiles vestes donantur in cælis Capucinis pro suis grossis ac vilibus, quas in mortali vita gestant. Sed quia tam opportunè ades, *dicas Guardiano, ut curet in choro canonicas horas lentiùs recitari: quia nihil in Ecclesia post usum & cultum Sacramentorum DEO gratius est, recitatione Horarum canonicarum, cùm ab ipso Christo Domino institutæ sint.*

Dan. 3.

Socrat. lib. 6. *hist. c.* 8.

Nebridius Antiq. Monast. Epist. 64. *cit. Bover. A. D.* 1542.

Circa *Praxim* Laudis Divinæ observa imò: quia *non est speciosa laus in ore peccatoris.* Unde talibus dicit DEUS: *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* Quare conscientia cumprimis depuranda à sorde peccati, tum solvenda ora in laudem Creatoris. *Et Nebridius inquit:* Dissolutorum oratio horret fœtetquè coram DEO. Justinus, Beatæ memoriæ Capucinus, aliquando raptus in extasim pervenit in Spiritu ad Ecclesiam, cùm Religiosi matutinum officium peragerent. Speravit bonus Pater, auditurum se concentum Angelorum, sed ecce, nihil percipere aliud potuit, quàm horrendos latratus canum, grunnitus porcorum, mugitus boum, & verba blasphemiæ. Territus hoc tam monstroso matutino,

Eccles. 15.

Amos 5.

Antiq. Monast. Epist. 71.

Bover. A. D. 1547.

supplex à DEO poscit, quid hoc sibi velit? Et vox ad eum: Illorum Religiosorum preces, qui dissolutè vivunt, regulam negligunt, aliosquè rectè viventes impediunt, nihil aliud esse, quàm blasphemias, ac voces belluarum. Quid ad hoc cogitas? non expavescis? Censeo hanc DEI sententiam non modò Religiosos, sed & malos Clericos, & Laicos tangere. Quoties ingemui, & flevi, dum oranti & Sacrificanti mihi intus dici putabam, id quod de Sacrificiis & oblationibus Judæorum olim per DEUM dictum est: *Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem; qui offert oblationem, quasi qui suillum sangvinem offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Iniqui sunt coetus vestri; calendas vestras, & Sabbatum, & solemnitates odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sangvine plenæ sunt. Lavamini.* 2dò: frigida laus est insipida, & extorta, nisi priùs fuerit fulgurans cognitione, dulciquè amore incensa magnalium DEI. Hinc appositè de Psalmodia S. Bernardus: *Cibus in ore, Psalmus in corde sapit &c. Mel in cera, devotio in litera est, alioquin litera occidit, si absquè Spiritûs condimento glutieris. Si autem cum Apostolo psallas Spiritu, psallas & mente, cognosces & tu de illius veritate sermonis, quem dixit JESUS: Verba, quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Similiter & de Concionibus Laudibusquè DEI dicendum; ubi speranda laus DEI magìs vel minùs ferventior, præcedente eam majori vel minori æstimatione, clarioriquè, vel minùs clarâ cognitione DEI & Divinorum, ita enim unum ex altero ordinariè fluit.

Isa. 66.

Idem c. 1.

S. Bern. serm. 7. in Cant.

3tiò. Adverte, quod S. Augustinus ait: *Commoveor non cantu, sed rebus, quæ cantantur, cùm liquidâ voce, & convenientissimâ modulatione magnam instituti hujus utilitatem agnosco, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cùm mihi accidit, ut me ampliùs cantus, quàm res, quæ canitur, moveat, poenaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.*

S. August. lib. 10. Conf. c. 32.

4tò. Cave illud Domini improperium: *Populus hic labiis*

me

me honorat, cor autem eorum longè est à me. Et observa S. Augustini monitum: *Si orat Psalmus*, inquit, *orate, & si gemit, gemite, & si gratulatur, gaudete, & si timet, timete.* Omnia enim, quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt. Cæterùm pro varietate cujusquè devotionis, & spiritûs, tum pro infirmitatis, & ignorantiæ defectu, tria Attentionis genera in Oratione & Psalmodia assignantur: ut qui in uno minùs sufficiens fuerit, in alio magìs proficiat. *De his vide suprà sub Attentione Orationis.* *S. August. in Psalm. c. 30.* *Sect. 5. subs. 1. §. 2.*

5*tò*. Dequiquè accipe summatim, quæ caveas, & observes in sacro Cantu. In vita *S. Leuridi* aurea regula proponitur, quomodo se quisquè in toto Orationis progressu habere debeat, ut eò perfectiùs oret. Facto signo pro Officio Divino, inquit, dimittas omnia, quæ erunt in manibus tuis, & primus esse in choro semper contendas, tam nocte, quàm die. Exiens è cella, fores sinè strepitu aperi & claude. In cantu non frangas vocem, aut fœmineis accentibus aliis te dulciter canere ostentes, sed vocem tuam in fortitudine spiritûs exaltans, DEUM tuum laudare satage. Non adhæreas humeris ad sedilia, nequè lacertis, sed stans jugiter, & viriliter, genibus junctis & pedibus, nec tibias super genua, nequè pedem super pedem omninò reponas. Cùm sederis, pedem ultra fimbriam non extendas: non suspires ibi, non clames, non legas, aut horas dicas altâ voce, dum tacent alii. Non gemas, aut pectus ibi percutias immoderatè, quia hypocritarum hic mos est. Inclina, & erige te uniformiter cum aliis. Semper, cùm sedendum est, tu sis ultimus, & primus in surgendo. In choro non loquaris, aut rideas Non sis vagus & curiosus, sed semper aspectus tui defixi maneant ad pedes tuos, nè in ullo obtutum Angelorum offendas. Cùm ibidem errores contigerint, tu neminem corrigas, sed quietus persevera. Cùm strepitus aut rumor acciderit, tu non eò statim oculos volve, sed semper in eodem statu perseveres. Non sis inquietus, & strepitosus. Si nasi aut pectoris indiges purgatione, tam discretè hoc perage, nè aliis nauseam crees In auribus aut naribus non figas digitos, nequè ibi dentes purgaveris: hoc enim valdè indecens est. Si pulicibus aut pruritu alio stimulatus fueris, si sufferre non potes, *In Chron. Lerin.*

potes, honestè & cautè tibi providè, nè advertant id alii. Sinè urgente necessitate non recedas ab Officio. In fine defectus tuos examina. Cellam autem ingressus recites Salutationem Angelicam.

Card. Bona de DiVin. Psal. c. 17.

Cardinalis Bona hæc profert, dicens: S. Bernardus, qualis debeat esse cantus, ita describit. Cantus plenus sit gravitate, nec lasciviam resonet, nec rusticitatem. Sic svavis, ut non sit levis: sic mulceat aures, ut moveat corda. Tristitiam levet, iram mitiget, sensum literæ non evacuet, sed fœcundet. Non est levis jactura gratiæ Spiritualis levitate cantûs abduci à sensuum utilitate, & plus sinuandis intendere vocibus, quàm rebus insinuandis. *Item alibi* cantantium vitia sic redarguit: Sunt quidam de voce dissoluti, qui vocis suæ modulatione gloriantur, nec tantùm gaudent de dono gratiæ, sed etiam alios spernunt. Tumentes elatione aliud cantant, quàm libri habeant, tanta est lenitas vocis, forsitan & mentis. Cantant, ut placeant populo magis quàm DEO. Si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis, & facis eam non tuam, sed suam. Habes in potestate vocem tuam, habeto & animum. Frangis vocem, frange & voluntatem. Servas consonantias vocum, serva & concordiam morum. Cave, nè sicut delectaris altitudine vocis, delecteris elatione mentis. Ingenium musicum à proportione in voce reducendum esse ad proportionem in mente, ostendit *Plotinus*. Nimis enim indignum videtur, & nimis flendum, ut ait *Augustinus*, per suam scientiam versum benè currere, citharamquè concinnere, & suam vitam, sequè ipsam, quæ anima est, devium iter sequi, & dominante sibi libidine, cum turpissimo se vitiorum strepitu dissonare. Extat etiam in antiquissimo nostri Ordinis Statuto optima canendi institutio, quam *idem Sanctissimus Pater Bernardus* suis discipulis reliquit: Psalmodiam, inquit, non nimium protrahamus, sed rotundè, & vivâ voce cantemus. Metrum & finem versûs simul intonemus, & simul dimittamus. Punctum nullus teneat, sed statim dimittat. Post metrum bonam pausam faciamus. Nullus ante alios incipere, & nimis currere præsumat, aut post alios pneuma trahere, vel punctum tenere. Simul cantemus, simul pausemus,

S. Bern. Epist. 312.

Idem, si tamen ipse est, de inter. domo c. 51.

Plotinus Enn. 1. lib. 3. c. 1.

August. lib. 2. de Ordine c. 2.

ſemus, ſemper auſcultando. Quicunquè incipit Antiphonam, aut Pſalmum, Hymnum, Reſponſorium, Alleluja, unam aut duas partes ſolus dicat, aliis tacentibus: & ab eo loco, quo ille dimittit, alii incipiant, non repetentes, quod ille jam dixit. Monemus vos dilectisſimi, ut, ſicut reverenter, ita & alacriter Domino asſiſtatis, non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis & remisſis vocibus muliebre quiddam de nare ſonantes, ſed virili ſonitu & affectu voces S. Spiritûs depromentes. Viros enim decet virili voce cantare, & non more fœmineo tinnulis, vel falſis vocibus, veluti hiſtrionicam imitari laſciviam: & ideo conſtituimus, mediocritatem in cantu ſervari, ut gravitatem redoleat, & devotio conſervetur. *Hæc Statutum Ciſtercienſe.* Liquet autem ex dictis, quænam debeant vitia Eccleſiaſtici cantores evitare. *Et paulò infra idem Cardinalis Bona hæc proſequitur:* Deniquè damnati ſunt illi, qui parcentes vocibus ſuis rapinam faciunt in holocauſtis, qui vitulos ſcilicet labiorum ſuorum Domino reddere negligentes, vel dolorem capitis, vel ſtomachi debilitatem, vel exilitatem vocis prætendunt ad excuſandas excuſationes in peccatis: cùm reverà totum in eis ſibi vendicet mentis evagatio, diſtractio cordis, carnis inertia, & propriæ ſalutis incuria. Non enim conſiderant, quòd, qui à communi labore ſe ſubtrahunt, communi etiam retributione carebunt, & qui Eccleſiam ſervitute, proximum ædificatione, Angelos lætitiâ, Sanctos gloriâ, DEUM cultu defraudant: ipſi quoquè DEI gratiâ, Sanctorum ſuffragiis, Angelorum cuſtodiâ, proximi adjutorio, Eccleſiæ beneficiis ſe reddunt indignos. *Hactenus cit. Cardinalis.*

SUBSECTIO II.

De Oppoſitis vitiis Religionis per Exceſſum, ſeu de Superſtitione.

Superſtitio, vitium eſt Religioni oppoſitum, ſecundùm exceſſum quo quis Divinum exhibet cultum, vel cui non debet, vel non eo modo, quo debet. D. Thom. 2. 2. q. 92. a. 1.

Multæ

Ibidem a. 2. Multæ ſunt Superſtitionis ſpecies, ut Indebitus veri DEI cultus, Idololatria, Divinationes, ac varia Obſervationum genera. Etenim diverſificantur Superſtitionis ſpecies, *imò* quidem ex parte objecti. Poteſt enim Divinus cultus exhiberi, vel cui exhibendus eſt, ſcilicet DEO vero, modo tamen indebito: & hæc eſt prima Superſtitionis ſpecies: vel ei cui non debet exhiberi, ſcilicet cuicunquè creaturæ. Et hoc eſt aliud Superſtitionis genus, quod in multas ſpecies dividitur, ſecundùm diverſos fines Divini cultûs. Ordinatur enim *imò* Divinus cultus ad reverentiam DEO exhibendam. Et ſecundùm hoc ima ſpecies hujus generis eſt Idololatria, quæ Divinam reverentiam indebitè exhibet creaturæ. *2dò* ordinatur ad hoc, quòd homo inſtruatur à DEO, quem colit. Et ad hoc pertinet Superſtitio divinativa, quæ dæmones conſulit per aliqua pacta cum eis inita, vel tacita, vel expreſſa. *3tiò* ordinatur Divinus cultus ad quandam directionem humanorum actuum, ſecundùm inſtituta DEI, qui colitur: & ad hoc pertinet Superſtitio quarundam *S. Auguſt. lib. 2. c. 20. in princip. tom. 3.* obſervationum. Et hæc tria tangit Auguſt. in 2. Doct. Chriſt. dicens: Superſtitionem eſſe, quidquid inſtitutum eſt ab hominibus, ad facienda & colenda idola pertinens. Et hoc pertinet ad *Eodem nunc loco dicto.* imum. Et poſtea ſubdit: Vel ad conſultationes & pacta quædam ſignificationum cum dæmonibus placita atquè fœderata: *Eodem c. 2. parum à prin.* quod petinet ad 2dum. Et poſt pauca ſubdit: Ad hoc genus pertinent omnes ligaturæ, & cætera hujuſmodi: quod pertinet ad 3tium.) Ex his ſequentes actus Superſtitionis derivantur.

ACTUS SUPERSTITIONIS.

Lohner Biblio. manual. tit. Superſtitio. I. eſt, *DEUM per cæremonias abolitas colere.* II. *Officium aut munus publici Miniſtri Eccleſiaſtici ſibi arrogare,* v. g. Si confesſiones laicus excipiat, aut Sacrificium offerat. III. *Propriâ authoritate aliquid velut ab Eccleſia à DEI cultum ordinatum proponere;* ut ſi quis varias cæremonias in Sacramentorum adminiſtratione adhiberet. IV. *Falſas reliquias, miracula, revelationes confingere, & proponere.* V. *Dæmonem, aut magos de rebus occultis conſulere.* VI. Solem

Solem, aut aliam creaturam pro DEO habere; uti frequenter faciunt magi, diabolum cultu latriæ adorantes. VII. *Varia amuleta aut ligaturas portare contra vulnera, vel subitam mortem, aut alios similes effectus improportionatos.* VIII. est, *rebus sacris majorem vim, quàm conveniat, attribuere*; ut, si quis aquam benedictam crederet habere virtutem infallibilem ad dæmones & homines malos arcendos. IX. *Varia animalia ex tempore creare, aut ex alio loco longè dissito in momento adducere.* X. *Variis incantationibus pecora aut agros alterius inutiles efficere.*

Motiva fugiendi superstitionem. *1mum.* *Deuter*: Non inveniatur in te, qui Ariolos sciscitetur, & observet somnia, atquè auguria, nec sit maleficus, nequè incantator, nec qui Pythones consulat, nec Divinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus. *Apoc*: Veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardente igne & sulphure, quod est mors secunda. *Deut. 18. v. 10.* *Apoc. 21. v. 8.*

2dum. Quia hoc vitium est singulariter in odium DEI à dæmonibus inventum, ut per illud cultum DEO debitum in se transferant, atquè adeo non potest non *graviter DEO displicere*: hinc rectè *S. Augustinus* monet: Non sit nobis Religio cultus dæmonum, quia omnis superstitio, cùm sit magna pœna hominum, & periculosissima turpitudo, honos est, ac triumphus illorum. Quia valdè *dedecet Christianum*, ut, qui per baptismum abrenunciavit dæmoni, nunc iterum cum eo amicitiam ineat. Quæ omnia pulchrè explicat *S. Ephrem*; dum ait: Abrenunciatio, quam in baptismo facimus, nominata quidem apparet parva, sed intellecta, admodum magna, quam qui servare voluerit, beatissimus erit: Paucis namquè verbis cuncta, quæ nominantur mala, quæquè odit DEUS, valere jubemus, & abrenunciamus, cujusmodi sunt non unum duntaxat, non duo, nec decem, sed quodcunquè appellatur malum, puta, abrenunciatio satanæ, & cunctis operibus ejus. Quibus, inquam, operibus? audite, *fornicationi, adulterio, immunditiæ, furto, invidiæ, veneficio, divinationi, incantationibus, augurationibus, spirituum immundorum interrogationibus*, quæ cuncti novimus opera ac doctrinas esse diabolorum. *S Aug. lib. de vera Relig. c. 55.* *S. Ephrem de abren.*

S. Chrysost. Orat. 5. contra Jud. bolorum. *S. Chrysostomus*: Etiamsi millies exurat febris, anima tua quovis liquore, quâvis irroratione meliorem, utilioremquè mitigationem adducet. Quemadmodum enim, postquam acceperis mutationem, sanusquè factus fueris (per magicas artes), miserior factus es iis, qui febre laborant, dum tecum reputas peccati magnitudinem: sic nunc quoquè, etiamsi febriciteris, innumeraquè patiaris mala, repulsis impiis illis, quovis sano meliùs eris affectus animo, gestiente præ gaudio conscientiâ, ac laudante te, probantequè, ac dicente: Euge, Euge, heus homo Christi servus, vir fidelis, Athleta pietatis, qui malueris molestiis immori, quàm deserere tuam pietatem, proximo secundùm Martyres loco stabis illâ die.

Surius 20. Augusti. *3tium.* S. Bernardus puerulus capitis gravi dolore laborans, mulierem ad se venientem, dolorem carminibus mitigaturam acri indignatione & clamore rejecit, & sese proripiens ex *Dio. l. 57.* lectulo, mox divinitùs convaluit. *Aliud.* Tiberius, Imperator Romanorum, decretum contra magos & Astrologos judiciarios edidit, quorum exteros occidit, cives autem patriâ exulare jussit.

In Praxi imò instinctui ad superstitiones concitanti resi- *S. August. Serm. 241. de temp.* stere. Ita *S. Augustinus*, dum ait: Homines negligentes, & faciles, langvida desideria, & fidem desidem habentes, etiamsi incipiant, non diu perseverant in operibus DEI, sed ubi se antedictis sacrilegiis abstinuerint, vel unam diaboli nequitiam pertulerint, statim pœnitent, se ad Dominum conversos esse, & machinamenta diaboli reliquisse, iterum revertuntur ad observationes auguriorum, velut canis ad vomitum suum. Unde svadet, ab initio semel iterumquè fortiter repellendos, qui ad ejusmodi artes impellunt, si enim semel, inquit, aut secundò nequitias, quas diabolus immiserit, cum animo & totâ fide contempseritis, ita ipsum diabolum postea à vestra infestatione DEUS dignabitur repellere, ut nunquam possit vos suâ calliditate decipere.

2dò ad DEUM oratione & piâ fiduciâ recurrere. Un- *S. Chrysost. in Psalm. 9.* de *S. Chrysostomus*: Hoc est mihi corona, hoc diadema, propter te trophæum erigere, propter te salutem adipisci. Hoc autem

dico

dico propter eos, qui in morbis utuntur incantationibus, & alias exquirunt imposturas, & præstigia ad suam levandam ægritudinem. Quod intelligendum est & circa alia mala, damna, eventus, &c.

3tiò. Adhibe hîc proportionatè suprà specificata. I. 2. *tra.* I. *c.* I. *sect* 4. *subs.* 2. §. 2. & 3.

§. I.

De illegitimo cultu DEI.

ILlegitimus *DEI cultus, est Superstitionis species*; contingitquè tripliciter, ut ex sequenti doctrina S Thomæ patet, ubi simul nonnulla *Incentiva* ad ejus fugam habes. Disserit igitur præfatus Sanctus hunc in modum. Mendacium maximè perniciosum est, quod fit in his, quæ ad Christianam Religionem pertinent. Est autem mendacium, cùm aliquis exterius significat contrarium veritati. Sicut autem significatur aliquid verbo, ita etiam significatur aliquid facto: & in tali significatione facti consistit exterior Religionis cultus. Et ideo, si per cultum exteriorem aliquid falsum significetur, erit cultus perniciosus. Hoc autem contingit dupliciter. *Uno* quidem *modo* ex parte rei significatæ, à qua discordat significatio cultûs: & hoc modo, tempore novæ legis, peractis jam Christi mysteriis, perniciosum est uti cæremoniis veteris legis, quibus Christi mysteria figurabantur futura, sicut etiam perniciosum esset, si quis verbo confiteretur Christum passurum esse. *Alio modo* potest contingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis, & hoc præcipuè in cultu communi, qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiæ. Sicut enim falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicujus, quæ non essent ei commissa: ita vitium falsitatis incurrit, quòd ex parte Ecclesiæ cultum exhibet DEO, contra modum Divinâ authoritate ab Ecclesia constitutum, & in Ecclesia consvetum. Unde *Ambrosius* dicit: Indignus est, qui aliter celebrat mysterium, quod Christus tradidit. Et propter hoc etiam *gloss. dicit Coloss.* 2. Quod superstitio est, quando traditioni humanæ Religionis nomen applicatur. *Ibidem D. Thomas* inquit: Dicendum, quòd aliquid dicitur superfluum dupliciter. *Uno*

D. *Thom.* 2. 2. *q.* 93. *a.* I.

I. *ad Cor.* II. *super illud: Quicunquè ederit panem* *to.* 5.

Ibidem a. 2.

Uno modo secundùm absolutam quantitatem, & secundùm hoc non potest esse aliquid superfluum in Divino cultu: quia nihil potest homo facere, quod non sit minus eo, quod DEO debet. *Alio modo* potest esse aliquid superfluum, secundùm quantitatem proportionis, quia scilicet non est fini proportionatum. Finis autem Divini cultûs est, ut homo DEO det gloriam, & ei se subjiciat mente, & corpore. Et ideo, quidquid homo faciat, quod pertinet ad DEI gloriam, & ad hoc, quòd mens hominis DEO subjiciatur, & etiam corpus per moderatam refrænationem concupiscentiarum, secundùm DEI & Ecclesiæ ordinationem, & consvetudinem eorum, quibus homo convivit, non est superfluum in Divino cultu. Si autem aliquid sit, quod quantùm est de se, non pertinet ad DEI gloriam, neque ad hoc, quòd mens hominis feratur in DEUM, aut quòd carnis concupiscentiæ inordinatæ refrænentur: aut etiam, si sit præter DEI & Ecclesiæ institutionem, vel contra consvetudinem communem (quæ secundùm *August.* pro lege habenda est) totum hoc reputandum est superfluum & superstitiosum: quia in exterioribus solùm consistens, ad interiorem DEI cultum non pertinet. Unde *S. August.* in lib. de vera Religione inducit, quod dicitur Luc. 17. *Regnum DEI intra vos est*: loquitur contra superstitiosos, qui scilicet exterioribus principalem curam impendunt.

In Epist. 86. parum à princ. to. 2.

Cap. 3. à med. to. 1.

S. Chrysost. hom. 8.

Contra communiorem illegitimi cultûs Divini speciem in propulsandis malis morborum, damnorum, &c. *S. Chrysost.* inquit: Superstitiosa illa, quæ ægrotis applicatis, etiamsi mille modis philosophentur, qui quæstum ex ipsis faciunt, dicentes: DEUM invocamus, & præterea nihil facimus, & quidquid ejusmodi prætendunt, & Christiana est hæc anus, & fidelis, idololatriam tamen sapiunt. Fidelis es? Crucis signaculo utere. Dic, hoc duntaxat habeo scutum, hoc solum pharmacum, aliud ignoro. Dic mihi, si Medicus ad ægrotum accedens, relictis medicinæ pharmacis incantatione uteretur, an hunc Medicum diceres? nequaquam; non enim videremus medicinæ pharmaca: ita neque hic, quæ sunt Christianismi.

§. II.

§. II.
De Idololatria.

IDololatria, *est Superstitionis species, quâ debitus DEO honor & cultus Creaturæ tribuebatur.* De qua Morales Theologi: hìc fusiùs discurrere de ea minimè opus, cùm, DEO sint laudes, ejusmodi sordibus expurgatus maneat mundus; & SS. Patres, & Doctores Ecclesiæ amplissimè contra Idololatriam egerunt, & scripserunt; Theologiaquè Spiritualis præsupponat fideles, à quibus illa non tam addiscatur speculativè, (quod etiam ex parte pertinet ad infideles convertendos) quàm sciatur, & exerceatur practicè, quod solis convenit veris Christianis. D. Thom. 2. 2. q. 94.

§. III.
De Divinatione.

DIvinatio, quantùm ad finem pertinet, quem Divinatio intendit, ad curiositatis genus refertur: quantùm verò ad operationis modum spectat, est Superstitionis species. *Estquè peccatum, quo aliquis sibi usurpat futurorum, ut futura sunt, notitiam, & prædictionem ad DEUM propriè pertinentem.* D. Thom. 2. 2. q. 95. a. 2.

Porrò futura dupliciter prænosci possunt. Uno quidem modo in suis causis. Alio modo in seipsis. Causæ autem futurorum tripliciter se habent. Quædam enim producunt ex necessitate, & semper suos effectus. Et hujusmodi effectus futuri per certitudinem prænosci, & prænunciari possunt ex consideratione suarum causarum, sicut Astrologi prænunciant Eclypses futuras. Quædam verò causæ producunt suos effectus, non ex necessitate, & semper, sed ut in pluribus: raro tamen deficiunt. Et per hujusmodi causas possunt prænosci effectus futuri, non quidem per certitudinem, sed per quandam conjecturam: sicut Astrologi per considerationem stellarum quædam prænoscere & prænunciare possunt de pluviis, & siccitatibus, & Medici de sanitate vel morte. Quædam verò causæ sunt, quæ, si secundùm se considerentur, se habent ad utrumlibet, quod præcipuè videtur de potentiis rationalibus, quæ se habent Ibid. a. 1.

Lib. 9. Met. tex. 3. & 18. to. 3. habent ad opposita, secundùm Philosophum. Et tales effectus vel etiamsi, qui effectus ut in paucioribus casu accidunt, ex naturalibus causis, per considerationem causarum prænosci non possunt: quia eorum causæ non habent inclinationem determinatam ad hujusmodi effectus. Et ideo effectus hujusmodi prænosci non possunt, nisi in seipsis considerentur. Homines autem in seipsis hujusmodi effectus considerare possunt solùm, dum sunt præsentes. Sicut cùm videt homo sortem currere. Sed considerare hujusmodi in seipsis, antequam fiant, est DEI proprium, quia solus in sua æternitate videt ea quæ futura sunt, quasi præsentia. Unde dicitur Isa. 41: *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Si quis ergo hujusmodi futura prænunciare, aut prænoscere quocunque modo præsumpserit, nisi DEO revelante, manifestè usurpat sibi quod DEI est, & ex hoc aliqui Divini dicuntur. Unde dicit Isid. in *L. 8. c. 9. à me. Et refertur 26 q. 4. c. igitur circ. princ.* lib. Etym: Divini dicti, quasi DEO pleni. Divinitate enim se plenos simulant, & astutiâ quâdam fraudulentiæ hominibus futura conjectant. Divinatio ergo non dicitur, si quis prænunciat ea, quæ ex necessitate eveniunt, vel ut in pluribus, quæ humanâ ratione prænosci possunt, neque etiam, si quis futura alia contingentia DEO revelante, cognoscat. Tunc enim non ipse divinat, id est, quod Divinum est, facit, sed magis, quod Divinum est, suscipit. Tunc autem solùm dicitur divinare, quando sibi indebito modo usurpat prænunciationem futurorum eventuum. Hoc autem constat esse peccatum. Unde Divinatio semper est peccatum. Et propter hoc *Hieronymus* dicit super *à med. Commentarii in c. 3. Michææ to. 6.* Michæam, quòd Divinatio semper in malam partem accipitur. *Angelicus Doctor tria Divinationum genera* enumerat, dicens: *D. Thom. 2. 2. q. 95. a. 3.* Omnis Divinatio utitur ad præcognitionem futuri eventûs aliquo dæmonum consilio, vel auxilio. Quod quidem vel expressè imploratur, vel præter intentionem hominis se occultè dæmon ingerit ad prænunciandum futura quædam, quæ hominibus sunt ignota, eis autem cognita per modos, de quibus in *Q. 57. a. 3.* primo dictum est. Dæmones autem expressè invocati, solent futura prænunciare multipliciter: quandoquè quidem præstigiosis quibusdam apparitionibus se aspectui & auditui hominum

inge-

ingerentes, ad prænunciandum futura: & hæc species vocatur *Præstigium*, ex eo, quòd oculi hominum perstringuntur. Quandoquè autem per somnia: & hæc vocatur *Divinatio somniorum*. Quandoquè verò per mortuorum aliquorum apparitionem, vel locutionem: & hæc species vocatur *Necromantia*, quia ut dicit Isidorus in lib. Etymol: *necron* græcè mortuum, *mantia* verò Divinatio nuncupatur, quia quibusdam præcantationibus, adhibito sangvine, videntur resuscitati mortui, divinare, & ad interrogata respondere. Quandoquè verò futura prænunciant per homines vivos, sicut in arreptitiis patet. Et hæc est *Divinatio per Pythones*. Et ut Isid. dicit: Pythones à Pythone Apolline sunt dicti, qui dicebatur esse author divinandi. Quandoquè verò prænunciant per aliquas figuras, vel signa, quæ in rebus inanimatis apparent, quæ quidem, si appareant in aliquo corpore terrestri, puta in ligno, vel ferro, vel lapide polito, vocatur *Geomantia*. Si autem in aqua, *Hydromantia*. Si autem in aëre, *Aëromantia*. Si autem in igne, *Pyromantia*. Si autem in visceribus animalium immolatorum, in aris dæmonum, vocatur *Haruspicium*.

νεκρὸς, mortuus.
Lib. 8. c. 8. parum ante med.
μαντένομαι. divino. Inde Divinatio.
Lib. 8 Etymol. c. 9. à med.

Divinatio autem, quæ fit absquè expressa dæmonum invocatione, in duo genera dividitur. Quorum primum est, quando ad prænoscendum futura, aliquid consideramus in dispositionibus aliquarum rerum. Et si quidem aliquis conetur futura prænoscere ex situ & motu syderum, hoc pertineret ad *Astrologos*, qui & *Genethliaci* dicuntur, propter natalium considerationes dierum. Si verò per motus, vel voces avium, seu quorumcunquè animalium, sive per sternutationes hominum, vel membrorum saltus, hoc pertinet generaliter ad *Augurium*, quod dicitur à garritu avium, sicut *Auspicium* ab inspectione avium. Quorum primum pertinet ad aures, secundum ad oculos. In avibus enim hujusmodi præcipuè considerari solent. Si verò hujusmodi consideratio fiat circa verba hominum, absquè intentione dicta, quæ quis retorquet ad futurum, quod vult prænoscere, hoc vocatur *Omen*. Et sicut Valerius Maximus dicit: Omnium observatio aliquo contractu Religioni annexa est, quoniam non fortuito motu, sed Divinâ provi-

Lib. 1. cap. 5. in princip.

dentiâ

dentiâ constare creditur: quæ fecit, ut Romanis deliberantibus utrum ad alium locum migrarent, fortè eo tempore centurio quidam exclamavit: Signifer, statue signum, hìc optimè manebimus. Quam vocem auditam pro omine acceperunt, transeundi consilium omittentes. Si autem considerentur aliquæ dispositiones figurarum in aliquibus corporibus visui occurrentes, erit alia Divinationis species. Nam ex lineamentis manûs consideratis Divinatio sumpta, *Chiromantia* vocatur, quasi Divinatio manûs, (*Chir* enim græcè, dicitur manus) Divinatio verò ex quibusdam signis in spatula alicujus animalis apparentibus, *Spatulamantia* vocatur.

χείρ.

Ad secundum autem Divinationis genus, quod est sinè expressa dæmonum invocatione, pertinet Divinatio, quæ fit ex consideratione eorum, quæ eveniunt ex quibusdam, quæ ab hominibus seriò fiunt, ad aliquid occultum inquirendum, sive per protractionem punctorum, quod pertinet ad artem *Geomantiæ*, sive per considerationem figurarum, quæ proveniunt ex plumbo liquefacto in aquam projecto, sive ex quibusdam schedulis scriptis vel non scriptis in occulto repositis, dum consideratur quis quam accipiat, vel etiam ex festucis inæqualibus propositis, quis majorem vel minorem accipiat, vel taxillorum projectione, quis plura puncta projiciat, vel etiam, dum consideratur, quid aperienti librum occurrat, quæ omnia *Sortium* nomen habent.

Sic ergo triplex patet esse Divinationis genus, quorum primum est per manifestam dæmonum invocationem, quod pertinet ad *Necromanticos*: secundum autem est per solam considerationem dispositionis, vel motûs alterius rei, quod pertinet ad *Augures*: tertium est, dum facimus aliquid, ut nobis manifestetur aliquid occultum, quod pertinet ad *Sortes*. Sub quolibet autem horum multa continentur, ut patet ex dictis. *Hæc D. Thomas*.

Levit. 20. *Incitamenta* ad fugam Divinationis. *1mum. Levitici* minatur DEUS: Anima, quæ declinaverit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & inter-

& interficiam eam de medio populi mei. *Deut.* prohibet DEUS: Non inveniatur in te, qui ariolos sciscitetur, nequè Pythones consulat. *Deut.* Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum, atquè portentum, & evenerit, *&c.* non audies verba Prophetæ illius, aut Somniatoris: quia tentat vos Dominus DEUS vester, ut palàm fiat, utrùm diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra. *Ecclesiasticus* ait: Vana spes, & mendacium viro insensato: & somnia extollunt imprudentes, quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia. Hoc secundùm hoc visio somniorum. Ante faciem hominis similitudo alterius hominis. Ab immundo quid mundabitur, & à mendace quid verum dicetur? Divinatio erroris, & auguria, mendacia, & somnia malefacientium, vanitas est. Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, nè dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis. Sinè mendacio consummabitur verbum Legis, & Sapientia in ore fidelis complanabitur.)) *Rex Saul* consulens Pythonissam, postridie suâ se interficiens manu, in peccatis occubuit. *Ochozias Rex* pro consilio mittens ratione valetudinis suæ ad Beelzebub Deum Accaron, tristem nuncium accepit ab Elia de morte sua.)) *S. Thomas* docet, quòd dæmon intendens perditionem hominum ex suis responsis, etiamsi aliquando vera dicat, intendit homines assvefacere ad hoc, quòd ei credatur, & sic intendit perducere in aliquid, quod sit saluti humanæ nocivum. Unde Athanasius, exponens illud, quod habetur Lucæ 4. increpavit illum, dicens: *Obmutesce*, dicit: quamvis vera fateretur dæmon, compescebat tamen Christus ejus sermonem, nè simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget, ut nos etiam assvefaciat, nè curemus de talibus, etsi vera loqui videatur. Nefas enim est, ut, cùm adsit nobis Scriptura Divina, à diabolo instruamur.)) *2dum. Cornelius à lap.* ait: Atquè hæc est causa, cur dæmon subinde futuros eventus, v. g. morbos, mortes, neces, per suos divinos, sagas, & magos prædicit dicendo: v. g. illis, qui eos de sorte, & sibi

Deut. 18.
Deut. 13.
Eccl. c. 34.
1 *Reg. c.* 28. & 31.
4. *Reg. c.* 1.
D. *Thom.* 2. 2. *q.* 85. *a.* 4.
Corn. à lap. Comment. in Eccl. c. 39.

sibi eventura consulunt. Tu morieris aquâ, tu igne, tu tali anno incides in febrim, phthisim, pestem, tu tali anno, tali morbo morieris. Quia scilicet dæmon prædicit id, quod ipse facturus est, nimirum, quòd eis tali anno talem morbum, vel mortem illaturus, aut procuraturus sit. DEUS enim eos, qui consulunt dæmonem, illi subjicit, illiquè in eos potestatem dat, ad castigandum eorum à DEO apostasiam. *S. Augustinus* ait: Illos planetarios, quos Mathematicos vocant, consulere non desistebam, quod quasi nullum esset eis sacrificium, & nullæ preces ad aliquem spiritum ob Divinationem dirigerentur: quod tamen Christiana, & vera pietas repellit, & damnat. *Et*: Fatendum est, quando à Mathematicis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes, patiuntur: quod tamen ad decipiendos homines fit, spirituum immundorum & seductorum operatione, qui quædam vera de temporalibus rebus nôsse permittuntur. *Unde concludit.* Quapropter bono Christiano, sive Mathematici, sive quilibet impiè divinantium, & maximè dicentes vera, cavendi sunt, nè consortio dæmoniorum deceptam animam, pacto quodam societatis irretiant.)) *In Decret.* graviter vetatur: Sortes, quibus cuncta vos vestris discriminatis provinciis, quas Patres damnaverunt, nihil aliud quam Divinationes, & maleficia decernimus. Quamobrem volumus illas omninò damnari, & ultra inter Christianos nolumus nominari, & nè exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.)) *3tium.* Acta Apostolorum referunt, quòd *multi ex iis, qui fuerant, curiosa sectati, contulerunt libros suos, & combusserunt.*

S. *Aug. lib* 4. *c.* 3 *in princ* *to.* 1.

Idem ad Gen. lib. 2. *c.* 17. *non procul à fine to.* 3.

In Decret. 4. 8.

Act. c. 19.

§. IV.
De Observatione superstitiosa.

D. Thom. 2. 2. q. 96.

OBservantia vana, est Superstitionis species, dum aliquis rebus & signis utitur, ad assequendos, vel producendos, seu pronunciandos quosdam effectus, qui nec per Divinam institutionem, nec per naturalem causalitatem ab iisdem rebus vel signis dependent, sed potiùs, dum ab iisdem signis, & rebus fiunt vel casu, & fortuito: vel potissimùm ope dæmonis,

monis, pacto explicito sive implicito fiunt. Hinc Arte notariâ utens, inspectione quarundam figurarum, & prolatione quorundam ignotorum verborum, & aliis hujusmodi ad obtinendam scientiam, quæ minimè naturaliter vel supernaturaliter causatur ab iisdem figuris, verbisquè, est superstitiosa Observantia. *Item.* Observationes v. g. in characteribus, in rebus suspendendis, vel consignandis, &c. quæ putantur servire ad immutationem corporum in sanitatem, infirmitatem, robur, duritiem, &c. utpote nullam habentes connexionem cum iisdem effectibus, vanæ, & superstitiosæ sunt. Deniquè Observationes ad prænoscenda futura, fortunata, vel infortunata, ex quibusdam signis, cum futuris eventibus, malis vel bonis inconnexis, superstitiosæ, & illicitæ sunt.

Contra vanam Observantiam. Jerem: Hæc dicit Dominus: juxta vias gentium nolite discere, & à signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt. *Apostolus*: Quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuò servire vultis? Dies observatis & menses, & tempora, & annos. *Jer. 10.* *Galat. 4.*

§. V.

De Magia, Maleficio, & Veneficio.

Maleficium, est vis nocendi aliis, ex pacto, & cooperatione dæmonis. Differt à Magia, quòd hæc intendat facere mira, illud autem dirigatur ad nocendum. *Tol. l. 4. c. 10. Fill. to. 24. c. 8. q. 1.*

Maleficium aliud dicitur *Amatorium*, seu *philtrum*, cujus usus est ad carnalem amorem, vel odium excitandum, dæmone hominis phantasiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem. Unde patet, si maleficio sic infecti labantur, eos verè peccare, quia libertas non aufertur. Aliud dicitur *Veneficium*, quo alicui personæ, vel ejus bonis damnum infertur. *Fill. l. c. num. 183. Azor to. 1. lib. 9. c. 26.*

SUBSECTIO III.

De oppositis Vitiis Religionis per Defectum, seu de Irreligiositate.

D. Thom. 2. 2. q. 97. in accessu.

HUjusmodi autem vitia sunt, quæ pertinent ad contemptum, sive ad irreverentiam DEI, & rerum sacrarum. 1mò ergo considerandum est de vitiis, quæ pertinent directè ad irreverentiam DEI. 2dò de his, quæ pertinent ad irreverentiam sacrarum rerum. Circa primum considerandum occurrit de Tentatione, quâ DEUS tentatur, & de Perjurio, in quo nomen DEI irreverenter assumitur. Circa secundum considerandum est de Sacrilegio, & Simonia.

§. I.

De Tentatione DEI.

D. Thom. 2. 2. q. 97.

TEntatio DEI, est vitium Religioni adversum, quo explorat aliquis, an DEUS sciat, velit, aut possit id, quod ei proponitur. Is quoquè interpretativè DEUM tentare dicitur, qui absquè necessitate periculo se exponit, cupiens experiri, an DEUS sit illum liberaturus.

Dicitur; *vitium Religioni adversum*· quia est contra reverentiam DEI, nam tentare aliquem, ad irreverentiam ejus spectat. Nullus enim præsumit tentare eum, de cujus excellentia certus est. Jam verò quod contrariatur reverentiæ DEI, adversatur Religioni, adeoquè & Tentatio DEI. Dicitur; *quo explorat* &c id est, experimentum facit dictis, v. g. orando, &c. vel factis, sinè ulla necessitate, vel utilitate, ex ignorantia, aut dubietate de DEI aliqua perfectione & virtute, v. g. Sapientia, Bonitate, Omnipotentia, quatenus eam probando cognoscat. Unde experimentum facere eorum, quæ ad Divinam perfectionem pertinent, non ut ipse cognoscat, sed ut aliis demonstret, hoc non est tentare DEUM, cùm subsit justa necessitas, seu pia utilitas, & alia, quæ ad hoc concurrere debent. Sic enim Apostoli petiverunt à Domino, ut in nomine JESU CHRISTI fierent

rent

rent signa, ut dicitur Act. 4. ad hoc scilicet, quòd virtus Christi infidelibus manifestaretur. Similiter propter aliquam necessitatem, vel utilitatem committere se Divino auxilio in suis petitionibus, vel factis, hoc non est tentare DEUM. Dicitur enim in 2. Paral. 20. Dum ignoramus, quod agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Te.

Contra Tentationem, vel Tentatorem DEI. Deut. prohibetur: *Non tentabis Dominum DEUM tuum, sicut tentâsti in loco tentationis*: nempe in Raphidim, ubi propter penuriam aquæ murmuravit populus Israel, eductus ex Ægypto. Hinc Moyses vocavit nomen loci illius *Tentatio, propter jurgium Filiorum Israel, & quia tentaverunt Dominum, dicentes: Estnè Dominus in nobis an non?* Hujus loci fit crebra mentio in Scriptura, ostendens, quantùm displicet DEO hæc sui tentatio. Unde *Christus Dominus* incitanti diabolo, ut se de pinnaculo templi mitteret deorsum, respondit; *Scriptum est: Non tentabis Dominum DEUM tuum.* *Deut. c. 6.* *Exod. c. 17.* *Matth. 4.*

§. II.
De Perjurio.

Perjurium, est vitium Religioni oppositum, quo aliquis jurat falsum in re, aut jurantis opinione, vel illicitum, vel indiscretè sinè judicio jurat. *V. D. Thom. 2. 2. q. 98.*

Stimuli ad vitandam jurandi consvetudinem, seu Perjurium. *Imus. Exod:* Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum. Non enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini DEI sui frustra. *Eccl:* Nominatio DEI non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis: quoniam non eris immunis ab eis. *Ibidem*: Multum jurans implebitur iniquitate, (*nempe blasphemiis, perjuriis, &c.*) & non discedet à domo illius plaga. *Et*: Si frustraverit fratrem, delictum illius super ipsum erit; & si dissimulaverit, delinquit dupliciter, & si in vacuum (*id est leviter, temerè*) juraverit, non justificabitur: Replebitur enim retributione domus illius.)) Hunc versum, tum alios præcedentes, explorans *Palacius*, ait: Tres malè jurandi modos affert. *Imus*, Fratrem fru- *Exod. 20.* *Eccl. c. 23.* *Ibidem.*

frustrando, & tunc si quis frater frustratus propterea deliquerit, hoc delictum gravat jurantem, ut qui ejus delicti causam dederit. Ergo, si frater frustratus nocuerit ei, qui fidem violavit, ejus criminis culpa in perjurium recidit. *2dus* modus est, dissimulando veritatem coram judice, & qui veritatem ita dissimulat, dupliciter delinquit: Nam delinquit contra DEUM, & contra judicem, cui simpliciter ad ejus mentem respondendum est, si modo juridico interroget. *3tius* modus est, jurando quidem verè, sed absquè necessitate, & utilitate, & tunc non evadet culpam: replebitur enim domus ejus retributione, ut sicut jurans caret reverentiâ erga DEUM, ita mala careant reverentiâ erga eum, sed irreverenter domum intrent, ut temerè DEUM ille jurabat.

Hom. 2. *2dus. Author imperfect. oper.* in Matthæum apud S. Chrysostomum inquit: Nisi juramentum (*crebrum & temerarium*) interdicatur, non possunt amputari perjuria. Ex juramento enim perjurium generatur: Nemo est enim, qui frequenter jurat, & non aliquando perjuret. Propter hoc admonet Salomon: *Non assvescas juramento os tuum, multus enim casus in illo.* Sicut enim, qui facit consvetudinem multa loqui, necesse est, ut etiam aliquando importuna loquatur: & qui facit consvetudinem, manu suâ frequenter percutere, necesse est, ut & aliquando injustè percutiat: sic qui facit consvetudinem jurare non in rebus idoneis frequenter, & in rebus superfluis etiam nolens consvetudine trahente perjurat. Nam omnium rerum consvetudinem, quando voluerimus quidem, tunc facimus, sed non quando volumus, tunc repellimus eam. *Et inferiùs*: Cesset ignis, & incendium non fit, subtrahe gladium, & homicidium non committitur: sic tolle juramentum, & perjurium non fit.

S. Isid. lib. 2. sent. & hab. 22. q. 5. quæcunquè. *S. Isidorus*: Quâcunquè arte verborum quis juret, DEUS tamen, qui conscientiæ testis est, ita accipit, sicut ille, qui jurat, intelligit. Dupliciter autem reus fit: quia & nomen DEI in vanum assumit, & proximum dolo capit. S. Aug. in decoll. S. Joann. Bapt. & hab. 22 q. 5. Ille qui. *S. Augustinus*: Ille qui hominem provocat ad jurationem, & scit eum falsum juraturum esse, vincit homicidam: quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imò duas animas, & ejus animam, quem jurare

rare provocavit, & suam. Scis verum esse, quod dicis, & falsum, quod ille dicit, & jurare compellis, ecce jurat, ecce pejerat: tu quid invenisti? imò & tu periisti, qui de ejus morte satiari voluisti. *Idem*: In novo Testamento dictum est, nè omnino juremus: quod mihi quidem propterea dictum esse videtur, non quia peccatum est jurare, sed quia pejerare immane peccatum est, à quo longè nos esse voluit, qui omnino, nè juremus, commonuit. *Corn. à lap*: Solet vindicta DEI maximè persequi perjuros, utpote læsi Numinis & nominis Divini reos. Hinc qui S. Antonium in testem invocando falsum jurant, solent ab eo sacro igne feriri. Olim in causa dubia res mittebant ad Oratorium S. Stephani, ut se juramento de crimine objecto purgarent: at si pejerabant, illicò cælitus castigabantur. Idem de Oratorio S. Martini scribit Gregor. Turon. lib. 8. Histor. c. 16. ubi inter alia narrat, incendiarium quendam incendium à se commissum negantem, & pejerantem in æde S. Martini, ultricibus è cælo flammis fuisse absumptum. Idem fiebat in Oratorio S. Procesi & Martiniani, de quibus ait S. Gregor. hom. 32. in Evang: Ad extincta eorum corpora viventes ægri veniunt, & sanantur: perjuri veniunt, & à dæmonio vexantur. Et in Oratorio S. Felicis Nolensis, ad cujus Ecclesiam S. August. uti ipse refert Epist. 137. ad Hippon. misit Bonifacium Presbyterum de crimine accusatum, ut se ibi per juramentum purgaret; & si reus esset, per solitam DEI vindictam se proderet.

Idem in Epist. ad Publicolam & hab. 2. 2. q. 1. in novo.

Corn. à lap. Comment. in Sapient.

3tius. Exempla profana. I. Clinias è Pythagorea secta, licèt per juramentum verum mulctam trium talentorum evadere potuisset, maluit tamen injuriam pati, quàm jurare. II. Saguntini, nè fidem & juramentum præstitum Romanis violarent, fame contabescentes, & nè etiam captivi in manus Hannibalis pervenirent, rogum ardentem ascendentes, se, mortuosquè suos combusserunt. III. Prisci adeò parcebant Diis suis, ut, nè per eos jurarent, sæpè dicerent: Per hanc rugosam pellem meam, per aridam hanc arborem, has fores testor, per hunc gladium, hoc sceptrum, aut telum juro. IV. Pericles amico roganti, ut pro ipso perjurium diceret, respondit, se quidem amicum esse, sed tantùm usquè ad aram.

S. Basil. in homil. de leg. lib. gent.

Livius lib. 12.

Suidas apud Drex. in Phaër. c. 30.

Plutarch. in apoph.

Igitur

Igitur cavendum non modò Perjurium, sed & pessima jurandi consvetudo. Imò juxta Christi monitum: *Nolite jurare omnino.* (Matth. 5.)

Vide quoquè ad Praxim applicanda convenienter suprà dicta. (1 2. tra. 1. c. 1. sect. 4 subs. 2. §. 2. & 3.)

§. III.

De Sacrilegio.

Sacrilegium, est vitium Religioni adversum, quo res sacra, seu DEO dicata, violatur per aliquam irreverentiam. Angelicus Doctor inquit: Sacrilegium committitur in re sacrata, quæ concupiscitur vel ad concubitum, & sic pertinet ad luxuriam. Vel quæ concupiscitur ad possidendum, & sic pertinet ad injustitiam. Potest etiam ad iram pertinere Sacrilegium, puta, si aliquis ex ira injuriam inferat personæ sacræ: vel si gulosè cibum sacrum assumat, Sacrilegium committit. Specialiùs tamen Sacrilegium attribuitur luxuriæ, quæ opponitur castitati, ad cujus observantiam aliquæ personæ specialiter consecrantur. (D. Thom. 2. 2. q. 99. Idem 2. 2. q. 154. a. 10. ad 3tium.)

Motiva cavendi Sacrilegium. *Balthazar*, Rex Babylonius, quia vasa templi Domini direpta, adhibuit suo convivio, ex eisquè cum suis potavit, in eadem hora scriptum est decretum DEI, de excindendo eo, & suo regno, adeoquè *eâdem nocte interfectus est Balthazar Rex Chaldæus. Et Darius Medus successit in regnum.*)) (Dan. c. 5.) *Heliodorus* è templo Domini volens asportare depositum aurum, & argentum, à duobus Angelis acerrimè est flagellatus, & ferè vitâ privatus. Oniæ autem Sacerdotis oratione vitâ donatus, reversus ad Regem dixit: *Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen evaserit, eo quòd in loco sit verè DEI quædam virtus.* (2. Machab. 3.) *S. Stephanus Papa* decrevit vestimenta Ecclesiæ, in quibus Domino ministratur, sacrata debere esse, & honesta, quibus in aliis usibus non debent frui, quàm Ecclesiasticis, & DEO dignis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi, nisi à sacratis hominibus, nè ultio, quæ Balthazar Regem percussit, super hoc transgredientes veniat, & corruere faciat eos ad ima. *S. Hieronymus Epist. 31:* Amico rapere quicquam, furtum est, Ecclesiam fraudare, Sacrilegium est. (S. Hieron. Epist. 31.)

Acce-

Accepisse aliquid pauperibus erogandum,& esurientibus, apertissimi sceleris est. Aliquid inde subtrahere, omnium prædonum cupiditatem superat. *S. Augustinus*: Non undecunque tollere, hoc est Sacrilegium committere, sed de Ecclesia qui aliquid furatur, Judæ proditori comparatur. *S. Eucherius* Aurelianensium Episcopus, qui in Monasterio S. Trudonis requiescit, in oratione positus, ad alterum est seculum raptus: & inter cætera, quæ Domino sibi ostendente conspexit, vidit Karlum, Regem, seu Tyrannum Franciæ in inferno inferiori torqueri. Cui interroganti ab Angelo ejus ductore responsum est, quia Sanctorum judicatione, qui in futuro judicio cum Domino judicabunt,quorumcunquè res abstulit, & divisit,ante illud judicium animâ & corpore sempiternis pœnis est deputatus; & recipit simul cum suis peccatis pœnas, propter peccata omnium, qui res suas & facultates in honore & amore Domini ad Sanctorum loca luminaribus Divini cultûs, & alimoniis Servorum Christi ac pauperum, pro animarum redemptione tradiderant. Qui in se reversus, S. Bonifacium, & Fulradum, Abbatem Monasterii S. Dionysii, & summum Capellanum Regis Pipini ad se vocavit; eisquè talia dicens, in signum dedit, ut ad sepulchrum illius irent, & si corpus ejus ibidem non reperissent, ea quæ dicebat, vera esse concrederent. Ipsi autem pergentes ad prædictum Monasterium, ubi corpus illius Karli humatum fuerat, sepulchrumquè illius aperientes, visus est subitò exiisse draco, & totum illud sepulchrum interiùs inventum est denigratum, acsi exustum &c. Quæ ideò hìc inseruimus, ut omnibus hæc legentibus nota fieret istius justa damnatio, per quem facta est harum rerum Ecclesiasticarum injusta ablatio.

S. Aug. in Joann & hab. 13. q. 4. canon. Quid ergo voluit §. non undec.

Joann. Bolland. in vita S. Rigoberti Archiep. Remen.

Adhibe hìc convenienter in Praxim suprà specificata, ut nimirum caveatur præfatum peccatum Sacrilegii.

1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

§. IV.

De Simonia.

Simonia, *est vitium Religioni contrarium; definiturquè, esse studiosa, seu deliberata voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali ali-*

quid spirituale, vel spirituali annexum. Dicitur; *vitium Religioni contrarium*: quia rebus sacris fit irreverentia, eas pretio temporali commensurando, cùm earum valor summè excedat quævis terrena. Dicitur; *emendi, vel vendendi*: ubi omnes contractus gratuiti v. g. locatio, permutatio, &c. subintelliguntur. Dicitur; *pretio temporali*: cujus nomine supponitur *1mò* pretium muneris, v. g. pecunia, vestis, animal aliquod, &c. *2dò* pretium lingvæ, v. g. laus, recommendatio apud Principem, patrocinium Advocati, &c. *3tiò* pretium obsequii, v. g. in famulitio, in œconomia, &c. Hæc enim omnia pretio sunt æstimabilia. Dicitur; *aliquid spirituale*: nempe, quod est aliquomodo Supernaturale, sive illud sit physicum, sive morale, sive per modum habitûs, sive per modum actûs: uti sunt Sacramenta, virtutes, gratiæ, consecrationes, &c. Dicitur; *vel Spirituali annexum*: nimirum id, quod aliquomodo respicit spirituale, sive antecedenter, prout est jus patronatûs antecedens præsentationem ad beneficia: sive consequenter, sicut beneficium Ecclesiasticum consequitur ad officium Divinum: sive concomitanter, prout labor concomitatur administrationem Sacramentorum.

Simonia alia est *Mentalis*, sita in intentione conferentis alicui aliquid spirituale, ut illum obliget ad reddendum temporale, vel è converso, idquè sinè ullo pacto exteriori. Alia est *Conventionalis*, quæ supra Mentalem, pactum adjicit externum sinè executione saltèm alterutrius partis. Alia denique est *Realis*, sita in pacto externo, ex utraque parte completo, saltèm inchoativè.

Incentiva detestandi vitium Simoniæ. *1mum. Christus jubet*: Gratis accepistis, gratis date. *In Actis Apostolorum* scribitur: Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manûs Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiant Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum DEI existimâsti pecuniâ possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram DEO. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga

Matth. 10. *Acta Apostol. c. 8. v. 18.*

DEUM, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, in felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. 2dum. S. Bernardus citatis hisce verbis, ait: O vox tonitrui! ô vox magnificentiæ & virtutis! ad cujus terrorem confundantur & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion. *Hugo ait*: Simonia, hæresis contagium, jam olim in Balaam pullulavit, qui Divinationis pretio proposito, ad maledicendum populum DEI perrexit; dehinc hujus duo leguntur authores emersisse: alter sub Prophetica, alter sub Apostolica doctrina. Primus Giezi Magister esse vendentium, deinde Simon videtur emptor. Horum autem Sectatores, sicut non sunt in errore diversi: ita nec in damnatione divisi. *S. Gregorius inquit*: Presbyter, si per pecuniam Ecclesiam obtinuerit, non solùm Ecclesiâ privetur, sed etiam Sacerdotii honore spolietur: quia Altare, & Decimas, & Spiritum Sanctum emere vel vendere Simonicam hæresim esse nullus fidelium ignorat. *Idem*: Quicunque sacros Ordines vendunt aut emunt, Sacerdotes esse non possunt. Unde scriptum est: *Anathema danti, Anathema accipienti*: hæc est Simoniaca hæresis. Quomodo ergo anathematizati sunt, & Sancti non sunt, sanctificare alios possunt, & cum Christi corpore non sint, quomodo Christi corpus tradere, vel accipere possunt? qui maledictus, benedicere quomodo potest? 3tium. *S Petrus Damianus* refert Simoniacum quendam, minùs curantem scelus suum, jussum pronunciare Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, non potuisse dicere & Spiritui Sancto, nisi tantùm Gloria Patri, & Filio, etiamsi secundò & tertiò repeteret, niteretur què dicere & Spiritui Sancto; *Unde subdit Damianus*: meritò Spiritum Sanctum dum emit, amisit, ut quem excluserat ab anima, procul etiam consequenter esset à lingva. *Marchantius* scribit, quendam tacito nomine retulisse; dæmoni olim duas fuisse filias nobiles, & in matrimonium elocandas, & prostituendas; unamquè earum Ecclesiasticis, alteram Mercatoribus consignare peroptabat. Sed turpes erant facie, turpes nomine, ideo deserebantur. Una quidem *Simonia*, altera vocabatur *Usura*. Id advertens ille, faciem colore aliquo immutavit eis, immutavit & nomen, uni nomen dedit *Pensionis*, alteri nomen dedit *Interesse*, sive

S. Bern. Epist. 237.

Hugo le. 2 de sacra par. 10.

S. Greg. in Regestro hab. 1. q. 1. Can. presbyter.

Idem Can. Quicunquè.

S. Petrus Damianus Epist. 5. c. 7.

Marchantius Hort. Past. Tubæ Pastor. tra. 2. lect. 8.

ſive Damni emergentis. Sicquè ſub nomine iſto & colore multos procos ſortitæ ſunt, multis placuerunt, qui ſub nomine Uſuræ aut Simoniæ priùs diſplicebant. Certè ſicut exploratum eſt, ſub titulo lucri ceſſantis, vel damni emergentis, multos fovere Uſuram; ita etiam nemo ignorat, ſub nomine Penſionis multas corruptelas, & illicitas pactiones paſsim irrepere, non ſinè Simonia))

Igitur ſi te Simonis Magi Sacrilegi Sectatorem eſſe animadverteris, nè ipſi quoquè ſis comes futurus in cruciatibus æternis, conſule Morales Theologos, quomodo tuæ ruinæ mederi posſis, & in foro conſcientiæ, & in foro fori ſatisfacere.

SUBSECTIO IV.

De Virtute Pietatis.

D. Thom. 2. 2. q. 101. PIetas, *eſt virtus ſpecialis, quâ DEO, Parentibus, Patriæ, debitum cultum & obſequium deferimus.* Dicitur: *ſpecialis virtus;* quia ubi invenitur ſpecialis ratio debiti alicui perſonæ, ibi eſt ſpecialis virtus. Debetur autem aliquid alicui ſpecialiter ab aliquo, quia ejus eſt connaturale principium, producens in eſſe & gubernans. Tale autem principium ſunt Parentes, DEUS, Patria. Unde pietas, hæc reſpiciens, eſt virtus ſpecialis. Dicitur: *quâ DEO, Parentibus, Patriæ;* ubi ſub nomine Parentum intelliguntur Conſangvinei, quia ab iisdem parentibus originem ducunt; Nomine verò Patriæ, Concives, & Conterranei, ac benevoli Amici Patriæ, ſupponuntur. Dicitur: *cultum & obſequium deferimus;* id eſt, honorem, reverentiam, obedientiam, & in caſu neceſsitatis victum, amictum, medicinam, & ſimilia vitæ neceſſaria, ex pietatis officio ſubminiſtramus.

1. Timot. 4. *Motiva* colendæ pietatis. 1mum. *Apoſtolus* monet: Exerce teipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt: pietas autem ad omnia utilis eſt, promisſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.
1. Timot 6. *Ibidem*: Eſt autem quæſtus magnus, Pietas cum ſufficientia.
Ibidem. *Ibidem*: Tu autem ô homo

ô homo DEI! hæc fuge: ſectare verò juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſvetudinem. *Tit:* Apparuit *Tit. 2.*
enim gratia DEI Salvatoris noſtri omnibus hominibus: erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo. *2dum. S. Ambroſius:* Pietas amica eſt parentibus, grata DEO, Dominum conciliat, *S. Ambroſ. in*
neceſſitudines fovet: DEI cultura, merces parentum, filiorum *Pſalm. 118.*
ſtipendium: pietas, inquam, juſtorum tribunal, egenorum portus, miſerorum ſuffragium, indulgentia peccatorum. *3tium ab Exemplis. S. Petrus Chryſ:* Penes DEUM nec pietas ſinè juſtitia *S. Petrus*
eſt, neque ſinè pietate juſtitia, nec ſinè pietate cœleſti ſenſus; *Chryſ. ſerm.*
ſinè bonitate æquitas, ſinè æquitate bonitas non habetur. Vir- *145. de gener.*
tutes ſi ſeparatæ ſunt, dilabuntur. Æquitas ſinè bonitate ſævitia eſt, & juſtitia ſinè pietate crudelitas eſt. *Mellifluus Doctor* inquit: Sunt viri divitiarum in domo Domini Virtutum, inveſti- *S. Bern. in*
gemus an apud eos hujuſmodi habeantur ungventa. Primus *feſto B. M. Ma-*
occurrit mihi Paulus (ſicut ubiquè ſolet) totus præſenti deli- *gdal.*
butus ungvento. *Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor?* *2. Cor. 11.*
Felix anima facta ſibi tanquam vas perditum, ut omnium miſerias in ſua continentia colligaret, totum ſe toti corpori Chriſti donaverat: Omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret. Sed & ille *ſimplex & rectus, & timens DEUM,* vide quomodo ſecundùm non hominem, imò verò ſecundùm hominem, & quod verius eſt, ſupra hominem ambulabat. *Oculus,* inquit, *fui* *Job. 29.*
cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, &c. Qui ſic eum hoc ungvento perunxerat, ut de miſericordiæ thalamo largiùs irroratus exiret. *Samuelem* recolo, qui non ſemel, ſed omnibus *1. Reg. 15.*
diebus vitæ ſuæ lugebat ſuper Saul, cùm ſciret, illum longiùs ab oculis Divinitatis elongatum, non ceſſabat tamen compaſſio, quæ condolentis animum irrepſerat, fundens lachrymas, etſi non profuturas, puras tamen. *David* parricidam filium conti- *2. Reg. 13.*
nuâ deploratione deplorabat, plorans in eo non carnis neceſſitudinem, ſed fidei deſtructionem. Cerne, quomodo *Joſeph* *Gen. 45.*
totus hoc melle illitus erat. Veniunt fratres non jam ad fratrem, ſed ante Dominum aſſiſtentes, conſcii proditionis, homicidii rei, fratricidii ſucceſſores. Videt eos Joſeph, & omnium

injuriarum immemor dulcissimis fletibus inundatur, & pietatis adeps, qui intus latitat, foràs per oculos emanat. Fugit odium, nescit iram, tempus iracundiæ non reservat, reddens bonum pro malo, pro crudelitate dulcedinem. Penè quin oblitus sim Moysen, adeò sacri liquoris hujus rore perfusum, ut totus ex eo superfundatur, & profluat. Peccat Israel, & Moyses peccantem reconciliare nititur Creatori, sed dissimulat Dominus exaudire rogantem. Promittit plurima Moysi Creator omnium, & ulciscendi licentiam quærit à Moyse, qui Moysen fecit. *Dimitte me*, (inquit) *ut irascatur furor meus contra eos, & faciam te in gentem magnam.* Respondit Moyses: *Si dimittis, dimitte: Alioquin dele me de libro, quem scripsisti.* Obstupescenda profectò dulcedo, & principatum respuit gentis alienæ, & de libro viventium deleri desiderat, nisi peccantibus dimittatur offensa.))

Exod. 32.

Ad Praxim colendæ Pietatis serviunt suprà dicta, hìc convenienter assumenda.

l. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2.

§. I.

De Pietate, & Officiis mutuis Parentum, ac Liberorum.

DE *Pietate, & Officiis Liberorum in Parentes*, DEI *præceptum*: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram Quod explicans *Cornelius à lap.* ait: Honora *imò* amando; *2dò* reverentiam internam & externam exhibendo; *3tiò* obediendo; *4tò* juvando, & subveniendo. Hæc enim quatuor complectitur honor, hæcquè enim parentibus sunt debita. Unde Scriptura sub honore etiam munera donaquè accipit, ut patet 1. Timoth. 5. 3. & 17. atquè de iis etiam hoc præceptum intelligit Christus Matth. 15. 6. ut ibi notat S. Hieron: Unde idem inquit: Ut sis longævus, vel longo vivas tempore, in terra scilicet, non morientium, sed viventium, id est, in cælo. Unde Ephes. 6. v. 2. primum hoc mandatum dicitur in promissione; æquum enim est, ut filii, qui grati sunt parentibus de vita accepta, longam ejus conservationem mereantur, uti dixi Ephes. 6. v. 3. Vide & *S. Thom. in opusc.* 7. ubi inter alia ait: Post DE-

Exod. c. 20.
Corn. à lap. in Deuter. c. 5.

UM

UM juberi ſtatim coli parentes ob ſimilitudinem, quam habent cum DEO. Nam *1mò* dant filiis ſtabilimentum quoad eſſe. Eccl. 7. Gemitûs matris tuæ non oblivilcaris, memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes. *2dò* dant filiis nutrimentum. *3tiò* documentum, maximè ut timeant Dominum, & abſtineant ab omni peccato: illi filios ad Sacramenta, ad fidem, ad Religionem, ad mores Chriſtianos erudiunt, & deducunt. Exemplum illuſtre eſt in Tobia. *Addit D. Thomas:* Filios à parentibus vitam accipere, ſicut milites à Rege accipiunt feudum, ut ſi ei ſunt fideles, ejus conſervationem, ſin infideles ejus privationem mereantur.)) *Eccleſ.* ait: Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi Dominis ſervies his, qui te genuerunt. *Item:* Qui honorat Patrem ſuum, dimittentur delicta ejus, & reponit theſauros, qui honorat Matrem ſuam. *Eccl:* In opere & ſermone, & omni patientia, honora Patrem tuum, ut ſuperveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in noviſſimo maneat. *Ibidem:* Fili ſuſcipe ſenectam Patris tui, & non contriſtes eum in vita illius &c. Et ſi defecerit ſenſu, veniam da, & nè ſpernas eum in virtute tua: Eleemoſyna enim Patris non erit in oblivione. Nam pro peccato Matris reſtituetur tibi bonum. Et in juſtitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui: Et ſicut in ſereno glacies, ſolventur peccata tua. Quàm malæ famæ eſt, qui derelinquit patrem! & maledictus eſt â Deo, qui exaſperat Matrem. *Tobias exhortatur:* Honorem habebis Matri tuæ, memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit pro te in utero ſuo. *Et Apoſtolus:* Filii obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum. Honora Patrem tuum & Matrem tuam: (quod mandatum primum in promiſſione) ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram.)) *Et hæc officia ſunt filiorum in parentes.*

Eccleſ. c. 3.

Syrus in Eccleſiaſt. c. 3. 14. 4. & 5.

Eccl. c. 3.

Ibidem.

Epheſ. c. 6.

Jam vero Parentes filiis congruam educationem corporalem, tum maximè eruditionem ſpiritualem in fide, cæteriſquè virtutibus, in doctrina, vel ſuo ſtatui convenientibus artibus & ſcientiis, provisionem bonorum in futurum præſtare debent. Hinc pro educatione morali, pia vel impia dicitur *Prov:*

Ado-

Prov. 22. Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea. *Unde S. Hieronymus :* Difficulter eraditur, quod rudes anni perbiberunt: lanarum conchylia quis in priſtinum candorem revocet? recens teſta diu & ſaporem retinet & odorem, quo primùm imbuta eſt.)) Alludit ad illud Horatian. 1. epiſt. ad Lollium.

S. Hieron. epis. 7. ad Lætam de instit. filiæ

Quo ſemal eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu.

Prov. 23. *Prov.* Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur: tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis. *Supra quod Corn. à lap. inquit :* Docet ergo hic Salomon parentes, qui nimis indulgenter amant, tractantquè filios, nec peccantes caſtigant, exponere eos periculo inferni; ac proinde pro virga dare eis gehennam, quæ ſanè ingens eſt imprudentia, imò maleficium & odium filiorum. Si ergo, ô Pater, amas filium, da ei virgam diſciplinæ, ſi non vis ei dare ignem gehennæ, alterutrum enim ei des oportet, virgam vel gehennam, elige. Quocirca prædeſtinatio, electio, ſalus, & beatitudo filiorum pendet ab educatione, ſevera caſtigatione, & virga parentum. Vice versâ licentior educatio ac omiſſio caſtigationis & virgæ parentum, eſt cauſa reprobationis & damnationis filiorum: ex illa enim ruunt in ſcelera, ob quæ reprobantur & damnantur. Nota eſt hiſtoria pueri quinquennis, qui ob blaſphemias ſuas è ſinu patris à dæmonibus acceptus ad tartara, quam recenſet S. Gregorius 4. Dialog. c. 18. Quot putatis in inferno ſunt filii, qui maledicunt parentibus, & maledicent, diraquè omnes imprecabuntur in æternum, quòd ob omiſſam caſtigationem ſibi fuerint cauſa damnationis æternæ? Nec ſinè cauſa, fuerunt enim eis parentes non vitæ ſed mortis, non cæli ſed inferni, non felicitatis ſed gehennæ in æternum. Mores enim quos puer induit, retinet in ſenium uſque ad mortem.)) Hinc de improbè educato dicitur: *Job.* Oſſa ejus implebuntur vitiis adoleſcentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient. *Apoſtolus* exhortatur: Et vos Patres, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini. *Plato* ſeverioris educationis rationem dat inquiens:

Comm. in Prov. cit. Cap.

Job. 20.

Apoſt. ad Ephes. c. 8.

Plato lib 7. de leg.

quiens: Primâ luce pueri in ludum literarium proficiſcantur. Quoniam verò nec pecudes, nequè ullum aliud animal, ſinè cuſtode vivere debet, neque pueri etiam ſinè pædagogis, neque ſinè Dominis ſervi. Puer autem omnibus beſtiis intractabilior eſt: cùm enim Sapientiæ fontem nondum abſolutè compoſitum habeat, inſidioſiſſimum eſt, acerrimum, petulantisſimum omnium brutorum animalium, idcirco multis quaſi fræmis conſtringendus eſt puer, & cùm primùm à matribus nutricibus ſejungitur, pædagogis continuò tradendus eſt, qui ejus laſciviam regant, atquè doment: deinde Præceptoribus commendandus eſt, ad eas diſciplinas diſcendas, quæ liberum hominem decent.)) Quidam adoleſcens malè educatus, ductus ad ſupplicium, exclamavit: *Non prætor, ſed mater mea, me ducit ad furcam.*

In Praxi educationis liberorum, vel tibi commiſſæ juventutis, hæc obſervanda ex *Biblio. manual.* P. *Lohner. tit. Educatio.*

I. *Gratiæ Divinæ imploratio*: ut enim, licèt agricola aret & ſeminet agrum, nihil tamen efficiet, niſi Solis influxus accedat; ita niſi DEUS per gratiæ ſuæ radios cooperetur, omnis inſtitutio fruſtranea erit.

II. *Recta inſtituendi diſpoſitio*; quæ juxta *Boëtium* in tribus conſiſtit, in attentione, benevolentia, & docilitate, ut ſcilicet ſit docilis ingenio, attentus exercitio, benevolus animo. Hinc & illi, qui equos inſtruere volunt, ante omnia rectè fræno parere docent. *Boët. de Schol. diſcipl.*

III. *Inſtituentis diſcreta directio*: nam ut ſapienter advertit S. Gregorius, miſcenda eſt lenitas cum ſeveritate, & faciendum ex utraquè quoddam temperamentum, ut nec multâ aſperitate exulcerentur Subditi, nec nimiâ lenitate ſolvantur. Hinc olim in arca cum tabulis legem comprehendentibus manna & virga ſimul poſita fuerant. *S. Gregor. lib. 20. Moral.*

IV. *Vigilans cuſtodia in removendis impedimentis*: ut enim Agricolæ vallos apponunt arbuſculis, quò ſecuriùs creſcant; ita qui alios inſtituit, ſua cuſtodia & vigilantia eos vallare debet. *Plutarch. in Moral.*

V. *Quatuor* præcipuè præcepta obſervare debet Aſceta,

 qui

qui vel alios instruere ipsemet, vel rectum instituendi modum docere cupit. *Primum* est, ut à moribus institutionem incipiat, uti jam olim monuit Seneca, dicens: Mores primùm, mox Sapientiam disce, quæ sinè moribus malè discitur. *Alterum est*, ut diligenter attendat, quæ maximè utilia sint futura illi, quem instituendum suscepit: ut enim nec terræ semina quæcunquè injicimus, sed quorum capacem novimus; ita ipsa quoquè institutio capacitati, & fini instituendi accommodanda est. *Tertium est*, ut ex pluribus doctrinis optimæ quæquè seligantur, & præ reliquis inculcentur; uti jam olim sapienter monuit Plutarchus, dicens: Ut plures Urbes præternavigâsse pulchrum est, sed expedit unam incolere optimam; ita quàmplurima sunt cognoscenda, sequenda retinendaquè optima. *Quartum est*, ut non mox cesset à cultura, si fructum non sequi advertat, sed potiùs Agricolarum exemplum ob oculos habeat, de quibus S. Jacobus dixit: Ecce Agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum.

Senec. Epist. 76. — *Plutarch. in Moral.* — *Jacob. 5. v. 7.*

§. II.

De mutua Pietate, & Officiis Conjugatorum.

PRimum officium, est reciprocum adjutorium, & solatium: quia in hunc finem DEUS creavit Evam, dicens *Gen:* Non est bonum hominem solum esse, faciamus ei (Adamo) adjutorium simile sibi.)) Idquè ad mortem seipsos non derelinquere, sed fideliter juvare debent vi sponsionis, & contractûs Matrimonialis. *2dum*, fidelitas, maximè in servanda fide conjugalis castimoniæ. Unde *Apostolus:* Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros judicabit DEUS. *3tium.* Conveniens usus Matrimonii. Hinc *Apostolus:* Bonum est homini, mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unusquisquè suam uxorem habeat, & unaquæquè suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi fortè

Gen. c. 2. — *Heb. 13.* — *1. Cor. 7. v. 1.*

fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, nè tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.)) De abusu Matrimonii quoad copulam vide sub Vitio contra naturam, quo multi conjugati æternùm pereunt falsè opinatâ decepti licentiâ. *4tum.* Mulier viro debet subjectionem, & obedientiam, juxta mandatum DEI, dicentis: *Gen:* Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.)) Viri simpliciter, *monente Apostolo*, cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri, impartientes honorem, tanquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes vestræ.

De Oppositis Castitatis 1. 2. *tra*.2. *c*.8. *sect.* 2. *subs*.17. §. 1. & 4.

1. *Petri* 4. *v*.7.

SUBSECTIO V.

De Oppositis Pietatis.

§. I.

PRimum est *Pseudopietas*, quâ aliquis ex propensione affectus erga suos transgreditur præcepta vel consilia DEI. Hæc potissimùm viget inter parentes & liberos, dum v.g. illi istos à strictiori servitio DEI, mundi contemptu, Statu Religionis ad amorem seculi trahunt: Unde *S. Hieronymus*: Volens discipulus reverti domum, & suis omnia renunciare, magistri voce prohibetur, sepultura patri non datur, & pietatis genus est, impium esse pro Domino. *Idem*: Clades in suos, pietas in DEUM est. Nemo pietatem debet anteferre Religioni. Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.)) Deinde eâdem Pseudopietate allecti parentes, insolentiam & libertatem licentiosè vivendi suorum liberorum dissimulant: quos postea experiuntur inobedientes, sui contemptores, percussores, criminosos, infames, cum sui ineffabili dolore, & acceleratione mortis. Et meritò: ut S. Bernardus inquit: *Quales fovent, tales sustinent*: justo DEI judicio indiscreta pietas parentum meretur impietatem liberorum.

S. Hieron. in Epist. ad Maron.

Idem in Epist. ad Paulum.

Denique *Pseudopietas* parentum est in congregandis per fas & nefas opibus, divitiis pro suis liberis. Sed proh dolor! plerumque ejusmodi bonis tertius non gaudet heres. Ut taceam mille eis posita discrimina insidiantia: ipsis heredes taliter conquisitis bonis abutuntur ad DEI offensam, suum exitium, familiæ infamiam, ad extremum in egestate contempti, maledicti in hoc & futuro seculo moriuntur.

§. II.
De Pseudopietate Ecclesiasticorum in suos Propinquos:

Contra hanc impiam pietatem ex piissimo *Marchantio* accipe: Deducitur, inquit ille, manifestè ex mente SS. Patrum, bona Ecclesiastica in Consangvineos haud licitè profundi, ut illis ditentur. Quod expressit Concilium Tridentinum, hortans & monens Ecclesiasticos: *Ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosquè carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia Seminarium extat, penitus deponant.* Illis tamen, si pauperes sint, ex charitate ut pauperibus subvenire, laudabile est, ut decernit etiam Concilium: *Nam & illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas*, ut dicit Ambros. 1. de Offic. c. 30. Verùm multis viscus est, & laqueus hic cognatorum affectus, à quo se vinci patiuntur, & in salutis periculum pertrahi, dum illi nimis indulgent, & ex bonis Ecclesiæ suorum statum augent, stimulante cupiditate. Propterea monebat S. Basilius in Constit: *Scientes itaque intolerabile detrimentum hujus erga cognatos affectus, fugiamus illorum curam, tanquam diaboli ad nos impugnandum armaturam.* DEUS nempe voluit, Sacerdotes cælibes esse, & illiberes, ut à terrenis curis ad cælestia animum traducerent: Verùm satan affectu Cognatorum, Fratrum, Nepotum, eos ita obligat, ut non minùs terrenis curis implicet propter ipsos, quàm si proprios Liberos nacti essent, quibus providere deberent, aut in illis familiam perpetuare, instar hominum hujus seculi. Et hæ sunt insidiæ satanæ, quibus etiam bonos illaqueat, ut verum esse illud agnoscamus:

March. in Hort. Past. virg. Aaron. ira: 4.

Trid. Sess. 25. c. 1.

S. Basil. in Constit. c. 23.

Cùm Factor rerum, privaret semine Clerum;
Ad satanæ votum, successit turba nepotum.

His oportet statum aliquem solicitè procurare, vel beneficia conquirere, aut resignare præmaturè, & providere, ut in familia permaneant, sicquè oportet hereditate possidere Sanctuarium DEI, & ædificare Sion ex sangvinibus. Et cùm nemo carnem suam odio habeat, sed nutriat, & foveat eam, cùm Nepotes, & Fratres, os nostrum sint, & caro nostra, plus æquò illis indulgetur, in nostrum, eorumquè damnum. Exemplum ea de re habemus in S. Udalrico Augustano Episcopo, qui Episcopatum resignans in Adalberonem nepotem, licèt sapientiâ & virtute conspicuum, moriturus tamen ad DEI judicium raptus est, & per visum didicit, se ob eam causam purgatorii pœnas subiturum: Unde ad se rediens dicebat: *Heu! heu! quòd meum Nepotem Adalberonem unquam vidi; quia pro eo, quòd ei secundùm desiderium suum consentiebam, nolunt Cælites me impunitum in suum recipere consortium.* Udalricus ergo post mortem per purgatorium transiit, & Adalbero anno sequenti repentinâ morte extinctus est. Sic verum esse patet, de aliquibus scribit S. Gregorius, quòd seculum & secularia deserere videantur: *sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati, dum amori propinquitatis indiscretè deserviunt, ad ea sæpè per affectum cognationis redeunt; cùmquè plus quàm necesse est carnis propinquos diligunt, retracti exteriùs, à cordis parente dividuntur. Quò itaque isti, nisi in rete ambulant, quos à præsenti seculo inchoata jam vitæ perfectio solverat, sed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat?* Verùm contra horum propinquorum, sive Fratrum, sive Sororum, sive & Nepotum importunitatem, aut aliorum vel Parentum affectum nimium, eos qui pietatem sectantur, armans Climacus, sic ait: *Meliùs est contristare parentes, quàm Dominum JESUM: hic enim nos creavit, & salvavit, illi sæpè suos amando perdiderunt. Amor DEI ipsiusquè sanctum desiderium extingvit in anima carnalem parentum amorem: qui autem utrosque in uno corde claudi posse putat, is seipsum decipit. Nè te moveant tuorum lachrymæ, nè tu tibi ipsi æternas lachrymas parias.*

De S. Udalrico Ep. Aug. v. ite Marchant. hìc tract. 2. lect. 2.

S. Greg. lib. 7. Moral. c. 14.

S. Joann. Climacus gradu 3.

Neque verò desunt exempla eorum, qui se hac in re fortiter gesserunt, propinquorum importunitatem, preces, la-

chrymas despicientes, nè in Ecclesiæ aut pauperum præjudicium eos bonis Ecclesiasticis adaugerent.

Laurentius Justinianus, Patriarcha Venetus, urgebatur à consangvineo quodam suo non ita paupere, ut pecuniâ eum juvaret in filiæ dotem: ipse verò non minùs piè quàm sapienter respondit: *Considera frater, quæso, si parum dedero, non est quo opus habes: si multum, defraudavero multos, ut uni satisfaciam: & præterea quidquid illud est; quod est ad cibos potiùs pauperum, quàm ad intortos crines, aut margaritas ab Ecclesia traditum est.*

Austerus fuit planè hac in re, ut Præsulibus speculum exhiberet Clemens IV. ante Sacerdotium conjugatus, & Bononiæ Juris Doctor. Cùm is Anno 1285. evectus foret ad Pontificatum, accesserunt duæ ejus filiæ ex matrimonio susceptæ, sperantes ab illo dotem juxta Pontificiam dignitatem. Respondit ipse, Papam non habere filias, ideoquè debere eis sufficere patrimonium eis relictum, nec licere, quod suum non esset, propinquis dare. Trecentas ergò libras Turonenses solùm contribuit unicuique earum, vel ad Matrimonium, vel ad Religionem. Quapropter post obitum ejus repertum est hoc Breve in Cœnobio Dominicanorum Barchinonensi, ad Nepotem suum Petrum Grossum. Multis de nostra promotione gaudentibus, nos soli sumus, qui certiùs immensitatem oneris experimur. Et idcirco quod aliis gaudium, nobis fletum subministrat, & metum. Sanè ut scias, qualiter his auditis debeas te habere, scire te volumus, quòd humilior solitò debes esse. Neque enim, quod nos vehementer humiliat, debet nostros extollere, maximè cùm honor hujus seculi momentaneus sit, & sicut ros transeat matutinus. Neque vos, neque fratrem vestrum, vel ex aliis nostris aliquem venire volumus, sinè nostro speciali mandato, quia spe suâ frustratus, si secùs venire præsumeret, oporteret, ut rediret confusus. Sed nec in sororis tuæ nuptiis gradum quæras propter nos altiorem, nec enim nos haberes propitios, nec in aliquo adjutores. Si tamen eam filio militis simplicis desponsaveris, in Tercentum libris Turonensibus tibi proponimus subvenire. Et si altiora quæsieris, nè denarium speres unum. Et hoc ipsum secretissimum

ſimum eſſe volumus, ac tibi, & Matri ſolummodò notum eſ- „
ſe. Illud etiam ſcias, quòd nullum, nullamquè de ſangvi- „
ne noſtro ſub noſtræ ſublimationis obtentu inflari volumus. „
Hæc Pontifex. Interim nepoti cuidam ſuo, cùm nihil unquam dediſſet, Galliæ Antiſtites in gratiam Pontificis tres contulerunt Canonicatus, verùm ipſe compulit eum, ut ex tribus illis unum, quod mallet, retineret, reliqua reſignaret, nec voluit eum ulteriori dignitate cohoneſtare, licèt à multis pro eo preces fierent. Quibus reſpondit ipſe: *Ego DEO, non autem carni & ſangvini acquieſcam. DEUS ita vult, ut ſua in pias cauſas erogentur: dignus Petri ſucceſſor non eſt, qui plus cognationi, quàm pietati & Chriſto defert.*

Simili modo ſe geſsêre erga propinquos Cæleſtinus V. Urbanus VII. Benedictus XI. & XII. Nicol. IV. Marcellus Pont. & Adrianus VI. Noluerunt hi ædificare Sion ex ſangvinibus, noluerunt propinquos, vel ad opes, vel ad dignitates provehere, ſcientes has deferendas non ſangvini, ſed vitæ: Suo etiam exemplo docentes, Sacerdotes, ac Præſules debere eſſe inſtar Melchiſedech, quaſi ſinè Patre, ſinè Matre, ſinè Genealogia. Introducitur enim talis ab Apoſtolo, ut indicetur, Sacerdotes debere parentum obliviſci, quaſi cæleſtes forent, ac de cælo lapſi, ut viſcoſo cognationis glutino expediti, cæleſtia poſſint cogitare, & in Eccleſiæ communem utilitatem, curam ſuam omnem impendere, illiquè prodeſſe.

S. Cyprianus à conjugio aſſumptus ad Epiſcopatum Carthaginenſem, uxorem & liberos non ditavit, aut evexit: ſed bona ſua in pauperes erogavit, curamquè uxoris & filiorum planè à ſe abdicavit, eamquè Cæcilio Presbytero commiſit, relinquens eis dotem, quæ tantùm ad neceſſaria vitæ ſufficeret. Ita habet Pontius Diaconus in ejus vita.

S. Richardus Epiſcopus Ciceſtrenſis conſangvineos nolebat ullâ ratione ad beneficia promovere, dicens: Paſtorum Principem, Dominum JESUM CHRISTUM, non B. Joanni Evangeliſtæ conſangvineo, ſed B. Petro, ſangvine minimè conjuncto, claves Regni cælorum tradidiſſe. Chriſtus Dominus cognatis ſuis, Jacobo & Joanni, non opes & divitias, vel primatus

De S. Richardo Epiſc. Surius 3. April.

matus promisit, licèt Mater urgeret; sed solùm calicem Passionis suæ proposuit, & propinavit. *Hactenus Marchantius.*

Igitur *in Praxi* cavendi Pseudopietatem, & exercendi Pietatem in propinquos: Observa. Vel propinqui tui sunt divites; & ita ex patrimonio Crucifixi eos facere ditiores prorsus infandum scelus est, nec talibus quidquam dandum. Vel sunt mediocres; sed nec talibus succurrendum, nam eo ipso supra mediocritatem suam excrescerent, & fierent ditiores: quod omnino Canonibus prohibetur. Vel sunt pauperes; & talibus subveniendum, sed quomodo subvenires alteri pauperi, qui non esset tuus propinquus. Verùm hìc occultissimum diaboli laqueum cave, nè speciosas rationes paupertatis in tuis propinquis & familiaribus prætendas. Nam citiùs amor tuorum facilè ejusmodi excusationes, & ratiunculas reperiet. Sed DEUS videt hæc, & judicabit omnia in veritate, & justitia.

Conc. Trid. Sess. 25. c. 1. de Reform.

Audi Concil. Trident: *Interdicit S. Synodus Episcopis, nè ex reditibus Ecclesiæ consangvineos, familiaresquè suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, nè res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, consangvineis donent: sed si pauperes sint, eis ut pauperibus distribuant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscunque Ecclesiastica beneficia, tam secularia, quàm regularia, obtinentibus pro gradu suæ conditionis observari, sed etiam ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit.*

Ejusinodi certè viâ posse præcaveri syrtes & charybdes, quibus plures dispensatores bonorum Christi, tam Ecclesiastici, quàm Religiosi, in infernum absorbentur. Præterquam quòd & illorum propinqui penes Ecclesiastica bona, & sua propria perdunt, & vel ipsi, vel ipsorum successores, miserrimè depauperantur, sinè benedictione DEI in præsenti sunt, utinam non in æternam maledictionem transeant! Ejusmodi homines non paucos nostra vidit ætas.

§. III.

Sap. 14.

SEcundum Oppositum Pietatis, est *Impietas.* Contra quam *Sap:* Odio sunt DEO impius, & impietas ejus. *Item:* Non est

pax

pax impiis, dicit Dominus Omnipotens. *Job*: In diem perditionis reservatur impius, & ad diem furoris ducetur. *Prov*: Anni impiorum breviabuntur. *Apostolus inquit*: Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.

Job. 12. *Prov.* 10. 1. *Tim.* 5.

In Praxi contra Opposita Pietatis exerceas te juxta suprà datam methodum servatâ congruentiâ. 1 2. *tra.* 1. *c.* 1. *sect.* 4 *subs.* 2. §. 2. & 3.

SUBSECTIO VI.

De Observantia.

OBservantia, *est quædam virtus specialis, sub pietate contenta, per quam personis in dignitate constitutis, cultum & honorem exhibemus.* Dicitur; *sub pietate contenta*: Quia sicut carnalis Pater particulariter participat rationem principii, quæ universaliter invenitur in DEO: ita etiam persona, quæ quantùm ad aliquid providentiam circa nos gerit, particulariter participat proprietatem Patris: quia Pater est principium & generationis, & educationis, & disciplinæ, & omnium quæ ad perfectionem humanæ vitæ pertinent. Persona autem in dignitate constituta, est sicut principium gubernationis respectu aliquarum rerum, sicut Princeps civitatis in rebus civilibus, Dux autem exercitûs in rebus bellicis, Magister autem in disciplinis, & simile est in aliis. Et inde est, quòd omnes tales personæ Patres appellantur, propter similitudinem curæ: sicut 4. Reg. 5. Servi Naaman dixerunt ad eum: Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, &c. Et ideo sicut sub Religione, per quam cultus tribuitur DEO, quodammodo invenitur pietas, per quam coluntur parentes, ita sub pietate invenitur observantia, per quam cultus & honor exhibetur pèrsonis in dignitate constitutis.)) Dicitur: *per quam personis* &c. Quibus personis dupliciter aliquid exhibetur: Uno modo in ordine ad bonum commune, puta cùm aliquis servit in administratione Reipublicæ, & hoc jam non pertinet ad observantiam, sed ad pietatem, quæ cultum exhibet non solùm patri, sed etiam patriæ. Alio modo

D. Thom. 2. 2. *q.* 102. *Ibid. a.* 1. *Ibid. a.* 3.

exhibetur personis in dignitate constitutis, pertinens specialiter ad personalem eorum utilitatem, vel gloriam, & hoc propriè pertinet ad observantiam, secundùm quod distingvitur â pietate.)) Ratio autem, cur observantia dignitariis exhibenda est. Quia ad eos, qui sunt in dignitate constituti, pertinet gubernare subditos. Gubernare autem est movere aliquos in debitum finem: sicut nauta gubernat navem, ducendo eam ad portum. Omne autem movens habet excellentiam quandam, & virtutem supra id, quod movetur. Unde oportet, quòd in eo, qui est in dignitate constitutus, Imò consideretur excellentia status cum quadam potestate in subditos. 2dò ipsum gubernationis officium. Ratione igitur excellentiæ debetur ei honor, qui est quædam recognitio excellentiæ alicujus. Ratione autem officii gubernationis debetur ei cultus, qui in quodam obsequio consistit: dum scilicet aliquis eorum obedit imperio, & vicem beneficiis eorum pro suo modo rependit.)) Ratione verò, quam habent ad coërcendum, debetur eis timor: Tum tributa, quæ sunt quædam stipendia laboris eorum. Cæterùm, ex quo duplex est debitum, unum quidem legale, ad quod reddendum, homo lege compellitur. Et sic debet homo honorem & cultum his, qui sunt in dignitate constituti, prælationem super ipsum habentes. Aliud autem est debitum morale, quod ex quadam honestate debetur. Et hoc modo debemus cultum & honorem his, qui sunt in dignitate constituti, etiamsi non simus eis subjecti.)) Denique quia per scientiam, & virtutem, & omnia alia hujusmodi, aliquis idoneus redditur ad dignitatis statum, reverentia, quæ propter quamcunque excellentiam aliquibus exhibetur, ad eandem virtutem pertinet.

Ibid. a. 2. — *Ibid. a. 2. ad 1mum.* — *Ibid. a. 1. ad 2dum.*

Rom. 13. **Motiva** *ad Observantiam.* 1mum. *Apostolus* monet: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à DEO: quæ autem sunt, à DEO ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere

timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. DEI enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris; time: non enim sinè causa gladium portat. DEI enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim DEI sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. *Item S. Petrus*: Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter DEUM: sive Regi, quasi præcellenti: sive Ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas DEI, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi DEI. Omnes honorate. Fraternitatem diligite, DEUM timete, Regem honorificate. *2dum. S. Bernardus*: Redde reverentiam Prælato, & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis. Nec enim sufficit exteriùs obtemperare Majoribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Quod etsi tam manifestè innotuerit indigna alicujus Prælati vita, ut nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat; propter eum tamen, à quo est omnis potestas, ipsum quem modò talem novimus, excelsum reputare debemus, non præsentibus personæ meritis, sed ordinationi Divinæ ac dignitati ipsius officii deferentes. *3tium.* Exempla JESU adhuc in utero infantis, Beatissimæ MARIÆ & Joseph, qui ad descriptionem à Cæsare Augusto imperatam perrexerunt in Bethleem. Deinde Christus pro se & Petro curavit solvere staterem in tributum, ùt patet ex ejus verbis: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum, &c.*

S. Petrus c. 2. ℣. 13.

S. Bern. in serm.

Luc. c. 2.

Matth. c. 17.

Circa Praxim Observantiæ observa convenienter suprà dicta. *1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4 subs. 2. §. 2.*

SUBSECTIO VII.

De Dulia, & Hyperdulia.

V. D. Thom. 2. 2. q. 103. a. 3. & 4.

DUlia dupliciter sumitur. 1mò prout est quædam communis virtus, continens sub se Pietatem, Observantiam, & quamlibet aliam virtutem, quæ homini reverentiam exhibet. Item Hyperduliam, ut potissimam sui Speciem. Etenim maxima debetur reverentia homini ex affinitate, quam habet ad DEUM. 2dò. Dulia strictè sumitur, prout est virtus, quâ servus Domino reverentiam exhibet. Quia Dulia græcè Servitus dicitur. Et distingvitur à Latria, per quam DEO, quatenus verum & plenarium dominium obtinenti, cultum, honorem, ac debitam servitutem deferimus. Per Duliam verò homini, quâ similitudinem Divini dominii participanti, cultum & servitutem exhibemus.

Ibid. a. 2.

Dulia pro honore seu honoratione alterius accepta, nihil aliud est, quàm protestatio quædam de excellentia bonitatis alicujus. Potest autem alicujus excellentia considerari non solùm per comparationem ad honorantem, ut scilicet sit excellentior eo, qui honorat, sed etiam secundùm se, vel per comparationem ad aliquos alios. Et secundùm hoc honor semper debetur alicui propter aliquam excellentiam, vel superioritatem. Non enim oportet, quòd ille, qui honoratur, sit excellentior honorante, sed fortè quibusdam aliis, vel etiam ipso honorante, quantùm ad aliquid, & non simpliciter. Hinc *idem S. Doctor* alio in loco dicit: Honor est quoddam testimonium de virtute ejus, qui honoratur. Et ideo sola virtus est debita causa honoris: sciendum tamen, quòd aliquis potest honorari non solùm propter virtutem propriam, sed etiam propter virtutem alterius. Sicut Principes & Prælati honorantur, etiamsi sint mali, inquantùm gerunt personam DEI, & communitatis, cui præficiuntur, secundùm illud Proverb. 26: Sicut qui immittit lapides in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem. Quia enim Gentiles ratiocinationem attribuebant Mercurio, acervus

Idem q. 63. a. 3. corp.

cervus Mercurii dicitur cumulus ratiocinii, in quo mercator quandoque mittit unum lapillum loco centum marcarum: ita etiam honoratur insipiens, qui ponitur loco DEI, & loco totius communitatis. Et eâdem ratione Parentes & Domini sunt honorandi, propter participationem Divinæ dignitatis, qui est omnium Pater & Dominus. Senes autem sunt honorandi propter signum virtutis, quod est senectus, licèt hoc signum quandoque deficiat. Unde ut dicitur Sap. 5. Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Divites autem honorandi sunt propter hoc, quòd majorem locum in Communitatibus obtinent. Si autem solùm intuitu divitiarum honorentur, erit peccatum acceptionis personarum.

S. Magdalena de Paz in omnibus personis plus appretiabat animas quàm corpus. Hinc omnes homines hoc vocabat nomine *Animæ*. Eadem Sancta Superiores Claustri, cunctasquè Matres Seniores adeò venerabatur, ut in præsentia illarum semper staret oculis in terram demissis, cum tanta modestia, ac si foret Novitia recèns ad Religionem suscepta. *In vita S. Magd. de Paz.*

§. I.
De Dulia, seu Honore erga omnes.

MOtiva, 1mum. *Rom:* Honore invicem prævenientes. Et nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate Superiores sibi invicem arbitrantes. *Et Isaias:* Væ! qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? Væ! qui spernis, nonne & ipse sperneris? Cùm consummaveris deprædationem, deprædaberis; cùm fatigatus desieris contemnere, contemneris. 2dum. *S. Cyrillus:* Neminem spernas, sed unicuique debitum honorem exhibeas. *Et post plura:* Quid enim honor aliud est, quàm unicus actus omnium virtutum? hic enim est prudentia, cùm attenditur cui, quando, ubi, quomodo tribuatur; justitia verò cùm non justo minùs impenditur. Magnanimitas, cùm non debito amplius datur, nam extra modum ho- *Rom. 12. Philip. 2. Isai. c. 33. Cyrill. lib. 1. Apol. moral. c. 18.*

Aloys Lipom. in Exod. a. 36. lect. 1. norare illudere est. *Aloysius Lipomanus ait*: Rarus est, qui non insigni aliquâ gratiâ præter alios donatus inveniatur, quâ maximè & Ecclesiam juvare possit, & ministrare Christo. Hujus rei figurâ & exemplo, mulieres quoquè à Moyse vocatæ sunt ad fabricam tabernaculi, ut nerent pilos caprarum, ex quibus fierent saga sive cortinæ ad operiendum tabernaculum. *3tium*.
Psalm. 8. DEUS honoravit homines, quod Psalmista stupens ait: Quid est homo, quòd memor es ejus, & filius hominis, quoniam visitas eum. Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloriâ & honore coronâsti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus.

1. 2. tra 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. *Ad Praxim Duliæ juvat exercitium juxta suprà datam methodum.*

§. II.

De Dulia & Officiis Servos inter & Dominos.

INcitamenta. Servorum in Dominos officia sunt *imò*: Subjectio, honor, & obedientia. Unde *Apostolus* exhortatur: Servi obedite Dominis carnalibus, cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes: sed ut servi Christi, facientes voluntatem DEI ex animo: cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quoniam unusquisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber. *Item S. Petrus Apostolus*: Servi, subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed & dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter DEI conscientiam sustinet aliquis tristitias, patiens injustè. Quæ enim est gratia, si peccantes, & colaphizati sufferetis? sed si benefacientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud DEUM. *2dò*: Fidelitas non modò in agendo, verùm & loquendo, & silendo arcana Domini. Unde dicitur *Matth*: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. *3tiò*: Diligentia. Hinc *monemur tractare cum servo pigro de multa operatione*. Porrò Domini, quæ debeant servis, docet *Ecclesiasticus*: Panis, & disciplina, est opus servo, operatur in disciplina, & quærit

Marginalia: Ephes. 6. — 1. Petri 2. — Matth. 25. — Eccl. 37. — Eccl. c. 33.

rit requiescere: laxa manus illi, & quærit libertatem. Jugum & lorum curvant collum durum, & servum inclinant operationes assiduæ. Servo malevolo tortura, & compedes: mitte illum in operationem, nè vacet: multam enim malitiam docuit otiositas. In opera constitue eum, sic enim condecet illum. Quodsi non obaudierit, curva illum compedibus, & non amplifices super omnem carnem. Verùm sinè judicio nihil facias grave. Si est tibi servus, (*id est fidelis*) sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem, sic eum tracta: quoniam in sangvine animæ comparâsti illum. Si læseris eum injustè, in fugam convertetur: & si extollens discesserit, quem quæras, & in qua via quæras illum, nescis. *Apostolus*: Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cælis: & personarum acceptio non est apud DEUM. Quare *Philo* inquit: Talem te domesticis servis præsta, qualem DEUM in te esse velles, ut enim audimus, sic à DEO audiemur: atque ut intuemur alios, sic DEUS nos intuebitur. Offeramus ergo misericordiæ misericordiam, ut simili simile consequamur. Imitare pium Centurionem illum Evangelicum, qui pro infirmi sui pueri valetudine agebat apud Christum: Et tu in infirmitate servi tui esto pius, maximè provide ei de Sacramentorum Ecclesiasticorum susceptione.

Prov. 18. 1 Cor. 15. *Ephes. c. 6.* *Matth. 8.*

S. Elzearius Comes quàm Christianè suam domum, familiamquè rexerit refert vitæ ejus historia dicens: Novus paterfamilias novo quodam modo cœpit suæ familiæ præsidere, novasque morum plantulas inserere, & transgressoribus pœnas proponere. Primò constituit ut omnes è sua domo tam mares quàm fœminæ, quotidie ut minimum Missam unam integrè audiant. Secundò ut vivant castè & purè: qui secus facerent, eos suâ domo expellebat. Nolebat enim ut quisquam pane suo vesceretur, quem sciret peccato mortifero implicatum, nè alios inficeret. Et nè illius peccatum ipse fovere videretur. Tertiò ut nobiles & milites, itemquè virgines & matronæ quâlibet hebdomadâ semel confiteantur peccata sua, & singulis mensibus devotè percipiant Eucharistiæ Sacramentum. Quartò ut eædem virgines & matronæ manè usque ad prandium preci- *Surius 17. sept. vit. S. Elzear.*

bus

bus & piis exercitiis vacent: à prandio manuariis operibus sese occupent. Quintò ut nemo ausus sit blasphemare DEUM, Sacrosanctam Virginem, vel aliquem Sanctorum: nec quisquam fallò juret, aut vitiosè & leviter absque causa: nec impudica vel inhonesta verba proferat. Sciebat enim ex Sapiente mortem & vitam esse in manibus lingvæ; & ex Apostolo, corrumpere bonos mores colloquia prava. Hujus constitutionis violatores hac ratione puniri voluit, ut vel toto prandio coram aliis sederent in terra, solo pane & aquâ contenti, vel toto die in cubiculo manerent inclusi, communi cibo vescentes. Sextò ut nulli fas sit ludere tesseris, aut alio uti lusu illicito, turpi, ac inhonesto. Si quis contrà fecisset, gravis illum pœna manebat. Septimò ut omnes è sua familia, pace, amicitiâ, & concordiâ inter se fruantur, alius alium non offendat, neque verbo, neque facto. Si quid à quopiam aliter sit attentatum, mox cum offenso redeat in gratiam. Atque ut id fieret, non mediocriter ipse dabat operam, reos autem pro ratione culpæ puniebat. Octavò, ut quotidie à prandio, vel aliâ horâ vespertinâ, nisi legitimum impedimentum inciderit, fiat aliqua Collatio inter illos, ipso præsente de verbis Domini pro animarum informatione. In eo autem colloquio dum unus aliquis loquitur, cæteri orent pro illo in cordibus suis, ut DEUS illi suo ministret sermonem, ex quo omnes proficiant: nec quisquam audeat sic loquentis verba interrumpere, aut aliter impedire. Id si quis non observâsset, à tam pio colloquio excludebatur, donec emendatus ab aliis revocaretur. In ejusmodi verò colloquiis, & in sermonibus suis ipse Elzearius animo & facie jucundus & hilaris, nec mediocriter Divinâ gratiâ cumulatus, ignea edebat verba, à fonte Divinæ Sapientiæ prodeuntia: ita ut audientes eum, magnam intra se sentirent animi mutationem, bonisquè ac sanctis arderent desideriis, & humiles, ac Religiosi efficerentur. Docebat enim familiam suam, ut alter Tobias, timere DEUM, & abstinere à peccatis, atque Divina servare præcepta. Hortabatur eos, ut Divino studerent amori, sese invicem diligerent, & corpora sua munda ac pura conservarent. Ajebat à vitiorum suorum consideratione debere Christianum exordiri

Prov. 18.
I. Cor. 15.

preces

preces ſuas, atque inde ſeſe humiliare. Oratio enim humiliantis ſe nubes penetrat. Hæc aliaquè iis ſimilia dicebat, quæ omnia ſcripto comprehendi difficulter queunt. Etſi autem quotquot apud eum degebant, in bona voluntate, ſtudioquè bonorum operum proficere ſe ſentirent, ſingulariter tamen ex ejus propinquitate & familiaritate carnis incendia & libidinis flammas conſopiri experiebantur. Atque eâ causâ milites & nobiles, aliiquè permulti non ſolùm promiſerunt, ſed etiam ſervârunt perpetuò caſtitatem, plerique etiam virgineam puritatem & integritatem. Eratquè in ejus domo tanta omnium charitas, tanta morum maturitas & honeſtas, tanta pax, pietas, benignitas, puritas, ut dempto habitu potiùs ibi benè inſtitutum Monaſterium, quàm Aula Comitis videretur.

§. III.

De Dulia & Honore Sacerdotum, & Servorum DEI.

INcitamenta. *Eccl:* In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes Illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige Eum, Qui te fecit, & Miniſtros Ejus nè derelinquas. Honora DEUM ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes, & propurga te cum brachiis. Da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum & purgationis: & de negligentia tua purga te cum paucis. *S. Ignatius ait:* Sacerdotium eſt omnium bonorum, quæ in mundo ſunt, qui adversùs illud fecerit, non hominem ignominiâ afficit, ſed DEUM. *S. Chryſoſtomus:* Rex caput ſubmittit manui Sacerdotis, & ubique in veteri ſcriptura Sacerdotes ungebant Reges.)) Chriſtus Dominus Sacerdotes Moyſaicos eſt veneratus, mittens ad eos leproſos à ſe ſanatos, cùm diceret: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Conſtantinus magnus quanto honore proſequebatur Sacerdotes & Epiſcopos in Concilio Nycæno congregatos, deſcribit *Euſebius*, dum ait: Significabant hoc (id eſt reverentiam) oculi ſubmiſſi, rubor in vultu, decens ingredientis motus, morum humanitate, imperialisquè clementiæ manſvetudine permixtâ &c. poſitâquè modicâ

Eccl. c. 7. v. 31.

S. Ignat. Epiſt. 10. ad Smyrn.

S. Chryſoſt. hom. 4. de verb. Iſa. Vidi Dominum.

Luc. 17.

Euſeb lib. de vita Conſtant.

dicâ quâdam sede, non sedit, priusquam ab Episcopo annueretur. *Et inferiùs*: Unumquemque illorum pro cujusque dignitate, magnificis muneribus honorabat. *S. Magdalena de Pazzis* Sacerdotes & Prælatos Ecclesiæ ex magna reverentia nominare solebat Christos, Divinos, illosquè ita venerabatur, sicut DEI personam gerentes. De Confessariis, & Patribus Spiritualibus ferè cum inæstimabili reverentia loquebatur, multumquè contremiscebat, si audiret eos memorari ab aliis Sororibus ex aliqua levi causa, vel inconsiderato sermone, vel denique non cum magna reverentia: in præsentia verò illorum semper cadens super genua, tam diu flectebat, quousque jubebatur surgere: quod servavit toto vitæ suæ tempore. *Basilius Imperator* admonendo filium suum, ita dicit: Summo honore prosequâre Matrem tuam Ecclesiam, quæ te in Spiritu Sancto lactavit, & tuo capiti, ad DEI per Christum laudem, coronam imperii imposuit &c. Honora ergo Ecclesiam DEI, ut tu vicissim à DEO in honore habeâre, & Sacerdotes ejus reverêre tanquam Spirituales Patres & Deprecatores pro nobis apud DEUM. Honor enim, qui Sacerdotibus habetur, ad DEUM refertur. Et sicut propter te ministros tuos in honore habere justum est; ita & propter DEUM Sacerdotes ejus magnifacere, & in pretio habere, sanctum. Sicut autem honor, qui eis defertur, ad DEUM pertinet; ita eorum contumelia & contemptus longè etiam gravius ejus iram provocat.

In vita S. Magd. de Paz.

Basil. Imper. ad Leonem Filium.

§. IV.

De Hyperdulia, seu cultu Humanitatis Christi Domini.

EJusmodi *Hyperdulia, est actus virtutis, quo Humanitati Christi, propter excellentiam unionis ad Personalitatem Filii DEI, honorem & cultum specialem super omnes puros homines & Angelos deferimus.* Verùm quod DEUS conjunxit, homo non separet: ideo svadetur cultus & devotio exercenda potiùs erga Christum, quà DEUM-Hominem, quàm erga solam ejus Humanitatem: Sufficitquè scire, Christo, quà DEO cultum latreuticum, quà ejus Humanitati hyperdulicum, deberi.

Patet ex modò dictis Subs. 7. de Dulia & Hyperd.

Vide suprà dict. de Adoratione.

Illicia

Illicia ad cultum & devotionem erga Christum habentur simul, ubi egimus de amore DEI-Hominis: ad quod servit & excellentiæ Christi consideratio: de qua infra parte 3. tract. 2. c. 2. l. 2. tra. 2. c. 3. sect. 3.

Praxim colendi Christum, ejusquè mysteria, simul cum Motivis & exemplis in hac materia edidit R. P. Paulus de Barry nobilissimo libello intitulato *Hagiophili Blanditiæ Sanctæ.* Qui cùm obvius sit, ad eum devotum Amatorem JESU pro suo voto ferventem remittimus. Patent & alii similes Tractatus, tum pii Libelli, quibus Praxes devotionis & cultûs Christi Domini ejusquè mysteriorum passim porriguntur. Vide quoque nostrum Incensum Orationis.

§. V.

De Hyperdulia, seu cultu Deiparæ.

EJusmodi Hyperdulia, *est actus virtutis, quo post Christum Beatissimam Virginem MARIAM, ob dignitatem Maternitatis DEI, eminentiori veneratione & cultu supra alias Creaturas prosequimur.*

Motiva devotiùs colendi Virginem DEIparam pariter *suprà* cum dilectione erga MARIAM vide. Deinde ad æstimationem, cultumquè ejus majorem facit notitia Excellentiarum ejus, de quibus *infrà* sub Fine Supernaturali. l. 2. tra. 2. c. 3. sect. 5. p. 3. tra. 2. c. 2.

Praxis simul & *Motiva* plura exercendæ devotionis, & cultûs Beatissimæ Virginis, pro cujusque genio & Spiritu frequentia & obvia habentur in piis libris, libellisquè. Vide Paradisum P. Pauli de Barry: Tum quoquè nostrum Incensum Orationis.

§. VI.

De Dulia, seu cultu Sanctorum.

EST *autem hæc Dulia, Virtus, quâ ob excellentiam gratiæ & virtutis in Sanctis relucentem, eos piis actibus & affectibus veneramur & colimus.*

Motiva cultûs Sanctorum. 1mum. *Josue* videns stantem virum evaginato gladio, ait: Noster es an adversariorum? *At* Josue c. 5.

 ille:

ille: Nequaquam, sed Princeps sum exercitûs Domini, & nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, & adoravit. *Reg*: Abias quoquè vir sanctus adoravit Heliam pronus in terram, nempe adoravit ut virum Sanctum. *Rex David sic canit*: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui DEUS, nimis confortatus est principatus eorum.

3. Reg. c. 18.

Psalm. 72.

2*dum*. *S. Joannes Damascenus*: Honorare decet Sanctos, ut Amicos Christi, ut Filios, & Heredes DEI. *S. Hieronymus*: Honoramus Servos, ut honor Servorum redundet ad Dominum. *S. Ambrosius*: Quisquis honorat Martyres, honorat & Christum, & qui spernit Sanctos, spernit & Dominum.

S. Joann. Damasc. de fide Orthod. lib. 4. c. 16.

S. Hieron. Epist. ad Ripariũ.

S. Ambros. serm. 6. in fine.

3*tium ab Exemplis*. I. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. II. Christus Dominus magno honore affecit suos Discipulos, eorum pedibus submittens se, eosquè lavans. III. Laurentius Surius in agone omnes Sanctos, quorum vitas in tomis suis descripsit, spectabiles habuit, ab iis robur & auxilium in illo periculo accepit. IV. Cùm S. Mechtildis in festo S. Agnetis ardorem illius meditata affligeretur, quòd nondum perinde ut illa totis animis DEUM amâsset, Servator S. Agnetem jussit omnia sua bona opera illi dare. Unde illa intellexit, DEUM Sanctis hanc gratiam & potestatem fecisse, ut quæ ipsi pro Christo egêre, aut passi sunt, possint cum iis dividere, quos charos & devotos sibi è mortalibus habent. V. Religiosus quidam ex ordine Eremitarum S. Augustini, cùm per octo dies ad festivitatem omnium Sanctorum per orationem & severam corporis castigationem sese præparare, & festum ipsum per totos octo dies maximâ, quâ poterat, devotione celebrare consvêsset, tandem ipso omnium Sanctorum festo defunctus, post mortem cuidam per quietem pulcher & jucundus apparuit, dixitquè, se felici omnium Sanctorum societate ac collegio gaudere, gavisurumquè æternùm. VI. Tempore quo S. Mechtildis agonizabat, visi sunt Sancti, dum Litaniæ recitabantur, singuli ad suum nomen incredibili gaudio assurgere, ac demissi coram DEO in genua, merita sua pro moriente offerre. VII. Alteri cuidam moribundo B. Virgo inter SS. Apostolos Petrum & Joannem, cum omnibus Apostolis aliis, Martyribus, Confessoribus,

Joann. 12.

Barry in præfat. foed. sanct.

Ibidem.

In vitis hujus Ord.

Paulus Barry foed. c. 10.

Valerian. Prati p. 2. l. 4. c. 8. pag. 471.

bus, Virginibus, in ſuos choros diſtinctis, & cereos accenſos manuferentibus aderat, eumquè in cælos deducebat, quòd ſibi, & Sanctis omnibus unicè devotus fuiſſet. VIII. Cùm Mithgarius theſaurumEccleſiæ cujusdam auferens famulos S. Remigii flagellis ejeciſſet, iisquè S. Remigium invocantibus dixiſſet: Modò patebit, qualiter vos S. Remigius adjuvabit: videte quomodo in veſtrum adjutorium veniat: ſubitò vociferari, ſtupendum in modum intumeſcere cœpit, & tandem omnino medius crepuit. IX. Frater quidam Ordinis S. Franciſci, cùm S. Barbaræ devotus à multis per eam periculis defenſus fuiſſet, tandem ſolita negligens obſequia, audivit ab illa in ſomno apparente: Tu me conſvetis obſequiis dereliquiſti, & ego ſolitis adjutoriis deſtituam te. Et ita evenit, nam frater primùm Apoſtata factus, tum Norimbergam profectus, brevi ad extrema ibi deductus eſt, & licèt à P. Conrado, Ordinis Socio ad reſipiſcentiam invitatus, veſtem religioſam denuò oblatam abjecit, ſicquè miſerè in deſperatione periit.

Baron. to. 10. anno Domini 843.

Quoad *Praxim* tum plura Motiva cultûs Sanctorum vide Fœdus Sanctum P. Pauli de Barry, noſtrum quoquè Incenſum Orationis.

PUNCTUM I.

De Cultu SS. Angelorum Cuſtodum.

MOtiva ad cultum SS. Angelorum Cuſtodum eliciuntur ex ſequentibus. 1mum. *Pſalm:* Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum. *Apoſtolus:* Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capient ſalutis.

Pſalm. 90. v. 11.

Hebr. 1. v. 14.

2dum. *S. Hieronymus.* Vide, ô homo, quanta ſit dignitas animæ, & quanti eum æſtimet ipſe DEUS, qui à momento nativitatis tuæ asſignatum tibi de cælo voluit Cuſtodem Angelum, & hunc tantæ Potentiæ, ut citiùs ictu oculi posſit univerſum mundum invertere: tantæ Majeſtatis, ut S. Joannes, tametſi cum Chriſto ipſo familiariter converſari ſoleret, ad conſpectum Angeli

S. Hier. apud Albertin. c. 3. de Ang. Cuſt.

Angeli provolveretur in terram, eum adoraturus, tam inexplicabili scilicet ipsius vultus dignitate, & claritudine coruscabat. Et tamen, ô homo, hic Angelus tam potens, tam splendidus, ac venerandus, abs DEO tibi in Tutorem adjungitur. *Idem:*
Idem super Matth. 23. Magna dignitas fidelium animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodia sui Angelum deputatum, imò plures.
S. Aug. Solil. c. 27. *S. Augustinus:* Magna sunt beneficia tua Domine, quibus nos honorâsti, dans nobis Angelos tuos in ministerium nostrum; dederas enim nobis, quidquid cæli ambitu continetur, & quasi parva reputas hæc, quæ sub cælo sunt, nisi adderes ea, quæ super cælum sunt.
S. Bern. Serm. 1. de Angelis. *S. Bernardus:* Fidelis Paranymphus discurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, & referens dona, excitat istam, placat illum.
Ibidem. *Idem:* Angeli nostros sudores, non suos: nostras non suas lachrymas offerunt DEO, nobis quoquè ejus munera referunt.
Ibidem. *Idem:* Ipsi amant nos, quia Christus nos amavit. Dicitur certè vulgari proverbio: Qui me amat, & canem meum amat. Nos verò ô Beati, catelli sumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis, catelli autem, cupientes saturari de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum nostrorum, qui estis vos.
Gvil. Baldes. c. 2. stim. c. 2. 3tium. 1. S. Francisca Romana duos semper secum Angelos habebat, unum ex Archangelorum choro, qui nunquam ab ea discedebat, & alium ex quarto ordine, qui non quidem assiduè, sed frequenter tamen se illi ostendebat. Hos sæpè præsentibus aliis, sed nihil videntibus, hâc ferè specie intuebatur. Vestes erant candore plerumque niveo, aliquando cæruleo, rariùs purpureo colore, alter impressa semper in crucis modum brachia pectori apprimebat, alter ex auro, tres palmæ ramulos dextrâ præferebat; uterque quamvis vicini essent Virgini, (alter enim semper dextrum claudebat pectus) in cælum defixos habebat oculos: utrique promissa & aurea cæsaries: utrique ea claritas vultûs, ut præ altero sol ipse minùs luceret, præ altero nubeculæ instar obscuræ videretur.
Vita. 2. S. Isidoro Agricolâ pietati & orationi in templo vacante, S. Angelus Custos illius aratro interea terram sulcabat pascebat mulos, & lupos à gregibus arcebat.
Vita. 3. Pater Bernardus Colnagus Romæ frequentissimè

mè Angelum Custodem suum viderat, à quo, quotiescunque, in occasione venialis peccati fuit, admonitus est. 4. Pater Petrus Faber secundam feriam semper S. Angelo Custodi dedicavit, eiquè se de nocte ac die jaculatoriis precibus ardentissimè commendabat. Idem quoties oppidum aut pagum ingressus est, priùs Archangelum, Angelosquè custodes ejus loci in auxilium vocabat. *Hist. Soc. l. 3. n. 29.*

4tum. 1. Gentiles videntur agnovisse Angelicam custodiam, dum effectus quosdam fortuitos, quos Philosophi casus contingentes dixêre, considerantes, cùm eorum rationem naturalem investigare non possent, Angelis tribuêre, quos profano vocabulo Lares, id est, Deos particulares domorum dixêre, & Genios, id est, protectores personarum suarum. 2. Aristoteles ad Alexandrum Magnum inter alia scripsit: An nescis, quòd teste Hermogene, duo sunt Spiritus, qui te custodiant, quorum unus stat ad dexteram, & alius ad sinistram, custodientes, & scientes opera tua, & referentes Factori tuo, quidquid feceris? Hoc solum in veritate debet te, ô Alexander, retrahere ab omni inhonesto opere. *Albert. c. 3. de Ang. Cust.* *Arist. in lib. de Secret. Secretorum.*

Praxim colendi S. Angelos Custodes vide in nostro Incenso Orationis.

PUNCTUM II.

De Cultu S. Josephi, Sponsi Virginis Matris.

MOtiva colendi S Josephum. I. Ejus summa dignitas & excellentia: de qua vide *supr. à* Primâ parte C. 1. Sect. 2. Subs. 2. & Tertiâ parte Tr. 2. C. 2. Sect. 5. II. Qui amat & colit JESUM, ac MARIAM, ex illorum amore diliget quoquè & colet S. JOSEPHUM, illius Nutritium, istius Sponsum. Hinc mellifluus Doctor super illa verba Evangelii; *Et erat subditus illis*, ait: „ Quis quibus? DEUS hominibus. DEUS inquam, „ cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obedi- „ unt, subditus erat MARIÆ. Nec tantùm MARIÆ, sed etiam „ JOSEPH propter MARIAM. III. Amandus, & colendus est „ S. JOSEPH in vim gratitudinis, quòd Filium DEI venientem in *S. Bern. hom. 1. super Missus est.*

hunc

hunc ingratissimum mundum (eo rejiciente & persequente) nomine omnium Electorum, cum Virgine Matre primus adoraverit, salutaverit, osculatus, amplexatusquè fuerit, susceperit, paverit, aliaquè solatia, & fomenta præstiterit, nobis dulcem JESUM, Angelicæ & humanæ felicitatis principium & centrum educaverit, tutatus fuerit, & conservaverit, idquè labore manuum suarum, singulari affectu, curâ, & solicitudine. IV: Similiter quia Beatissimam Virginem, Matrem nostram amabilem, delicium universi, omni honore, & purissimo dilectionis affectu est prosecutus, cuncta ei ad nutum devotissimè providens, eam tuens, defendens, & in omnibus fidelissimè ac promptissimè illi serviens. V. Quia Pater cælestis S. JOSEPHUM tanto amore & honore ipso effectu sublimavit, quantus post Maternitatem DEI major cogitari nequit, ut ex ejus prærogativis suprà, & alibi descriptis patet. VI. Quia Dominus noster JESUS CHRISTUS existens in terris, eum ut Patrem suum adoptivum & dilectissimum incomparabiliter amavit, & honoravit, quod ipsum nunc quoquè in cælis facit. Hinc Stengelius ait: "Sicut Christus ipse in terris tanquam patri ad nutum obsecundavit, ita in cælis acceptæ ab eo beneficentiæ non immemor, ad nutum eidem tanquam patri affectu filiali, quem ab infantia concepit, ac perpetuò conservavit, ad nutum in cælis obedit." VII. Quia DEI Mater ipsum ut Sponsum, provisorem, ac tutorem suum peculiari dilectione ac veneratione coluit. VIII. Quia Cælites ad JOSEPHI nomen pronunciatum, reverentiæ gratiâ, sua dimittunt capita, ut ex quadam revelatione habetur. IX. Quia antiquitùs colebatur, & nunc in Ecclesia DEI erga hunc Sanctum magna capit incrementa devotio. Abbas *Trithemius* loquens de Carmelitarum ordine ait: "Sunt præ cæteris multis de primæva institutione sui Ordinis B. M. DEI Genitrici, semper immaculatæ MARIÆ, singulari famulatu devotissimi, & in veneratione SS. pientissimâ celebratione Religionis præcipuæ. Maximè autem honorant Dominicam Parentelam, Divum videlicet Joachim Nazarenum, & Sanctissimam Conjugem ejus Annam, Parentes intactæ Virginis Matris DEI, Sanctum quoquè Joseph, Sponsum Dominæ nostræ"

P. 1. c. 1. sect. 2. subs. 2. & p. 3. tr. 2. c. 2. sect. 5.

Carol. Stengel. hist. vitæ S. Josephi c. 15.

Trithemius lib. 2. de B. V. c. 12.

Hujus

Hujus devotionis eximia imitatrix fuit *S. Teresſia*, eamquè mirificè propagavit. Placet aliqua ex ejus dictis incentiva devotionis in hunc Sanctum afferre. Ait ergo hæc *Seraphica Virgo*: In Patronum & Dominum ſelegi glorioſum Virum Sanctum Joſephum, ejusquè me patrocinio unicè commendabam. Liquidò deinde perſpexi Sanctum hunc Patrem, & Dominum meum, tam ab hac me necesſitate, quàm aliis majoribus, in quibus de animæ meæ honore & perditione agebatur, liberâſſe. *Item ait*: Non memini me aliquid ab eo petiiſſe, cujus me compotem non reddiderit. Nam aliis (inquit) Sanctis gratiam DEUS dediſſe videtur, ut in una necesſitate invocantibus ſe opitulentur, ſed hunc glorioſum Virum ego experta ſum in qualibet necesſitate adjuvare & adeſſe. Neminem novi, qui cùm vero ex animo illi devotus eſſet, particularibus quibusdam obſequiis eum coleret, non plus per ejus opem viſus ſit in virtute profeciſſe, mirum enim in modum illos, ut in ea proficiant, juvat, qui ſe ei commendant. Speciatim illi, qui Orationis ſtudio tenentur, ſemper eum Patronum deligere deberent, & erga eum affici. Qui Magiſtrum & Inſtructorem non habet, à quo orandi rationem & modum diſcat, glorioſum hunc virum in Magiſtrum deligat, & eo præeunte haud errabit.)) Deinde eidem Sanctæ à Beatisſima Virgine revelatum, gratisſimum illum eſſe cultum, qui fit Sponſo ſuo S. JOSEPHO. Unde *Stengelius* hæc de S. Teresſia inquit: B. Teresſia, fundatrix Carmelitarum Excalceatorum, per intercesſionem S. Joſeph, cui devotisſima fuit, ſanitatem corporis non ſemel conſecuta, gravisſima quæque ac ſtupenda peregit, Monaſteria plurima Ordinis ſui ſub ejus invocatione fundavit, & quosque eum in necesſitatibus invocare docuit.

Ex ſpeculo Carmeli R. P. Danielis à V. M. ejusdem Ordinis Hiſtoriogr.

Ibidem.

Stengelius in hiſt. vit. S. Joſeph. c. 15.

Praxim colendi S. Joſephum, vide in noſtro Incenſo Orationis.

SUBSECTIO VIII.

De Obedientia.

OBedientia *eſt virtus, quâ tacitum vel expreſſum præceptum Superioris adimpletur*. Nomine *taciti* ſeu *interpretativi præcepti*, intel-

V. D. Thom. 2. 2. q. 104. a. 2.

intelligitur voluntas Superioris, quomodocunque innotescat. Et tantò videtur obedientia promptior, quantò expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate Superioris intellectâ.))

Ibidem a. 4. Nomine *Superioris*, cumprimis intelligitur DEUS: quia sicut DEUS est primus Motor omnium, quæ naturaliter moventur, ita etiam est primus Motor omnium voluntatum. Et ideo sicut naturali necessitate omnia naturalia subduntur Divinæ motioni, ita etiam quâdam necessitate justitiæ omnes voluntates tenentur obedire Divino imperio.)) 2*dò*. Nomine *Superioris*, intelligitur homo, qui potestate acceptâ à Summo Motore voluntatum, easdem dirigit ad finem naturalem, si civilis est Superior: vel supernaturalem, si Spiritualis: quibus obediendum est; quia DEUS pro hac rerum providentia, ordinariè inferiora, nonnisi per superiora, quæ sunt media inter DEUM & inferiora, movet, disponit, ac gubernat. Unde obediendum Superioribus, non quasi hominibus placentes, sed tanquam Christo, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, cujus Vicarii sunt ac locum tenentes Superiores.

V. ibid. a. 5. Cæterùm (juxta *D. Thomam*) sicut Superiores non possunt præcipere ea, quæ sunt contra voluntatem altiorum Superiorum, tum ipsius DEI; neque ea præcipere queunt, ad quæ se non extendit ratio Superioritatis eorum, ut v. g. ratio Superioritatis Ducalis non extendit se, ut militibus præcipiat circa Oeconomiam exercendam, sed non nisi circa bellum gerendum; ita si præcipiant, non tenentur ipsis obedire: quia limitatam homo superior habet potestatem præcipiendi, & non nisi ad quædam determinata, sicut DEUS omnimodam & absolutam tenet potestatem omnia ex imperio agendi.

Ibid. a. 2. Dupliciter Obedientia accipitur, 1*mò* pro executione cujuscunque, quod potest cadere sub præcepto, & inobedientia, pro omissione ejusdem ex quacunque intentione: sic obedientia erit generalis virtus, & inobedientia generale peccatum. 2*dò*. Obedientia accipitur, secundùm quod respicit per intentionem formalem rationem præcepti, & ita erit specialis virtus, & inobedientia speciale peccatum. Secundùm enim hoc ad obedientiam requiritur, quòd impleat aliquis actum justitiæ, vel

alterius virtutis, intendens implere præceptum, & ad inobedientiam requiritur, quòd actualiter contemnat præceptum.)) Addo 3tiò. Aliud esse cum obedientia operari, videlicet sub tacita vel expressa Superioris licentia, nè taliter operans peccet contra legem vel votum obedientiæ; & hujusmodi actus est indirectus obedientiæ, quippe cùm licentia operans intendit non lædere Superioris præceptum; quanquam potest quandoque esse actus malus ex improbitate & imprudentia petentis & operantis, etsi ex parte Superioris concedentis non sit actus malus, qui connivet imperfectioni subditi, pejora evitare volens: & talis actus nullius erit virtutis, imò delictum. Aliud est ex obedientia operari, nempe placita Superiorum exequi ex motivo honestatis, obedientiæ, vel beneplaciti Divini, qui actus obedientiæ erit directus.

1ma Conditio Obedientiæ est *Promptitudo*, quâ redditur prompta hominis voluntas ad implendam voluntatem alterius, scilicet præcipientis. Ubi cautè advertendum est, præcepta quæ implentur propter propriam voluntatem, id est, quia ultrò tendit voluntas propria in objectum præceptum, utpote de se bonum sibiquè conveniens, ita non videtur exerceri actus obedientiæ, sed potiùs propriæ voluntatis. Si tamen idem præceptum, etsi bonum voluntati propriæ, & accommodum, tamen devotè & promptè impleatur, quia præceptum est, per hoc non fit minùs laudabilis obedientia, quàm si exerceretur in adversis sibi præceptis, in quæ non ex propria tendit voluntate; utpote sibi disconvenientia, sed merè ex imperio movetur alieno. *S. Bernardus*: Fidelis obediens, *inquit*, nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, lingvam voci, manus operi, itineri pedes. Totum se colligit, ut imperantis compleat voluntatem. Et *S. Benedictus in Reg:* Perfecta obedientia sua imperfecta relinquit. *Psalm:* In auditu auris obedivit mihi.

V. ibidem a. 2. ad 3.

S.Bern.Serm. de virtute Obedientiæ.

Psalm. 17.

2da Conditio est obedire *Simpliciter*, quæ est cœca obedientia adeò commendata à SS. Patribus, id est, sinè dijudicatione præcepti, quod tamen est in se bonum vel indifferens, (nam in malo maledicta est obedientia, sed totaliter submittendo su-

um judicium & voluntatem arbitrio alterius. Hinc *S. Bernardus* *S. Bernard.* supra illud *Actor.* 9. Domine quid me vis facere? *inquit*: O! *Serm.* 1. *in Con-* verbum breve sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum *vers. S. Pauli.* omni acceptione, quàm pauci inveniuntur in hac perfectione, obedientiæ forma, qui suam ita abjecerunt voluntatem, ut nè ipsum quidem cor proprium habeant, & non quod ipsi, sed quid Dominus velit, omni horâ requirant, dicentes sinè inter- *1. Reg. 3.* missione: *Domine, quid me vis facere?* Et illud Samuelis: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Heu! plures habemus Evangelici *Matth. 10.* illius cæci, quàm novi Apostoli, imitatores. *Quid vis* (ait Dominus ad cæcum illum) *ut faciam tibi?* quanta est miseratio tua Domine, quanta dignatio tua? Siccinè Dominus quærit, ut servi faciat voluntatem? Verè cæcus ille, quia non consideravit, non expavit, non exclamavit. Absit hoc Domine, tu magìs dic, quid me facere velis. Sic enim decet, sic omninò dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri & fieri voluntatem. Videtis fratres, quia verè necessaria erat hoc in loco conversio? Sic profectò, sic multorum usque hodie pusillanimitas & perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat. Quid vis ut faciam tibi? Non ipsi quærant, Domine quid me vis facere? Considerare necesse habent ministri & vicarii Christi, quod sibi præcipi velint, non ipsi considerant, quæ voluntas sit præceptoris. Non est obedientia eorum plena, non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt, & dijudicant eligentes, in quibus obediant imperanti, imò in quibus præceptorem suum ipsorum necesse sit obedire voluntati. Hujusmodi itaque etsi tolerari se videant & condescendi, ac moram geri infirmitati suæ, proficiant obsecro, pudeatquè semper parvulos inveniri, nè quando fortè audiant: Quid debui vobis facere, & non feci? & abutentibus patientiâ & benignitate Prælati, fiat tandem multitudo exhibitæ miserationis cumulus justæ damnationis.

Gradus

Gradus Obedientiæ ex aurea Formula D. Bonaventuræ de grad. virtutum c. 2.

OBedientiæ altus gradus eſt, obedire Creatori, Redemptori, Remuneratori noſtro, qui vult commune bonum noſtrum in præſenti & in futuro: cui obediendum eſt meritò in omnibus præceptis & prohibitionibus, quia nihil præcipit, niſi ducat nos ad ſummum bonum; & nihil prohibet, niſi abducat nos à ſummo bono. Altior videtur obedientiæ gradus quodammodo eſſe, cùm obedimus hominì in perſona DEI, quaſi obediremus ipſi DEO: quia DEO tenemur obedire propter prædicta, ſed non homini tenemur, niſi propter DEUM. Cùm obedimus, inquam, homini perfecto & diſcreto, qui omnia cum diſcretione & deliberatione imperat. Altisſimus autem videtur gradus obedientiæ, cùm obedimus homini indiſcreto, & dyſcolo, & deſpecto, in perſona DEI, qui multa imperat cum impetu, & ſinè diſcretione & deliberatione. Unde *Petrus*: Servi obedite Dominis, non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Hæc eſt enim gratia apud DEUM. Quaſi dicat, non eſt meritum magnum bonis & modeſtis obedire; tamen cautè videatur, nè obediatur contra ſalutem. *Gradutum Obed. Ordo.* I. *1. Petr. 2.*

Item aliqualis gradus eſt obedientiæ in eo, quod homini ſvave eſt, & leve. Altior eſt, obedire in eo, quod grave eſt, & ad breve tempus. Altisſimus, obedire in eo, quod grave eſt ad longum tempus, vel uſque ad mortem. In hoc gradu ſtetit Chriſtus, cùm obedivit Patri ſuo uſque ad mortem, à principio vitæ turpisſima ſuſtinendo. II.

Item aliqualis eſt gradus obedientiæ, obedire propter timorem pœnæ inferendæ propter inobedientiam, ſicut ſæpè contingit. Altior eſt, obedire propter ſpem gratiæ in præſenti, & propter amorem gloriæ in futuro, quod etiam ſæpè contingit. Altisſimus eſt, obedire propter neutrum horum, ſed purè propter DEUM, quia DEUS Dominus noſter eſt, & nos ſervi ejus. III.

Item altus gradus eſt obedientiæ, implere verbum Prælati propter DEUM. Altior, implere nutum. Altisſimus, im- IV.

Joann. 6. plere voluntatem; sicut *Christus* dixit: Non veni facere volun-
Marc. 4. tatem &c. *Et iterum:* Si fieri potest, transeat &c.

V. Item aliqualis gradus est, cùm mandatum differtur, & tamen impletur. Altiòr, cùm statim perficitur, sed tamen cum murmure & involuntariè. Altissimus, cùm statim perficitur, sponte, & cum magno desiderio.

I. *Incitamenta* Obedientiæ hæc afferuntur. *Imum.* DEUS obedit obedientibus sibi: hinc ad imperium Josue bellantis bellum Domini, *stetit sol in medio cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel.* *Et Psalmista canit:* Voluntatem timentium se faciet. *Reg:* Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quàm victimæ, & auscultare magìs quâm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. *Eccl:* Qui custodit præceptum, non experietur quidquam. *Prov:* Vir obediens loquetur victorias. Hinc *D. Gregorius:* Cùm hominibus pro DEO subjicimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, qui obediunt, quia dum voluntatem suam aliis perfectè subjiciunt, ipsi lapsis, per obedientiam dominantur. Et *S. Laurentius Justinianus* ait: Sicut sinè Duce non confiditur de victoria, ac sinè gubernatore non pervenitur ad portum: ita & absque obedientia impossibile est in vitæ hujus pelago non periclitari. Illa enim facit hominem triumphare. *Apostolus præcipit:* Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Hoc enim non expedit vobis. *Et Philipp:* Itaque charissimi mei, sicut semper obedîstis, non in præsentia mei tantùm, sed multò magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore salutem vestram operamini.

Marginal references: *Josue c. 10.* — *Psalm. 144.* — *1. Reg. 15.* — *Eccl. 8.* — *Prov. 21.* — *D. Gregor. lib. 4. in 1. Reg. c. 10.* — *S. Laurent. Justin. lib. de ligno vitæ c. 3.* — *Hebr. 13. v. 3.* — *Philipp. 2.*

II. *2dum.* *Angelicus Doctor* necessitatem Obedientiæ exinde probat: Quia sicut ex ipso ordine naturali divinitùs instituto inferiora

D. Thom. 2. 2. q. 104. a. 1.

inferiora in rebus naturalibus necesse habent subjici motioni superiorum; ita etiam in rebus humanis ex ordine juris naturalis & Divini tenentur inferiores suis superioribus per præcepta moventibus obedire. *Idem S. Doctor* primatum obedientiæ inter virtutes morales tribuit, quas etiam meritorias eâdem facit, ita dicens: Inter virtutes morales tantò aliqua potior est, quantò aliquis majus aliquid contemnit, ut DEO inhæreat. Sunt autem tria genera bonorum humanorum, quæ homo potest contemnere propter DEUM, quorum infimum sunt exteriora bona, medium autem sunt bona corporis, supremum autem sunt bona animæ. Inter quæ quodammodo præcipuum est voluntas, inquantùm scilicet per voluntatem homo omnibus aliis bonis utitur. Et ideo, per se loquendo, laudabilior est obedientiæ virtus, quæ propter DEUM contemnit propriam voluntatem, quàm aliæ virtutes morales, quæ propter DEUM aliqua alia bona contemnunt. Unde *S. Gregorius* dicit in ult. Moral. quòd obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. *Unde etiam quæcunque alia virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud DEUM, quòd fiunt ut obediatur voluntati Divinæ. Nam si quis etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hoc ordinaret ad impletionem Divinæ voluntatis, quod rectè ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possent, sicut nec si fierent ex charitate, quæ sinè obedientia esse non potest.* Dicitur enim 1. Joan. 2. quòd qui dicit se nôsse DEUM, & mandata ejus non custodit, mendax est. Qui autem servat verba ejus, verè in hoc charitas DEI perfecta est. Et hoc ideo est, quia amicitia facit idem velle & nolle. *Hæc D. Thomas. Idem:* Laudabilius est obedire DEO, quàm sacrificium offerre; quia in sacrificio immolatur aliena caro, per obedientiam autem propria voluntas, ut S. Gregor. dicit: Specialiter tamen in casu, in quo loquebatur Samuel, melius fuisset Sauli obedire DEO, quàm animalia pingvia Amalechitarum in Sacrificium offerre contra DEI mandatum)) *Idem S. Gregorium citans ait:* Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras inserit, insertasquè custodit; inquantùm scilicet actus virtutum operatur causaliter, vel dispositivè ad earum generationem,

D. Thom. 2. 2. q. 104. a. 3.

D. Gregor. lib. ult. c. 12. ante med.

NB.

D. Thom. 2. 2. q. 104. a. 3. ad 1.

Moral. lib. ult. c. 12.

D. Thom. cit. a. 3. ad 2.

S. Gregor. ult. Moral. c. 12.

nem, & conservationem. Nam ad obedientiam pertinent omnes actus virtutum, prout sunt in præcepto. *S. Augustinus* pulchrè discurrit: Expedit, ut ille, qui sibi subjici vult, quod est inferius, se subjiciat superiori suo. Agnosce ordinem. Tu DEO, tibi caro; quid justiùs? quid pulchriùs? tu majori, minor tibi: servi tu ei, qui fecit te, ut tibi serviat, quod factum est propter te. Si autem contemnis tu servire DEO; nunquam efficies ut tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris à servo. *Climachus*: Obedientia, *ait*, est animæ propriæ perfecta abnegatio, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad DEUM excusatio, metûs mortis contemptio, tuta navigatio, confectum dormiendo iter. Obedientia est sepulchrum voluntatis, discretionis depositio. *S. Antonius* ajebat velocem & compendiosum modum perveniendi ad perfectionem esse obedientiam; quod ut nos doceret Christus, ait se venisse, ut faceret voluntatem, non suam, sed Patris. Unde Paulus simplex ex hac doctrina S. Antonii, Obedientiæ & simplicitatis merito ad tantum gratiarum culmen ascendit, ut multò plura & potentiora faceret miracula, quàm ipse S. Antonius. Legitur in vitis Patrum, quendam vidisse quatuor ordines in cælo. 1 infirmorum & gratias agentium DEO. 2. hospitalitatem sectantium. 3. in solitudine conversantium. 4. Obedientium. Utebatur autem, inquit, ordo obedientium torque aureâ & coronâ, & majorem quàm alii gloriam habebat, quia alii faciunt sua secundùm propriam voluntatem, obediens autem omnes voluntates suas abjiciens pendet ad DEUM, & ad jussionem Patris spiritualis, propterea & majorem gloriam præ aliis habet. Unde adhortando concludit: Obedientia salus est omnium fidelium, obedientia est genitrix omnium virtutum, obedientia regni cælorum inventrix est. Obedientia cælos aperit, & homines de terra elevat, obedientia cohortatrix Angelorum est. Obedientia Sanctorum omnium cibus est. Ex hac enim ablactati sunt, & per hanc ad perfectionem pervenerunt. *S. Bernardus*: Bonus obediens dat suum velle, & suum nolle, ut possit dicere, paratum cor meum DEUS, paratum cor meum, paratum quodcunque præceperis facere, paratum ad nutum

S. August. in Psalm. 143.

Climachus grad. 4.

In vitis Patrum.

In vitis Patrum lib. 14.

S. Bernardus Serm. super Cant.

nutum citiùs obedire, paratum tibi vacare, proximis ministrare, meipsum custodire, & in cælestium contemplatione requiescere, amabilis sociis, omnibus officiosus, & nulli onerosus, devotus ad DEUM, benignus ad proximum, sobrius ad mundum, Domini servus, proximi socius, mundi Dominus. Superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium.)) *S. Magdalena de Pazzis* dixit: Faciendo exercitia religiosa, & actus obedientiæ S: certa sum, quòd id sit, facere voluntatem DEI: de quo non sum certa, cùm facio orationem, seu alia quanquam bona, & sancta opera, electa ex propria voluntate. *In vita S. Magdal. de Paz.*

3tium *Incitamentum ex Patre Lohner* addo pro Religiosis, quatenus obedientia sub votum cadit. Quia 1. per votum Obedientiæ non tantùm corpus proprium, quod per castitatem offertur, nec tantùm res exteriores, quæ per votum paupertatis DEO consecrantur; sed ipsa voluntas, quæ omnibus potior est, dedicatur. 2. Quia votum obedientiæ continet sub se alia vota, cùm ad votum illud spectet servare omnia, quæ sub præceptum cadunt, vel sub peccato obligant, qualia utique etiam castitas & paupertas censentur. 3. Quia votum obedientiæ propriè se extendit ad actus Religionis, quantò autem aliquid propinquius fini est, tantò melius censetur. Atque hæ tres rationes à Sancto Thoma afferuntur, ex quibus ille deducit, hoc magis esse essentiale votum, quàm reliqua, cùm illa duo sinè obedientia neutiquam constituant Religiosum, obedientia verò secundùm Regulam sola à quibusdam Religionibus, ut Carthusiensi & Benedictina voveatur. 4. Quia virtus obedientiæ est origo, materque omnium virtutum. 5. Quia summam cum charitate conjunctionem habet, cùm utraque secundùm beneplacitum Divinum actiones suas dirigat; utraque sit virtus generalis ad mandatorum custodiam impellens; utraque sit virtutum reliquarum forma & parens: utraque idem cum DEO velle & nolle habeat, licèt diversâ ratione, nempe charitas per modum amici, obedientia per modum subditi. Ex quibus omnibus tandem colligitur, obedientiam afferre homini triplicem perfectionem, juxta triplicem *Biblio. Man. tit. Obedientia.*

 plicem

plicem scilicet titulum, secundùm quem considerari potest. Nam quatenus *simpliciter ut homo* spectatur, eum perficit, dum eum in naturalem suum statum reducit, omnesquè inferiores potentias rationi, veluti parti superiori subjicit: deinde quatenus *politicè*, consideratur, ut *membrum communitatis*, vel reipublicæ, eundem perficit; dum eum suo capiti subordinat, & per hoc ipsam politici corporis incolumitatem conservat: denique quatenus ut *Religiosus* perfectionis studiosus spectatur, ipsum perficit, dum eum DEO ipsi perfectissimè conjungit, & subjicit, secumquè charitatem, & reliquarum virtutum supernaturalium apparatum adducit.

4tum ab Exemplis. Christus obedientiæ idea: De quo *S. Bernardus*: Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De Authore tuo loquens Evangelista: *Et erat subditus illis*, haud dubium, quin MARIÆ & Joseph. Erubesce superbe cinis, DEUS se humiliat, & tu te exaltas? DEUS se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Authori? Utinam! mihi aliquando tale aliquid cogitanti DEUS respondere dignaretur, quod, & suo increpando respondit Apostolo; Vade, inquit, post me sathana, quia non sapis ea, quæ DEI sunt. Quoties enim hominibus præesse desidero, toties DEUM præire contendo, & tunc verè non sapio ea, quæ DEI sunt. De ipso namque dictum est: Et erat subditus illis. Si hominis, ô homo, imitari dedignaris exemplum, certè non erit tibi indignum, sequi Authorem tuum.)) *Et Apostolus* de Christo inquit: Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem; mortem autem crucis. Propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in Nomine JESU omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingva confiteatur, quia Dominus JESUS CHRISTUS in gloria est DEI Patris. Itaque charissimi mei, (sicut semper obedîstis,) non in præsentia mei tantùm, sed multò magìs nunc in absentia mea, cum metu, & tremore vestram salutem operamini.)) Ubi adverte, fuisse Christum obedientem etiam sententiæ iniquissimi sui Judicis Pilati, tum voluntati sceleratissimorum Tortorum suorum,

S. Bernardus homil. 1. super missus est.

Luc. 2.

Philip. c. 2.

orum, accommodando suum Sanctissimum corpus ad eorum carnificinam pro ipsorum arbitrio. *Et ad Hebr.* scribit: Et quidem cùm esset Filius DEI, didicit ex iis, quæ passus est obedientiam, & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. *Hebr.* 1.

DEIpara obedientiæ exemplar. Audiatur Guarricus Abbas Serm. 3. de Assumpt. ubi ait: *MARIA voluntatem Patris intantùm faciebat, ut de ipsa prædicaret Pater: Vocaberis, voluntas mea in ea.* Hinc Beatissima Virgo obediens in mysterio Incarnationis illo verbo *Fiat*, plus merita est quàm omnes Sancti suis actibus, teste *S. Bernardino*: Elevata quippe est, ut ipse ait, ad infinitatem perfectionum & gratiarum, ad imperscrutabilem abyssum charismatum Spiritûs Sancti. Audiatur quoque ipsa DEIpara, quæ apud S. Brigittam lib. Revelat. cap. 42. sic loquitur: *Habui obedientiam, quia studui obedire Filio meo in omnibus.* Obediens fuit hominibus. Et *primò* parentibus suis promptissimâ, lætissimâquè voluntate, in omnibus obsecundavit. Sancta Melchtildis quæ per revelationem accepit, hæc de ea refert lib. 7. c. 15. *Ab infantia patri & matri usque adeo obsequens & morigera erat, ut nullâ unquam re eos aut offenderit, aut contristaverit.* Nec Parentibus modò, sed aliis etiam hominibus (teste S. Epiphanio) quacunque de re cum illis ageret, honori & venerationi fuit. Quo tempore vixit in templo, summam reverentiam Sacerdotibus exhibebat, & Summi Pontificis decretis promptissimè obtemperabat. S. Bonaventura vitæ Christi c. 4. affirmat, B. M. Virginem inter cætera quæ consveverat degens in templo à DEO petere in orationibus, petivisse singularem à DEO gratiam mandatis, & decretis Pontificis templi parendi. *Secundò*, obedivit Joseph sponso suo per triginta & unum annos (eo enim anno, quo Christus baptisma suscepit, Joseph mortuus esse creditur, secundùm Canisium libro tertio, capite tertio) subjecta fuit. In Nazareth eum sequendo: in Bethleem cùm Cæsari census esset pendendus, eum comitando: in Ægyptum cum eo secedendo. Per septem annos (ex sensu S. Anselmi in Capite secundo Matth.) cum eo continuò manendo, & rursum in Patriam redeundo. *Tertiò*, obedivit Cæsari Augusto, homini Ethnico, cùm à Naza-

V. Justinum Mechovium in Litanias Laur. tit. Speculum justitiæ.

S. Bernardinus serm. 15. de B. V.

reth in Bethleem nonaginta millia passuum itinere (ut Antonius Aranda in descriptione terræ Sanctæ tradit) idquè partui vicina, cum Joseph profecta est, *ut profiteretur*, hoc est, ut nomen suum inscribi faceret, & nummum censûs capiti positum penderet; Quo sanè docet, obediendum esse Superioribus, nedum fidelibus & bonis, verùm & infidelibus, perversis, ac impiis. *Quartò* obedivit, cùm Legi Purificationis spontè se subjecit: quod communis lex vulgaribus fœminis puerperis præscribebat, ipsa non vulgaris, sed singularis, ac proinde non lege obstricta, sed solo exemplo Filii sui mota, executa est.

Luc. 2.

S. Bernard. Serm. 2. in festo S. Andreæ.

S. Bernardus ait: Vis audire perfectæ obedientiæ formam? Vidit Dominus (ait Evangelista) Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Faciam (inquit) de piscatoribus piscatores, imò prædicatores. At illi continuò nihil dijudicantes aut hæsitantes, nihil soliciti unde viverent, nec considerantes, quonam modo rudes homines, & sinè literis prædicatores fieri possent; nihil denique interrogantes, sinè omni mora, relictis retibus, & navi, secuti sunt eum. *Idem;* Nec sanè dubium, quin ampliorem gratiam mereatur, qui paratum se exhibeat etiam ante mandatum, quàm qui obedire satagit post mandatum. Magna quidem obedientia vestra, Angeli Sancti, sed quod dicere audeam pace vestrâ nescio an inveniatur in vobis quisque paratus, aliquando in tale ministerium mitti, in quo necesse habeat non videre faciem Patris. Magnum est, Petre, qui Dominum secuturus omnia reliquisti, sed audivi te in monte dicentem, ubi transfiguratus est coram vobis: Domine bonum est nos hìc esse, faciamus hìc tria tabernacula. Non est hoc: Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Paratum cor tuum Martine, paratum cor tuum, sive manere in corpore, sive dissolvi, & esse cum Christo.

Idem in festo S. Martini.

Lohner Bibl. man. tit. Obedientia.

Cass. lib. 4. de instit.

Alia exempla ex P. Lohner. Cassianus de Monachis sui ævi sic scribit: Considentes intra cubilia sua, & operi ac meditationi pariter intendentes, cùm sonitum pulsantis ostium ac diversorum cellulas percutientis audierint, ad orationem scilicet eos, seu ad opus aliquod invitantis, certatim è cubilibus suis prorumpunt,

rumpunt, ita ut is, qui opus scriptoris exercet, quàm repertus fuerit inchoâsse literam, finire non audeat, sed in eodem puncto, quo ad aures ejus sonitus pulsantis advenerit, summâ velocitate prosiliens, nè tantùm quidem moræ interponat, quantùm cœpti apicis consummet effigiem, sed imperfectam lineam literæ relinquens, non tam operis compendia lucrari, quàm obedientiæ virtutem exequi toto studio atquè æmulatione festinet. Quam non solùm operi manuum, seu lectioni, vel silentio & quieti cellæ, verùm etiam cunctis virtutibus ita præferunt, ut huic judicent omnia postponenda, & universa dispendia subire contenti sint, dummodo hoc bonum in nullo violare videantur. *Aliud.* S. Dositheus, cùm ob delicatam indolem graves pœnitentias suscipere non posset, coronam S. Antonio parem per quinque annorum exactam obedientiam promeruit. *Aliud.* Quidam senex, cùm Fratres noctu psallerent, Angelum prodeuntem, & calicem cum hostia portantem vidit, in quem intingens signabat frontem præsentium, imò & aliquorum absentium sedes, quia ex obedientia aberant, &, licèt somno vacarent, commune tamen cum aliis meritum reportabant. *Aliud.* S. Dorotheus de seipso fassus est, obedientiâ factum esse, ut in tanta quiete viveret, ut plerumque pœniteret ipsum tantæ tranquillitatis; quousque hâc suâ tentatione Patri Spirituali expositâ intellexit, hunc proprium obedientiæ esse fructum. *Aliud.* S. Franciscus Seraphicus de se ita dicere solebat: Inter alias gratias, quas Divina bonitas in me plenâ congessit manu, etiam hâc me dignata est, ut animo tam libenti unius horæ Novitio, quàm cuivis Veterano quamlibet prudenti obtemperarem. *Aliud.* S. Francisca Romana etiam illas res, quas sciebat Divinitùs se debere exequi, non exequebatur sinè Confessarii consensu, idquè DEUS in illa probabat. Eidem S. Brigitta apparens dixit, ut ad imitationem sui nunquam discederet ab obedientia, cùm sit vera via operandi mirabilia, & addidit, ut si fortè vocaretur ab obedientia, dum cum magna suavitate loquitur cum dilecto Domino, sinè ulla mora relinqueret illam conversationem propter obedientiam. *Hactenus Lohner.*

Rodr. p. 3. tr. 5. c. 1.

S. Doroth. doctr. 15.

S. Doroth. doctr. 5.

L. 1. Chron. p. 1. c. 28.

L. 1. vit. c. 27. & lib. 3. c. 17.

S. Magdalena de Pazzis in primo ingressu ad Novitiatum proci- *In vita ejus.*

procidens ad pedes Magistræ suæ humiliter petiit: Mater mea (inquit) tibi me reddo tanquam mortuam, fac mecum quod tibi placuerit; promitto me fore in omnibus obedientem: Et precor, nè ullam habeas conniventiam humiliandi me, & mortificandi, prout tibi DEUS mandaverit. Eadem Sancta cùm voluntatem DEI in ecstasi edocta, ad se reversa, vellet quâdam vice cum Superiorum consensu perficere: isquè negaretur; iterum in ecstasi cùm adigeretur ad idem perficiendum, dixit: DEUS meus! quando ero tecum, ero tibi obediens: & cùm fuero cum illis, illis obediens ero, digneris ipsis dare lumen in illa valle. Eidem Sanctæ non sufficiebat esse subditam solis Superioribus, insuper subdebat se æqualibus suis, imò longè junioribus se. Elegit itaque unam ex sociabus sororem, cui se tradidit in obedientiam cum tanta humiliatione, ut etiam ipsas actiones quas vel ex imminenti necessitate, vel ex Regula, & Constitutionibus perficere debuisset, nunquam illas explebat, sinè illius impetrata facultate: Idquè faciebat ideo, quia noverat benè, gratiùs esse DEO, facere ex obedientia. Cùm verò illam sororem non haberet præsentem, ab aliis sororibus petebat licentiam, quòd si & has non habuisset, tunc apud suas proprias Novitias mendicabat obedientiam. Deinde adeò sincerè, promptè, ac hilariter fuit obediens minimæ etiam sorori in culina gubernam tenenti, quasi ipsi superiori Matri. Et in illa enim respiciebat personam jubentis Christi. Docebatquè sibi subditas, quòd hic modus obediendi simpliciter omnibus (nimirum in quolibet præcipiente respiciendo personam Christi) esset præcipuum medium, quo fit in statu religioso maximus fructus, & copiosum in virtutibus sanctissimis incrementum. Addebatquè, quòd anima quælibet, quæ hanc veritatem in corde suo exprimit: Quòd omnis superior sit vicarius DEI, & quidquid statuit, & dicit, quòd sit statutum & dictum à DEO ipso per os ejus; pro hoc acquirit à DEO has quinque præcipuas gratias. 1mò. Quòd mediante ejus fide DEUS eò amplius se partitur illi superiori, pariter & ejusmodi subdito, qui habet hanc fiduciam ita vivam in corde suo. 2dò. Quòd omnis obedientia semper illi erit æqualiter amabilis, sive fuerit molesta, sive

ſta, ſive etiam accepta. *3tiò.* Quòd ſemper invenietur in corde ſuo pacificus & ſinè pavore: ſentietquè intra quoddam magnum gaudium & dulcedinem animæ *4tò.* Quòd eò magis fiet aptior ad juvandum Eccleſiam S. oratione, quia JESUS exaudit orationes obedientium; & quidquid petierint, exaudientur propter veram obedientiam. *5tò.* Quòd ex animabus obedientibus ipſe DEUS efficit ſibi coronam: quia ſicut corona monſtrat magnificentiam Regiam, ita animæ obedientes magnificant & glorificant DEUM in omnibus operibus ſuis. Eadem Sancta etiam in profundis ecſtaſibus ad vocem obedientiæ revertebatur, perficiebatquè opus manens ecſtatica. Imò videbant ſorores ſæpè, quòd in ſuis ecſtaſibus nullam aliam audiebat nec intelligebat vocem, niſi vocem Superioris ſuæ. Eadem Sancta modò minimum ſignum haberet voluntatis Superiorum, obediebat: imò ſuis modis conabatur ſemper prævidere voluntatem Superiorum, ut anteverteret oris mandatum. Cæcam obedientiam, quæ conſiſtit præcipuè in abnegatione proprii judicii, ſummè colebat hæc Sancta, ut dixerit: Obedientia expleri perfectè nequit, ſi non fuerit venundatum proprium judicium ſub voluntatem & judicium Superioris. Videbaturquè ei non eſſe vera obedientia, etſi quis mandatum expleret, ſi ſuum judicium aliis non ſubderet, quanquam in rebus ſibi contrariè viſis. Unde in ecſtaſibus præcepta ſibi à Domino (etſi ſciret illa eſſe à DEO) nunquam perficiebat ſinè expreſſa obedientia Superioris, dumquè aliud judicium Superiorum ſuorum ſentiret, mortificabat ſuum, ſubdebatquè. Proxima morti faſſa eſt, quòd ex nulla re majorem quietem inveniret, quàm quòd fuiſſet certa, totâ ſuâ vitâ nunquam ſe gesſiſſe juxta proprium judicium & voluntatem, ſed ſemper imitata fuiſſet voluntatem Superiorum, & fuiſſet obediens mandato Patrum Spiritualium.

Beata Catharina Bononienſis dicebat: Obedientia magis ſinè dubio eſt meritoria, quàm ulla pœnitentia, quæ fieri poteſt. Si enim Abraham fuit juſtificatus, & tantoperè placuit, quia DEO ſolùm obedivit, quantò magis juſtificabitur creatura, quæ pro amore DEI ſe ſubmittit ad obedientiam ſervo ipſius DEI? Eadem dixit: Quis dubitare poteſt de ſua ſalute, ſi vitam finiat in obe-

In lib. à ſe ſcripto jubente DEO,

§.7. de armat.

obedientia, quæ suo Domino similiorem facit, quàm ulla alia virtus. Itaque qui vult erigere bonum ædificium, accipiat illam pro suo fundamento, & credat firmiter, se meliùs salvandum per illam, quàm per ullam pœnitentiam, jejunium, & quamvis contemplationem.

Biblioth. Man. tit. Obedientia. Circa *Praxim* Obedientiæ hæc ex P. Lohner observa: I. *Non intueri in persona Superioris hominem obnoxium erroribus atque miseriis, sed Christum ipsum,* qui est sapientia summa, bonitas immensa, charitas infinita, qui nec decipi potest, nec nos vult ipse decipere. *In epist. de obedientia.* Quibus verbis S. Ignatius hoc medium svasit, adducens pro illius confirmatione etiam S. Bernardum dicentem: *Lib. de præc. & disp.* Sive DEUS, sive homo vicarius DEI mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum, modò tamen DEO contraria non præcipiat homo.

II. *Firmissimè credere: eum superiorem, quem quis habet, à DEO ipsi prædestinatum esse, & quidquid ipse præceperit, DEI præceptum esse:* sic enim perinde ut ad credenda, quæ fides Catholica proponit, toto animo, assensuquè nostro statim incumbimus, sic ad ea facienda, quæcunque superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, sinè ulla disquisitione feremur, quemadmodum S. Abraham filium immolaturus fecisse, credendus est. Ita iterum ejusdem ferè verbis hoc remedium S. Ignatius commendavit. *In dictis P.P. c. 8.* Quod etiam pius quidam Pater apud Blosium his valdè benè notandis verbis svasit: Certò tibi persvade, ipsum Dominum DEUM tuum suâ æternâ sapientiâ ac bonitate illos prælatos, quos habes in eo, quem aggressus es statu tibi prædestinâsse, & providisse, ac per eos potiùs, quàm per alios suam gratiam tibi præstare velle.

III. *Benè animatum affectumquè esse ad id, quod superior mandat vel sentit;* *In Epist. cit. de obedientia.* sic enim fiet, inquit iterum S. Ignatius, non solùm ut sinè molestia, sed etiam cum voluptate lætitiaquè pareatur; *S. Leo l. 4. de jejunio sept. Mensis.* nam, ut est apud S. Leonem, non durâ ibi necessitate servitur, ubi diligitur, quod jubetur. Pro quo medio faciliùs practicando svadet P. Jacobus Alvarez, ut superiores suos quis tanquam de se benemeritos Patres, & qui non tam esse, quàm benè esse dare soleant, aspiciat, diligatquè.

IV. Omnem

IV. *Omnem affectum inordinatum eruere*, præcipuè amoris, & timoris immoderati, quod medium Richardus de S. Victore sequentibus verbis prudenter svasit: Duo sunt, quæ solent perfectionem obedientiæ præpedire, id est, nè cogamur vel amata deserere, vel aspera tolerare. Sed si semel animus vel amore abstinentiæ, vel patientiæ perfectè incaluerit, protinus Ruben, id est, timor DEI ad omnem obedientiam absque ulla contradictione se subdit. Qui enim tam adversa perpeti, quàm prosperis non delectari, apud semetipsum statuit, quæ difficultas ejus obedientiam minuere poterit? Si enim dura & aspera quæque pro DEI amore etiam per memetipsum appeto, cur non magis hæc ex adjuncta obedientia, ad majoris meriti gloriam tolero? *Richard. apud Alvar. to. 2. l. 5. p. 5. c. 17.*

V. *Assvefacere se, ut etiam minoribus se subdat, & obediat: Sic enim non difficulter Majoribus obedientiam præstabit.* Quod medium S. Bernardus his verbis suggessit: Parum est, subjectum esse DEO, nisi sis & humanæ creaturæ propter DEUM, sive Abbati, tanquam præcellenti, sive Prioribus, tanquam ab eo constitutis. Ego plus dico: subdere paribus, subdere & minoribus, sic enim nos decet implere omnem justitiam, & perfectionem obedientiæ. *S. Bernard. Serm. 2. in Cant.*

Vide etiam supradicta, & hic proportionatè applica. *1. 2. tra. 1. c. 1. s. ct. 4. subs. 2. §. 2.*

Actus interni Obedientiæ, ex Discipl. Claust. P. Joannis à J. M.

I. *Clementissime DEUS, postquam per Superiorem mihi tuum beneplacitum significaveris, firmissimè constituo ei, quasi tibi parere.*

II. *Profectò Sapientissime Domine, quamvis superior homo agrestis & ignarus esset; quidquid mihi diceret, quasi cælestia oracula suscipere.*

III. *Profiteor Domine, Superiorem meum propter te veneratione dignissimum esse, ac propterea me totum illi libentissimè subdo.*

IV. *Certissimum est Domine, Superiorem meum quasi DEUM esse, aliam ergo Sapientiam vel eruditionem minimè requiram.*

V. *Samè tametsi videretur carneis oculis meis Superior meus stultè loqui, verba vitæ me audire putarem.*

VI. *Eo certè modo fidelissime Domine, quo tibi obedirem, si te corporeis oculis cernerem, superiori meo parebo.*

VII. *Absit à me Domine, ut improbem, quod Superior meus probat.*

Actus externi Obedientiæ Christianæ, ex Thesaur. indef. Blasii Palma.

I. *Majorum tuorum, Pastoris, Confessariiquè vocem, ut Divinum oraculum auscultato: iis, & tum Magistratibus, tum Parentibus, observantiam præstato; eorum dictis obediens esto.*

II. *Leges Reipublicæ, aut communitatis, in qua vivis, exactè & constanter observato.*

III. *Multò magìs, si filiusfamilias, si servus, superiorum nutus attendito; imperata mox exequitur.*

IV. *Si à jussis abhorres, nisi rem malè præcipi liqueat, obtemperato.*

V. *Si dura imperantur, concoque, & peragito.*

VI. *In obediendo causam mandati nè quærito, nè excutito, ratio est voluntas & authoritas imperantis.*

VII. *Obedito autem spontè, sinè mora, sinè tædio, & integrè, quæ his ornamentis caret obedientia, imago & umbra est, non virtus.*

SUBSECTIO IX.

De Oppositis Obedientiæ.

V.D.Thom.2.2.q.104.a.2.ad 2. PRimum est, *Pseudo-obedientia,* seu per *Excessum;* quæ attenditur, non quidem secundùm quantum, sed secundùm alias circumstantias, inquantùm scilicet aliquis obedit vel cui non debet, vel in quibus non debet.)) Contra quod illud

Act. c. 5. servit Petri: Obedire oportet DEO magìs quàm hominibus.

Ex vitis fratrum Eremitarum D. Augustin. lib.2.c.13. Hic quoquè servit exemplum de quodam fratre Laico, qui licèt apparebat esse castus, & zelator ordinis; quia tamen dimittrebatur

batur ipsi voluntas propria, & superbè inter fratres conversabatur, & contra Superiores agebat quasi per zelum ordinis, infelix æternùm condemnatus est.

2dum est, *per Defectum contradictoriè*, quæ est *Negligentia Obedientiæ*; quòd scilicet minimè quis curat sua opera bona, vel indifferentia, ex motivo obedientiæ peragere. Hoc quantum damnum inferat Spiritualis lucri cessantis, est ineffabile. Quandoquidem Angelicus Doctor asserat, nullum opus moraliter quoque bonum, esse meritorium, quod non fiat ex obedientia, ut præcedenti Subsectione visum. Quod ipsum sufficiat ad excutiendam Incuriam Obedientiæ. Huc refertur *Imperfecta obedientia*, quæ ex suprà positis conditionibus aliquâ caret; sic v. g. de Obedientia non libenter & hilariter, sed cum murmure facta, S. Benedictus dicit; non fore ejusmodi Obedientiam gratam DEO, qui respicit cor murmurantis, imò pœnam habiturum ob delictum murmuris. Et sic de aliis. *Reg. c. 5.*

3tium Oppositum per Defectum contrariè, est Obedientia, quâ mandatum Superioris contemnitur. Unde cùm fit aliquid contra præceptum, non propter præcepti contemptum, sed propter aliquid aliud, est inobedientia materialiter tantùm, & pertinet formaliter ad aliam speciem peccati.

Motiva contra Inobedientiam. *Christus*: Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. *Rom*: Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. Et *Hebr*: Omnis prævaricatio & inobedientia accipit justam retributionem mercedis. *S. Gregorius* supra illud 1 Reg. 15: Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere, *sic ait*: Quia velut contempto Divino altari, ad aras dæmonum responsa percipiunt, dum cordis sui præcordiis ac superbis adinventionibus credunt, & salubribus Prælatorum conciliis, contraria sentiendo refragantur. Nolle autem acquiescere, idololatriæ sceleri simile dicitur, quia nimirum in inobedientiæ suæ obstinatione non persisteret, si propositi sui figmentum in corde quasi Idolum non gestaret: dum enim agenda in corde concipit, quasi idolum facit, & dum conceptum mentis propositum se acturum deliberat, quasi ad adorandum simula-

Luc. 10. *Rom. 5.* *Hebr. 2.*

chrum se inclinat, quasi ergo scelus Idololatriæ est, nolle acquiescere: quia quisquis in propria obstinatus est deliberatione, in majorem erigitur, quia intus eis, quæ fingendo statuit, propositis suis simulachris incurvatur. *S. Augustinus*: Sola Obedientia tenet palmam, sola Inobedientia invenit pœnam. Ex *S. Bernardo* vulgare dictum: Cesset voluntas propria, & infernus non erit.

S. Augustin. in Psalm. 70.

Adam per inobedientiam ejectus Paradiso cum tota stirpe sua, heu! heu! in quantas calamitates temporales, & innumera millia hominum in æternas devenerunt!

Rex Saul ob inobedientiam reprobatus, *à Samuele* audivit: *Pro eo, quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, nè sis Rex.* Et utinam! solùm perdidisset regnum terrenum, non verò etiam æternum. Hæc inobedientia Saulis, etsi obtegebatur specie boni, nam quasi ex quadam pietate, seu Religione pepercerat optimis gregibus Amalech in Sacrificia Domini, attamen id ipsum displicuit Domino, qui jusserat omnia interficere in terra Amalech.)) Ad propositum, dixerunt quidam Senes: *Si videris juvenem voluntate suâ ascendentem in cælum, tene pedem ejus, & projice eum in terram, quia non ita expedit ei.*

1. Reg. 15.

In vitis Patrum lib. 5. libell. 11.

In Praxi contra Opposita Obedientiæ utere convenienter suprà specificata.

1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

SUBSECTIO X.

De Gratitudine.

D. Thom. 2. 2. q. 106.

GRatia, *seu Gratitudo est virtus specialis, quâ beneficium à quocunque acceptum, mox affectu summo, re autem tempore opportuno, pro possibilitate, largientisquè benevolentia, recompensatur.*

Dicitur: *Virtus specialis*; quia etsi eminenter contineatur in Religione, per quam fit gratiarum actio Summo omnium bonorum Largitori; tum in pietate, quâ grati existimus in Parentes, ut nostræ generationis & disciplinæ principia; tum in observantia, quâ gratificamur dignitariis, ob eorum in commune

mune bonum beneficia: Tamen necessaria est alia virtus, quâ cuipiam benefactori, ex quadam honestate, & morali debito, pro privatis & particularibus beneficiis obligatur alter rependere vicem. Dicitur: *à quocunque acceptum;* quia cùm benefactor sit causa & principium quoddam beneficiati, tenetur is, cui benè fit, suo benefactori cuicunque gratus existere, præcellentibus quidem honorem exhibendo, indigentibus verò, aliquid eorum utilitati & necessitati proficuum exhibendo. Dicitur: *mox affectu summo &c.* Unde Seneca lib. 2. c. 35. de ben: *Vis reddere beneficium? benignè accipe.* Idem lib 4. de ben: *Qui nimis citò cupit solvere, invitus debet, & qui invitus debet, ingratus est.* Dicitur: *pro possibilitate &c.* Quia honestatis ratio atque debitum postulat, ut compensatio non tantummodo æquet, sed ut superet acceptum beneficium. Dicitur: *largientisquè benevolentia &c.* Nam recompensatio beneficii potest ad tres virtutes pertinere. Scilicet 1*mò* ad justitiam, ut fit in mutuo &c. & ibi recompensatio attendi debet secundùm quantitatem dati. 2*dò* ad amicitiam, quæ est utilis, & ibi recompensatio debet fieri secundùm utilitatem, quam quis ex beneficio accipit. 3*tiò* ad amicitiam honesti, ubi respectus faciendus est ad affectum dantis, quia hoc præcipuè requiritur ad virtutem.

Gradus Gratitudinis ex aurea Formula Seraphici Doctoris.

S. Bonavent. de Grad. virtutum c. 20.

I. Gratitudinis altus gradus est, dignè ponderare naturalia dona corporis. Altior, dignè ponderare naturalia dona animæ, scilicet memoriam, intellectum, & voluntatem. Altissimus, dignè ponderare gratuita dona animæ, scilicet dona Spiritûs Sancti, & virtutes.

II. Item, altus gradus est, ponderare dona temporalia â DEO collata. Altior, ponderare dona spiritualia à DEO percepta. Altissimus, ponderare dona æterna à DEO percipienda.

III. Item, altus gradus est, gratias agere de Scriptura. Altior, gratias agere de septem Sacramentis. Altissimus est, gratias agere de Sanctissimis exemplis JESU CHRISTI, & moribus Divinis.

 IV. Item,

IV. Item, altus gradus est, gratias agere de præceptis sacræ scripturæ. Altior, de consolationibus. Altissimus, de doctrinis Christi in Evangelio.

V. Item, altus gradus est, gratias agere de omnibus creaturis, quas habet homo in terra. Altior est, gratias agere de omnibus Angelis, & Sanctis, quos habet homo in cælo. Altissimus est, gratias agere de omnibus bonis, quæ habet in ipso. In omnibus his gradibus fuit Christus, ipso teste: Quæ placita sunt ei, facio semper.

1. Thess. 5. *Illicia gratitudinis.* 1mum. *Thess:* Semper gaudete, sinè intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc enim voluntas DEI in CHRISTO JESU, in omnibus vobis.

S. Augustin. Epist. 77. 2dum. *S. Augustinus:* Quid melius, *inquit*, & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm *DEO gratias?* Hoc nec dici breviùs, nec audiri lætiùs, nec intelligi grandiùs, nec agi fructuosiùs potest. *S. Bernardus Serm. 4. super Psalm: Qui habitat.* *S. Bernardus:* Confitenti humiliter, & devotè gratias referenti, non immeritò ampliora beneficia promittuntur: nam qui fidelis invenitur in modico, jure constituetur super multa: sicut è contrario accipiendis indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus, *S. Joann. Chrysost:* *Joann. Chrysost. in tract. de Symbolo.* Admoneo vos, ut Dominum semper benedicatis. Si venerint mala, benedicite, & dissolventur mala. Si prospera venerint, benedicite, & perseverabunt bona & prospera. *S. Bernardus:* *S. Bernardus in Epist.* Danti rependi gratiùs ab accipiente non potest, quàm si gratum habuerit, quod gratìs accipit: nam Spiritui gratiæ contumeliam facit, qui beneficium dantis gratâ mente non suscipit. *Idem super Cant. Serm. 1.* *Idem:* Quoties tentatio superatur, aut vitium subjugatur, aut imminens periculum declinatur, aut laqueus insidiantis deprehenditur, aut annosa, & inveterata quæcunque animi passio semel perfecteque sanatur, aut multum diu cupita, & sæpiùs petita virtus, tandem aliquando DEI munere obtinetur: toties personare debet gratiarum actio, & vox laudis. Debet ad singula quæque beneficia benedici DEUS in donis suis, alioquin ingratus reputabitur, dum discussio venerit, qui non potest dicere DEO: Cantabiles mihi erant justificationes tuæ. *S. Augustinus:*

gustinus: Quid est totâ die, id est sinè intermissione laudare, in prosperis, quia consolaris: in adversis, quia corrigis: antequam essem, quia fecisti me: cùm essem, quia salutem dedisti: cùm peccâssem, quia ignovisti: cùm conversus essem, quia audivisti: cùm perseverâssem, quia coronâsti. *Cardin. Bona:* Gratitudo debitum respicit ob acceptum beneficium. Nihil autem magis præstandum, quàm beneficii æstimatio; si non ex rei magnitudine, saltèm ex animo, & affectu donantis. Tum jugis benefacti memoria necessaria est, quæ semper animo hæreat. Gratiam referre nequit, nisi qui meminit; & qui meminit, jam refert. Hoc non exigit opes, non operam, non felicitatem, in promptu omnibus est. Ut desint vires, nunquam deerit voluntas, quâ rependere etiam Regibus potes. Cùm ab aliquo accipis beneficium, hilaris accipe, & gaudium profitere, quod sit danti manifestum, ut muneris sui fructum capiat. Justa lætitiæ causa est, lætum amicum videre, justior, fecisse. Qui gratè beneficium accepit, qui libenter & benignè primam ejus pensionem solvit. Nunquam voluit gratus esse, qui beneficium tam longè projecit, ut extra conspectum sit. Qui illud extollit, qui se negat gratiam referre posse, jam reddidit. Qui fastidiosè accipit, & negligenter, parvi facere illud videtur. Qui vix indicat se sensisse, vix labia deducit, ingratior est, quàm si taceret. Vir bonus dum accipit beneficium, de reddendo statim cogitat. Quid enim tam contra officium, quàm non reddere quod acceperis? Nec mensurâ pari, sed uberiori reddendum; sicut terra suscepta semina majori cumulo restituit. Cave tamen, nè in gratiæ relatione nimium festines. Quidam, cùm aliquod munusculum missum est illis, aliud subinde intempestivè remittunt, & se nihil debere testantur. Rejiciendi hoc genus est, cùm munus munere subitò expungis.

S. Augustin. super illud Psal. Totâ die repleatur os meum laude.

Card. Bon. Manuduct. ad cælum c. 24.

3tium. Movet ad gratitudinem consideratio ex dantis excellentia, & propensione affectus, tum ex accipientis utilitate, ingratitudine, tum ex dati honestate, necessitate, utilitate, jucunditate, quantitate. Hinc oritur æstimatio, beneficii memoria, conatus in recompensa modo sibi possibili.

4tum

4tum ab exemplis ex P. Lohner Biblioth. Man. tit. Gratitudo. Primò exemplum Christi, qui quando volebat opus grande facere, prius in cælum suspexit, & gratias egit, sicut patet in multiplicatione panium, suscitatione Lazari, & Eucharistiæ institutione. Secundò, exemplum B. V. MARIÆ, quæ nè unquam DEUM benedicere cessaret, ut D. Bonaventura loquitur, semper in ore habuit verba: DEO gratias. Neque aliud ferè respondere solita est. Tertiò, exempla Sanctorum. Ita omnes Angeli stabant olim, ut vidit S. Joannes, in circuitu throni, & ceciderunt in facies suas, & adoraverunt DEUM, dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo DEO nostro in secula seculorum, Amen. Aliud. SS. Apostoli cum gaudio reversi sunt, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo, quibus verbis beneficium sibi collatum extollunt, ac proinde gratias agunt, teste S. Hieronymo, & Theophylacto. Aliud. Primi Christiani, imò & Religiosi, teste S. Augustino, in communi congressu se per voces: DEO gratias: salutabant: hinc à Circumcellionibus per scomma, DEO gratias sunt vocati. Quartò, exempla Prophana. Sic Alphonsus Rex de tribus incessanter DEO gratias agebat, scilicet quòd hominem, quòd Christianum, quòd Regem fecerit. Aliud. Plato DEO assiduè gratias agebat, quòd homo, quòd mas, quòd Græcus, quòd Atheniensis, quòd tempore Socratis, à quo institui posset, natus esset.

Marc. 8. v. 6. Joann. 6. v. 11. &c. 11. v. 41. D. Bonavent. de vita Christi c. 33. Apoc. 7. v. 11. In cap. 7. Marc. S. Aug. in Ps. 132. Æneas Sylvius de dictis. Faber in Dom. 13. post Pent. co. 2.

In Praxi ad comparandam tibi gratitudinem præter suprà data hæc quoquè Motiva adhibe ex P. Lohner citat: quorum est I. *Dignitas benefactoris DEI*: De qua sic loquitur Thomas Kemp: Si dignitas datoris inspicitur, nullum datum parvum aut nimis vile videbitur; non enim parum est, quod à Summo DEO datur. Et iterum alibi: Minor ego sum omnibus bonis mihi præstitis; & cùm tuam nobilitatem attendo, deficit præ magnitudine spiritus meus. II. *Utilitas illius, cui beneficium confertur*. Quid enim est homo, quòd memor es ejus? filius hominis, quoniam visitas eum: tot scilicet beneficiis præveniendo? III. *Multitudo beneficiorum*: Neque enim, ut benè Seneca pronunciavit, necessitatibus nostris tantùm provisum est, usque

L. 2. c. 10. § 5. L. 3. c. 22. §. 1. Ps. 8. v. 5. Lib. 4. de benefic. c. 5.

in delicias amamur. Si ergo pauci interdum nummi aut floreni donati, tantopere excitant alios ad amorem benefactoris, gratumquè ei animum demonstrandum, quid tanta & tam multa beneficia non efficient? IV. *Magnitudo beneficiorum.* Quid enim majus DEO, & DEI Filio? atqui utrumque dat, se quidem in gloria, Filium verò pro redemptione, & in SS. Eucharistia; ad quæ duo beneficia, quia omnia ferè alia ordinantur, meritò ab illis quoque infinitam quandam magnitudinem participant. V. *Constantia & longanimitas benefactoris.* Ut qui toties à nobis offensus & irritatus, benefacere non cessat: unde meritò S. Chrysostomus quærens dicit: Cùm cæli ipsi DEI gloriam prædicent; ipse verò ob cujus gratiam sunt illi effecti, ita te geris, ut tui fictor & Creator DEUS propter te malè plerumque audiat. VI. *Utilitas donorum DEI.* Dat enim singula ad ipsum cognoscendum, amandum, fruendum, & ad nos beatificandum.

Serm. de grat. reddendis.

B. Albertus l. c.

Vide quoquè suprà dicta, & illa hìc proportionatè adhibe.

l. 2. tra. I. c. I. sect. 4. subs. 2. §. 2.

Actus interni Gratitudinis, ex Discipl. Claustra. Joannis à JESU MARIA. Carmelit.

I. *Dulcissime DEUS, habeo tibi gratiam pro immensis, tum naturalibus, tum supernaturalibus bonis, quibus me semper cumulas.*

II. *Misericordissime Domine, quid tibi pro creatione, conservatione, redemptione, justificatione, præservatione, auxiliis, inspirationibus reddam? Amantissime Domine, quid pro malis, quæ non committo, rependam, cùm tot sint beneficia, quot in mundo perpetrantur peccata.*

III. *Benignissime Domine, quid pro bonis operibus, verbis, cogitationibus, te donante, à me conceptis, & præstitis referam? Quippe, qui nisi te largiente nihil boni cogitarem.*

IV. *Optatissime DEUS, hâc ipsâ horâ, ut commerui, flammis inferni comburerer, & beneficio tuo liberatus sum: quid ergo tibi retribuam?*

V. *Liberalissime Domine, contulisti in me jus hereditatis æternæ (ut spero) quid agam?*

VI. *Fidelissime DEUS, providisti Sacramenta, verbi tui pastum,*

stum, consilia, solatia, & alia multa, quibus adjuver, ut ad te citiùs commodiùsquè perveniam: quid respondebo? Reddo tibi Domine cor meum: offero viscera mea: Sacrifico tibi in hostiam laudis præcordia mea.

VII. *Utinam amabilissime DEUS universa & Angelorum, & Sanctorum, & quotquot in universo mundo tibi placent, Filii præsertim tui unigeniti, ac Matris ejus corda possiderem, quæ tibi gratissimo affectu consecrarem.*

VIII. *Quo pacto possum dulcissime Domine, JESUM CHRISTUM Redemptorem meum, ac Beatam Virginem, & omnes Angelorum Hierarchias, & Beatorum reliquorum Justorum animas, quos rogo mihi ad gratitudinem sociari, tibi pro beneficiis reddo.*

Actus externi Gratitudinis, ex P. Lohner Biblioth. manual. tit. Gratitudo.

Actus potiores gratitudinis sunt I. Beneficium non negare, sed in recenti memoria retinere, & magnifacere. II. Beneficium, & benefactorem, ubi occasio datur, laudare & publicare. III. Benefactorem venerari, & amare. IV. Beneficium pro viribus mutuâ beneficentiâ recompensare. V. Beneficium etiam intuitu benefactoris honorandi & extollendi, ac recreandi, benè impendere.

SUBSECTIO XI.

De Oppositis Gratitudinis.

V. D. Thom. 2. 2. q. 107. a. 2.

VItium gratitudini oppositum *per Excessum* est, puta si recompensatio beneficii fiat, vel pro quibus non debet, vel citiùs quàm debet. *Per Defectum* autem opponitur secundùm diversos gradus, qui sunt secundùm ordinem eorum, quæ ad gratitudinem requiruntur, in qua primum est, quòd homo acceptum beneficium recognoscat: secundum est, quòd laudet, & gratias agat: tertium est, quòd retribuat pro loco & tempore, secundùm suam facultatem. Sed quia quod est ultimum in generatione, est primum in resolutione, ideo primus ingra-

ingratitudinis gradus eſt, ut homo beneficium non retribuat. Secundus eſt, ut disſimulet, quaſi non demonſtrans ſe beneficium accepiſſe. Tertium gravisſimum eſt, quòd non recognoſcat, ſive per oblivionem, ſive quocunque alio modo. Et quia in affirmatione oppoſita intelligitur negatio, ideo ad primum ingratitudinis gradum pertinet, quòd aliquis retribuat mala pro bonis: ad ſecundum, quòd beneficium vituperet: ad tertium, quòd beneficium quaſi maleficium reputet. *Idem*: Ingratitudo pro diverſitate circumſtantiarum interdum lethale, interdum veniale peccatum eſt. Ratio eſt, quia ex quo ingratus aliquis dupliciter dicitur. Uno modo per omisſionem ſolam: puta, quia non recognoſcit, vel non laudat, vel non retribuit vices pro beneficio accepto. Et hoc non ſemper eſt peccatum mortale: quia debitum gratitudinis eſt, ut homo etiam aliquid libenter tribuat, ad quod non tenetur. Et ideo, ſi illud prætermittit, non peccat mortaliter. Eſt tamen peccatum veniale, quia hoc provenit ex negligentia quadam: aut ex aliqua indiſpoſitione hominis ad virtutem. Poteſt tamen contingere, quòd etiam talis ingratitudo ſit peccatum mortale, vel propter interiorem contemptum, vel etiam propter conditionem ejus quod ſubtrahitur, quod ex necesſitate debetur beneficio, ſive ſimpliciter, ſive in aliquo necesſitatis caſu. Alio modo dicitur aliquis ingratus, quia non ſolùm prætermittit implere gratitudinis debitum, ſed etiam contrarium agit. Et hoc etiam ſecundùm conditionem ejus quod agitur, quandoque eſt peccatum mortale, quandoque veniale. Sciendum tamen, quòd ingratitudo, quæ provenit ex peccato mortali, habet perfectam ingratitudinis rationem. Illa verò, quæ provenit ex peccato veniali, imperfectam. — *Ibidem a. 3.*

Stimuli fugiendæ ingratitudinis. 1*mus*. *Prov*: Qui reddit malum pro bonis, non recedet malum de domo ejus. *Sap*: Ingrati ſpes tanquam hybernalis glacies tabeſcet, & diſperiet tanquam aqua ſupervacua.)) Ob ingratitudinem reprobati à DEO antiqui Philoſophi. Quia juxta *Apoſtolum*, cùm cognovisſent DEUM, non ſicut DEUM glorificaverunt, aut gratias ege- — *Prov 17.* *Sap. 16.* *Rom. 1.*

egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.

S. Bernardus Serm. 1. in cap. jejunii. 2dus. *Mellifluus Doctor:* Fluminis aqua, si stare cœperit, & ipsa putrescet, & inundatione factâ superveniens expelletur. Sic planè sic gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato, sed & quod acceperat, vertitur ei in perniciem. Fidelis autem in modico, censetur dignus munere ampliori. *Idem:* Et licèt dignas non sufficiam gratias agere, sed ingratitudinem prorsus odit anima mea. Peremptoria siquidem res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Dico ego vobis, quoniam pro meo sapere nihil ita displicet DEO, præsertim in filiis gratiæ, in hominibus conversionis, quemadmodum ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ, & ubi fuerit illa, jam gratia accessum non invenit, locum non habet. Hinc mihi fratres tristitia magna & dolor continuus est cordi meo, quòd nonnullos tam pronos ad levitatem, & risum, & ad scurrilia verba tam faciles video, ut pertimescam valdè, nè fortè plus quàm expediat Divinæ misericordiæ sint immemores, & ingrati tam multis beneficiis suis, aliquando deserantur à gratia, quam non ut gratiam venerantur.

Idem Serm. 2. Dom. 6. post Pentec.

Idem contra vitium ingratitudinis Serm. 27. *Idem:* Et fortè hoc etiam clementiæ esse videtur, ingratis negare quod postulant. Nè contingat nobis, ut tantò graviùs de ingratitudine judicemur, quantò magis accumulatis beneficiis, ingrati probabimur extitisse. Ergo misericordiæ res est, in hac parte subtrahere misericordiam, quemadmodum iræ & indignationis misericordiam exhibere, eam sanè, de qua per Prophetam ipse Pater misericordiarum loquitur, dicens: Misereamur impio, & non discet facere justitiam. *Idem:* Omnino enim sola nos à profectu conversationis impedit ingratitudo nostra, dum quodammodo amissum reputans Dator, quod ingratus accepit, cavet sibi de cætero, nè tantò plura amitteret, quantò plura conferret ingrato. Obsecro itaque fratres mei, humiliemur magìs ac magìs sub potente manu DEI, & ab hoc tam maximo, tam nequissimo vitio ingratitudinis longè fieri studeamus, ut totâ devotione in gratiarum actione versantes, conciliemus nobis gratiam DEI nostri, quæ sola potest salvare animas.

Idem ibidem.

mas. *Gellius*: Legimus leones aliasquè ferocissimas bestias gratas fuisse suis benefactoribus hominibus, eosquè à periculis liberâsse.)) Hinc, quàm ille horum omnium bestia bestialior, atrocior, adeoquè execrabilior, qui ingratus existit sibi benefacienti. *Gellius lib. 5.*

3tius. Imitare Psalmistam, qui ait: Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. *Psalm. 102.*

Vide suprànotata, & hic in praxim detestandi & fugiendi ingratitudinem, proportionatè accommoda. *1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.*

SUBSECTIO XII.

De Vindicatione.

Vindicatio, *est virtus specialis, quâ non ex livore contra peccantem, sed ex aliquo motivo honesto, adhibitis certis conditionibus, poenis proportionatis, punitur peccatum præteritum, vel præcavetur futurum.* *D. Thom. 2. 2. q. 108.*

Dicitur: *Virtus specialis*; quia cùm ad quamlibet inclinationem naturalem determinatam ordinatur aliqua virtus specialis; est autem quædam specialis inclinatio naturæ ad nocumenta removenda; sequitur debere dari quoque specialem virtutem, quâ eadem perficiatur inclinatio: & hæc virtus vocatur Vindicatio. Dicitur: *quâ non ex livore &c.* Quia animus vindicantis non debet ferri principaliter in malum alterius, ut in eo quiescat, hoc enim pertinet ad odium, delectari in malo alterius. Sed vindicantis intentio debet ferri principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis: puta, ad emendationem peccantis, vel saltèm ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum, & ad justitiæ conservationem, & DEI honorem, potest esse Vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis servatis.)) Dicitur: *adhibitis certis conditionibus*; quarum *prima* est, ut injuriam illatam non ulciscatur privatâ authoritate: quia ita sibi usurpat, quod ei à DEO non est concessum, sed utatur ad hoc publicâ potestate, quam DEUS instituit, ut sit vindex in iram *Ibidem a. 2.* *Ibidem a. 1.*

ejus, qui malè agit, prout Rom. 13. dicitur. *Secunda*, non esse incutiendum per pœnas timorem illis, qui ex amore bonum operantur, sed illis qui ex amore non moventur ad bonum, quia lex Evangelii est lex amoris. *Tertia*, ut injuriam DEO nequaquam dissimulemus, neque propriæ personæ illam, si ea quoque redundat in DEUM & Ecclesiam, sicut patet in Helia, qui fecit ignem de cælo descendere in eos, qui venerant eum capere. Inquantùm verò injuria cuipiam illata ad ejus personam pertinet, debet eam tolerare patienter, si expediat. Alioquin si non expedit, saltèm in præparatione animi patiens esse debet. Dicitur: *poenâ proportionatâ*, id est peccato; ubi intelligitur ratio æqualitatis inter culpam & pœnam, per quam æqualitatem vindicatio ad rationem justitiæ accedit. Esse autem

D. Thom. 2. 2. q. 108. a. 3.

(consentiente D. Thoma) octo pœnarum genera in legibus scribit Tullius, referente D. Augustino de Civit. lib. 21. c. 11. scilicet mortem, per quam tollitur vita: verbera, & talionem, ut scilicet oculum pro oculo perdat, per quæ amittit quis corporis incolùmitatem: servitutem & vincula, per quæ perdit libertatem: exilium, per quod perdit Patriam: damnum, per quod perdit divitias: ignominiam, per quam perdit gloriam. Dicitur: *quâ peccatum punitur*; nempe id, quod voluntariè commissum est, cujus pœna est tanquam medicina sanativa. Quanquam pœna nonnunquam etiam justis ut medicina peccatorum futurorum præservativa, & alicujus boni promotiva rectè infligitur.

Motiva ad faciendam vindictam in peccatoribus. 1mum.

Exodi 32.

Moyses ob adoratum vitulum aureum cum Levitis 33. millia hominum cæcidit ex Israël, ac tandem dixit Levitis: Consecrâstis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & in

Proverb. c. 29.

fratre suo, ut detur vobis benedictio. *Proverb.* dicitur: Virga atque correptio tribuit sapientiam.

Eccl. c. 7.

Eccl: Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere, (*id est, tollere, propulsare iniquitates*) nè fortè extimescas faciem potentis, & facias scandalum in æquitate tua.

2dum. DEUS ad Ezechielem ait: Quòd Nabuchodonosor Rex Babylonis non acceperit mercedem pro servitute, quâ

DEO

DEO servivit adversus evertendam Tyrum, ideoquè donandum esse eum pro hoc regno Ægypti. Hinc videtur DEI instinctu, vel Jeremiæ & Prophetarum monitu, Nabuchodonosor Tyrum invasisse bello justo. Unde DEUS pro hoc obsequio moraliter bono, infideli aliàs & impio Nabuchodonosori dedit mercedem non ex condigno, sed ex congruo, scilicet spolia Ægypti. Ita Hector, Pintus, & Emanuel Sa. Notent milites, qui Regi fideliter in bello justo serviunt, se DEO servire, etiamsi id expressè non cogitent. DEUS enim omnis justitiæ est Præses. Unde S. Hieron. ex hoc loco colligit, DEUM etiam infidelium bona opera remunerare. Verùm verius videtur, quòd Nabuchodonosor inscius, materialiter tantùm serviverit DEI providentiæ, & justæ vindictæ in vastanda Tyro: Formaliter verò, & ex intentione obsecutus sit suæ superbiæ, & ambitioni regnandi. Dicitur ergo merces ei data à DEO, non propriè, sed materialiter, id est, voluit DEUS, & statuit, ut ipse, quia voluntatem suam in Tyro punienda compleverat, ornaretur & honoraretur regno Ægypti Vide Canon 35. & 36. Voluit DEUS hìc ostendere, quàm sancta ipsiquè chara sit scelerum & sceleratorum vindicta, utpote qui eam licet materialem tantùm, in Chaldæis tam amplâ mercede, scilicet spoliis Ægypti, & Monarchiâ sit remuneratus. Chaldæi enim materialiter tantùm impleverant vindictam & voluntatem DEI, quia scilicet materialiter fecerunt volitum DEI, sive id quod volebat & optabat DEUS, nimirum ut Tyrus puniretur, & vastaretur, cùm formaliter non intenderent DEI, sed suam implere voluntatem dominandi. Sicut ergo improprium fuit hoc eorum meritum, & impropria adimpletio voluntatis Divinæ; ita & impropria fuit eorundem merces, propriè enim fuit donum DEI, non merces. Simili phrasi Chaldæos ad excidium Moab hortatur DEUS, dicens Jerem. 48. 10: Maledictus, qui facit opus DEI fraudulenter, opus Domini vocat vindictam & excidium Moab. Unde explicans subdit: Maledictus qui prohibet gladium suum à sangvine.)) Cyrus, puniens, & evertens Babylonem, itaque peragens re ipsâ justum contra eam judicium, vocatur Beatus Psalm. 136. 8. Filia Babylonis misera: Beatus qui retri-

Cornel. à lap. in Prophetam Ezechiel. c. 29.

retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram. *S. Augustinus ait:* Agenda sunt etiam multa cum invitis benignâ quâdam asperitate plectendis, quorum potiùs utilitati consulendum est, quàm voluntati. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur: quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, quâ pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior roboratur. *S. Gregor:* Tantò metuenda est via justorum, quantò & constat, quia in illorum cordibus ille præsens est, qui ad inferendam ultionem, quam voluerit, invalidus non est. *S. Bernardus:* Alius alia dispenset, de disciplina tu provide. Illud nemini credas. Si insolentior coram te sermo sonuerit, vel habitus apparuerit, manus tua super hujusmodi, ulciscere injuriam tuam. Impunitas ausum parit, ausus excessum. *Ibidem:* Pontificem esse debere virgam Potentium, malleum Tyrannorum, Regum Patrem, Deum Pharaonis. *Additquè:* Ubi malitiæ juncta potentia est, aliquid tibi supra hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat; timeat orationem, qui admonitionem contempsit: cui irasceris tu, DEUM sibi iratum non hominem putet. Qui te non audierit, DEUM contra se auditurum paveat. *Idem:* Non irasci ubi irascendum sit, nolle emendare, peccatum est; priùs verò irasci quàm irascendum sit, peccatum peccato addere est. *S. Bonaventura:* Iræ affectus datus est homini, ut irascatur vitiis, & malis suggestionibus, & ex indignatione non patiatur se trahi in consensum peccati, & reprimat malos motus in se, & in aliis, ubi opportunè potest, & ulciscatur DEI injurias & transgressiones justitiæ: & tunc dicitur zelus justitiæ, Sic legitur Christus iratus fuisse pluries Pharisæis, & aliis non rectè agentibus, & alii sancti viri.

[Margin: S. Augustin. Epist. 5. — S. Gregor. in Dial. l. 1. c. 9. — S. Bernardus l. 4. c. 6. de Consid. ad Eugen. Pontif. — S. Bernardus in Epist. ad Gvil. Abb. — S. Bonav. de perfect. Relig. c. 14.]

3tium. In DEO quantùm emineat justitia vindicativa, vide infrà. *Christus Dominus* confecto flagello de funiculis ejecit vendentes de templo. *Rex David ait:* In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: ut disperderem de Civitate Domini omnes operantes iniquitatem. *S. Franciscus,* quamvis benignissimus,

[Margin: P. 3. tra. ult. — Johann. 2. — Psalm. 100. — In Chron. l. 1. c. 19.]

ſimus, & ſvavisſimæ naturæ, magnam in caſtigandis ſuorum ſubditorum culpis rectitudinem adhibuit. Cùm uni ex Religioſis præcepiſſet, ut ad inſerviendum quibusdam leproſis iret, nec ille iviſſet, ſeverisſimè eum puniri jusſit; id quod & factum, licèt ita, ut vitæ adeſſet periculum: didicit ex hac pœna Religioſus ſuam culpam, ſequè correxit. Et agnovit Sanctus tantam puniendi necesſitatem, obligationemquè eſſe, ut cùm ob ingentem Religioſorum multitudinem culpæ excreviſſent, nec ille propter conditionem & infirmitates ſuas animum, viresquè ad eas, ſicuti oportebat, puniendas haberet, officium Generalatûs abdicârit. L. 2. c. 31. 32.

In Praxi ut hæc virtus vindicationis rectè exerceatur, his conditionibus eſt opus. 1*ma*. Quatenus vindex habeat publicam authoritatem ordinariam, vel delegatam puniendi. Hinc privata vindicta ſui etiam in ſuperiore non expedit: quare ſi ab inferiore injuriatur perſona vel officium in ſuperiore, Communitas ejuſmodi noxium judicet & puniat. Quod ſi non judicaverit, tum ipſe ſuperior læſum officium ſuum vindicet: quia officium ſuperioris quà tale, eſt publicum bonum Communitatis: injurias verò quatenus perſonam ſuam concernentes inferiori potiùs dimittat, imitans Chriſtum, qui ad perſonales proprias injurias atrocisſimas nec quidem aperuit os ſuum, imò Patrem pro ſuis crudelisſimis adverſariis oravit: Sed tactus in officio prædicationis doctrinæ, ſuæ ejus ſufficientes rationes dedit interroganti ſe Pontifici, & propterea in maxillam percusſus à ſervo, cum eo cœpit duriùs expoſtulare. Ita & S. Carolus Borromæus ad perſonæ propriæ injurias fuit patientisſimus, ſicut ad officii læſiones ultor zeloſisſimus. Denique S. Martinus, tametſi injurias propriæ ſuæ perſonæ factas ſufferebat, nec puniebat, ut manſvetudinem, humilitatemquè exerceret, & omnibus idem faciendi exemplum daret; tamen culpas contra alios, vel in damnum, malumvè exemplum Communitatis commiſſas, admodum juſtè vindicabat. Verùm cave hîc, nè te cæcus ſeducat amor tui proprius, ut non posſis diſcernere inter dictas injurias: *v. g.* Injuriæ perſonales ſunt, ſi inferior ſuperiorem Sever. in ejus vita.

 facto

facto dishonoret, vel calumnietur verbis vocando eum superbum, gulosum, iracundum, &c. Injuriæ officii sunt *v. g.* si sit inobediens, contemptor eorum, quæ sibi tanquam à superiore proponuntur &c. *2da Conditio* est, ut pœna infligatur bonâ intentione, ex zelo honoris DEI, & publici boni, aut privati delinquentis, ut potiùs hìc puniatur quàm in futuro seculo, vel ut præcaveantur futura delicta &c. *3tia.* Pœnas decernere juxta leges publicas, & prudens dictamen rationis, ita tamen, ut exaltet misericordia judicium.

SUBSECTIO XIII.

De Oppositis Vindicationis.

S. Gregor. lib. 26. c. 38. PRimum Oppositum est, *Pseudozelus justitiæ vindicativæ.* *S. Gregorius:* Omnis, per quem necesse est aliena vitia corrigi, semetipsum priùs debet solerter intueri, nè dum aliorum culpas ulciscitur, ipse ulciscendi furore superetur. Plerumque enim mentem sub obtentu justitiæ, iræ immanitas vastat, & dum quasi sævit zelo rectitudinis, rabiem explet furoris, justèque se facere æstimat, quidquid ira nequiter dictat. *Idem hom. 38. in Evang.* *Idem:* Vera justitia compassionem habet, falsa verò indignationem: quamvis & justi soleant rectè peccatoribus indignari: sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ.

2dum Oppositum vindicationis *per Excessum*, est peccatum crudelitatis vel sævitiæ, quæ excedit mensuram in puniendo. *Lib. 3. Reg.* Hinc DEUS Eliæ zelanti contra malignissimam Jezabellem & Pseudo-Prophetas Baal, apparuit non in turbine, non in igne, sed in sibilo auræ tenuis, ut eum doceret improbos puniendos non concito impetu ad extremam ruinam, verùm longanimiter, *S. Iren. l. 4. contra hæres. c. 37.* & mitiùs. Unde *S. Irenæus* inquit: Docebatur Propheta turbatior & concitatior ad vindictam mitiùs agere. *S. Gregorius:* Boni te dulcem, pravi sentiant correctorem. In qua correcti- *S. Gregor. in Regist. in di. 4. c. 8.* one hunc esse ordinem noveris observandum, ut personas diligas, & vitia persequaris; nè, si aliter agere volueris, transeat in crude-

crudelitatem correctio, & perdas, quos emendare desideras.

3tium Oppositum est per Defectum, & vocatur Impunitas, quâ vel absolutè non punitur, vel nimis remissè punitur peccator reus. *Contra quod est primò.* Sacerdos Heli de Sylo, quia remissiùs, & non severiùs, efficaciùsquè corripuit filios suos nequam, audivit à Domino: Ecce ego facio verbum in Israël, „ quòd quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus. In die „ illa suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super „ domum ejus: incipiam, & complebo. Prædixi enim ei, quòd „ judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniqui- „ tatem, eò quòd noverat indignè agere filios suos, & non „ corripuerit eos. Idcirco juravi domui Heli, quòd non expie- „ tur iniquitas domûs ejus, victimis & muneribus usque in æ- „ ternum.)) Deinde Rex Saul, quòd non pugnaverit usque „ ad internecionem Amalec, juxta mandatum Domini, audivit à Samuele: *Pro eo quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, nè sis Rex.* Similiter Achab Rex Israël parcens Benadab Regi Syriæ, hoc triste accepit nuncium à Propheta Domini: *Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.* 2dò. *Jerem:* Maledictus qui prohibet gladium suum à sangvine. Unde *Petrus Damiani* inquit: A sangvine gladium suum prohibet, qui se ab inferenda reprobis ultione digna coërcet: facti siquidem culpam habet, qui quod potest, negligit emendare. *S. Augustinus*: Timendum est, nè plura membra putrescant, dum quibusdam putribus parcitur. *S. Ambrosius*: Cùm uni *Superior* indulget indigno, ad prolapsionis contagium provocat universos. *S. Bernardus*: Inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides & negligentes Rectores. *Et inferiùs*: Impunitas incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix. *Boëtius*: Mali puniti feliciores sunt quàm impuniti. *Seneca*: Bonis nocet quisquis pepercerit malis. *Totilla* Rex Gotthorum rogatus, ut cuidam stuprum virgini illatum condonaret, respondit: Ejusdem est ingenii delicto se obstringere, & delictorum supplicia impedire: omninò autem aut

1 Reg. c. 3.

1. Reg. c. 15.

3. Reg. c. 20.

Jerem. 48.

Petrus Damianus Epist. 11. c. 3.

S. Augustin. Epist. 89. ad Hilar.

Habetur 2.2. q. 4. c. est in justa.

S. Bern. l. 3. de Consid. c. 5.

Boëtius lib. 4. de Cons.

Seneca in sent.

Ita Sygon de Occident. Imp.

aut hunc pœnam dare, aut Gotthorum rempublicam interire necesse est.

l. 2. tra. 1 c. 1. sect. 4. subs. prædicta. 2. §. 2. & 3. *Contra Opposita Vindicationis, in Praxi adhibe proportionatè supradicta.*

SUBSECTIO XIV.

De Veritate.

V. D. Thom. 2. 2. q 109. a. 4. Vide ibidem a. 4. VEritas, *est virtus specialis, per quam homo exteriora sua, vel verba, vel signa, vel facta debitè ordinat ad aliquid sicut signum ad signatum.* Id est, ut non aliter verbis, signis, vel factis propriis exprimat aliquid in notitiam alterius, quàm sit illud in re ipsa. Ad virtutem veritatis pertinet, declinare in minus affirmando, ut videlicet quispiam de se ipso minus boni dicat, quàm in ipso est. Non autem declinare in minus negando, ut videlicet quispiam neget bonum sibi inesse, quod verè inest. Quia quoad primum, cùm aliquis non manifestat totum bonum, quod in ipso est, puta scientiam vel sanctitatem, vel aliquid hujusmodi, quod fit sinè præjudicio veritatis, quia in majori etiam est minus. Et secundùm hoc hæc virtus declinat in minus. *Lib. 4. Ethic. c. 7.* Hoc enim, ut Philosophus dicit, videtur esse prudentius propter onerosas superabundantias. Homines enim, qui majora de seipsis dicunt quàm sint, sunt aliis onerosi, quasi excellere alios volentes. Homines autem, qui minora de seipsis dicunt, gratiosi sunt, quasi aliis condescendentes per quandam moderationem. Unde Apost. dicit 2. ad Cor. 12: Si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autem, nè quis me existimet supra id, quod videt in me, aut audit ex me. Alio modo potest aliquis declinare in minus, negando, scilicet ut neget sibi inesse quod inest. Et sic non pertinet ad hanc virtutem declinare in minus, quia per hoc incurreret falsum. Et tamen hoc ipsum esset minus repugnans veritati, non quidem secundùm propriam rationem veritatis, sed secundùm rationem prudentiæ, quam oportet salvare in omnibus virtutibus. Magis enim repugnat prudentiæ (quia periculosius est

eſt & oneroſius aliis) quòd aliquis exiſtimet, vel jactet ſe habere, quod non habet, quàm quòd exiſtimet, vel dicat ſe non habere, quod habet.

Gradus veritatis ex Formula aurea Seraphici Doctoris. *S. Bonav. de grad. Virt. c. 7.*

I. Veritatis altus gradus, libenter cogitare veritatem, & libenter cogitare de veritate. Altior eſt, libenter loqui veritatem, & libenter loqui de veritate. Altiſſimus eſt, libenter vivere ſecundùm veritatem, & alios ad hoc inducere.

II. Item. Altus gradus eſt, cognoſcere veritatem. Altior, amare veritatem. Altiſſimus, ſeipſum, & alios judicare ſecundùm veritatem. In omnibus iſtis gradibus fuit Chriſtus.

III. Item. Altus gradus eſt, liberè, & absque adulatione, & ſinè pallio pronunciare veritatem, quando liberè pronunciare oportet. Altior, liberè defendere veritatem, quando defendere convenit. Sed qui hoc faciunt, ſæpè amaritudinibus replentur, quia veritas res amara eſt. Dicit S. Bernardus: Meliùs eſt tamen pro veritate pati ſupplicium, quàm pro adulatione pati beneficium. Altiſſimus eſt, liberè defendere veritatem coram inimicis.

IV. Item. Altus gradus eſt, propter veritatem res temporales in periculo ponere. Altior, honorem imponere. Altiſſimus, corpus in periculo ponere. Et hoc meritò faciendum eſt, quia Chriſtus Veritas eſt.

Incentiva diligendæ veritatis. *1mum. Esdræ:* Fortis Rex, forte vinum, fortes mulieres, ſed eſt fortiſſima veritas. *Ibidem:* Omnis terra veritatem invocat, cælum etiam ipſum benedicit, & omnia opera moventur, & tremunt, & non eſt cum ea quicquam iniquum. *Ibidem:* Veritas manet & invaleſcit in æternum, & vivit, & obtinet in ſecula ſeculorum. Nec eſt apud eam accipere perſonas, neque differentias, ſed quæ juſta ſunt, facit omnibus injuſtis ac malignis, & omnes benignantur in operibus ejus. Et non eſt in judicio ejus iniquum, ſed fortitudo, & regnum, & poteſtas, & majeſtas omnium ævorum. *3. Esdræ c. 3. Ibidem c. 4.*

Benedictus DEUS Veritatis. *Ibidem mox:* Et omnes populi clamaverunt, & dixerunt: Magna est veritas, & prævalet. *Prov:* Labium veritatis firmum erit in perpetuum. *Eccl:* Non contradicas verbo veritatis ullo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere. *Psalm:* Veritatem requirit Dominus. *Eph:* Fructus lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate. *2dum,* *S. Basilius ait:* Veritas est præstantissimum bonum. *S. Bernardus:* Veritas sola liberat, sola salvat, sola lavat. *S. Augustinus:* Veritas dulcis est, & amara, quando dulcis est, parcit, & quando amara, curat. *Idem:* Si de veritate scandalum sumitur, utiliùs permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur. *3tium*, ab Exemplis: DEUS est ipsa Veritas, qui secundùm D. *Augustinum*, est prima vita, & prima essentia, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis.)) *Christus* de seipso dicit: Ego sum via, veritas, & vita. *Paulus Apostolus:* Non possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. *S. Augustinus:* Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum. Pro illa enim fortiùs Martyres nostri adversùs hanc Sodomam, quàm pro ista illi Heroes adversùs Trojam dimicaverunt.

Prov. 12. Eccl. 4. Psalm. 30. Ephes. 5. S. Basilius apud Ant. Melissa c. 21. S. Bernard. de grad. hum. S. August. ad Christian. Ibidem lib. de libero arbitrio. S. August. in Sent. Sent. 386. Joann. 14. 1. Cor. 12. S. August. Epist. 9.

In Praxi diligendi veritatem, & exercendi, age juxta methodum suprà datam, proportione servatâ.

1. 2. tra 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2.

SUBSECTIO XV.

De Vitiis Oppositis Veritatis.

Vitia Veritati opposita juxta D. *Thomam* sunt mendacium, simulatio, sive hypocrisis, jactantia, & ei oppositum vitium.)) Quanquam hæc vitia sub ratione generica mendacii continentur: Quod vel ex nomine ipso patet. Nam mentiri est contra mentem ire, quod fieri potest non modò verbo, sed & signo, & facto. *Imò.* Vitia veritati *per Excessum* seu superfluum opposita sunt, v. g. importunè, quæ sua sunt, mani-

V. D. Thom. 2. 2. in access. q. 110. V. D. Thom. 2. 2. q. 109. a. 1. ad 2. & 3.

manifeſtare: ſinè debita cauſa laudare ſeipſum etiam de vero; Peccatum ſuum publicare, quaſi de hoc ſe laudando, vel qualitercunque utiliter manifeſtando.))

2dò. *Mendacium, eſt vitium veritati per Defectum oppoſitum, quo aliquis ſciens, & volens falſum, ſeu quidpiam aliter, quàm eſt in ſe, dictis, vel ſignis, vel factis, enunciat, aut repræſentat.*

Porrò ſecundùm D. Thomam: Intentio, & cupiditas falſitatem in opinione alterius conſtituendi, non pertinet ad ſpeciem mendacii, ſed ad quandam ipſius perfectionem.)) *Ibidem q. 110. a. 1.*

Mendacium juxta D. Thomam *uno* modo ſecundùm ipſam rationem mendacii, dividitur in mendacium, quod tranſcendit veritatem in majus, quod pertinet ad jactantiam; & in mendacium, quod deficit à veritate in minus, quod pertinet ad ironiam. *Alio* modo mendacium dividi poteſt, inquantùm habet rationem culpæ ſecundùm ea, quæ aggravant, vel diminuunt culpam mendacii, ex parte finis intenti: aggravat autem culpam mendacii, ſi aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum: quod vocatur *mendacium pernicioſum.* Diminuitur autem culpa mendacii, ſi ordinetur ad aliquod bonum, vel delectabile, & ſic eſt *mendacium jocoſum*: vel utile, & ſic eſt *mendacium officioſum*, quo intenditur juvamen tum alterius, vel remotio nocumenti. *3tio* modo dividitur mendacium univerſaliùs, ſecundùm ordinem ad finem: ſive ex hoc addatur vel diminuatur ad culpam mendacii, ſive non. Et ſecundùm hoc diviſio eſt octo membrorum, quæ dicta eſt: in qua quidem tria prima membra continentur ſub mendacio pernicioſo: quod quidem fit vel contra DEUM, & ad hoc pertinet primum mendacium, quod eſt in doctrina Religionis: vel eſt contra hominem, ſive ſolâ intentione nocendi alicui; & ſic eſt mendacium ſecundum, quod ſcilicet nulli prodeſt, & obeſt alicui: ſive etiam intendatur in nocumento unius utilitas alterius, & hoc eſt tertium mendacium, quod uni prodeſt, & alteri obeſt. Inter quæ tria primum eſt graviſſimum; quia ſemper peccata contra DEUM ſunt graviora. Secundum autem eſt gravius tertio, quod diminuitur ex intentione utilitatis alterius. Poſt hæc autem tria, quæ ſuperaddunt ad gravitatem culpæ mendacii, poni- *Ibidem a. 2.*

ponitur quantum: quod habet propriam quantitatem sinè additione, vel diminutione. Et hoc est mendacium, quod fit ex sola mentiendi libidine, quod procedit ex habitu. Unde Philosophus dicit in 4. Ethic. quòd mendax, eò quòd talis est secundùm habitum, ipso mendacio gaudet. Quatuor verò subsequentes modi diminuunt de culpa mendacii. Nam quintum est mendacium jocosum, quod fit placendi cupiditate. Alia verò tria continentur sub mendacio officioso, in quo intenditur, quod est alteri utile, vel quantùm ad res exteriores: & sic est sextum mendacium, quod prodest alicui ad pecuniam conservandam: vel est utile corpori, & hoc est septimum mendacium, in quo impeditur mors hominis, vel etiam utile est ad honestatem virtutis: & hoc est octavum mendacium, in quo impeditur illicita pollutio corporalis. Patet autem, quòd quantò bonum intentum est melius, tantò magis minuitur culpa mendacii. Et ideo si quis diligenter consideret secundùm ordinem prædictæ enumerationis, est ordo gravitatis culpæ in istis mendaciis. Nam bonum utile præfertur delectabili, & vita corporalis præfertur pecuniæ, honestas autem ipsi corporali vitæ.

L. 4. c. 7. to. 5.

Incitamenta execrandi mendacium. Imum. *Psalm*: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. *Proverb*: Abominatio Domino labia mendacia. *Apocal*: Omnibus mendacibus pars illorum in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. 2dum *S. August*: Si quis ad te confugiat, qui mendacio tuo possit à morte liberari, tibi non est mentiendum, quia os quod mentitur occidit animam; & cum mentiendo vita æterna amittitur, nunquid pro cujusquam vita temporali mentiendum est? *S. Cyprianus*: Hæc est vera dementia, non cogitare, nec scire, quòd mendacia non diu fallant. *S. Thomas*: Mendacium omne est ex genere suo malum & peccatum. Quia cùm voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est, & indebitum, quòd aliquis voce significet id, quod non habet in mente. Unde Philosophus dicit in 4. Ethic. c. 7. quòd mendacium est per se pravum & fugiendum: verum autem est bo-

Psalm. 5. Proverb. 12. Apoc. 21. S. August. lib. de mendacio c. 6. S. Cyprianus lib. 1. Epist. 3. S. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3.

num

num & laudabile. *Idem.* Mendacium comparat falsæ monetæ, puta denario adulterino, quem omnes aspernantur. *Additque*: Qui loquitur mendacium, diaboli figuram gerit, & imaginem, hic enim mendax est ab initio. Aliquando ergo auditurus est Princeps mendax, denarius falsus, porrò ad verba illa: Cujus est hæc imago & superscriptio? & cùm responsum fuerit diaboli, dicetur statim: reddite ergo quæ sunt diaboli diabolo. *S. Augustinus*: Cavete fratres mendacium, quia omnes, qui amant mendacium, filii sunt diaboli. *Idem*: Quisquis veritatem DEI occultat, iram DEI super se provocat, qui magìs hominem timet, quàm DEUM. *S. Hieronymus*: Antiquus sermo est: mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur.)) Ananias & Saphira propter mendacium coram S. Petro prolatum, repentinâ morte interiêrunt. *3tium.* Ab exemplis fugientium mendacium. Salomon horrens mendacium, ait ad DEUM: Duo ragavi te, nè deneges mihi, antequam moriar: vanitatem, & verba mendacia longè fac à me. *Aliud.* S. Anselmus de omnibus Christianis hanc opinionem imbiberat, ut cùm quidam monerent, nè aliquibus manifestè imponentibus fidem haberet, responderit: Nunquid non Christiani sunt? quomodo ergo possunt mentiri? *Aliud.* S. Thomas Aquinas, cùm socius ipsius Religiosus joco dixisset: En boves volantes! & ipsum præterea circumspicientem ob simplicem credulitatem irrisisset, severo eum supercilio correxit, dicens: Faciliùs est, Frater, credendum, boves volare, quàm Religiosum mentiri. *Aliud.* S. Chrysostomus ex eo tempore, quo Christianorum ritu ablutus est, nunquam juravit, nec alium jurare compulit: nunquam ulli maledixit: nunquam mentitus est. *Aliud.* Mercatores duo Colonienses mendaciis ad vendendas merces uti soliti; postquam svasu Confessarii ab ejusmodi more abstinere se cœperunt, effecerunt, ut plures ad eos emptores confluerent, quàm priùs soliti fuerant. *4tum.* A profanis exemplis. Persæ adeò mendacium abominati sunt, ut turpissimum haberetur, ex ære alieno laborare, & mentiri. *Aliud.* Romani omne mendacium homine ingenuo ac libero indignum putârunt, serviléquè vitium esse, nec cadere posse, aut debere in generosum

Idem in Opusc. de erud. Princip.

S. August. in Serm. de Abraham.

Idem apud Drex. Phaët. c. 37.

S. Hieron. Epist. 37.

Actor. 5.

Prov. 30.

Surius 2. April.

Engelg. l. 6. §. 1.

Mosetus c. 191.

Cæsarius l. 3 mir. c. 37.

Drex. in Phaëth. c. 35. §. 3.

Ibidem.

pectus, quod ante vitam projiciat, quàm illam mendacio commaculet. *Aliud.* Epaminondas tam serius veritatis cultor fuit, ut nè joco quidem unquam sit mentitus.

Emilius Probus.

Ad Praxim fugiendi mendacium, serviunt suprànotata proportione servatâ.

1. 2. tra. 1. c. sect. 4. subs 1. §. 2. & 3.

§. I.

De Simulatione, & Hypocrisi.

V. D. Thom. 2. 2 q. 111. a. 1.

Simulatio, est peccatum, quo aliquis exteriorum factorum signis mentitur, seu repræsentat quidpiam aliter quàm est in re.

Job. c. 36. Rom. c. 21. 1. Petr. c. 2. Tripart. hist. l. 9. c. 48.

Contra Simulationem. *Job*: Simulatores & callidi provocant iram DEI. *Apostolus* monet, ut sit dilectio sinè simulatione. *Et Petrus*: Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes &c.)) Mendicus quidam simulans se mortuum, ut pro sua sepultura socii operâ pecuniam à S. Epiphanio acciperet, verâ morte à DEO mulctatus est. *S. Augustinus*: Sicut prope summa & Divina virtus est neminem decipere, ita ultimum vitium est quemlibet decipere.

S. Aug. in l. 83. qq. q. 33.

V. D. Thom. 2. 2. q. 111.

Hypocrisis est simulatio, quâ simulat se quis habere personam, quam non habet, v. g. Apparere personam sanctam esse, & non in veritate talem esse, vel etiam non curare talem esse.

Job. c. 15. Idem c. 20.

Contra Hypocrisim. 1mum. *S. Job*: Congregatio Hypocritæ sterilis. *Idem*: Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit usque ad cælum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent: Ubi est?

Idem c. 20.

Et paulò infra: Cùm enim dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingva sua. Placet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo. Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Divitias quas devoravit, evomet: & de ventre illius extrahet eas DEUS. Caput aspidum suget, & occidet eum lingva viperæ. Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis, & butyri. Luet qui fecit omnia, nec tamen consumetur: juxta multitudinem adinventionum suarum,

rum, ſic & ſuſtinebit. *Idem*: Omnes tenebræ abſconditæ ſunt *Idem c. 20.*
in occultis ejus: devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur; affligetur relictus in tabernaculo ſuo. Revelabunt cæli iniquitatem ejus, & terra conſurget adverſus eum. Apertum erit germen domûs illius, detrahetur in die furoris DEI. *Eccl*: Nè *Eccl. c. 1.*
fueris hypocrita in conſpectu hominum, & non ſcandalizeris in labiis tuis, (*id eſt, te jactando probum, pium, cùm aliter ſit, adeoquè ore tuo tibi ruinam procures*) & adducas animæ tuæ inhonorationem, & revelet DEUS abſcondita tua, (*ſeu tuam abſconditam occultatamquè iniquitatem*) & in medio Synagogæ (*ſeu multitudine populi*) elidat te.)) Ut fecit cum Simone Mago, qui ut quidam Divinus vir volans in cælum, S. Petri precibus fuit eliſus in terram. *Eccl*: Vidi impios ſepultos, qui etiam dum adhuc vive- *Eccl. c. 8.*
rent, in loco ſancto erant, & laudabantur in civitate, quaſi juſtorum operum (*cùm tamen eſſent impii, adeoquè hypocritæ*) ſed & hoc vanitas eſt.

Chriſtus Dominus multoties ingeminans terribiliter: *Matth. 23.*
Væ! vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, enumerat vitia eorum, ac inter alia dicit: Væ! vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò ſunt plena oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitiâ. Sic & vos à foris quidem paretis hominibus juſti: intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate. *Et paulò pòſt*: Serpentes genimina viperarum quomodo fugietis à facie gehennæ?)) Quare Salvator monet ſuos: Attendite, nè juſtitiam *Matth. c. 6. v. 1.*
veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tubâ canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis & vicis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua: ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. *Et paulò pòſt*: Cùm autem jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, ut pareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam. Tu autem cùm jeju-

nas, unge caput tuum, & faciem tuam lava: nè videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 2dum. *S. Augustinus*: Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia iniquitas est simulatio. *S. Bernardus*: Quis magis impius, an profitens impietatem, an mentiens sanctitatem? Nonnè is, qui etiam mendacium addens, geminat impietatem? *S. Gregorius*: Qualis hypocrita imperitis innotescit, talis vult ab omnibus æstimari, & paratior est mori, quàm corripi: Hypocrita quot vitiis est plenus, quasi tot stercoribus in conspectu æterni Judicis illius pectus fœtet. Hypocritarum corda diabolus tacitus tenet, & quasi ipse quietus ipse dormit, ubi eos, quos possidet, quiescere non permittit. *S. Petrus Chrysologus*: Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. *3tium.* Alphonsus Rex Aragoniæ audiens Antonium quendam, qui ob titulum abstinentiæ & sanctitatis Italiâ Hispaniâquè celebris habebatur, ac cum Angelis versari ac colloqui ferebatur, suam hypocrisim morti vicinus prodidisse, & à vermibus corrosum comestumquè interiisse, " præclarè dixit; Propterea DEUS in hypocritas tantopere sævit, quòd, dum homines decipiunt, interponunt DEUM ipsum tanquam sceleris mediatorem, ideoquè ut plurimùm viventes adhuc plectuntur in hominum oculis, quos DEI nomine fefellerunt: ut intelligant mortales, à tali monstro maximè sibi cavendum esse, quòd DEUM ipsum non tantùm post mortem, sed etiam in vita ipsa indubitatum habent ultorem.)) Similis fuit & ille Doctor Parisiensis, qui ab omnibus in vita probus habitus, post mortem se alium fuisse quàm æstimaretur, detexit, dum ad Vigilias mortuorum lectio recitaretur: Responde mihi, quantas habeo iniquitates; erigens se mortuus è feretro, horrendâ voce proclamavit primâ die: justo DEI judicio accusatus sum: Similiter secundâ die; justo DEI judicio judicatus sum: Denique tertiâ die; justo DEI judicio condemnatus sum.

S. August. in Psalm. 23.
S. Bern. in Apologo ad Gvillher.
S. Gregor. in Moral.
S. Chrysologus in serm V. apud Cornel. à lap.

Praxis vitandi Simulationem & Hypocrisim, formari potest convenienter juxta suprà dicta.

1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

§. II.

§. II.

De Jactantia.

JActantia, *est peccatum Veritati contrarium, quo aliquis se extollit, seu de se supra se aliquid dicit, quàm est in rei veritate; vel in opinione hominum, etsi sit talis in rei veritate.* Dicitur: *peccatum &c.* Nempe vel mortale, vel veniale, pro ratione causæ, ex qua oritur, qualis potissimùm est superbia, inanis gloria; vel pro ratione finis intenti, v. g. lucri, vanæ complacentiæ, &c. Vel pro ratione virtutis, cui ex adjuncto opponitur, uti charitati DEI & proximi, humilitati, &c. Dicitur: *vel in opinione hominum &c.* quod Paulus refugiens dicit 2 Cor. 12. Parco, nè quis me existimet supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me. *V. D. Thom. 2. 2. q. 112.*

Motiva vitandi jactantiam. *1mum.* *Psalm:* Disperdet Dominus universa labia dolosa, & lingvam magniloquam. *Proverb:* Nè glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies. Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua. *Tob:* Superbiam in tuo sermone nunquam dominari permittas. Nam superbiæ conjunctus est interitus, multaquè perturbatio. *Apostolus* de illis antiquis Philosophis ait: Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. *2dum.* *S. Chrysostomus:* Dum causâ jactantiæ pauper pascitur, etiam ipsum misericordiæ opus in peccatum convertitur. *S. Ambrosius:* Sciamus neminem jactare se debere, nam si Petrus lapsus est, qui dixit: Etsi alii scandalizati fuerint in te, sed non ego: quis alius jure de se præsumat? Denique & David, qui dixerat: Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum, eam sibi jactantiam obfuisse confitetur, dicens: Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. *S. Augustinus:* Animadvertendum est, non solùm rerum corporearum nitore, atque pompâ, sed etiam in ipsis sordibus esse posse jactantiam: & eò periculosiorem, quò sub specie servitutis DEI decipit. *Idem:* Jactantia non est vitium laudis humanæ, sed vitium animæ perversæ, amantis humanam laudem, spreto testimonio conscientiæ. *3tium.* *S. Bernardus:* In prosperis quoque contra eum, qui dixit: Non qui

Psalm. 11. *Proverb. 27.* *Tob. 4.* *Rom. 1.* *S. Chrysost. de summo bono lib. 3.* *S. Ambrosius; ut habetur 6. q. 1. Can. Imitere §. Sciamus.* *S. August. de serm. Domini in monte.* *Idem lib. 10. de Civit. DEI.* *S. Bernardus serm. 3. temp. Pasch.*

qui seipsum commendat, ille probatus est; commendamus nosmetipsos non in multa patientia, sed in arrogantia, & inquinat nos altera lepra verbum jactantiæ. Ut ergo mundemur ab illa, mergamur in Jordane, & imitemur eum, qui non quærebat gloriam suam. Unde & dæmonia quæ clamabant, quia ipse esset DEI Filius, præcipiebat obmutescere, & illuminatos cæcos dicere prohibebat.)) Imitare *Paulum Apostolum*, qui de seipso sic ait: Non audemus inserere aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant, sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis. *Ibidem:* Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem DEUS commendat.

2. *Cor*, 10.

Ibidem.

In Praxi cavendi jactantiam adhiberi potest forma juxta suprà dicta, modo proportionato.

1. 2. *tra.* 1. *c.* 1. *sect.* 4. *subs.* 2. §. 2. & 3.

§. III.

De Ironia.

Ironia, est vitium veritati oppositum, quo aliquis de se minora dicit mentiendo, vel negando, quod in se magnum est. Non autem est ironia, minora quæ vera sunt proferre, majora occultando, nisi id fiat per alicujus circumstantiæ corruptionem, tunc erit peccatum. Unde quoad *primum* Augustinus dicit supra Joannem 22. q. 15: Non ita caveatur arrogantia, ut veritas relinquatur. Et Gregorius lib. 26. Moral. c. 2. dicit, quòd incautè sunt humiles, qui se mentiendo illaqueant. Quoad *secundum* verò, ubi dicitur: *Nisi id fiat &c.* quia illi, qui excellentiam aliquam spiritualem per exteriorum rerum defectum v. g. per abjectam vestem ostentare desiderant, simul incurrunt vitium ironiæ & jactantiæ, tamen secundùm diversa. De talibus Dominus Matth. 6. dixit, quòd exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Propter quod de Augustino legitur, quòd neque vestes nimis pretiosas, neque nimis abjectas habere volebat, quia in utroque homines suam gloriam quærunt.

D. Thom. 2. 2. q. 113.

Ibidem.

SVB-

SUBSECTIO XVI.

De S. Simplicitate, seu Sinceritate.

Simplicitas, est virtus, quâ homo inclinatur ad hoc, ut quemadmodum est coram DEO interiùs, ita in omni verbo & actione gerat se exteriùs. *Franc. Arias in thesaur. bonor. Christ. T. 3. tra. 8. c. 1.*

Illicia diligendæ Simplicitatis. 1mum. *Regius Propheta DEO loquens*: Scio DEUS meus, quòd probes corda, & simplicitatem diligas. *1. Paral. 29.* *Proverb*: Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. *Proverb. 10.* *Ibidem*: Abominabile cor pravum, & voluntas ejus (*DEI*) in his, qui simpliciter ambulant. *Ibidem c. 11.* *Ibidem*: Justus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios relinquet. *Ibidem c. 20.* *Ibidem*: Qui ambulat simpliciter, salvus erit. *Ibidem c. 28.* *Matth*: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Matth. 10.* 2dum. *S. Hieronymus*: Habere simplicitatem columbæ, nè cuiquam machineris dolos; & astutiam serpentis, nè aliorum supplanteris insidiis, quia non multum distat in vitio, aut decipere, aut decipi posse. *S. Hieron. ad Rusticum.* *S. Gregorius*: Nihil simplici corde felicius: quia ex quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est, quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi artem quandam, simplicitatem suam: nec suspectus est pati, quod se fecisse non meminit. At contra mens prava semper in laboribus est: quia aut molitur mala, quæ inferat: aut metuit, nè sibi hæc ab aliis inferantur. *S. Gregor. in Moral.* *S. Bernardus*: Omnibus nobis in conversionis initio nulla virtus magìs necessaria est, quàm simplicitas humilis, & gravitas verecunda. *S. Bern. in quodam Sermone.* 3tium. *Beda*: De beato Job dicitur, quòd erat vir simplex, & rectus: simplex videlicet per innocentiam mansvetudinis, rectus per cautelam discretionis: simplex, quia nullum lædere, imò prodesse desiderabat: rectus, quia se à nullo corrumpi permittebat. *Beda de temp. Salom. lib. 1.*

Praxis comparandi Simplicitatem Sanctam formari potest juxta suprà specificata proportione servatâ. *1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2.*

SUB-

SUBSECTIO XVII.

De Oppositis S. Simplicitatis.

S. Hieronym. super Oseam.

PRimum: *Pseudosimplicitas*, quæ est simplicitas carens prudentiâ. Unde *S. Hieronymus* inquit: Prudentia absque simplicitate malitia est, & simplicitas absque ratione stultitia nominatur. *2dum Oppositum*, est *Duplicitas*, quæ coincidit cum Pseudosapientia, astutia, dolo, fraude, mendacio, simulatione, hypocrisi, de quibus hic variis locis vide. *3tium Oppositum* respectivè ad proximum est *suspiciosum vel temerarium judicium, quo* (ut definit D. Thomas) *aliquis de his judicat, quæ sunt dubia & occulta, propter aliquas leves conjecturas.* Hoc ipsum explicans ulteriùs *S. Doctor* ait: Dicendum, quòd, sicut Tullius dicit, suspicio importat opinionem mali, quando ex levibus indiciis procedit. Et contingit ex tribus. Uno quidem modo ex hoc, quòd aliquis ex seipso malus est: & ex hoc ipso, quasi conscius suæ malitiæ, faciliùs de aliis malum opinatur, secundùm illud *Eccles.* 10. In via stultus ambulans, cùm ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat. Alio modo provenit ex hoc, quòd aliquis malè afficitur ad alterum: cùm enim aliquis contemnit vel odit aliquem, aut irascitur, vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso: quia unusquisque faciliter credit quod appetit. Tertio modo provenit ex longa experientia. Unde Philosophus dicit in 2. Rhetor. quòd senes sunt maximè suspiciosi: quia multoties experti sunt aliorum defectus. Primæ autem duæ suspicionis causæ manifestè pertinent ad perversitatem affectûs. Tertia verò causa diminuit rationem suspicionis, inquantùm experientia ad certitudinem proficit, quæ est contra rationem suspicionis. Et ideo suspicio vitium quoddam importat: & quantò magis procedit suspicio, tantò magis est vitiosum. Est autem triplex gradus suspicionis. Primus quidem gradus est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat, & hoc est veniale & leve peccatum. Pertinet enim ad tentationem humanam: sinè qua vita ista non

D. Thom. 2. 2. q. 60. a. 2.

Ibidem a. 3.

Lib. 2. Rhet. c. 13. parum à principio to. 6.

non ducitur, ut habetur in Glossa super illud 1. Cor. 4: Nolite ante tempus judicare. Secundus gradus est, cùm aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis. Et hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, inquantùm non est sinè contemptu proximi. Unde Glossa ibidem subdit: Etsi ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen, id est, diffinitivas, firmasquè sententias continere debemus. Tertius gradus est, cùm aliquis judex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum, & hoc directè ad injustitiam pertinet; unde est peccatum mortale.)) Porrò non modò intelligendum est judicium temerarium vel suspicio committi, dum ex non sufficientibus conjecturis quis dijudicatur: verùm etiamsi aliquis semel rectè judicatus fuisset, ob sufficientia signa; tamen aliâ vice talis ampliùs non debet judicari, nisi de novo similia signa & indicia habeantur, & maximè, si quodpiam signum pœnitentiæ & emendationis dederit. Poterat enim ille peccator interea temporis pœnituisse, & coram DEO justus apparere, & esse, adeoquè à te iniquè judicari. In quo judicio temerario toties Pharisæi impegerunt, ut in illo Publicano Evangelico percutiente pectus suum, Magdalena pœnitente, Matthæo, & Zachæo, Christum suscipientibus, qui eo ipso jam peccatis valedixerunt, nec tales fuerunt, ut judicabantur, vel cum quibus Christus conversabatur. Huc refertur & aliud judiciorum temerariorum genus, quo pia opera proborum non ex supernaturali principio gratiæ DEI, verùm ex naturali inclinatione vel vitio procedere æstimantur: ut ex *D. Chrysostomo* refert *Marchantius*: Si quis, *inquit*, studet humilitati, dicunt hypocrita est; si recreationi, gulosus est; si patientiæ, timidus est; si justitiæ, impatiens est; si simplicitati, fatuus est; si prudentiæ, malitiosus est; si maturitati, phlegmaticus est; si jucunditati, dissolutus est; si Religioni, singularis est; si societati, secularis est; si vigiliis & orationibus, indiscretus est; si dormitioni, somnolentus est; si prædicationi, & aliorum saluti, appetitor laudis est; si desistat, negligens est; si habet gratiam hominum, adulator est; si adulari renuit, dicitur quod superbus est))

Ex Aug. tract. 90. in Joann. parùm ante med.

Marchant. Hort. Pastor. T. de charit. Lect. 15.

Vide in simili sub blasphem. in Spirit. S. Ex his *collige imò*: judicium, suspicionem, dubium, inter se distingvi. *Dubium* enim est suspensio judicii inter utramque partem negationis, & affirmationis, ut neque pro certo credat, & assentiatur, neque discredat, & dissentiat de aliquo malum, vel bonum, propter æqualem utrinque apparentiam rationum. *Suspicio* est propensio judicii magis ad unam, quàm ad alteram partem, ut quamvis moveatur, & inclinetur ad magis credendum malum, vel bonum, de altero, quàm discredendum, non tamen id determinatè pro certo credit. *Judicium* est firmus assensus, seu determinata affirmatio, vel negatio de bono, vel malo alterius.

Collige 2dò: Non esse temerarium judicium, cùm ejus sufficiens justaquè adsit ratio. Atque ita primò non peccatur temerario judicio, dum vides aliquem manifestè peccantem, v. g. aliena rapientem, mentientem, blasphemantem, &c. Hinc *S. Augustin. Tom. 4. in Epist. ad Rom. 9.* *S. Augustinus* ait: Quod dicit: Tu quis es, qui judicas alienum servum? ad hoc dicit, in his rebus, quæ possunt & bono animo fieri, & malo, non audeamus de alterius corde, quod non videmus, ferre sententiam. In his enim rebus, quas bono & casto animo non posse fieri manifestum est, non improbatur si judicemus.)) Et alio loco explicans eandem authoritatem, inquit: Eis dictum intelligitur, qui volebant non de factis manifestè *malis*, sed de cordibus alienis judicare.)) Imò Christus jussit *attendere* nobis *à falsis Prophetis, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*: nè ab eis decipiamur. *Matth. 7.* Modumquè cognoscendi eorum falsitatem tradit, dicens: *A fructibus eorum cognoscetis eos*: nempe ex operibus perversis, ut dum v. g. honoribus sibi delatis intumescunt, persecutione sui aliquâ efferantur & furunt, quæstui turpis lucri inhiant.

Collige 3tiò: Non esse peccatum, dubitare & suspicari gravia proximi mala, quando eorum sufficientia indicia dantur quanquam opus est majoribus indiciis ad suspicandum, quàm ad dubitandum. Hinc *Apostolus* dicit: *Spiritualis judicat omnia.* *1. Cor. 2.* Quocirca & SS. Patres virtutum vitiorumquè conscripsêre signa & indicia, ut per eorum notitiam veniamus ad cognitionem sui, & vitiis tam nostris quàm proximorum occurramus extirpandis,

dis. Porrò *Regula* cognoſcendi, eſt ſufficientia rationis, ad formandum judicium ſuſpicionis, & dubium de malo alterius, ut non ſint hæc temeraria, ſed licita. Quæ ſufficientia rationis eſt, *moralis quædam & humana certitudo, deſumpta à rebus ordinariè accidentibus, verèquè evenientibus.* Atque ita judicare, aliquem ſubinde furari, qui cum furibus noctè exit; vel judicare, juvenem ſibi liberum proſtibula meretricum non raró ingredientem, quandoque in turpitudines prolabi, non eſt judicium temerarium, ſed rectum. Id enim communiter & verè evenit, ut ſocius furum interdum datâ occaſione aptâ furetur, & converſans cum impudicis, impudicitiam incurrat.

Motiva vitandi temeraria judicia, & ſuſpiciones. *1mum. Matth:* Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. *Joann:* Nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate.)) Phariſæorum eſt malitia, in malam partem interpretari omnia, ſicut *Matth.* 11. habetur: Venit Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt, dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. *Apoſtolus:* Propter quod inexcuſabilis es, ô homo, omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipſum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas. Exiſtimas autem hoc, ô homo, omnis qui judicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium DEI? *2dum. S. Auguſtinus:* Maximè hi temerè judicant, qui de meritis aliorum facilè reprehendunt: qui magìs amant vituperare & damnare, quàm emendare, & corrigere: quod vitium vel ſuperbiæ eſt, vel invidiæ. *S. Ambroſius:* Judicet ille de alterius errore, qui non habet in ſeipſo quod condemnet: judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putaverit eſſe punienda, nè cùm de alio judicat, in ſeipſum ſententiam ferat: Judicet ille, qui ad pronunciandum nullo odio, nullâ levitate ducitur. *B. Dorotheus:* Nihil gravius, nihil difficilius, quàm proximum judicare vel contemnere, cur non magìs nos ipſos dijudicemus de malis propriis, quæ optimè novimus, de quibus reddere cogemur rationem? Quid ad nos de creatura & ſervo alieno?

Matth. 7.
Joann. 2.
Matth. 11.
Rom. 2.
S. Auguſt. de Serm. Domini in monte.
S. Ambroſius ſuper illud: Beati immaculati.
Ex doctrina B. Dorothei c. 6. Biblioth. Patrum to. 22.

D. Franciscus in reg & testam. 3tium. Imitare & audi *S. Franciscum*: Moneo, & exhortor fratres meos, nè despiciant, neque judicent homines, quos viderint mollibus indumentis, & coloratis indutos, cibis & potibus delicatis nutritos, sed magis unusquisque judicet & despiciat seipsum. Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon, & invenirem pauperculos Sacerdotes in Parochiis, in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipsorum. Et ipsos, & omnes alios volo timere, amare, honorare, sicut Dominos meos Et nolo in ipsis considerare peccatum, quia Filium DEI discerno in eis, & Domini mei sunt. *Aliud.* Quidam Senex dixit: Si audieris de aliquo Fratre verbum malum, vel quod sit iniquum, responde dicens: Nunquid ego judex ejus sum? ipse hodie, ego cras. Opera quidem ejus infirma tibi nota sunt, & perscrutaris ea, quare fortia opera ejus & utilia nescis? Ego jam mortuus sum in peccatis, sufficiunt mihi peccata mea.

Palladius ad finem 3. libri n. 36.

Aliud. Refertur de quodam Sancto Fratre ex primis S. Francisci discipulis & sociis, nomine Fratre Bernardo de Quintavalle; qui cùm in seculo vir primarius, valdequè potens fuisset, in Religione perquam humilis, & in omni virtute perfectus, ac præcipuè in virtute Simplicitatis eminens fuit. Si in plateis laceros, ac pannosos pauperes videret, id virtuti attribuebat, judicans, eos paupertatem illam æquo, libentiquè animo ferre, & intra se dicebat: *Hi paupertatem meliùs quàm ego observant.* Si homines divites benè vestitos cerneret, in bonam partem interpretabatur, ajebatquè secum: *Fortassis isti sub vestibus cilicium gestant, & in abscondito poenitentias exercent, quibus carnem suam macerant, & his omnibus exterioribus vestimentis se meliùs quàm ego à vana gloria defendunt.* Sic res indifferentes ac dubias proximorum in partem meliorem trahebat: fuitquè mirabile, virum adeo sapientem ac prudentem tam puram Simplicitatem conservare. Post ejus mortem cùm beatus Frater Leo, & ipse S. Francisci socius, in Divinâ, quam habuit, revelatione, Beatorum ejusdem sui Ordinis Religiosorum procesfionem conspexisset, vidit inter eos hunc ipsum Bernardum plenum cælesti gloriâ, ex cujus oculis pulcherrimi quidam radii gloriæ, sole ipso incomparabiliter clariores, splendidioresquè egrediebantur; & dictum

Vide Franciscum Ariam Thesaur. inexhau. Tom. 3. tra. 8. c. 21. citant. Hist. Min in vita Bernardi.

dictum illi fuit, tam excellentis gloriæ, quam is in oculis haberet, causam esse magnam Simplicitatem, quam in vita sua conservâsset, interpretando res omnes dubias in meliorem sensum, & de omnibus quoad potuisset benè judicando. Hoc fuit testimonium specialis, & excellentissimi præmii gloriæ, quod is propter gratiosissimam virtutem Simplicitatis in æterna vita acceperat. *4tum.* Socrates, oblatâ occasione judicandi de rebus ad se non pertinentibus, dicere consveverat: *Quæ supra nos, nihil ad nos.* *Laërt. l. 6.*

In Praxi cavendi temeraria judicia & suspiciones, ac proficiendi in S. Simplicitate, observa potissimùm *imò*, quod S. Bernardus docet: *Cave alienæ conversationis esse temerarius judex. Etiamsi perperam actum quid deprehenderis, nec sic judices proximum; magìs autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum, vel vehementem nimis fuisse inimici tentationem.* Et alibi idem: *Quod si,* inquit, *omnem omninò dissimulationem excusationemvè rei malæ à proximo admissæ certitudo & evidentia recusat, svade nihilominùs ipse tibi, & dicito apud temetipsum: Si tentatio illa me tantâ vi impugnâsset, quantâ illum impugnavit, & tentator diabolus tantam potestatem me tentandi habuisset, quantam habuit tentandi illum, quid de me fecisset?* Audi & S. Gregorium: *Sunt quidam,* inquit, *si quid fortasse justè exteriùs vel tenuiter egerint, protinus proximos despiciunt, & peccatores quosque dedignantur. Ad hanc culpam evitandam semper necesse est, ut cùm peccatores quosque conspicimus, nosmetipsos priùs in illorum calamitate defleamus; quia fortasse in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus, si lapsi non sumus. Observa 2dò,* ut dubia in meliorem partem interpreteris. Unde S. Augustinus: *Præcipit Dominus, ut ea facta, quò dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Quod confirmat dicto Apostoli: *Qui non manducat, manducantem non judicet.* Imitare hoc in puncto illum Fratrem, de quo B. Dorotheus, qui si cujus Fratris cellam mundam ornatamquè vidisset, ajebat apud se: *En quàm pura & immaculata est Fratris hujus anima.* Ex externa cellæ Fratris munditie internam Fratris conjecturans puritatem. Sin verò alterius cellam vidisset neglectam, & immundam, dicebat intra se: *Quàm beatus est Frater iste, & ut se totum*

S. Bernardus Serm. 40. in Cant.

Idem Serm. 11. in Cant.

S. Greg. Luc. 7. Hom. 33.

L. 2. de Serm. Domini in Monte.

Rom. 14.

Serm. 6. & 16.

tum ab his terrenis ad cælestia & Divina contemplanda transtulit: nam neque propriæ cellæ exornandæ illi est cura aliqua. Quo S. Simplicitatis studio præclara dona & favores à DEO consecutus est. *Observa 3tiò*, & nec sub specie alicujus boni pronus sis alios ad judicandum. Hinc S. Catharina Senensis hoc vitio quondam laborans, ita de seipsa scribit: *Tradidisti mihi medicinam optabilem contra quandam occultam ægritudinem, quam ignorabam, nec illam agnoscebam, instruendo me, nè ullatenus ego judicare præsumam aliquam rationalem creaturam, & præcipuè Servos tuos, de quibus aliquando, velut ex cæcitate & ignorans, hâc eram infirmitate corrupta: quia sub colorata specie tui honoris, atque salutis animarum temerè judicabam.* Totila Rex, dum Cassium, Narniensem Episcopum, facie rubicundum conspexisset, ideoquè potui quasi assvetum contempsisset, malignus spiritus Spatharium ejus invasit, nec ante venare destitit, donec ad S. Cassium perductus, ab illo liberatus est. *Observa 4tò*, & informare illo exemplo, quod in vita Pafnutii legis, qui beatus vir post multam in virtute exercitationem cùm DEUM rogaret, cui Sancto foret similis, responsum est ei, esse similem cuidam Tibicini, aliàs homini peccatori, ebrioso, & scortatori, qui tamen in vita sua unum vel aliud heroicum opus bonum patrârat.)) Ecce inter nefarios peccatores quàm aliqui pretiosi in conspectu æterni Judicis propter aliqua pia opera, qui in tuis oculis mali dicti sunt, & condemnati. Ergo & sceleratissimum quoque judica, eum esse forsan meliorem in oculis DEI propter sua quæpiam bona, etsi pauca, sed insignia & heroica, quàm tu sis cum omnibus tuis perfectionibus & virtutibus: Judica, inquam, & humiliare sub pedibus omnium, etiam nequissimorum. Et hujusmodi simplicitas columbina etiam ipsis Superioribus, & aliis, ad quos spectat correctio aliorum servanda, ut nimirum apud seipsos interiùs talia forment judicia de corrigendis, quanquam exteriùs serpentinâ prudentiâ minimè negligere debeant officia correctionis fraternæ. Specialia contra eos, qui opera DEI per homines facta adscribunt vel naturæ, vel dæmonis operationi, dicta sunt suprà sub Blasphemia contra Spiritum S.

Dial. c. 108.

S. Gregor Dial. l. 3, c. 6.

Ruff. l. 2. c. 16.

Observa

Observa 5tò agendo proportionatè juxta suprà dicta ad præcavenda temeraria judicia & suspiciones. l. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

SUBSECTIO XVIII.

De Amicitia, seu Affabilitate, vel Benignitate.

DUpliciter sumitur Amicitia. 1mò pro ea, quæ consistit principaliter in affectu, quo unus alium diligit; sed de hac suprà dictum, ubi de Charitate. 2dò. Amicitia seu Affabilitas (prout hìc de ea agimus) sumitur, & *est virtus specialis, secundùm quam homines exterioribus vel verbis, vel factis inter se juxta rationem honesti & decori benè disponuntur simul conviventes.* Importat autem hæc Amicitia quandam hilaritatem animi & vultûs ad alios, non lascivam, sed honestam, modestam, ac maturam, juxta illud Psalmi 132: Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum. Quia sicut sinè Veritate non posset homo vivere in societate, ita nec sinè delectatione. Unde Philos. dicit in 8. Ethic. c. 5. Tom. 5: Nullus potest per diem morari cum tristi, nec cum non delectabili, & ideo homo tenetur ex quodam naturali debito honestatis, ut aliis delectabiliter convivat. Vel etiam importat Amicitia quandoque tristitiam pro quadam existentia circumstantiarum, condolendo aliis, ut dicitur Eccles. 7: Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugientibus ambula. Deinde non debemus hilarem vultum ostendere ad eos delectandum, qui proni sunt ad peccandum, nè videamur illorum peccatis consentire, & quodammodo peccandi audaciam ministrare. Unde dicitur Eccl. 7: Filiæ tibi sunt, serva corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad eas. V. D. Thom. 2. 2. q. 114.

Motiva fovendæ Affabilitatis. *Eccl.* Congregationi pauperum affabilem te facito. *Idem:* Nonnè ardorem sedabit ros? sic melius verbum, quàm donum. *Eccl:* Sapiens in verbis seipsum amabilem facit, gratiæ autem fatuorum effundentur. *Proverb:* Vir amicabilis ad societatem magis amicus erit, Eccl. c. 4. Idem c. 18. Eccl. c. 20. Proverb. c. 18.

Eccl. 7. erit, quàm frater. *Eccl:* Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingva eucharis in bono homine abundat. *Ibidem c. 4.* *Eccles:* Melius est duos esse simul, quàm unum, habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur: Væ soli! quia cùm ceciderit, non habet sublevantem. *Ibidem c. 6.* *Idem:* Amicus fidelis protectio fortis, qui autem invenit illum, invenit thesaurum. *Ibidem.* *Ibidem:* Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. *Ibidem.* *Ibidem:* Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, invenient illum. *Ibidem c. 22.* *Ibidem:* Amicum salutare non confundaris. A facie illius non me abscondam: & si mala mihi evenerint per illum, sustinebo. Omnis qui audiet, cavebit se ab eo. *Ibidem.* *Ibidem:* Beatus qui invenit amicum verum.

S. August. 12. q. 2dum. *S. Augustinus:* Nullius repudianda est amicitia sese ingerentis ad amicitiam copulandam, non ut statim recipiatur, sed ut recipiendus optetur, atque ita tractetur, ut recipi possit. Illum enim in amicitiam recipere debemus, cui omnia nostra consilia refundere audeamus. *Idem ibidem.* *Ibidem:* Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici supportatio. Nemo nisi per amicitiam cognoscitur, & ideo amicorum mala firmiter sustinemus, quia bona eorum nos delectant & tenent. *S. Ambros. de offic. l. 3.* *S. Ambrosius:* Solatium hujus vitæ est, ut habeas, cui pectus tuum aperias, cui arcana communices, cui secreta tui pectoris committas, ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur: facilis vox & communis: *Tuus sum totus*, sed paucioris est effectus. *Idem de offic. Mo. l. 3.* *Idem:* Defer amico, ut æquali: nec te pudeat, si prævenias amicum in officio. Amicitia enim superbiam nescit: Nam sicut amoris est deferre, ita qui odit, quæstiones movet, & qui amat, defert reverentiam. *Idem de Amic. c. 7.* *Idem:* Solem è mundo tollunt, qui tollunt amicitiam. *Isidorus l. 3. de summ. bono.* *Isidorus:* Nonnunquam accidit, ut inter amicos aliqua redargutionis nutrita discordia, majorem postea charitatem parturiat, utpote cùm corriguntur ea, quæ displicere in animo videntur. *Idem in Etymol. 10. c. 2.* *Idem:* Benignus est vir sponte ad benefaciendum paratus, & dulcis alloquio. *S. Chrysosto-*

ſoſtomus: Si virum verè Sanctum agere vis, auſterus erga te & rigidus, erga alios verò benignus ac pius eſto: videant homines ſvavia imperare, te verò ipſum gravia, difficiliaquè exequi. *Caſſianus:* Qui verè amicus eſt, omni tempore diligit, nam eum tormentum non ſeparat, labor non laxat, theſaurus non ſuperat, alienus amor non occupat. *Ibidem:* Sinè amicis omnis cogitatio eſſet tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum, ſine quorum ſolatio vivere eſſet mori. *Idem:* Vera amicitia tantùm inter bonos oritur, inter bonos profuit, inter optimos conſummatur. — *S.Chryſoſtomus hom. 73. Matth. 13.* — *Caſſianus in Epiſt.* — *Caſſianus in Epiſt.* — *Idem ſuper Pſalm.*

3tium ab Exemplis: DEUS dulcis & amabilis in homines. *Unde Sapient:* O quàm bonus & ſvavis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus. *Apoſtolus ad Tit:* Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri DEI, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per JESUM CHRISTUM.)) Cujus ineffabilis dulcedo & amabilitas in homines, quantùm reſplenduerit in ſuſcipiendis, corrigendisquè peccatoribus, in ſufferendo & connivendo imperfectionibus ſuorum diſcipulorum, in convictu & converſatione cum omnibus, plenum eſt Sanctum Evangelium. — *Sap. 12.* — *Apoſt. ad Tit. c. 3.*

In Belgio cùm vir quidam inſignis in extrema lucta, imprimis uxorem, deinde filios & filias, & demùm ſervos & ancillas rogâſſet, ut opem ferrent, & ſinguli reſponderent, non eſſe hoc in ſua poteſtate, in has voces & gemitus erupit: O vanas hominum curas! O quantum eſt in rebus inane! Ecce ego tibi uxor, vobis ô filii & filiæ, laboravi, ſudavi, vires & valetudinem impendi, quin & animam fortè oppignoravi, & ecce hæc eſt merces mea, ut in hora noviſſima implorem opem veſtram, & non inveniam. O quàm ſatiùs fuiſſet, ſi DEO ſerviviſſem, ſi amicos in terra & in cælis mihi comparâſſem, qui in hoc articulo mihi adeſſent! O ſi vivere liceret, quàm ſaperem! *Aliud.* Jonathas dilexit David quaſi animam ſuam, quia anima illius erat conglutinata animæ David; hinc & expoliavit ſe Jonathas tunicâ ſuâ, quâ erat indutus, & dedit eam David, & reliqua veſtimenta ſua, uſque ad gladium & arcum ſuum, & uſque ad balteum. — *Engelgr. p. 2. Luc. Evang. Embl. 13. §. 3.* — *1. Reg. 18. v. 1.*

Erasmus l. 5. apophth. Dionysius Senior admiratus egregiam fidem Damonis & Pythiæ (quòd scilicet Damon ad mortem damnatus, cùm facultatem impetrâsset, domum priùs eundi, & res suas componendi, & Pythias interea vadem se obtulisset, ad constitutum tempus redierit,) rogo, inquiebat, ut me quoque in amicitiam vestram recipiatis; simulquè vitam damnato donavit.

1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. *In Praxi adipiscendi Affabilitatem, utere suprà dictis, proportionatâ methodo. Cæterùm hæc virtus in Dilectione proximi (de qua suprà) eminenter continetur, adeoquè Dilectionis possessio est Amicitiæ seu Affabilitatis perfecta acquisitio.*

SUBSECTIO XIX.

De Oppositis Amicitiæ, seu Affabilitatis.

§. I.

PRimum Oppositum multiplex est *Pseudo-amicitia.* Ejusmodi communiter reperitur imò in Amicis divitum, juxta illud *Pro-*
Proverb. c. 19. *verb:* Divitiæ addunt amicos plurimos: pauper etiam ab amicis deseritur. *Ibidem:* Multi colunt personam potentis, & amici
Eccles. c. 6. ci sunt bona tribuentis. *Eccles:* Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.)) De talibus amicis *Isido-*
Isidorus 3. de summo bono. *rus* ait: Non sunt fideles in amicitia, quos munus, non gratia copulat: nam citò deserunt, nisi semper acceperint: Dilectio enim, quæ munere glutinatur, eodem suspenso dissolvitur. *2dò.*
Proverb. 18. Falsa amicitia est ejus, de quo *Proverb:* Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico, omni tempore erit exprobrabilis. Un-
S. Ambros. de offic. de *S. Ambrosius:* Amicitia, quæ desinere potuit, nunquam fuit vera. *3tiò.* *S. Augustinus:* Nescio utrum Christianæ amicitiæ
S. August. in Epist. ad Hier. putandæ sint, in quibus magis valet vulgare proverbium: Obsequium amicos, veritas odium parit; quàm Ecclesiasticum: Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odi-
Idem in quodam sermone. entis. *Idem:* Est quidem amici amicitia mala, quæ nec amicitia dicenda est, quam mala conscientia facit. Sunt enim homines, qui pariter mala committunt, & ideo videntur sibi juncti,

quia conſcientiâ malâ ligati ſunt. Exceptâ illâ variâ amicitiâ, quæ eſt quædam amicitia carnalis, per ſimilitudinem habitandi, colloquendi, ſimul converſandi, ut triſtetur unus, quùm deſeritur ab amico, cum quo ſolet colloqui, & habere conjunctionem, conveniunt duo, ambulant ſimul triduò, & jam nolunt à ſe recedere: & iſta quidem amicitia eſt honeſta; ſed eſt conſvetudinis, non rationis: habent enim illam & pecora: duo equi manducant ſimul, præcedit unus, feſtinat alter, deſiderans quaſi amicum ſuum, vix regitur à poſſeſſore ſuo, & tamdiu ſe impetu ſuo provocat, quouſque ad alium perveniat. Et eſt alia amicitia ſuperior, non conſvetudinis, ſed rationis; quâ diligimus hominem propter fidem, & mutuam benevolentiam, in iſta vita mortali; & ſuperius quidquid invenimus Divinum eſſe, incipiat homo amare, & non amabit in homine, niſi DEUM. *S. Hieronymus*: Vera illa amicitia, & Chriſti glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præſentia corporum tantùm, non ſubdola & palpans adulatio, ſed DEI timor, & Divinarum ſcripturarum conciliant ſtudia. *S. Hieronym. in Epiſt. ad Paulinum.*

Motiva vitandi malam ſeu falſam Amicitiam, vel Societatem, & quærendi bonam. 1mum. *Pſalm*: Cum Sancto Sanctus eris: & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris; & cum perverſo perverteris. *Eccl*: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam. 2dum. *S. Gregorius*: Cùm incautè malorum amicitiis jungimur, eorum culpis ligamur. *S. Ambroſius*: Caveamus perfidum, caveamus proditorem, nè per unum plurimi fluctuemus. *S. Chryſoſt*: Bonus ſic malo connectitur, ut aut pares reddantur, aut citò ab invicem ſeparentur. Amicitiæ enim pares aut quærunt, aut faciunt. *Hugo*: Amabilis ſocius omnibus eſt officioſus, & nulli oneroſus, quia devotus ad DEUM, benignus ad proximum, ſobrius ad mundum, Domini ſervus, proximi ſocius, mundi Dominus, ſuperiora habet ad gaudium, æqualia ad conſortium, interiora ad ſervitium. *S. Bernardus*: Vitioſus conſcientias vitioſorum non refugit, & ubi omnes ſordent, unus fortè minimè ſentitur. 3tium. Rutilius, cùm amico injuſtum quid petenti negâſſet, & is diceret: quid ergo

Pſalm. 17. *Eccl. c. 12.* *S. Gregor. in Paſtoral.* *S. Ambroſius ſuper Luc. c. 4.* *S. Chryſoſt. in Matth.* *Hugo lib. 3. de anima.* *S. Bern. lib. de Conſiderat.* *Val. Max. l. 6. c. 4.*

ergo tuâ mihi opus est amicitiâ, si quæ peto, non impetrem? respondit: quin imò quid tua mihi prodest amicitia, si inhonesta propter te facere cogar?

Descriptio Pseudo-amicitiæ, eamquè cavendi Motiva & Praxis,

Biblioth. Manual. tit. Amicitia. ex P. Lohner: Noverit discernere & fugere particulares & noxias amicitias, quod ut tantò certius præstet. *Primò* nôsse in genere debet, quænam particulares & noxiæ amicitiæ dicendæ sint, scilicet omnis illa, cujus causa & fundamentum non est DEUS. *S. Basilius c. 30. Constit. Mon.* De qua clariùs locutus S. Basilius: Charitatem quidem, inquit, habere inter se mutuam debent Fratres, non ita tamen, ut duo, tresvè seorsim à cæteris sodalitatem ineant. Quandoquidem hoc non charitas, sed carnalitas, sed seditio, & divisio foret, & eorum, qui sic coëunt, improbitatis indicium. *Secundò* nôsse debet species harum amicitiarum, quarum tres enumerat Alphonsus Rodriquez, *Rodr. p. 1. tr. 4. c. 18. & seq.* quarum prima est eorum, qui ob similitudinem naturæ, aut amabilitatem, formamquè corporis, se multò plùs, quàm alios diligunt. Altera eorum, qui certis quibusdam personis, à quibus promotionem ad honorata officia sperant, adhærent, eorumquè gratiam & favorem variis obsequiis aucupantur. Tertia & pessima est eorum, qui inter se coëunt ad novitates in Religionem inducendas, & Constitutiones ejusdem convellendas, de quibus proinde jure dicitur illud Canticorum: *Cant. 1. v. 6.* Filii Matris meæ pugnaverunt contra me. *Tertiò* nôsse debet indicia, per quæ cognosci possunt ejusmodi amicitiæ, quæ quidem clarè S. Laurentius Justin. *S. Laurent. Justin. de discipl. Monast. c. 22.* sequentibus verbis indicavit: Hic amor cùm in corde imprudentis exortus radices mittere ac pullulare cœperit, corporalem quærit dilecti præsentiam, cum eodem habitare, cum eodem loqui desiderat. Sicut autem ex ipsius gaudet aspectu, ita absentiâ contristatur. Solus vult cum eo, quem diligit sensualiter loqui: solus cum eo conversari, quia in illius mente habitare jam cœpit; livore quippe invidiæ accenditur, si quempiam ab eodem diligi, & cum eodem conversari perspexerit. Absentiam etiam illius, magnam sibi delectationis jacturam æstimat. Sicut enim amat singulariter, ita & amari vult, atque cæco seductus errore ignorat, se vesano amore percussum. *Quartò* nôsse debet damna,

quæ

quæ ex talibus amicitiis oriri ſolent, & ad tria ferè capita revocari poſſunt, dum ſcilicet DEO ſubtrahitur debitus honor, aut certè in creaturas dividitur; quam ob cauſam, ut obſervavit S. Chryſoſtomus, Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam non eſt verſatus cum diſcipulis quadraginta diebus, ſed per quadraginta dies, advolabat enim, ac devolabat rurſum. Cur ita tandem? Subducebat animos illorum ad altiora, nec patiebatur illos ſimiliter erga ipſum ſic affectos eſſe, quemadmodum priùs fuerant. Siquidem ſic erant affecti, ut admodum ægrè ab illo divellerentur. Unde & conſolans illos dicit: Expedit vobis ut ego vadam. Deinde ipſi quoque *Communitati* ſeu *Religioni* graviter nocent; nam inducunt varias diviſiones, clancularios congreſſus, conſpirationes, odia, ſuſpiciones, invidias, inimicitias, atque adeo deterrima peſtis Religionum meritò vocantur. Denique iis ipſis, qui eos fovent, nocent graviſſimè, dum & omni merito eos privant, (nam teſte D. Thomâ, dilectio amicorum apud DEUM mercedem non habet, quando propter hoc ſolùm amantur, quia amici ſunt) & gratiarum Divinarum influxum impediunt; nam ſi, ut benè diſcurrit S. Bernardus, Apoſtoli carni Dominicæ inhærentes, quæ ſola Sancta erat, Spiritu Sancto repleri nequiverunt, donec tolleretur ab eis, tu carni tuæ (*& carnalibus ſociis*) adſtrictus & conglutinatus, illum meraciſſimum Spiritum te putas poſſe ſuſcipere, niſi carneis iſtis conſolationibus funditus renunciare tentaveris? id quod benè advertit S. Gertrudis, hinc cavebat maximè in verbis, nè cujuſquam hominis cor ſibi attraheret, nevè in ejus ſe amicitiam inſinuaret, unde quâvis pòſt occaſione retraheretur. Omnem enim amicitiam humanam, cujus advertere potuit cauſam, fundamentumquè non eſſe DEUM, ut virus lethale abhorrebat, malebatquè obſequiis, ac beneficiis cujuſcunque carere, quàm admittere, ut humano ſecum favore cor cujuſquam eſſet occupatum. Ejuſdem animi Joannes de Luca ex Ordine S. Franciſci erat, qui cùm à quodam interrogatus fuiſſet, cur tantoperè Fratrum conſortium vitaret? reſpondit: id ſe ob ipſorum bonum facere; quantò enim ipſe DEO unitus foret, tantò plus eorum commodis ſe proſpecturum; teneriores

S. Chryſoſt. hom. 1. in Acta Apoſtol.

D. Thom. 2. 2. q. 27. a. 7. ad 1.

S. Bernard. ſerm. de Aſcenſ.

Lib. 2. Inſin. c. 7.

Rodr. p. 1. tr. 4. c. 18.

verò cum iis amicitias à DEO retrahere, adeòquè sibi & ipsis officere.

1. 2. *tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.* *In Praxi fugiendi Opposita Amicitiæ utere proportionatè suprà dictis.*

§. II.
De Adulatione.

D. Thom. 2. 2. q. 115. a. 1. SEcundum *Oppositum Amicitiæ per Excessum, est Adulatio; quæ est peccatum, quo aliquis supra debitum virtutis modum, verbis, vel factis, in communi conversatione, alicujus commodi consequendi intentione, alium delectare studet.* Dicitur: *est peccatum;* Quia cuipiam adulari, vel ejus extollendo delicta, vel animo lædendi: vel ruinæ alicujus occasionem præbendo, peccatum mortale est: aliàs verò adulari vel delectandi causâ, vel commodi alicujus consequendi, veniale est. *Ibidem a. 2.* Dicitur: *per Excessum oppositum;* quia cùm amicitia spectatis circumstantiis illos, quibus convivit, principaliter delectare, vel etiam ubi opus contristare, studeat: Sequitur illum, qui in omnibus velit ad delectationem loqui alteri, excedere modum in delectando, adeoquè peccare per excessum. Dicitur: *verbis, vel factis, &c.* Ubi inter verba ponitur laus alterius. *D. Thom. a. 1. ad 1.* Contingit autem (*inquit D. Thomas*) laudare aliquem & benè & malè, prout scilicet debitæ circumstantiæ vel servantur, vel prætermittuntur. Si enim aliquis aliquem velit delectare laudando, ut ex hoc eum consoletur, nè in tribulationibus deficiat, vel etiam, ut in bono proficere studeat, aliis debitis circumstantiis observatis, pertinebit hoc ad prædictam virtutem amicitiæ. Pertinet autem ad Adulationem, si quis velit aliquem laudare, in quibus non est laudandus, quia fortè mala sunt, secundùm illud Psalm. 9: Laudatur peccator in desideriis animæ suæ: vel quia non sunt certa, secundùm illud Eccl. 27: Ante sermonem non laudes virum. Et iterum Eccl. 11: Non laudes virum in specie sua; vel etiam, si timere possit, nè humanâ laude ad inanem gloriam provocetur. Unde dicitur Eccl. 11: Ante mortem nè laudes hominem. Similiter etiam velle placere hominibus propter charitatem nutriendam, ut in ea

homo

homo spiritualiter proficere possit, laudabile est. Quòd autem aliquis velit placere hominibus propter inanem gloriam, & propter lucrum, vel etiam in malo, hoc esset peccatum, secundùm illud Psalm. 54: DEUS dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent. Et Apostolus dicit ad Gal. 1: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

Motiva fugiendi, fugandiquè Adulationes. *1mum. Prov:* Qui derelinquunt legem, laudabunt impium. *Isa:* Væ! qui justificatis impium. *Ibidem:* Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. *Oseæ:* In malitia sua lætificaverunt Regem, & mendaciis suis Principes. *Eccl:* Meliùs est à sapiente corripi, quàm stultorum adulationibus decipi. *Prov. 28. Isa. c. 5. Ibidem c. 3 Oseæ c. 7. Eccl. c. 7.*

2dum. S. Augustin: Duo sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium, & laudantium: sed plus persequitur lingva adulatoris, quàm manus persequentis. *S. Hieronymus:* Beata mens, quæ nec adulatur aliquando, nec adulanti credit; quæ nec decipit alterum, nec ipsa decipitur, denique nec malum facit, nec aliquando patitur. *Idem:* Adulatores sunt hostes, & scintillæ diaboli. *Idem:* Isto maximè tempore regnat vitium Adulationis: quodquè est gravissimum, quia humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur; ita fit; ut qui adulari nescit, aut invidus, aut superbus reputetur. *S. Chrysostomus:* Adulator omnis virtutis inimicus est, & quasi clavum figit in oculos illius, cum quo sermonem conserit: eoquè magìs cavendus est; quo sub amantis specie nocere non desinit: donec rationis obtundat acumen, & modicum illud luminis, quod adesse videbatur, extingvat. *Cassiodorus:* Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus salve dicit; prodigos vocat liberales; avaros parcos & sapientes; lascivos curiales; garrulos affabiles; obstinatos constantes; pigros maturos & graves: hæc sagitta leviter volat, & citò infigitur. *Hugo:* Adulator amicus in obsequio, hostis in animo, comptus in verbo, turpis in facto, lætus ad prospera, fragilis ad adversa, inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honesta. *S. August. super Psalm. 59. S. Hieron. in Epist. ad Demetriadem. Idem super Proverb. c. 1. Idem ad Celantiam. S. Chrysost. in Policratico lib. 3. Cassiod in quadam Epist. Hugo de Sanct. Victor.*

Plato Adulatorem vocabat bestiam humano generi pe-

stilen-

Apud Fab conc. 1. in Dom. 22. post Pente. stilentem, similem venefico, imò impuro dæmoni, qui animos incautos funestis epulis fovet, & sordibus noxiis inquinat. Item præstigiatori, qui judicium & rationem aliis eripiat. Deinde

Ibidem. Plutarchus adulatores appellare solebat *Patriæ & virtutis inimicos*; Epictetus *Corvos*, ut qui perinde viventium animos excæcent, ac corvi mortuorum oculos effodiunt; Antisthenes *Meretrices*; Anaxilaus *Opum vermes*; Constantinus Magnus *Tineas & Sorices*.

S. Hieron. in Matth. *3tium.* Imitare Christum, qui teste S. Hieronymo, etsi pauperrimus, nulli tamen adulari voluit, ideo in urbe hospitium reperire non potuit, foris illud quærere debuit apud pecu-

Psalm. 140. des. Imitare *S. David* dicentem: Oleum peccatoris non im-

1. Thess. 2. pingvet caput meum. Et *Apostolum*: Neque aliquando fuimus

Galat. 1. in sermone adulationis. *Idem*: An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. *Aliud:*

Drex. p. 1. Phaëth. c. 1. §. 3. Carolus V. Parisiis publicâ oratione laudatus Oratori respondit: Grata mihi est affinis Regis in me benevolentia, sed laudes, non qualis sim, sed qualis esse debeam, me docent.

Fab. Conc. 1. in Dom. 22. post Pentec. *4tum. Exempla profana.* Justinianus Imperator, alioqui sagacissimus, quia Triboniano Jurisconsulto cum assentatione dicenti, ipsum non moriturum, sed corpore, animoquè ad cælos migraturum, credidit, & inde turgidior factus est, in hæ-

Ibidem. resim posteà prolapsus, miserè periit. Alexander Magnus Philosophum quendam, quo anteà familiariter utebatur, à suo consortio hac una de causa removit, quòd nunquam Regem objurgaret: si enim, inquiebat, mala, quæ facio, non intelligit, insipiens est; si intelligit, & non arguit, est malevolus adulator, utrovis nomine dignus, qui à Regia familiaritate planè ar-

Ibidem §. 4. ceatur. *Aliud.* Cùm Antipater à Phocione iniquum aliquid jure amicitiæ peteret, respondit Phocion: Non potes, ô Antipater, Phocionem & amicum habere, & adulatorem. *Aliud.*

Fab. l. c. n. 3. Augustus Imperator ludos spectans, pronunciante Mimo: ô Dominum æquum & bonum! mox adulationem populi applaudentis manu vultuquè suppressit, & sequenti die edicto vetuit se Dominum appellari.

1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3. *Ad Praxim profligandi Adulationem applica convenienter suprà posita.*

§. III.

§. III.

De Litigio.

TErtiò Amicitiæ opponitur *Litigium*; quo quis alicui contradicit, propter defectum amoris erga dicentis personam: discordiæ species est charitati contraria. At illud, quo aliquis alicui contradicit ad eum potiùs contristandum, quàm ei contradicendum, virtuti affabilitatis & amicitiæ maximè adversatur, idquè per excessum. Quia quoad hoc ultimum; sicut adulator superabundat in delectando, ita litigiosus superabundat in contristando. *S. Thom. 2. 2. q. 116.*

Porrò *Lis* seu Litigium vulgò acceptum pro Actione juridica, seu defensione juris coram judice, aliud est bonum, aliud est malum, aliud indifferens. *Bonum* est, si quis jura Communitatis Ecclesiasticæ vel Civilis sibi commissa tueatur, absque intentione contristandi Adversarium, quasi hanc tristitiam directè velit; etsi autem indirectè acciderit, sibi imputet injustus litigans. Ita S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis pro juribus & libertatibus Ecclesiæ gloriosus Martyr occubuit. *Malum Litigium* est, dum quis illud vel ex intentione contristandi alium, vel se injustè vindicandi, vel aliquid injustè in possessionem capiendi &c. movet. *Indifferens Litigium* est, quod justè pro defensione juris proprii excitatur, cui aliàs juri licitè imò & supererogatorio actu virtutis litigans cedere possit.

§. IV.

QUartum Amicitiæ Oppositum est *per Defectum*. *Job:* Qui tollit ab amico misericordiam, timorem Domini relinquit. *Job. c. 6.*
Eccl: Nè derelinquas amicum antiquum, novus enim non erit similis illi. *Eccl. c. 19.*
Proverb: Nè moliaris amico tuo malum: cùm ille in te habeat fiduciam. *Prov. c. 3.*
Ibidem: Qui despicit amicum suum, indigens corde est. *Ibidem c. 11.*
Isidorus: Sæpè propter honorem quorundam mutantur & mores: & quos ante conglutinatos charitate habuerunt, postquam ad culmen honoris veniunt, amicos habere despiciunt. *Isidorus de summo bono.*
Cassianus: Novæ dignitates veteres solent amici- *Cassianus in quadam Epist.*

amicitias immutare. Creat enim cor novum, & novos affectus novæ dignitatis conscientia. Divites facti paupertatis amicos cum paupertate fastidiunt, nè quid penes eos de veteri videatur inopia resedisse. Semper enim apud indignos mores crescit cum potestate supercilium.

SUBSECTIO XX.

De Liberalitate.

D. Thom. 2. 2. q 117. **L***iberalitas est virtus, quâ benè utimur in omnibus iis externis, quæ nobis ad nostram sustentationem concessa sunt.* Dicitur: *est virtus:* Quia sicut August. dicit in lib. 2. de lib. arb. benè uti his, quibus malè uti possumus, pertinet ad virtutem. Possumus autem benè & malè uti non solùm his, quæ intra nos sunt, puta potentiis, & passionibus animæ, sed etiam his, quæ extra nos sunt, scilicet rebus hujus mundi, concessis nobis ad sustentationem vitæ. Et ideo cùm benè uti his rebus pertineat ad liberalitatem, consequens est, quòd liberalitas virtus sit. Dicitur: *quâ benè utimur;* scilicet tam in nostras, nostrorumque expensas, quàm alienorum data, hoc enim utrumque pertinet ad liberalitatem, nisi quòd dare alienis, & à se remotioribus sit principalior actus liberalitatis, sicut majoris est virtutis agere remotiùs, quàm propinquiùs. Cæterùm ex bono affectu in personam, dare spectat ad charitatem & amicitiam, ex moderatione autem amoris & concupiscentiæ circa pecuniam, cujus nomine bona externa intelliguntur, spectat ad liberalitatem, quæ non tantùm amicis, sed & ignotis largitur. Deinde nihil prohibet, aliquos virtuosos licèt pauperes esse liberales. Unde Philosophus dicit 4. Ethic: Secundùm substantiam, id est, facultatem divitiarum, liberalitas dicitur. Non enim consistit in multitudine datorum, sed in dantis habitu. Et Ambrosius dicit in 1. de offic. quòd affectus divitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit.

Philos lib. 4. Ethic. c. 3. 10. 5.
S. Ambros. l. 1. c. 30. inter pri & med. to. 1.

Gradus

Gradus Largitatis ex aurea Formula Seraphici Doctoris de grad. Virt. c. 15.

Largitatis altus gradus eſt, hilariter dare temporalia, I.
ſicut fecit Abraham, qui nulli negavit hoſpitium. Altior eſt,
hilariter dare ſpiritualia, ſicut Apoſtolus fecit, dicens: Sapien- *Rom.* 1.
tibus & inſipientibus debitor ſum. *Item*: Si vobis ſpiritualia 1. *Cor.* 9.
ſeminamus &c. Altisſimus eſt, ſpontè & hilariter dare cor-
pus ſuum, ſicut fecit Chriſtus, qui dicit per Prophetam: Cor- *Iſa.* 50.
pus meum dedi percutientibus; & cùm dixit: Comedite ex *Matth.* 26.
hoc omnes, hoc eſt &c.

Item in altum gradum Largitatis aſcendit, qui dat quid- II.
quid ab eo petitur, ſicut Herodes fecit, qui filiæ dixit: Quid- *Marc.* 6.
quid petieris, dabo tibi. In altiorem aſcendit, qui dat plus
quàm petatur ab eo, ſicut fecit Naaman Giezi ſervo Eliſei, pe-
tenti unum talentum, dixit: Meliùs eſt, ut duo accipias. In 4. *Reg.* 5.
altisſimum aſcendit, qui arguit non petentes, ut petant, ſicut
Chriſtus: Uſque modo non petiiſtis quidquam. *Joann.* 16.

Item in alto gradu ſtat, qui dat aliquid, habens ſpem re- III.
cuperandi, vel recompenſationis, ſicut ferè faciunt omnes ho-
mines, juxta illud Iſaiæ: Omnes diligunt munera &c. Item in *Iſa.* 1.
altiori ſtat, qui dat aliquid ſinè ſpe recompenſationis, ſicut A-
poſtolus dedit ſpiritualia, dicens: Non quæro veſtra, ſed vos. 2. *Cor.* 12.
In altisſimo ſtat, qui refert gratias accipientibus dona, ſicut
Chryſoſtomus dicit de Chriſto: Pro omnibus quæ tribuiſti no-
bis ô Chriſte, nihil petis, quàm ſalvari, hocipſum tribuens, &
accipientibus gratias agens. In omnibus iſtis gradibus fuit
Chriſtus.

Item in alto gradu ſtat, qui dat dona conſangvineis in- IV.
digentibus. In altiori ſtat, qui dat extraneis indigentibus. In
altisſimo ſtat, qui dat inimicis indigentibus, ſicut DEUS, qui *Matth.* 5.
facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos.

Illicia Liberalitatis. *Imam.* *Pſalm*: Diſperſit dedit *Pſalm.* 111.
pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi, cornu ejus
exaltabitur in gloria. *Eccl*: Qui prævalet manu (*id eſt benefi-* *Eccl. c.* 29.

centiâ liberali, juxta illud, *manum suam aperuit inopi*) servat mandata. *Apostolus* incitans suos ad copiosam munificentiam, alludit ad similitudinem sementis, dicens: Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui in benedictionibus seminat, de benedictionibus & metet.

2. Cor. 9.

2dum. *S. Ambrosius*: Non solùm quæritur quantum, sed de quanto, & quo animo detur. *Idem*: Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari, nisi fortè ut Elisæus boves suos occidit, & pauperes pavit de eo, quod habuit, ut nullâ curâ teneretur domesticâ. *S. Gregorius*: In ipsa autem liberalitate modus adhibendus est rerum & personarum: rerum, ut non omnia uni, sed singulis quædam præstentur, ut pluribus prodesse possimus: juxta illud Prophetæ: Dispersit dedit pauperibus. Personarum, ut primùm justis, deinde peccatoribus; quibus tamen prohibemur dare, quia non homines, sed quia peccatores. *S. Leo*: Nulli parvus est census, cui magnus est animus; nec de rei familiaris mensura pendet modus pietatis. Majora quidem sunt impendia divitum, & minora mediocrium, sed nec discrepat fructus operum, ubi non deest affectus operantium. *Ibidem*: Si non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas: quoniam fidelium largitas, non de muneris pensatur pondere, sed de benevolentiæ quantitate.

S. Ambros. in Epist. ad Cor.
Idem lib. 1. de offic.
S. Gregor. in Epist.
S. Leo Papa in appar. Dom.
Ibidem.

3tium. *Exempla. DEUS dat omnibus affluenter, & non improperat. Christo* quid liberalius, qui semetipsum, suaquè omnia in hominis emolumentum & felicitatem tradidit? *Beatissima Virgo* Jus suum quod habuit in Filium, liberalissimè nobis cessit, in commune secum participium ad omnem nostram beatitudinem. *Leo X.* nulla in re ardentiùs & effusiùs, quàm ad liberalitatis gloriam anhelavit, eos Principe loco indignos existimans, qui non beneficâ manu facultates suas erogarent. Purpuream crumenam quotidie aureis nummis sibi repleri jubebat, ad incertas exercendæ liberalitatis occasiones. Magnum veteranorum militum ac exulum alebat numerum: nihilquè vehementiùs contendebat, quàm ut nemo calamitatem & fortunæ adversæ mala & incommoda pateretur. Tantâ agrestium populorum

Jac. 1.
Jovius in Leon. X. l. 4.

pulorum gratulatione atque lætitiâ accipiebatur, ut cuncti ejus adventum se vel fertilissimis messibus fertiliorem sentire faterentur, utpote qui senibus ac pueris effusis in viam, ac rustica munera offerentibus, non modò pecuniam largissimâ manu offerebat, sed etiam appellando, quânam in re acriùs premerentur; & virgines quidem dote præbitâ sublevaret, affectis autem morbo & ætate, vel numeroso familiæ onere prægravatis, æs alienum protinus dissolveret. *Cyrus* Persarum Rex nullum in suos liberalitatis genus prætermisit: non pecuniam, sed amicos, quibus ipse plurimum divitiarum contulisset, suos esse thesauros dicens.

In Praxi liberalitatis has conditiones seu circumstantias ex P. Lohner observa. I. est, ut *animo bono & sincero exerceatur*; nam ut benè S. Ambrosius advertit, hoc primum quæritur, ut cum fide conferas, fraudem non facias de oblatis, nè dicas te plus conferre, & minus offeras. Quid enim opus est dicere? in tua potestate est largiri quod velis. Fraus fundamentum solvit, & opus corruit. II. Ut *ordinatè* exerceatur; nam teste S. Augustino, *Omnes quidem homines æquè diligendi sunt: sed cùm omnibus prodesse possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constricti tibi, quasi quâdam sorte junguntur.* Hinc rectè Seneca: *Videbo*, inquit, *quando dem, & cui dem, quemadmodum, quare: nihil enim sinè ratione faciendum est. non est autem beneficium, nisi quod ratione datur: quoniam ratio omnis honesti comes est.* III. Ut *gratis* exerceatur; nam *id*, teste S. Augustino, *piè fit & humaniter, quod sine spe recipiendi feceris.* IV. Ut *hilariter* præstetur; nam quod mœsto animo defertur, aut necessitate extorquetur, ingratum est, parùmquè gloriosum, ut S. Gregorius Nazianzenus testatur. V. Ut *citò* conferatur; *nam omnis benignitas properat*, Senecâ teste, *& proprium est libenter facientis, citò facere. Tardè velle, nolentis est.* Imò ut S. Gregorius Nazianzenus ait, *congeminatur beneficii gratia promptitudine & celeritate.* VI. Ut personæ, cui datur, conditio æstimetur; *quædam enim*, inquit rectè Seneca, *minora sunt, quàm ut exire à magnis viris debeant, quædam accipiente minora sunt.* Et S. Ambrosius: *Est etiam probanda liberalitas, ut proximos seminis tui*

Biblioth. Manual. tit. liberalitas.

S. Ambros. l. 1. de offic. c. 30.

S. August. lib. 1. de doct. Christi.

Seneca l. 4. de bon.

S. August. l. 6. Medit.

S. Greg. Orat. de pauper.

Seneca l. 2. de benefic. c. 5.

S. Gregor. loco cit.

S. Ambr. l. 1. de offic. c. 30.

non despicias, si egere cognoscas: meliùs enim est, ut ipse subvenias illis, quibus pudor est, sumptus ab aliis deposcere. Considerranda etiam in largiendo ætas atque debilitas; nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales; ut senibus plus largiaris, qui sibi labore non jam queant victum quærere. Similiter & debilitas corporis, & hæc juvanda promptiùs. Tum si quis ex divite cecidit in egestatem, & maximè si non vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis, quæ habebat, amisit. VII. Ut vel *occultè* detur, si fieri potest, aut certè oblivione sepeliatur, quod collatum est; nam *perfecta liberalitas, est,* inquit S. Ambrosius, *ubi silentio tegit quis opus suum, & necessitatibus singulorum subvenit: quem laudat os pauperis, & non os suum.* Non malè tamen Seneca discrimen facit inter beneficia, dum ait: *Præcipiunt authores sapientiæ quædam beneficia palam danda, quædam secretò. Palam quæ consequi gloriosum est, ut militaria dona & honores, & quidquid aliud notitiâ pulchrius est. Rursus quæ non producunt, nec honestiorem faciunt, sed occurrunt infirmitati, egestati, ignominiæ, tacitè danda sunt, ut nota sint solis, quibus prosunt. Quid enim opus est te loqui? quid alienum occupare officium? est, qui illud facere honestiùs possit, quo narrante, & hoc laudabitur, quod ipse non narras. Hæc beneficii inter duos lex est, alter statim oblivisci debet dati, alter accepti nunquam.*

Idem lib. 2. de offic. c. 5.

Seneca lib. 2. de benef. c. 9.

Vide quoque suprà dicta, & hìc proportionatè applica.

l. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2.

SUBSECTIO XXI.

De Avaritia.

D. Thom. 2. 2. q. 118. a. 4. 6. 7.

Avaritiæ vitium ut justitiæ oppositum, importat indebitam quandam pecuniarum acceptionem & conservationem, inquantùm scilicet aliquis acquirit pecuniam ultra debitum, alicui surripiendo, vel retinendo. Quatenus verò Liberalitati adversatur, est immoderatio quædam circa interiores divitiarum affectus: puta, cùm quis nimis amat, vel desiderat divitias, aut nimis delectatur in eis, etiamsi nolit rapere aliena.*

Ibidem a. 8.

Species Illiberalitatis vel Avaritiæ ex Arist. lib. 4. Eth. c. 1. enumerat D. Thomas, nempe quòd potest aliquis illiberalis, vel avarus

avarus esse ex eo, quòd deficit in dando; & siquidem parum dat, vocatur *parcus*: si autem nihil, *tenax*: si autem cum magna difficultate dat, vocatur *chimibilis*, quasi cumini venditor; quia de parvis magnam vim facit. Quandoque autem aliquis dicitur illiberalis, vel avarus, quia *excedit in accipiendo*. Et hoc dupliciter. Uno modo, quia turpiter lucratur, vel vilia & servilia opera exercendo per illiberales operationes; vel quia de aliquibus vitiosis actibus lucratur, sicut de meretricio, vel de aliquo hujusmodi. Vel quia lucratur de eo, quod gratis oportet concedere, sicut Usurarii Vel quia lucratur parva cum magno labore. Alio modo, quia injustè lucratur, vel vivis vim inferendo, sicut latrones: vel mortuos spoliando: vel ab amicis auferendo, sicut aleatores.))

Motiva execrandi Avaritiam. *Imum.* *Prov*: Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori & egebit. *Ibidem*: Nè erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere; quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum. *Ibidem*: Qui odit avaritiam, longi fient dies ejus. *Ibidem*: Qui festinat ditari, non erit innocens. *Eccl*: Avarus non implebitur pecuniâ, & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. *Ibidem*: Avaro nihil est scelestius. *Ibidem*: Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua. Qui aurum diligit, non justificabitur. *Abac*: Væ ei! qui multiplicat non sua. Usquequò & aggravat contra se densum lutum? (*seu compactum lutum, aut terram flavam vel albam, quæ est aurum sive argentum.*) *Christus*: Filioli, quàm difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum DEI introire! Faciliùs est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum. *Apostolus*: Nec enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt

Prov. 22.
Ibidem c. 23.
Ibidem c. 28.
Ibidem.
Eccl. 5.
Ibidem c. 10.
Ibidem.
Abac. 2.
Marc. 10.
1. Tim. 6.

runt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, ô homo DEI, hæc fuge. *Jacobus*: Divitiæ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum vobis in testimonium erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizâstis vobis iram in novissimis diebus.

Jacob. 2.

S. August. de verbis Domini.

2dum. *S. Augustinus*: Quæ est ista aviditas concupiscentiæ, cùm ipsæ belluæ habeant modum? Tunc enim rapiunt, quando esuriunt, parcunt verò prædæ, quùm senserint satietatem. Insatiabilis est sola avaritia divitum. Semper rapit, & nunquam satiatur, nec DEUM timet, nec hominem reveretur, nec patri parcit, nec matrem agnoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat. Viduam opprimit, pupillum invadit, liberos in servitium revocat, testimonium falsum profert. Res mortui occupantur, quare & qui faciunt non moriuntur? quæ est illa animarum insania? amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cælum? *Idem*: Quùm avaritia alicui dominatur, subjectus malis omnibus demonstratur; quia de avaritia omnia mala oriuntur, & peccatorum omnium spinæ producuntur. *S. Ambrosius*: Non minoris est criminis habenti tollere, quàm cùm possis & habes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum, quod tu includis: miserorum redemptio & absolutio pecunia, quam tu in terra fodis: tantorum scias te invadere bona, quantis possis præstare, & nolis. Non sunt bona hominis, quæ secum ferre non potest: Sola misericordia comes est defunctorum. *S. Thomas* inquit: *Avaritia est vitium spirituale & capitale, ut justitiæ adversatur, peccatum mortale est, ut verò liberalitati contrariatur, veniale est.* Dicitur: *vitium spirituale*; quia in spirituali divitiarum perficitur delectatione: Delectatur enim avarus in hoc, quod considerat se possessorem divitiarum. Dicitur: *Capitale*; quia illud vitium capitale dicitur, ex quo alia vitia oriuntur secundùm rationem finis; qui cùm sit multùm appetibilis propter ejus appetitum, homo procedit ad multa facienda, vel bona vel mala. Finis autem maximè appetibilis est beatitudo vel felicitas, qui est ultimus finis humanæ vitæ.

Idem de libero arbitrio.

S. Ambros. in quodam serm.

S. Thom. 2.2. q. 118. a. 4. 6. 7.

Et

Et ideo quantò aliquid magis participat conditiones felicitatis, tantò magis est appetibile: est autem una de conditionibus felicitatis, ut sit per se sufficiens, alioquin non quietaret appetitum tanquam ultimus finis. Sed per se sufficientiam maximè promittunt divitiæ, ut Boëtius dicit in 3. de consolatione. Cujus ratio est, quia sicut Philosophus dicit 5. Ethicor. denario utimur quasi fide-jussore ad omnia habenda. Et *Eccl.* 10. dicitur: quòd pecuniæ obediunt omnia. Et ideò avaritia, quæ consistit in appetitu pecuniæ, est vitium capitale.)) Porrò quæ filiæ sunt avaritiæ, seu quæ vitia ex ipsa & quomodo oriuntur, præcipuè secundùm appetitum finis, patet juxta D. Thomam: Quia cùm avaritia est superfluus amor habendi divitias, in duobus excedit. Primò enim superabundat in retinendo. Et ex hac parte oritur ex avaritia Obduratio contra misericordiam: quia scilicet cor ejus misericordiâ non emollitur, ut de divitiis suis superveniat miseris. Secundò ad avaritiam pertinet superabundare in accipiendo. Et secundùm hoc avaritia potest considerari dupliciter. Uno modo secundùm quod est in affectu, & sic ex avaritia oritur Inquietudo, inquantùm ingerit homini solicitudinem, & curas superfluas. Avarus enim non implebitur pecuniâ, uti dicitur Eccl. 5. Alio modo potest considerari in effectu. Et sic in acquirendo aliena utitur quandoque quidem vi, quod pertinet ad Violentias: quandoque autem dolo: Qui quidem si fiat in verbo, erit Fallacia quantùm ad simplex verbum: Perjurium autem, si additur confirmatio juramenti. Si autem dolus committatur in opere, sic quantùm ad res, erit Fraus: quantùm autem ad personas, erit Proditio, ut patet de Juda, qui ex avaritia prodidit Christum.)) Dicitur suprà: *ut justitiæ adversatur &c.* Quia secundùm quod opponitur justitiæ, ad avaritiam pertinet, quòd aliquis injustè accipiat, vel retineat res alienas; quod pertinet ad Rapinam vel Furtum, quæ sunt peccata mortalia. Contingit tamen in hoc genere avaritiæ aliquid esse peccatum veniale, propter imperfectionem actûs, sicut suprà dictum est, cùm de furto ageretur. Alio modo potest accipi avaritia, secundùm quod opponitur liberalitati. Et secundùm hoc importat Inordinatum

Lib. 3. prosâ 3 circa medium lib. 5. Ethic. c. 5. tom. 5.

D. Thom. 2. 2. q. 118. a. 8.

Ibidem a. 4.

amorem divitiarum. Si ergò intantùm amor divitiarum crescat, quod præferatur charitati, ut scilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem DEI, & proximi, sic avaritia erit peccatum mortale. Si autem inordinatio amoris intra hoc sistat, ut scilicet homo, quamvis superfluè divitias amet, non tamen præfert earum amorem amori Divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra DEUM & proximum, sic avaritia est peccatum veniale.)) Idem S. Doctor ait: Avaritia magnam habet deformitatem. Quia subjicit inordinatè appetitum bonis infimis, nempe rerum exteriorum: quæ ultimum inter bona retinent gradum. Tantò autem est vitium deformius, quantò bonum minus, cui subdit appetitum.

Ibidem a. 5.

3tium. Exempla ex Patre Lohner Biblioth. Man. tit. Avaritia. Avarus quidam moriturus copiosis lacrymis id unum deplorabat, quòd divitias suas deserere, aliisquè relinquere cogeretur. *Aliud* Alius quidam, cùm subitâ morte extinctus esset, ideoquè amici mortis causam indagaturi, corpus aperiri jussissent, nullum cor habere deprehensus est; sed illud postea in cista pecuniarum inventum est, ubi diabolus specie draconis super illud sedebat, & in varias partes discerpebat. *Aliud.* Mulier quædam simulatæ sanctitatis, cùm aurum pauperibus elargiendum iniquè congregâsset, illudquè post mortem Episcopus super corpus exanime in sepulchrum conjici jussisset, aurum quasi in fornace resolutum in os mulieris cum flamma sulphurea fluere visum, ipsaquè lamentabili ejulatu se ab auro vehementissimè uri, conqueri audita est.

Specul. Exempl. dist. 9. exe. 8.

S. Prosper l. de dono timoris.

S. Greg. Turon. de glor. Mart. c. 106.

4tum. S. Franciscus Xaverius, licèt plurima, eaquè magnifica munera eidem sæpè à Regibus, aliisquè opulentis personis offerebantur, magno tamen animo semper repudiabat. In navi, licèt omnia à Prætore illi abundè fuissent suppeditata, nonnisi mendicato vivebat. Quæ verò eleemosynæ nomine offerebantur, continuò in pauperes & infirmos distribuebat.

Vita l. 1. & 2.

5tum. Crates Thebanus suas divitias in mare abjecit, dicens: Abite pessum malæ cupiditates, ego vos mergam, nè ipse mergar à vobis. *Aliud.* Babytaceni repertum aurum defodiebant,

Laert. l. 6.

Solinus c. 30.

ebant, nè ejus usu polluti æquitatem corrumperent. *Aliud.* Princeps quidam tantum malum credebat avaritiam esse, ut, si improbis subditis suis longam & magnam creare molestiam vellet, divites eos faceret, quippe cum divitiis ingentem curarum sarcinam accepturos. *Balthd. Chavasius l. 4. de prud. c. 3.*

In Praxi avaritiam profligandi, his mediis ex P. Lohner utere. *Bibl. Man. tit. Avaritia.* I. *Ad veras & cælestes divitias animum adjicere:* ita S. Bernardus svasit: Fratres, si divites esse cupitis, veras divitias amate. Veræ divitiæ sunt non opes, quas mundus offert, sed virtutes, quas animus possidet. Hinc & Christus monet, has præ aliis quærere, ut quas nec fures effodiunt & furantur, nec tinea & ærugo consumit. *S. Bern. in serm. Sexag. Marc. 6.*

II. *Brevitatem vitæ perpendere:* nam ut S. Gregorius ait: Longa nostra desideria increpat vita brevis. Incassum multa portantur, cùm juxta est quò pergitur. Et S. Augustinus confirmans: Avaritiæ morbus, inquit, nunquam meliùs compesci-tur, nisi cùm dies mortis sinè oblivione meditatur. *S. Greg. hom. 32. in Evang. S. August. de Conflic.*

III. *Regnum DEI, & justitiam ejus ardenter quærere;* sic enim avaritiæ causa, scilicet timor inopiæ, & indigentiæ tollitur, cùm vera sit promissio Christi asserentis, talibus omnia necessaria adjectum iri, ut S. David expertus est, dicens: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. *Matth. 6. v. 34. Psalm. 22. v. 1.*

IV. *DEI amorem augere:* nam teste S. Augustino, augmentum charitatis est imminutio cupiditatis. Si DEUM amemus, inquit, nummos omninò non amabimus. Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis, quo utaris ad necessitatem, non ad irritamentum cupiditatis, quo fruaris ad delectationem. *S. Augustin. super Psalm.*

V. *Pauperibus dare divitias, & sic in Patriam præmittere:* Quid enim hoc melius bono, inquit S. Ambrosius, si pauperibus largiaris, in quo tibi DEUM debitorem quâdam pietatis fœneratione constituas? Hinc ipse Christus svasit, facere amicos de mammona iniquitatis. *S. Ambros. c. 7. de Naboth. Luc. 16. v. 9.*

VI. *Christi inopiam frequenter perpendere:* quid enim indignius, quàm ut servus abundet divitiis, Domino summam indigentiam patiente? quid absurdius, quàm ut discipulus ma- *Rosign. l. 2. de disciplin. 6. 16.*

gnifaciat opes, quas Magister suus Sapientissimus verbo & opere spernendas esse docuit?

l. 2. tra. 1. c. 2 sect. 4. subs. 1. §. 2. & 3. *Vide etiam suprà specificata, & hic convenienti methodo adhibe.*

§. Unicus.

Hort. Pastor. virg. Aaron. tr. 4. Lect. 10. De Avaritia Ecclesiasticorum in Pluralitate Beneficiorum ex Horto Pastor: doctissimi juxtà & piissimi R. D. Jacobi Marchantii, Pastoris & Decani Convinіensis.

LUcidè deduci potest ex mente SS. Patrum, haud tutum esse beneficia beneficiis, pensiones pensionibus cumulare: nec enim id sinè gravi inordinatione ut plurimùm fit, & ex radice cupiditatis ortum habet, quantumvis multi prætextus & pallia, (quasi folia & perizomata filiorum Adæ) ad velandam nuditatem, & turpitudinem istam à plerisque afferantur. Interim ex omnium Theologorum sententia exploratum manet & decisum, peccati mortalis reatum incurri, si dum unum honestæ sustentationi sufficit, alterum nihilominus retineatur. Nam si Propheta minatur hominibus hujus seculi, & dicit: *Væ! qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis: nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* (*Isa. 5. 8.*) Quantò magis væ! inclamandum est his, qui beneficia beneficiis, præbendas minores majoribus, pensiones pensionibus aggregant, Ecclesiasquè Ecclesiis? Certè multiplici ratione tales peccare comperiuntur.

Primò quidem in DEUM & Christum, cujus Patrimonium dilacerant, & pravè dividunt: de illo inveniuntur incrassati, impingvati, dilatati, onus verò & multiplex officium illi adnexum, qualiter peragatur, parùm sunt soliciti. Sic ipsi, ut loquitur S. Bernardus (*S. Bernardus Serm. 10. in Cant.*), *Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem, & mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, & profligant in acquisitionem turpis quæstûs, & pretium universitatis suis marsupiis includere festinant.* Nam patrimonium, quod Sponsæ suæ Ecclesiæ Christus reliquit, flagellis, alapis, sangvinis effusione acquisitum, illi vertunt in occasionem avaritiæ & cupiditatis, luxûs & carnis.

Secundò peccant plerumque tales in Ecclesiam, quæ frau-

datur pluribus ministris, qui Divinum cultum & obsequium personaliter in pluribus beneficiis erant præstituri. Atque cùm multi idonei pietate & eruditione reperiantur, quibus hæc plura stipendia unius sufficerent, ad producendum in Ecclesia copiosum fructum, & jam illis quodammodo fit injuria iniquâ istâ distributione, vel occupatione plurium beneficiorum.

Tertiò peccant in Fundatores, quorum pia intentio & ultima voluntas evertitur. Nec enim mens eorum fuit alia, quàm diversis fundationibus diversos Ecclesiæ ministros alere, qui per se officium obirent legationibus piis annexum: ideoquè vox eorum & quærela censetur detonare auribus istorum, qui beneficiorum lucra, & commoda solùm captantes, parùm officii per se præstant, sed onus in alium transferunt, & exsugunt substantiam beneficii per pensionem, vel alia via, quæstuario potiùs more, quàm spiritualis profectûs intentione. Ad hos illud Ezechielis dirigitur: *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.* Ezech. 34. l. 3.

Quartò peccant & hi in populum, tum fidelem, tum infidelem. Quia fidelis populus scandalum patitur, dum videt in Ecclesia tot beneficiorum nundinationes: infideles autem & hæretici hæc subsannant & rident, traducuntquè Ecclesiæ ministros, & exinde occasionem stabiliendi suas hæreses apud imperitam & pusillam multitudinem nanciscuntur, in avaritiam & alia vitia Cleri debachantes.

Quintò denique quodammodo jure naturali adversum videtur, quòd unus minister sit in diversis Ecclesiis, sicut quòd unum membrum sit in diversis corporibus. Quòd unus & idem sit caput vel oculus in uno corpore, sitquè manus etiam & pes in altero, inordinatùm est. Hoc verò fieri videtur, dum unus idemquè existit Pastor unius Ecclesiæ, Canonicus alterius, vel Beneficiarius, maximè quando utrobique functiones obire nequit.

Neque sibi omnes blandiantur de dispensatione, cùm & illa impetretur sæpè tali quali narratione, ita ut non reddat possidentem tutum in foro conscientiæ, quamvis liberet eum ab externa desuper molestatione. Unde S. Bernardus ad Eugenium

S. Bern. l. 3. de Consid. c. 4. nium Pont. de hac re sic scribit: *Non sum tam rudis, ut ignorem vos positos dispensatores, sed in ædificationem, non destructionem. Ubi necessitas urget, excusabilis est hæc dispensatio; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis non propria. Nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Quapropter nonnullis posset responderi, quod olim cuidam Coloniensi Canonico è curia regredienti cum dispensatione ad plura beneficia, responsum fuit à viro magni zeli, & scientiæ: *Poteras ire in infernum sinè licentia, nunc ibis cum dispensatione.* Atque illud etiam timendum est, nè qui non unus, sed plures est in beneficiis, non unus, sed plures sit in tormentis.

Horum plura exempla refert Cantiprato, qui asserit circa annum 1238. fuisse Parisiis solennem Disputationem, ubi omnes Theologi à Gvilielmo Episcopo Parisiensi convocati, uniformiter determinârunt, duo beneficia, dummodo unum valeret quindecim libras Parisienses, retineri non posse cum salute animæ. Duo solùm Theologi huic assertioni tunc sunt refragati, Philippus Cancellarius Parisiensis, & quidam Arnoldus, postea Episcopus Ambianensis. Sed quid de isto Philippo contigerit, sic enarrat. Agonizantem in morte dictus Gvilielmus Episcopus paternâ solicitudine visitavit, rogans ut singulari opinioni cederet de pluralitate beneficiorum, & omnia sua beneficia, excepto uno, in manus Ecclesiæ resignaret, eâ conditione, ut si convalesceret, ei suppleret ipse de proprio. Renuit verò æger, experiri velle se dicens, an sit damnabile beneficia plura tenere. Sic ergo mortuus est. Post paucos dies, cùm Episcopus finitis matutinis oraret, vidit inter se & lumen quasi umbram hominis tetram. Elevatâ ergo manu consignat se, & si ex parte DEI sit, præcipit ut loquatur. Cui respondit is qui apparebat: *Alienus à DEO sum, sed tamen factura ejus: ego enim sum Cancellarius ille miserrimus.* Rursus Episcopus: *Et quomodo tibi est sic dolenti?* *Damnatus,* inquit, *sum æternâ morte, & tres fuêre causæ damnationis meæ. Una est, quòd crescentes fructus annuos contra pauperes tumidè reservavi. Secunda est, quòd contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum opinionem propriam defensavi, & in hoc me periculo mortalis culpæ commisi. Tertia est, quòd carnis vitio, cum scandalo, multo tempore laboravi.* Hæc ille. Re-

Refert idem, se cuidam alteri magnæ eruditionis viro, extremo morbo conflictanti adfuisse. Reduxique ei, inquit ipse, solennem illam Disputationem, & determinationem de pluralitate beneficiorum, cui ipse interfuerat Doctor magnus; consulens ei cum magna lacrymarum instantia, ut unam præbendarum dimitteret, quia duas contra animam suam tenuerat, quarum una ad omnem vitæ copiam sufficere poterat. Tunc ille facie conversâ dissimulans, hoc tantùm respondit: Orate Dominum, ut inspiret. Nec diu postea cùm recessissem, & tenuissimo vix hærente spiritu, hoc idem quod consulueram ei quidam consobrinus cum lacrymis inclamaret, cùm voce non posset, manu innuens expiravit, post cujus obitum cùm quidam ex nostris stupefactus cogitaret, cur tantus homo, si mortale peccatum esset plura beneficia retinere, in tali statu obiisset: mox quasi semi vigilanti mortuus apparens dixit: *Hæc sola præbendarum causa est, pro qua infelix ego æternaliter sum damnatus.*

Addit idem & alia exempla his verbis: Ego in quadam civitate Episcopali annis undecim adolevi, ubi sexaginta duo Canonici sub præbendis pingvissimis ducentarum ferè librarum Parisiensium in matrice Ecclesia serviebant, quorum plures erant beneficiorum plurium detentores. Ego qualem vidi vindictam in ipsos, mihi testis & judex sit S. Trinitas. Paucos enim vidi communi morte defungi, sed omnes subitò & reprobè mori: ita ut quidam eorum audito quòd unus sociorum nocte sanus, manè mortuus inventus esset, complosis manibus dixerit: Quid vultis? secundùm usum & morem Ecclesiæ mortuus est, ut videtis. Vidi ego in ea Ecclesia quatuor Archidiaconos sic defungi. Primus eorum de equo phalerato cecidit, & fractâ cervice expiravit. Secundus manè in cathedra sedens, mortuus est repertus. Tertius in choro stans, cùm ad Missam elevatio Corporis Christi fieret, cecidit resupinus, & subtractâ loquelâ cum sensu, quasi brutum animal tertiâ die sinè Sacramentis est defunctus. Quartus confessionem Sacramentaquè recusans, mortuus est, & extra cœmiterium sepultus. Hæc Thom, l. 1. Apum. c. 19. p. 5. & sequentibus.

Possem

Possem & ego nostri temporis exempla plura recensere, quibus ostenderem subitâ & improvisâ, vel dubiâ morte abreptos fuisse, in florida ætate, beneficiorum multorum occupatores; in dispensatione taliter qualiter sinè sufficienti fortè causa impetrata, vel in favorabili aliquorum sed periculosa opinione, nimis confidentes. Verùm quia & in judiciis DEI occultis non debet præceps nostrum esse judicium, & recens adhuc memoria animos aliquorum illis faventium exasperare posset, lubens prætereo. Hoc solum inculcatum velim his, qui hæc legunt, istam beneficiorum accumulationem, vel bonorum Ecclesiasticorum, non carere gravi periculo. *Hucusque Marchantius.*

SUBSECTIO XXII.

De Prodigalitate.

D. Thom. 2. 2. q. 119.

PRodigalitas, *est vitium Liberalitati per excessum in dando cui vel cur non debet: Avaritiæ verò tam secundùm excessum in dando, quàm secundùm defectum in retinendo & acquirendo, oppositum.* Dicitur: *vitium Liberalitati per excessum;* quia cùm prodigalitas opponatur avaritiæ, secundùm oppositionem superabundantiæ & defectûs: Medium autem virtutis per utrumque horum corrumpitur: Ex hoc verò est aliquid vitiosum & peccatum, quod corrumpit bonum virtutis: Unde relinquitur, quòd Prodigalitas sit peccatum. Dicitur: *cui vel cur non debet;* quia sicut illi, qui intentione sequendi Christum, omnia sua dant, & ab animo suo omnem temporalium solicitudinem removent, non sunt prodigi, sed perfectè liberales: ita illi, qui superfluè in intemperantias eas, (ad quas frequentiùs prodigos concupiscentia carnis inclinat, unde 4. Ethic, c. 2. dicitur, quòd multi prodigorum fiunt intemperati) vel alios fines vanos & inutiles expendere non verentur: Tum cui non deberent dare, v. g. histrionibus, adulatoribus, &c. quos oportet pauperes esse; non liberales, sed prodigi sunt. Quia non fine bono, nec cui, nec quomodo oportet, tribuunt, quæ omnia ad liberalitatem circumspicere

cumſpicere pertinet. Quanquam prodigus ſubinde ita diſponitur, ut non abundet ad intemperantias, ſed fiat ſuperfluus ex eo, quia non curat divitias. Dicitur: *Avaritiæ verò &c.* quia in moralibus attenditur oppoſitio vitiorum ad invicem, & ad virtutem ſecundùm ſuperabundantiam, & defectum. Differunt autem avaritia & prodigalitas ſecundùm ſuperabundantiam & defectum diverſimodè. Nam in affectione divitiarum avarus ſuperabundat, plùs debito eas diligens: prodigus autem deficit, minùs debito earum ſolicitudinem gerens. Circa exteriora verò ad prodigalitatem pertinet excedere quidem in dando, deficere autem in retinendo & acquirendo. Ad avaritiam autem pertinet ècontrario, deficere quidem in dando, ſuperabundare autem in accipiendo & retinendo.

Motiva cavendæ prodigalitatis. *Eccl:* Fatuo non erit amicus, & non erit gratia bonis illius, (*i. e. non experietur gratitudinem pro donis ſuis. Ratio eſt*) qui enim edunt panem illius, falſæ lingvæ ſunt, (*i. e doloſi, adulatores, paraſiti, garriones, &c. In hujusmodi quippe fatuus diſſipat bona ſua*) quoties & quanti irridebunt eum? (*tanquam ſtultum & inopem rationis: Etiam beneficiarii licèt in faciem laudibus in cælum adulantes ipſum tollunt.*) Neque enim quod habendum erat (*nempe benè parta per ſtabilem poſſeſſionem*) directo ſenſu diſtribuit, ſimiliter & quod non erat habendum (*nimirum mala parta, quæ absque hoc alio modo diſſipantur.*) Evangelicus ille prodigus filius ſubſtantiam omnem conſumens cum meretricibus, deinde præ inopia egit ſubulcum, cupiebatquè ſaturari de ſiliquis porcorum. *Eccl. c. 20.* *Luc. c. 5.*

SUBSECTIO XXIII.

De Epykia, ſeu Æquitate.

EPykia, *ſeu Æquitas eſt virtus, juſtitiæ ſubjectiva, directiva humanorum actuum præter leges; ſecundùm quod juſtitiæ ratio, & communis utilitas poſcit.* Dicitur: *eſt virtus;* quia cùm in quibuſdam caſibus ſit malum ſequi legem poſitam: bonum au- *D.Thom. 2. 2. q. 120.*

tem prætermisſis verbis legis, ſequi id, quod poſcit juſtitiæ ratio, & communis utilitas: jam verò bonum opus, nonniſi à bono habitu ſeu virtute, quæ facit bonum habentem ſe & opus ejus bonum, procedit; ſequitur Epykiam eſſe virtutem. Dicitur: *juſtitiæ ſubjectiva*; nempe juſtitiæ communiter dictæ, vel legali. Si enim juſtitia legalis dicatur, quæ obtemperat legi, ſive quantùm ad verba legis, ſive quantùm ad intentionem legislatoris, quæ potior eſt: ſic Epykia eſt pars potior legalis juſtitiæ. Si verò juſtitia legalis dicatur ſolùm, quæ obtemperat legi ſecundùm verba legis, ſic Epykia non eſt pars legalis juſtitiæ, ſed eſt pars juſtitiæ communiter dictæ, diviſa contra juſtitiam legalem, ſicut excedens ipſam. Dicitur: *directiva humanorum actuum præter leges &c.* id eſt, non alligando ſe ad verba legis, dum ea pugnant contra juſtitiam, & commune bonum, ſed iis prætermisſis dirigit actum humanum ſecundùm dictamen rectæ rationis, proponentis à tali actu in talibus circumſtantiis conſervari rationem juſtitiæ, & commune bonum; ſicut à contrario actu lædi utrumque. Ratio hujus eſt, quia humani actus, dè quibus leges dantur, in ſingularibus contingentibus conſiſtunt, quæ infinitis modis variari poſſunt, non fuit posſibile aliquam regulam legis inſtitui, quæ in nullo caſu deficeret: Sed legislatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit, ſecundùm hoc legem ferentes, quam tamen in aliquibus caſibus ſervare eſt contra æqualitatem juſtitiæ, & contra commune bonum, quod lex intendit. Sicut lex inſtituit, quòd depoſita reddantur, quia hoc, ut in pluribus, juſtum eſt. Contingit tamen aliquando eſſe nocivum, puta, ſi furioſus depoſuit gladium, & eum repoſcat, dum eſt in furia. Vel ſi aliquis repoſcat depoſitum ad Patriæ impugnationem. In his ergo & ſimilibus caſibus ſicut nòn ſervare verba legis, ſed aliâ directione uti, valet pro juſtitia & bono publico; ita ſervare pugnat contra utrumque.

Joſue c. 2. *Motiva pro Epykia.* Misſi exploratores in terram promisſionis luſtrandam jurant Rachab, (à qua præſervati fuerant, nè interirent,) eam non fore cum cæteris Chananæis perimendam: etſi omnes Chananæos DEI mandatum interficere præciperet,

peret, hoc enim per Epykiam intellexerunt, non fuisse illud mandatum DEI contra tutricem Israëlitarum, ac benefactricem. DEUS in suis legibus & judiciis Epykiam servat. *Baruch:* Secundùm omnem bonitatem tuam, græcè est, ἐπιεικείαν, q. d. pu nivisti nos benignè & remissè. Est enim Epykia quædam juris remissio, indulgentia, benignitas, hoc est quod ait *Jerem. Thren.* 3.22. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. *V. Cornel. à lap. Comment. in Baruch. c. 2.*

SUBSECTIO XXIV.

De Dono Pietatis.

P*ietas, quatenus donum Spiritûs S. est, secundùm quam DEO, ut Patri, cultum & debitum exhibemus officium, ex Spiritûs S. instinctu.* Dicitur: *Donum Spiritûs S. &c.* Quia dona Spiritûs S. sunt habituales quædam animæ dispositiones, quibus est promptè mobilis à Spiritu S. Inter cætera autem movet nos Spiritus S. ad hoc, quòd affectum quendam filialem habeamus ad DEUM, secundùm illud Rom. 8. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Et quia ad pietatem propriè pertinet, officium, & cultum patri exhibere, consequens est, quòd pietas, secundùm quam cultum & officium exhibeamus DEO, utì Patri, per instinctum Spiritûs Sancti, sit Spiritûs S. donum. Differt autem pietatis donum à virtute pietatis, quia hæc exhibet patri carnali officium & cultum, illud verò exhibet DEO, ut Patri. Deinde exhibere cultum DEO ut Patri, est excellentius, quàm exhibere cultum DEO, ut Creatori & Domino: unde pietas, quâ donum, potior est religione. Dicitur: *secundùm quam DEO ut Patri &c.* Ubi intelliguntùr quoque homines, ut pertinent ad DEUM. Quia sicut per pietatem, quæ est virtus, exhibet homo officium & cultum non solùm patri carnali, sed etiam omnibus sangvine junctis, secundùm quod pertinent ad patrem; ita etiam pietas, secundùm quod est donum, non solùm exhibet cultum & officium DEO, sed etiam omnibus hominibus, inquantùm pertinent ad *D. Thom. 2. 2. q. 121.* *Ibid. a. 1.* *Ibid. a. 1. ad 3.*

DEUM. Et propter hoc ad ipsam pertinet, honorare Sanctos, non contradicere Scripturæ sive intellectæ, sive non intellectæ, sicut Augustinus dicit in secundo de doctrina Christi: Ipsa etiam ex consequenti subvenit in miseria constitutis. Et quamvis iste actus non habeat locum in Patria, præcipuè post diem judicii, habebit tamen locum præcipuus actus ejus, qui est revereri DEUM affectu filiali: quod præcipuè tunc erit secundùm illud Sap. 5: Ecce quomodo computati sunt inter filios DEI. Erit etiam mutua honoratio Sanctorum ad invicem. Nunc autem ante diem judicii miserentur Sancti etiam eorum, qui in statu hujus miseriæ vivunt.))

S. August. l. 2. c. 7. in princ. t. 3.

Illicia pro dono Pietatis. Aliqua ex suprà dictis de Virtute pietatis huc quadrant. *S. Bonavent:* Pietas est donum Spiritûs Sancti, quæ, sicut dicit Apostolus, ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ, ut dicit Glossa: Omnis summa disciplinæ & consummatio consistit in pietate & misericordia. *Hugo*: Pietas est ex benignæ mentis dulcedine grata omnibus auxiliatrix, affectio infusa, & Divini cultûs devotio religiosa. *S. Bonavent:* Dicitur in Ecclesiastico: Piè agentibus dabit Dominus sapientiam, sapientia autem est lumen pietatis inextingvibile. Quantò autem pietas magìs operatur, tantò lumen sapientiæ magìs ei datur, quo crescit & proficit usque ad perfectum diem. Sic & operatio impietatis lumen pietatis in mente minuit, & tenebras gignit.

S. Bonav. de donis & dono Piet. c. 1.
1. Tim. 4.
Hugo in lib. de claust. animæ.
S. Bonav. de donis Spir. S. don. piet. c. 2.
Eccl. 43.
Sap. 7.

Pro dispositione in Praxi ad donum Pietatis vide suprà dicta. *1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 1.*

CAPUT VII.

DE VIRTUTE CARDINALI FORTITUDINIS.

AGemus sequentibus de Fortitudine, eiquè annexis Virtutibus, tum de earum Oppositis.

SECTIO

SECTIO I.

DE FORTITUDINE.

FOrtitudo, *est virtus Cardinalis, suo respectu generalis, & specialis. Generalis est virtus, seu potiùs virtutis cujuslibet conditio, inquantùm importat quandam animi firmitatem: Specialis est virtus, quatenus in gravibus periculis, maximè mortis, animum firmat.* D. Thom. 2. 2. q. 123.

Dicitur: *Est virtus*; quia cùm virtutis sit, facere hominem secundùm rationem esse; fortitudo autem mentis difficultates tollit, quibus voluntas impeditur ab eo, quod est secundùm rationem; sicut & fortitudo corporalis superat ac repellit impedimenta corporalia: Sequitur fortitudinem mentis esse virtutem. Ibidem a. 1.

Dicitur: *Cardinalis*; quia virtutes Cardinales seu Principales dicuntur, quæ præcipuè sibi vendicant id, quod pertinet communiter ad virtutes. D.Thom. 2. 2. q. 123. a. 11. Inter alias autem communes virtutis conditiones, una ponitur, firmiter operari, ut patet in 2. Ethic: Eth. 2. Laudem autem firmitatis potissimè sibi vendicat fortitudo. Tantò enim magis laudatur, qui firmiter stat, quantò habet gravius impellens ad cadendum vel ad retrocedendum. Impellit autem hominem ad discedendum ab eo, quod est secundùm rationem, & bonum delectans, & malum affligens: sed graviùs impellit dolor corporis, quàm voluptas. Dicit enim Aug. in lib. 83. quæst: Nemo est, qui non magis fugiat dolorem, quàm appetat voluptatem, quandoquidem videmus etiam immanissimas bestias à maximis voluptatibus absterreri dolorum metu. Aug. lib. 83. q. 36. ante med. tom. 4. Et inter dolores animi, & pericula maximè timentur ea, quæ ducunt ad mortem: contra quæ firmiter stat fortis, unde fortitudo est virtus Cardinalis.

Dicitur: *generalis, & specialis*; quia nomen fortitudinis dupliciter accipi potest. D. Thom. 2. 2. q. 123. a. 2. Uno modo, secundùm quod absolutè importat quandam animi firmitatem, & secundùm hoc est generalis virtus, vel potiùs conditio cujuslibet virtutis: quia, sicut Philosophus dicit in 2. Eth. ad virtutem requiritur firmiter & immobiliter operari. Lib. 2. cap. 4. Alio modo potest accipi fortitudo, secundùm quod importat firmitatem

tantùm in sustinendis & repellendis his, in quibus maximè
difficile est firmitatem habere, scilicet in aliquibus periculis gra-
Lib. 2. de vibus. Unde Tullius dicit in sua Rhetorica, quòd fortitudo
Invent. in fol est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio, &
3. ante finem sic fortitudo ponitur specialis virtus, utpote materiam deter-
ibi. minatam habens. Cæterùm etsi fortitudo, ut virtus specialis
S. Thom. 2. est, habeat determinatam materiam, coadjuvat tamen ad resi-
2. q 123. a. 2. stendum impugnationibus omnium vitiorum. Qui enim po-
ad 2. test firmiter stare in his, quæ sunt difficillima ad sustinendum,
consequens est, quòd sit idoneus ad resistendum aliis, quæ sunt
Ibidem a. 4. minùs difficilia. Dicitur: *in gravibus periculis*; quia non ex to-
ad 1. leratione quorumlibet adversorum reputatur homo simpliciter
fortis, sed solùm ex hoc, quòd benè tolerat etiam maxima ma-
la. Ex aliis autem dicitur homo fortis secundùm quid. Di-
Ibidem a. 4. citur: *maximè mortis*; quia cùm fortitudinis sit firmare animum
contra maxima mala, ad rationem enim virtutis pertinet, ut re-
spiciat ultimum, & qui contra majora fuerit firmus, etiam
contra minora idem manebit, sed non è converso: inter verò
maxima mala, omnium terribilium terribilissimum est mors;
Consequens est fortitudinis virtutem maximè ad pericula mor-
tis firmare animum. Non verò circa omnia pericula mortis
versatur fortitudo, quæ scilicet imminent, ex hoc quòd prose-
quatur homo aliquod bonum, sed tantùm circa ea, quæ con-
tingunt ob finem alicujus virtutis. Et talia pericula contingunt
in justo bello, tum publico, tum particulari, quod nomine cu-
juscunque impugnationis intelligitur: tum denique pericula
cujuscunque mortis, quæ potest homo subire propter virtu-
tem; puta cùm aliquis non refugit amico infirmanti obsequi
propter timorem pestiferæ infectionis; vel cùm non refugit
itinerari ad aliquod pium negotium prosequendum propter ti-
Ibidem a. 3. morem naufragii vel latronum. Dicitur: *animum firmans*. Fir-
& 6. & 13. matur autem animus contra imminentia mala. *1mò*, cohibendo
timorem eorundem malorum, *2dò*, si opus moderatâ audaciâ,
ac irâ, eadem mala aggrediendi ad eorum propulsionem. Un-
de fortitudo est cohibitiva timorum, & audaciarum moderati-
va, utensquè ad suum actum aggrediendi irâ moderatâ. *3tiò*,
denique

denique firmatur animus sustinendo, id est, in periculis immobiliter sistendo: quia is actus fortitudinis est principalior, quàm aggredi pericula: quia ille qui sustinet, jam sentit pericula imminentia, ille autem qui aggreditur, habet ea ut futura. Difficiliùs autem est non moveri à præsentibus, quàm à futuris.

Gradus Fortitudinis.

Fortitudo secundùm Macrobium, prout est virtus politica, est animum supra periculi metum agere, nihilquè nisi turpia timere, tolerare fortiter adversa vel prospera. Fortitudinis purgatoriæ est, animo non terreri à corpore recedente, nec altitudinem abhorrere. Fortitudinis purgati animi est, passiones ignorare, non metuere, ut nesciat irasci, & nihil cupiat inhonestum. Fortitudinis exemplaris est, esse immutabilem: quia semper idem est, nec aliquando mutatur. *Macrob. lib. I. in som. Scipio. c. 8. citatur à D. Bonav. Comp. Theol. verit. l. 5. c. 36.*

Alii Gradus Fortitudinis ex aurea Formula S. Bonaventuræ de grad. virt. 10.

Graduum veræ atque Christianæ fortitudinis Ordo.

I. Fortitudinis est altus gradus, vincere mundum, & delicias ejus contemnendo, sicut dicit Apostolus: Omnia, inquit, arbitratus sum ut stercora, &c. Altior est, vincere carnem, & concupiscentias ejus restringere, ut Apostolus: Castigo, inquit, corpus meum. Altissimus, vincere seipsum simpliciter, & sponte usque ad mortem obediendo, sicut in omnibus istis fuit Christus. *I. Cor. 9.*

II. Item altus gradus est, fortiter resistere peccatis corporalibus, ut sunt luxuria, gula, &c. Altior, resistere peccatis spiritualibus, ut sunt placentia propria, displicentia aliena, hypocrisis, personarum acceptio ingratitudo. Altissimus est, resistere occasionibus tam corporalium, quàm spiritualium peccatorum, ut munuscula & familiaritates, verba blanda, &c.

III. Item altus gradus est, non consentire peccatis operationis. Altior, non consentire peccatis locutionis. Altissimus, non consentire peccatis cogitationis. In his omnibus fuit Christus.

Item

IV. Item altus gradus est, fortiter laborare in hoc mundo pro sancta vita, quæ consistit in bona conscientia, & in bonis operibus & moribus. Altior, laborare pro societate Angelica. Altissimus, laborare pro unione DEI in vita æterna.

Motiva Fortitudinis sunt. *1mum.* Psalmista exhortatur: Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. *Proverb.* Vir sapiens fortis est, (*id est, forti, viriliquè animo*) & vir doctus robustus & validus. *Habacuc:* DEUS Dominus fortitudo mea, ponet pedes meos quasi cervorum (*velocissimè currentium*) super excelsa, (*nempe per ardua & heroica virtutum alacriter currentem, imò*) deducet me victor in psalmis canentem, (*nempe jubilantem, & tripudiantem in viis Domini. Matth:* Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Apostolus:* Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in CHRISTO JESU. *Et paulò pòst:* Labora sicut bonus miles CHRISTI JESU. *Et mox:* Qui certat in agone, non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.

Psalm. 76. Prov. c. 24. Habacuc, c. 3. Matth. c. 11. 2. Tim. 2.

2dum. S. Ambrosius: Manet semper inter adversa & delectabilia virtus perfecta, neque adversa de perfectione ejus quidquam minuunt, neque delectabilia adjungunt perfectioni. *Et paulò pòst:* Perfecti enim viri est, communitatem naturæ sustentare animi virtute, & ad meliora adducere, nec succumbere iis, quæ plerisque terribilia & formidolosa videntur, sed quasi fortem militem gravissimorum casuum sustinere incursum, concursus subire, & quasi providum gubernatorem navem in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium sulcando undas, quàm declinando. *S. Hieronymus:* Fortitudo atque Constantia via regia est, à qua declinat ad dextram, qui temerarius est & pertinax: ad sinistram, qui formidolosus est, & pavidus. *S. Ambrosius:* Non mediocris animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, simulquè & justitiam custodit, & quæ inexpiabili prælio adversùs omnia vitia decertat, invicta ad labores, fortis ad pericula, & rigidior adversùs voluptates, ut avaritiam effugiat tanquam labem quandam, quæ virtutem effœminat.

S. Ambros. lib. de Jacob. & vita beata c. 8. Hieron. super Esaiam. S. Ambros. lib. 1. de offic.

minat. *Idem.* Stultus ut luna mutatur, sapiens enim non metu frangitur, non potestate mutatur, non extollitur prosperis, non tristibus mergitur. Ubi enim sapientia, ubi virtus est, ibi constantia, & fortitudo. Sapiens ergo idem est animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus, nec ut parvulus fluctuat, ut circumferatur omni vento doctrinæ, sed manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicatus fide. *Idem in Epistola adSimplicianum.*

3tium. *Exempla Christi, DEIparæ, & Sanctorum.* I. Christus Dominus, ô quantâ animi fortitudine beneplacitum sui æterni Patris exequebatur! nihil veritus adversariorum suorum mille insidias, denique *proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ.* II. Beatissima Virgo, tum aliàs, tum maximè in Christi passione, columnis Ecclesiæ, nempe Apostolis titubantibus, fortis in fide, fortis in dilectione, fortis Maria in sustinendo mari dolorum, fortis in objiciendo se manibus cruentis hostium Filii sui permansit. III. S. Stephanus *plenus gratiâ & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo.* IV. S. Paulus Apostolus de seipso asserens: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* V. De S. Ignatio Episcopo & Martyre, hæc scribit S. Hieronymus: Di- „ gnum autem videtur, quia tanti viri fecimus mentionem, & „ de Epistola ejus, quam ad Romanos scribit, pauca ponere. „ Nunc incipio, inquit, Christi esse discipulus, nihil de his, quæ „ videntur, desiderans, ut JESUM CHRISTUM inveniam. „ Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, „ & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me „ veniant: tantùm ut Christo fruar. Cùmquè jam damnatus „ esset ad bestias, & ardore patiendi rugientes audiret leones, „ ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut „ panis mundus inveniar. Passus est anno undecimo Trajani. „ VI. S. Chrysostomus dicebat: Quidquid terroris habet mundus, contemno, quidquid delectabile habet, rideo: divitias non cupio, paupertatem non horreo, mortem non timeo. Hinc tanta in eo constantia adversùs Eudoxiæ persecutiones. VII. S. Blandina virgo tam debilis erat corpore, ut vix pedibus consistere

Hebr. c. 12.

Actor. 6.

2. Tim. 4.

Ex lib. S. Hieron. de Script. Eccles.

 sistere

D. Anton. 1. p. tit. 8. c. 6. ſiſtere poſſet; quoties tamen dicebat: Ego Chriſtiana ſum: adeò confortabatur, ut à manè uſque ad veſperam fortiter dimicaret, ipſiquè Tyranni & carnifices, (quorum non pauci ſe convertebant) victos ſe fateri cogerentur, dum poſt tormenta ſemper robuſtiorem fieri adverterunt. VIII. S. Ignatio nihil in ore frequentius fuit, quàm hæc duo verba: *Vince teipſum.* Unde profectum ſuorum ſpiritualem non ex facilitate naturæ, aut vultu, ſed ex contentione, & ſui victoria metiebatur.

Riba 15. c. 10. Hiſt. Soc. 9. n. 172.

Gellius l. 2. noct. Attic. c. 11. 4tum. *Exempla profana.* I. Lucius Sicinius Dentatus, centum & viginti præliis in hoſtem pugnavit, cicatricem averſam nullam, quinque & quadraginta adverſas accepit, coronis aureis octo, obſidionali unâ, muralibus tribus & octoginta, armillis plus centum ſexaginta, haſtis duo & viginti donatus eſt, uti & phaleris vicies quinquies, triumphos verò novem cum Imperatoribus ſuis eſt meritus; hinc ob tot generoſa facta Achillis Romani encomium accepit. II. Anaxarchus Abderites Philoſophus, in mortario à Nicrocreonte contundi juſſus dixit: Tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum non tundis. Cùmquè Tyrannus etiam lingvæ abſciſſionem minaretur, nî taceret, ipſe ſibi eam dentibus abſcidit, & in Tyrannum evomuit.

Drex. in Roſ. p. 1. c. 13. §. 5.

P. Lohner Bibl. Manual. tit. fortitudo. *In Praxi* ad Fortitudinem comparandam hæc media ex P. Lohner ſerviunt. I. *Ardens deſiderium.* Nam ut benè advertit S. Laurentius Juſtinianus, magna vincendi pars eſt, vincendi deſiderium, hoc namque vires auget, cor attollit, debilitat adverſarium, laborem temperat, exhilarat mentem, diſponit ad gratiam, & DEO amabilem reddit. II. *Fervens oratio.* Nam uti S. Proſper rectè dixit: Hæc animi fortitudo ab illo eſt nobis, cui cum Propheta cantamus: Fortitudo & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. III. *Vita bona.* Nec enim aliter vincemus, inquit S. Chryſoſtomus, quàm ſi per vitam optimam ſupernum nobis auxilium conciliemus. IV. *Grandis æſtimatio de honeſtate fortitudini propria.* Nam, teſte Cicerone, ad ferendum dolorem placidè & ſedatè, plurimùm proficit toto pectore, ut dicitur cogitare, quàm id honeſtum ſit. Sumus enim naturâ ſtudioſiſſimi, appetentiſſimiquè honeſtatis: cujus ſi quaſi lumen aliquod

S. Laurent. de caſto connu. c. 3.

Lib. 3. de vita Contempl. c. 20.

Homil. 6. in Gen.

Lib. 2. Tuſcul. 99.

aliquod aspexerimus, nihil est, quod ut eo potiamur, non parati simus, & ferre, & perpeti. V. *Præparatio animi ad quasvis adversitates*; nam ut prævisa tela minùs feriunt, ita prævisæ quoque adversitates minùs affligunt; id quod Seneca quoque sapienter docuit his verbis: Fortitudo contemptrix timendorum est. Cogitanda ergo sunt omnia, & animus ad ea, quæ possunt evenire, formandus: exilia, tormenta, morbos, bella, naufragia meditare. VI. *Correctio opinionis*, quâ adversitates ut malæ apprehenduntur; nam ut benè Epictetus advertit, homines non perturbantur rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus. VII. *Amor DEI*. Nam fortis est ut mors dilectio, & tam parum superabilis, quàm mors, cui omnes succumbunt: Id quod fusiùs pius Asceta his verbis confirmat: Magna res est amor, magnum omnino bonum, quod solum leve facit omne onerosum, & fert æqualiter omne inæquale. Nam onus sinè onere portat, & omne amarum dulce ac sapidum facit. Amor JESU nobilis ad magna operanda impellit, & ad desideranda semper perfectiora excitat: amor onus non sentit, labores non reputat, plus affectat, quàm valet: de impossibilitate non causatur, quia cuncta sibi posse & licere arbitratur. Valet igitur ad omnia, & multa implet, & effectui mancipat, ubi non amans deficit & jacet.

Epist. 89.

Enchi. c. 10.

Cant. 8. v. 6.

Lib. 3. c. 5.

Vide quoque supràdicta, & hic proportionatè applica.

1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2.

Actus Fortitudinis.

Juxta Jacobum Alvarez. I. Pericula mortis, & ipsam mortem sustinere; maximè in causa fidei, quo in casu hic actus Martyrium vocatur. 2. Quælibet alia pericula propter defensionem virtutis fortiter tolerare. 3. Mentem in adversis & prosperis ita roborare, ut neque in illis vincatur, neque in his extollatur, & à virtutis semita abducatur. 4. Tentationes dæmonis intrepidè sustinere, & fortiter rejicere. 5. Ardua quæquæ cum magna in DEUM fiducia aggredi. 6 Mentis tranquillitatem in adversis casibus retinere. 7. Pericula vires nostras excedentia, sinè anxietate vitare. 8. Seipsum generosè vincere,

SECTIO II.

De Oppositis Fortitudinis.

§. I.

S. Greg. lib. 9. Moral.

PRimò opponitur *Pseudo-fortitudo.* Hanc S. *Gregorius* describit: Reproborum fortitudo est transitoria, sinè præceptis ejus, sinè cessatione diligere, contra flagella Conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium nec adversitate quiescere, ad inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento pervenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam non solùm verbis ac moribus, sed etiam gladiis repugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie sinè ullo desiderii defectu perpetrare. S. *Augustinus* ait: Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, Christianorum DEI charitas facit. *Quod confirmat exemplo Catilinæ Romani*, qui frigus, sitim, famem ferre poterat, eratquè patiens inediæ, algoris, vigiliæ, supra quam cuiquam credibile est. *Et mox*: Nec fortitudo illa erat, sed duritia *corporis & animi obstinatio*, ut stultos falleret, nomen fortitudinis imponebat. Et *Angelicus Doctor* ex Aristotele, dum inquit: Dicendum, quòd exteriorem virtutis actum quandoque aliqui efficiunt, non habentes virtutem ex aliqua alia causa, quàm ex virtute. Et ideo Philosophus in 3. Ethic. ponit quinque modos eorum, qui similitudinariè dicuntur fortes, quasi exercentes actum fortitudinis præter virtutem. Quod quidem contingit tripliciter. Primò quidem, quia feruntur in id, quod est difficile, ac si non esset difficile: quod in tres modos dividitur. Quandoque enim hoc accidit propter ignorantiam: quia scilicet homo non percipit magnitudinem periculi. Quandoque hoc accidit propter hoc, quòd homo est bonæ spei ad pericula vincenda: puta cùm expertus est, se sæpè pericula evasisse. Quandoque autem hoc accidit propter scientiam & artem quandam: sicut contingit in militibus, qui propter peritiam armorum & exercitium, non reputant gravia pericula belli,

D. August. lib. de vera innoc. c. 295. Epist. 29.

D. Thom. 2. 2. q. 123. a. 1. ad 2.

belli, æstimantes se per suam artem posse contra ea defendi: sicut Vegetius dicit in libro de re militari: Nemo facere metuit, quod se benè didicisse confidit. Alio modo agit aliquis actum fortitudinis sinè virtute propter impulsum passionis, sive tristitiæ, quam vult repellere, vel etiam iræ. Tertio modo propter electionem, non quidem finis debiti, sed alicujus temporalis commodi acquirendi; puta honoris, voluptatis, vel lucri: vel alicujus incommodi vitandi; puta vituperii, affectionis, vel damni.

§. II.
De Timore, seu Timiditate.

SEcundò Fortitudini opponitur *Timor*, qui ut communis omnibus vitiis est, adeoquè & generali Fortitudini, quæ communis omnibus virtutibus est, *per excessum*, nempe ipsiusmet timoris oppositus dicitur esse ille, *quo aliquis timet, & fugit ea, quæ ratio dictat esse sustinenda, ac desistit ab iis, quæ sunt prosequenda.* Ratio est: quia contra debitum ordinem, quo appetitus subdi rationi debet, agere, est inordinatè ac malè agere. Nam bonum actûs humani in ordine quodam consistit. Timor fortitudini quà virtuti speciali oppositus, est, *quo ob periculum mortis deficit aliquis ab agendo, vel omittendo quidpiam.* Hic autem timor est præcipuus, qui est periculorum mortis, contrarius fortitudini, quæ est circa pericula mortis. Et propter hoc antonomasticè dicitur timiditas fortitudini opposita. Ejusmodi timorem *S. Bonaventura* vocat mundanum, quo quis timet nimis de amissione vitæ præsentis, & rerum ad hanc vitam pertinentium. Unde qui nimis diligit mundum, vel res temporales, vel amicos, nimis timet ab eis separari, & hic timor nascitur ex nimio inordinato amore utriusque, & semper est malus, quia ut dicit Joannes: Qui diligit mundum, inimicus DEI constituitur, quia non est charitas Patris in eo. Et ideo hic timor quandoque est peccatum mortale, ut quando quis magis vult amittere vitam æternam, quàm corporalem & temporalem, thesauros cælestes, quàm mundanos: & quandoque est veniale, quando isto timore facit homo, quod non debet, &

D. Thom. 2. 2. q. 125. a. 1. & 2.

Ibidem a. 2.

S. Bonav. de dono timoris c. 1.

quando omittit, quod facere debet, ut per hoc effugiat pœnam temporalem, sed per hoc non mutat voluntatem in bonum, ut dicit Hieronymus super Matth.

Job. 6. *Motiva* contemnendi vitiosum Timorem. *1mum. Job:*
Psalm. 14. Qui timent pruinam, irruet super eos nix *Psalm:* Illic tre-
Proverb 29. pidaverunt timore, ubi non erat timor; & *Proverb:* Qui timet
1. Petr. 3. hominem, citò corruet. *Apost. Petrus:* Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? timorem eorum nè timueritis, &
Proverb, 3. non conturbemini. *Proverb:* Nè paveas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum: Dominus enim erit in
Esai c. 43. latere tuo. *Esai:* Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo. Cùm transieris per aquas, tecum ero; & flumina non operient te Cùm ambulaveris in igne, non combu-
Ibidem c. 51. reris, & flamma non ardebit in te. *Ibidem:* Audite me, qui scitis justum populus meus, lex mea in cordibus eorum: Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, &
Ibidem. sicut lanam devorabit eos tinea. *Ibidem:* Quis tu ut timeas ab homine mortali & filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? & oblitus es Domini Factoris tui, qui tetendit cælos, & fun-
Jerem. 1. davit terram. *Jerem:* Nè timeas à facie eorum, quia tecum
Rom 8. ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. *Apostolus:* Si DEUS
Apoc. c. 21. pro nobis, quis contra nos? *Apocal:* Timidis autem, & incredulis &c. pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure,
S. Aug. de quod est mors secunda *2dum. S. Augustinus:* Quid timet ho-
verb Domini. minem homo in sinu DEI positus? tu de illius sinu noli cadere: quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad per-
S. Chrysost. niciem. *S. Chrysostomus:* Facilè deviat à via justitiæ, qui in
in serm. de Joan, Bapt. causis non DEUM, sed homines pertimescit. *Lactantius:* Timiditas in sapiente esse non debet. *3tium.* Rex David canit:
Lactant. lib 2. Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Domi-
Psalm. 26. nus protector vitæ meæ, â quo trepidabo?

S. August. super Psalm. *Pro Praxi* illud *S Augustini accipe:* Time DEUM, qui super omnes est, & hominem non formidabis. Quare *Christus:*
Luc. c. 12. Dico autem vobis amicis meis: Nè terreamini ab his, qui occidunt

cidunt corpus, & post hoc non habent ampliùs quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis: Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis hunc timere.

Contra Opposita Fortitudinis adhibe etiam juxta formam suprà datam. 1. 2. tra. 1. c 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

§. III.
De Intimiditate.

INtimiditas, *est vitium per defectum timoris fortitudini oppositum, quo aliquis vel ex defectu amoris, vel ex elatione, vel ex stoliditate non timet ea, quæ timere debet.* Dicitur: *vitium per defectum timoris &c.* Quia virtutis moralis est, ponere modum rationis in materia, circa quam est, ad fortitudinem autem pertinet moderare timorem secundùm rationem, ut scilicet homo timeat quod oportet, & quando oportet. Hic autem modus rationis, sicut corrumpi potest per excessum timoris, timendo quod non debet, vel secundùm quod non debet, vel secundùm quod non oportet: ita etiam corrumpitur per defectum timoris, non timendo, quod oportet timere. Dicitur: *quo aliquis ex defectu amoris &c.* id est, non ex totali defectu amoris propriæ vitæ, & ad eam pertinentium, hic enim amor inest omnibus naturaliter, sed ex illo defectu, quo minùs debito aliquis amat, quàm ratio præexigit. Dicitur: *vel ex elatione*, seu superbia animi de se præsumentis, & alios contemnentis, secundùm quod dicitur Job 41: Factus est ut nullum timeret. Omne sublime videt. Dicitur: *vel ex stoliditate*, seu ex defectu rationis, sicut Philos. dicit in 3. Eth. c. 7. quòd Celtæ propter stultitiam nihil timent. D. Thom. 2. 2. q. 126. a. 1. & 2.

Motiva vitandi Intimiditatem coincidunt cum Motivis cavendi nimiam Securitatem, de quibus suprà. Et quanquam securitas importat defectum timoris DEI, (ut eam descripsimus) intimiditas verò generaliùs etiam defectum cujusvis alterius timoris, secundùm rationem debiti, tamen omnis timor debet subordinari timori DEI. Adeoquè quæ de opposito timoris DEI dicta sunt, servire possunt & opposito cujusvis alterius timoris 1. 2. tra. 2. cap. 2.

moris ordinati. Vide etiam suprà dicta de Confidentia sui. Hic
Eccl. c. 3. verò universaliter contra intimiditatem sit illud *Ecclesiast:* Qui amat periculum, in illo peribit.

§. IV.

De Audacia.

D. Thom. 2. 2. q. 127. AUdacia, *est vitium per excessum fortitudini contrarium, quo aliquis non præconsulto, vel contempto rationis judicio, præcipitanter aggreditur periculum.* Dicitur: *vitium per excessum;* quia cùm fortitudinis sit secundùm rationem moderare timores & audacias, sequitur superabundantem seu excessivam audaciam esse immoderatam, ac moderatæ à fortitudine per excessum oppositam.

Eccl. c. 8. *Frænativa audaciæ sunt.* *Eccl:* Cum audace nè eas in via, nè fortè gravet mala sua in te. Ipse enim secundùm voluntatem suam vadit, & simul cum stultitia illius peries. *Idem:*
Idem c. 22. Patrem & Virum confundit audax, ab impiis non minorabitur; ab utrisque autem inhonorabitur. *Cardinalis Bona sic ait:* Fuge audaciam, nihilquè temerè ultra vires aggredere: nemo enim celeriùs opprimitur, quàm qui nimium de se præsumit. Exiguæ sunt vires nostræ sinè DEI præsidio, à quo omnis sufficientia, omne robur emanat. Oritur audacia à propriæ virtutis nimia existimatione, à contemptu adversariorum, à præcipiti ingenio, rebusquè gerendis minùs exercitato. Plus metuit, qui prudentior est, nam vires proprias metitur, solerter prospiciens, quid valeant, quid ferre recusent. Audaces cùm graviora, quàm ante conceperant, experti pericula fuerint, effuso primo impetu subsident, & torpent serò agnoscentes, quàm sint incertæ hominum providentiæ, quàm vanæ cogitationes. Initium est futuræ calamitatis incauta securitas.

Card. Bona in manuduct. ad cælum 17.

SECTIO

SECTIO III.

De Martyrio.

MArtyrium, *est actus virtutis, isque fortitudinis, quâ aliquis contra persequentium impetus ad amissionem vitæ, firmiter in veritate & justitia permanet propter DEUM.* Dicitur: *actus virtutis*; quia ad virtutem pertinet, quòd aliquis in bono rationis conservetur; bonum autem rationis consistit in veritate & justitia, in quibus Martyrium firmiter stare facit contra persequentium impetus. Ergo Martyrium est virtus. Dicitur: *isque fortitudinis*; quia ad fortitudinem pertinet, ut confirmet hominem in bono virtutis, maximè contra pericula, & præcipuè contra pericula mortis, & maxmè ejus, quæ est in bello. Hoc autem præstat Martyrium: unde de Martyribus legit Ecclesia: Fortes facti sunt in bello. *Et Cyprianus*: O beati Martyres! quibus laudibus vos prædicem? ô milites fortissimi! robur corporis vestri quo præconio vocis explicem? Ergo Martyrium est actus fortitudinis, ut habitûs elicientis, charitatis verò ut imperantis. Dicitur: *quâ aliquis contra persequentium impetus &c.* ubi innuitur imò ad perfectam rationem Martyrii requiri amissionem vitæ temporalis; quia Martyr dicitur, quasi Testis fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro invisibilibus contemnenda proponuntur, ut dicitur ad Hebr. 11. Ad Martyrium ergo pertinet, ut homo testificetur fidem, se opere ostendens omnia præsentia contemnere, ut ad futura & invisibilia bona perveniat. Quamdiu autem homini remanet vita corporalis, nondum se opere ostendit, corporalia cuncta despicere. Consveverunt enim homines, & consangvineos, & omnia bona possessa contemnere, & etiam dolores corporis pati, ut vitam conservent. Unde & satan contra Job induxit: Pellem pro pelle, & cuncta, quæ homo habet, dabit pro anima sua; id est, pro vita sua corporali. Et ideò ad perfectam rationem Martyrii requiritur, quòd aliquis mortem sustineat propter Chri-

D.Thom.2.2. q. 124.
Ibidem a. 1.
Ibidem a. 2.
L. 2. Epist. 6.
Ibidem a. 4.

Christum. Innuitur 2dò, & ex præcedentibus sequitur, non propriè Martyrium dici pro sola tolerantia carceris, vel exilii, vel rapinæ divitiarum, nisi fortè secundùm quod ex his sequitur mors. Similiter alia afflictionum genera, quæ nomine Martyrii intitulantur; sicut S. Hieronymus in serm de Assumptione dicit: Rectè dixerim, quòd DEI Genitrix Virgo & Martyr fuit, quamvis in pace vitam finivit. Et Gregor. homil. 3. in Evangelio dicit: Quamvis occasio persecutionis desit, habet tamen & pax nostra Martyrium suum: quia etsi carnis colla ferro non subjicimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus. Hæ itaque authoritates, & si quæ similes inveniuntur, loquuntur de Martyrio per quandam similitudinem. Cæterùm quòd aliquis quandoque post mortalia vulnera pro Christo suscepta, vel quascunque alias tribulationes continuatas usque ad mortem, quas à persecutoribus patitur pro fide Christi, diu vivat: in hoc statu actus Martyrii meritorius est, & etiam ipso eodem tempore, quo hujusmodi afflictiones patitur. Quia meritum Martyrii non est post mortem, sed in ipsa voluntaria sustinentia mortis, prout scilicet aliquis voluntariè patitur inflictionem mortis. Dicitur: *in veritate & justitia permanet propter DEUM.* Ubi supponitur, causa Martyrii non tantùm esse veritas fidei verbis protestata; sed & justitia, ut includens omnia virtutum opera relata in DEUM, quæ est veritas fidei factis protestata. Quia quoad 1mum Martyres dicuntur quasi testes, seu suis passionibus usque ad mortem testimonium perhibentes, non cuicunque veritati, sed illi, quæ secundùm pietatem est, quæ per Christum nobis innotuit; hujusmodi autem est veritas fidei. Quoad verò secundum: quia etiam omnium virtutum opera, ut referuntur in DEUM, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quòd DEUS hujusmodi à nobis opera requirit, & nos pro eis remunerat. Denique juxta D. Augustinum, Martyrem non facit pœna, sed causa.

Ibidem a. 5. — *S. Augustin. Epist. 61.* — *Matth. 5.*

Motiva ad Martyrium. 1mum. *Christus:* Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis, cùm maledixerint vobis, & perse-

persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. *Apocal:* Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus. *Apocal. c. 3.*

2*dum.* Quia Martyrium est actus virtutis perfectissimus, Doctore Angelico D. *Thomâ*, qui in hunc modum differit: Martyrium ex parte habitûs elicientis, talis est perfectionis, qualis & habitus ejus, nempe fortitudo, à qua elicitur: ex parte autem finis moventis, nempe charitatis, est actus maximæ perfectionis. Majorem enim charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Ratio est D. *Thomæ*: quia tantò magis ostenditur aliquis aliquam rem amare, quantò pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odiosam eligit pati. Manifestum est autem, quòd inter omnia alia bona præsentis vitæ maximè homo amat ipsam vitam, & è contrario maximè odit ipsam mortem, & præcipuè cum doloribus corporalium tormentorum, quorum metu etiam bruta animalia à maximis voluptatibus abstrahuntur. Quod & de motivis aliarum virtutum dicendum, nempe Martyrium esse actum perfectissimum illius virtutis, ex cujus motivo fit: quia id, quod summum esse potest in illa virtute, Martyrium complectitur: ut v. g. esse obedientem usque ad mortem, prout Christus factus est obediens usque ad mortem. Et *Seraphicus Doctor* ita discurrit: Si amor, ut dicit Dionysius, est vis unitiva, & si hæc locutio est vera per se, necessariò sequitur, quòd perfectus DEI amor perfectè inclinat amantem, ad omne illud, per quod convenientiùs, intimiùs, & celeriùs, amato possit uniri: sed nihil est, quod magis disponit, ut celeriùs & intimiùs spiritus hominis in statu mortalitatis existens, uniatur immortali & impassibili DEO, quàm sustinentia mortis illatæ propter honorem DEI: necesse est igitur, perfectè amantem hoc desiderare, antequam illud obtineat, & cùm obtinuerit, perfectè lætari. Unde & de Apostolis dicitur, quòd ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Ipse enim amor, ut dicit Hugo,

V. D. Thom. loco cit. a. 3.

Joann. 15.

S. Bonav. in Apolog. pauper. Resp. 2. c. 1.

go, vis est transformativa. Qui igitur Christum perfectè amat, præcipuo mentis affectu eidem configurari peroptat in his potissimùm, quæ Divina lex dictat. Sed Configuratio ad Christum præcipuè salvandis conveniens, in statu præsentis miseriæ attenditur, secundùm assimilationem in passione & morte; Petro attestante, qui ait. Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Hoc igitur est, ad quod inclinatione præcipuâ perfectæ charitatis ardor inflammat, juxta illud Canticorum: Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades ejus lampades ignis atque flammarum. *S. Cyprianus*: Martyrii inæstimabilis gloria, infinita mensura, immaculata victoria, inæstimabilis titulus, triumphus immensus. *Idem* sparsim hæc in Epistola profert: Martyr efficitur collega passionis Christi. Martyres præstant magisteria morum, Confessores initia virtutum. Martyres cum Christo futuri Judices. Martyres regnum cælorum sinè cunctatione obtinent. Martyres fructum centenarium percipiunt. Martyrum triumphus gloriosus. Martyrum fides & fortitudo inexpugnabilis. Martyrum corona eò sublimior, quò longior. Martyrum oratio meretur à DEO exaudiri. Martyrum triumphis lætatur Ecclesia. Martyrum prærogativâ possunt lapsi apud DEUM adjuvari. Martyrum memoria, passiones, & dies anniversaria sacrificiis in Ecclesia celebrari solita. Martyribus patent cæli tempore persecutionum. Martyrium est in DEI dignatione, non in hominis potestate. Martyrium jam libenter appetunt, qui mortem contemnere discunt. Martyrium per baptisma sangvinis omnium excellentissimum. Martyrii initium ab Abel. Martyrii subeundi adjutor, testis, & probator Christus. Martyrio statim patet ingressus ad regnum cælorum. *B. Thomas Morus, & alii Martyres* Tyrannis respondebant: Satiùs est momentanea sufferre supplicia, quàm æterna subire tormenta. *S. Chrysostomus*: Corpus donec cæditur, sentit anima: cùm autem occisum fuerit, nullus sensus, aut dolor animæ invenitur in corpore illo, sed iterum super animam in tempore opportuno gloriosius illud retexetur corpus, ut nullum detrimentum videatur anima perpessa,

S. Cyprian. in exhort. ad Martyr.

Idem in Epist. ad Martyr.

S. Chrysost. hom. 25. in 10. Matth.

peſſa, ſed augmentum. *Franciscus Arias* ita diſcurrit: Excellentisſimum, maximiquè valoris, ac meriti opus, quod in Eccleſia exerceatur, eſt Martyrium, in quo ſervus DEI dat vitam ſuam, & tolerat quodvis tormentorum, mortisquè genus, propter fidem Chriſti, vel propter quodlibet opus virtutis ad religionem Chriſtianam pertinens. Per hunc enim actum & opus Martyrii homo fidelis, etiamſi uſque ad illud temporis punctum magnus fuiſſet peccator, in momento fit valdè juſtus, valdequè ſanctus, integram ſuorum peccatorum, omniumquè propterea debitarum pœnarum veniam conſequitur, & ſtatim ingreſſum habet in cælum. Et hoc ſolo actu tantopere DEO placet, itaquè ejus gratiam participat, ut is non ſolùm ipſum diligat, ſuamquè ei gloriam, ſicuti cæteris juſtis & amicis, tribuat, ſed etiam excellentiore illum modo, & tanquam ſpecialem amicum diligat, multoquè uberiorem in cælo gloriam ei tribuat. Et eſt hic Martyrii effectus ac præmium adeò certum, ut quo temporis puncto quis fidei ergo martyrizatur, & de Martyrii ejus veritate ſufficienter conſtat, Eccleſia ipſum ſtatim colat, & ad eum, tanquam ad ſanctum, aut beatum, preces fundat. *Fran. Arias Theſaur. inexhauſt. t. 3. tit. Obedient. c. 10.*

3tium. *Chriſtus*, Caput & Dux Martyrum. Hinc *S. Auguſtinus* inquit: Multi Martyres talia paſſi ſunt, ſed nihil ſic elucet, quomodo caput Martyrum: ibi meliùs intuemur, quod illi experti ſunt.)) Quanta verò Chriſtus in omni genere malorum, & cum quanta virtutis perfectione paſſus eſt, docet Evangelium, docent obvii libri ſpirituales, & aliqua inſinuabimus infrà ſub patientia & humilitate. *S. Auguſt. in Pſalm. 63.*

4tum. *Beatiſſima Virgo MARIA*, quàm rectè ex ſenſu Eccleſiæ Regina Martyrum appelletur, fuſiùs alii probant, ego brevitatis causâ pauca affero. *S. Anſelmus*: Quidquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil comparatione tuæ paſſionis, quæ nimirum ſuâ immenſitate transfixit cuncta penetralia tua, tuiquè benigniſſimi cordis intima. *D. Bernardus*: Tuam animam pertranſiit vis doloris, ut plus quàm Martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ ſenſum paſſionis exceſſerit compaſſionis affectus. *S. Anſelmus de Excell. Virg. c. 5.* *S. Bern. in ſerm. ſign. magn.*

Laurent. Justinian. de triumphali Christi agone. ctus. *Laurentius Justinianus*: Cor MARIÆ clarissimum fuit speculum passionis Christi, & perfecta mortis imago. *S. Bernardinus*: Tantus fuit dolor Virginis, ut si in omnes creaturas, quæ pati possunt, divideretur, omnes subitò interirent. *S. Bonaventura* ait: O Domina mea ubi stas? nunquid juxta crucem, imò in cruce cum Filio cruciaris, ibi enim crucifixa es secum. Hoc solùm restat, quod Ipse in corpore, tu verò in corde es passa: nec non singula vulnera per corpus ejus dispersa, in tuo corde generaliter sunt unita, quia nempe tuam Ipsius animam doloris gladius pertransivit. Tu Domina in tuo corde es lanceata, tu spinis coronata, tu illusa, tu exprobrata, tu contumeliis & maledictis affecta, tu etiam felle & aceto potata.

S. Bernard. apud Justin. Miechov. in Lytan. Lauret. discur. 386.

S. Bonav. in stimulo amoris cap. 4.

S. Anselmus: Pia Domina, non crediderim, te potuisse ullo pacto stimulos, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse Spiritus vitæ, Spiritus consolationis, Spiritus Sanctus dulcissimi Filii tui, pro quo moriente torquebaris, te intus doceret, non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum, omnia ei subjicientem, quod in ipso fieri coram moribundo videbas. Ipsa DEI Mater ad *S. Brigittam* dixit: Propterea cùm nasceretur ex me Filius meus, sensi ego, quòd quasi dimidium cor meum nasceretur, & exiret ex me; & cùm Ipse pateretur, sensi, quòd quasi cor meum patiebatur: sic ergo cùm flagellaretur & puniretur Filius meus, quasi cor meum flagellabatur, & puniebatur. Ego ei fui propinquior in passione, nec separabar ab eo, & stabam vicinior cruci ejus: & sicut graviùs pungit, quod vicinius est cordi; sic dolor ejus gravior præ cæteris erat mihi. *Item*: Cùm respexisset, *inquit*, Filius meus ad me de cruce, & ego ad Eum; tunc de oculis meis, quasi de venis, lachrymæ exibant; & cùm Ipse me cerneret dolore confectam, intantùm amaricabatur de dolore meo, quòd omnis dolor vulnerum suorum quasi sopitus erat præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico, quòd dolor Ejus erat dolor meus, quia cor Ejus erat cor meum: ideo filia mea cogita, qualis eram in morte Filii mei, & non erit tibi grave relinquere mundum. *Item*: Filius meus videns me, & amicos suos, oculis in cælum directis clamabat ad Patrem: Pater quare dereliquisti me? quam

In revelat. S. Brigittæ lib. 1. c. 6.

quam vocem ego nunquam, donec ad cælum veni, oblivisci potui; quam plus ex compassione mea, quàm passione sua permotus protulit.

Porrò tam immensi cruciatus DEIparæ mox ab ipso adventu Christi in mundum initium habuére, durantes totâ vitâ Virginis. Ita *Rupertus*, doctissimus ac piissimus Abbas, inducit Virginem Matrem loquentem: Nolite solam attendere horam, vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impiis comprehensum malè tractari, illudi, spinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori, & sepeliri: nam tunc quidem gladius animam meam pertransivit, sed antequam sic pertransiret, longum per me transitum fecit; Prophetissa namque eram, & ex quo Mater ejus facta sum, scivi ista passurum. Cùm igitur talem Filium in sinu meo foverem, ulnis gestarem, uberibus lactarem, & talem ejus futuram mortem præ oculis haberem; qualem, quantam, quamquè prolixam me putatis Materni doloris pertulisse passionem? Ruperti Abbatis doctrinam confirmat *D. Bernardus* Serm. 40. in Cant. & *S. Brigitta* in Serm. Ang. c. 16. & 17. cujus verba ipsissima hìc inserere placuit: Meliùs quàm Prophetæ præscivit sui Filii passionem, ideo Eum lactans cogitabat, quòd felle & aceto esset potandus in cruce; quando Eum manibus gestabat, videbatur illi, quòd crucis brachiis esset confixus; quando dormiebat, cogitabat mortuum ex cruce depositum; quando osculabatur, Judæ osculum cogitabat; quando fasciis involvebat, funes cogitabat, quibus ligandus erat ab impiis carnificibus; quando manu ducebat, ducendum ad tribunalia, ut impiis judicibus sisteretur. Eadem Beatissima revelavit *S. Brigittæ* in hæc verba: Omni tempore, quo post ascensionem Filii mei vixi, visitavi loca, in quibus Ipse passus est, & mirabilia sua ostendit: sic quoque passio sua in corde meo fixa erat, quod sive comedebam, sive laborabam, quasi recens erat in memoria mea.

Rupertus lib. 1. in Cant.

S. Brigitt. rev. lib. 6. c. 65.

5tum. Exempla Sanctorum Martyrum. S. Augustinus inquit: Gloriosus Martyrum cœtus congregatus est ex omnibus populis, omnibus tribubus, omnibus lingvis, omni sexu, omni ætate. Senex, qui præ senio jam tremebat, cervicem gladio Tyranni

S. Augustin. Serm. 4. de timore DEI & seculi.

non

non subtraxit. Anus jam ætate consumpta sangvinolentam carnificis manum non declinavit. Juvenes præsentis vitæ amore & voluptate, Martyrii, quo coronandi erant, certamen non formidârunt. Et teneri infantes crudeles mortes sibi à persecutoribus illatas non subterfugerunt. Omnibus dedit coronam Martyrii, qui omnes redemit. *Minutius Felix* Gentilibus scribens hæc profert: Ut aurum ignibus, sic nos *Christiani* discriminibus arguimur. Quàm pulchrum spectaculum DEO, cùm Christianus cum dolore congreditur? cùm adversùm minas, & supplicia, & tormenta componitur? cùm scriptum mortis & horrorem carnificis irridens conculcat? cùm libertatem suam adversùs Reges, & Principes erigit? cùm triumphator & victor ipsi, qui adversùm se sententiam dixit, insultat? vos ipsi fertis ad cælum Mutium Scævolam, qui cùm errâsset in Regem, periisset in hostibus, nisi dextram perdidisset. Et quot ex nostris non dexteram solùm, sed totum corpus uri, cremari, sinè ullis ejulatibus pertulerunt, cùm dimitti præsertim in sua haberent potestate? Viros cum Mutio vel Altilio Regulo comparo? Pueri, & mulierculæ nostræ cruces & tormenta, feras, & omnes suppliciorum terriculas, inspiratâ *Divinitùs* patientiâ doloris illudunt. Nec intelligitis, ô miseri! neminem esse, qui aut sinè ratione velit pœnam subire, aut sinè DEO possit sustinere. *Severus Sulpitius* de ultima persecutione Diocletiani, & ejus successorum loquens, ait: Hâc tempestate omnis ferè sacro Martyrum cruore orbis infectus est, quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoquè avidiùs tum Martyria gloriosis mortibus quærebantur, quàm nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetantur. Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est, neque majore unquam triumpho vicimus, quàm cum decem annorum stragibus vinci non potuimus. *Franciscus Arias* enumeratis strictim temporibus, & locis, quando, & ubi passi sunt SS. Martyres, ita concludit: Ex hoc discursu sequitur, quòd moderni quidam authores ajunt: Si Martyres, qui ad hodiernum usque diem in Ecclesia Christi extiterunt, in singulos anni dies distribuerentur, unicuique diei triginta Martyrum millia obventura, opinionem valdè verisimilem

Minutius in Octav.
Eadem Lact. lib. 5. c. 13.
Sulpitius in hist. l. 2.
Arias Thesaur. inexhaust. t. 1. tit. Dux c. 35.

milem esse, cùm hic numerus undecim circiter millionibus Martyrum compleatur. Ac licèt numerus sit immensus, quia tamen in omnibus persecutionibus, omnibusquè seculis tot extitêre Martyres, quot diximus, habet hæc opinio non exiguæ veritatis, authoritatisquè fundamenta. Et sic admodum credibile est, Ecclesiam in dies anni singulos habere dicta triginta millia Martyrum, quos honoret, & veneretur, & gloriosissimos sibi apud DEUM Advocatos adoptet. *Hæc ille.* Coronidem imponat *Apostolus* Christi, exhortans ad sequelam Christi & Sanctorum in suis passionibus, dicens: Per fidem (justi) devicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos: alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, DEO pro nobis melius aliquid providente, ut non sinè nobis consummarentur. Ideoquè & nos tantam habentes impositam nubem testium: deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem JESUM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ, atque in dextera DEI sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sangvinem restitistis adversùs peccatum repugnantes, & obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris: Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat

Ad Hebr. c. 11. & 12.

S. Aug. serm. 4 de S. Laur. autem omnem filium quem recipit. Addo *S. Augustinum*, qui ait: Cùm omnium virtutum summa, omnisquè justitiæ & sanctitatis impletio ex amore quo DEUS, & propter DEUM proximus diligitur, nascatur, certè hic in nullis sanctis excellentior, & in quibus magis splenderet, inventus est, quàm in Martyribus, qui proinde suo exemplo cunctis hominibus plurimùm profuerunt. Siquidem idem DEUS, qui ipsis robur dedit, eo usus est ad faciendum, nè cui Sanctorum tormentum crucis, neque pœna mortis formidabilis esset, sed multis imitabilis fieret.

In Praxi circa Martyrium, ut quis tantum bonum obtinere possit, *Adverte 1mò.* Cùm ex dictis pateat, Martyrium esse actum perfectissimum virtutis, ut hunc gradum altiorem ascendas, per inferiores gradus virtutum proficias.

Adverte 2dò. Plerumque providentia Divina dona sua ab oratione instantissima dependere voluit. Et si magnis quibusdam Sanctis Martyrium desiderantissimè à DEO petentibus, fuit tamen denegatum: quantò magis tibi negligenti pro eadem gratia orare?

Adverte 3tiò. Si ferves desiderio Martyrii, & illud obeundi datur occasio, dum potes, consule super hoc voluntatem DEI apud aliquem virum pium, & discretione præditum, nè projiciens te in tantum periculum, ab Angelo satanæ transfigurato in Angelum lucis sub specie boni capiaris.

Adverte quartò. Addas tibi fortitudinem animi ab exem-

S. Cyprianus l. 4. Epist. 6. plis tot millium Martyrum, juxta illud *S. Cypriani*: Nemo difficile & arduum putet esse Martyrem fieri, quando videt Martyrum populum non posse numerari.)) Deinde considera, si aliqui Martyria pluribus annis protrahebant, sicut S. Gregorius Armeniæ Episcopus quatuordecim annis, S. Clemens Ancyranus octo supra viginti annos in Martyrio durârunt. Cur & tu non sustineas saltèm minori tempore? Considera, non paucos Martyres sua tormenta non sensisse, aut præ copia gratiæ levi-

Daniel. c. 3. ùs sensisse, quàm tibi eorum horror apparet. Ita tres pueri in ardentissima Babylonis fornace pro igne quasi ventum roris

flantem

ſtantem experti ſunt, referente Franc. Aria ex vitis Sanctorum: Ita Gregorius Armeniæ Martyr, cùm propter Chriſtum inaudita tormenta, eaquè admodum diuturna pateretur, erat in illis tam lætus, quàm ſi in magnis eſſet deliciis; & cùm jam in fruſta eſſet diſſectus, Tyranno dixit: *Quantùm externus noſter corrumpitur homo, tantùm internum renovari docemur, & credimus.* S. Laurentius, cùm in craticula torreretur, ajebat Decio: *Hæ prunæ ſunt mihi in refrigerio.* Et S. Vincentius ferreis pectinibus carptus, laminisquè ardentibus aduſtus: *Hi ſvaves cibi ſunt*, inquiebat, *quos deſiderabam.* S. item Tiburtius vivis carbonibus inambulans, videri ſe ſibi roſas, floresquè calcare affirmabat. Et glorioſa Agatha in gravisſimis tormentis dicebat: *Tantùm his poenis lætor, quantùm homo avarus inventis magnis theſauris.* *Hæc Arias.* *Arias theſaur. inexhauſt t. 1. tract. 3. c. 27.*

S. Chryſoſtomus quantum appretiabat vinctum eſſe pro Chriſto, placet ſtupenda afferre quæ ſupra illa Apoſtoli verba: *Obſecro vos ego vinctus in Domino.* Eph. 4. ſcribit, dicens: Nihil ita ſplendidum, ut vinctum eſſe propter Chriſtum, ut catenæ ſunt ſanctis illis manibus circumdatæ. Vinctum eſſe propter Chriſtum illuſtrius eſt, quàm ſive Apoſtolum, ſive Doctorem, ſive Evangeliſtam eſſe. Si quis Chriſtum diligit, is novit quid dico. Si quis erga Dominum inſanit, ut ita dicam, & ardet, is novit, quæ ſit vinculorum virtus. Hic utique priùs habebit optione datâ vincula ferre propter Chriſtum, quàm cælos inhabitare. Non enim caput ita ſplendidum reddit impoſita corona margaritis conſpicua, ut catena ferrea, quæ propter Chriſtum fertur. Pudet divitias & auream munditiem hujuſmodi conferre vinculis. Quòd ſi quis mihi vel univerſi cæli, vel hujus catenæ copiam & optionem largitus eſſet, catenam hanc ego planè elegiſſem. Deinde ſi aut mihi cum Angelis fuiſſet ſtandum ſurſum, aut cum Paulo vincto, carcerem utique præoptâſſem. Ad hæc, ſi quis me aut in numerum & ordinem collocâſſet cæleſtium potentiarum, earum etiam, qui propè ſunt thronum DEI, aut talem ligatum feciſſet, talis utique ligatus eſſe voluiſſem. Nihil hâc catenâ beatius. Vellem etiam nunc in eis eſſe locis, in quibus iſta dicuntur eſſe vincula. Et meritò: celebrarem viros iſtos, qui hujus erga Chriſtum deſiderii *Ex homil. Alcuini & Laur. Surii Dominicâ 18. poſt Pent.*

fuerunt. Cuperem videre catenas illas, quas quidem verentur & horrent dæmones, venerantur verò Angeli. Non ita beatum dico Paulum, quòd in Paradisum raptus, atque in carcerem est conjectus: non ita beatum æstimo, quòd verba audivit ineffabilia, atque quòd vincula sustinuit. Non ob id adeò beatum illum prædico, quòd in tertium cælum raptus est, atque propter vincula. O beata vincula! ô beatas manus! quas catena illa exornavit. Quòd si mihi temporibus illis esse licuisset, tum potissimùm illas circumplexus fuissem, inquè sinus meos collocâssem. Utique non cessâssem exosculari illas, quibus pro Domino meo ligari licuit. Quòd si liberum fuisset per curas Ecclesiasticas, & corpus habuissem validum, nihil utique causatus fuissem, quò minùs tantâ susceptâ peregrinatione catenas duntaxat illas, & carcerem, ubi ligatus fuit, vidissem. *Hæc aureum Os* de catena, vinctione, carcere Pauli pro Christo, quidni & de aliis instrumentis, passionibusquè SS. Martyrum idem pretium ferendum? quidni & de persecutionibus, & ultra assumptis afflictionibus Confessorum idem æstimandum? Ita enim hi sicut & illi pro DEO, pro virtute decertant, nisi quòd illi atrociori, hi diuturniori Martyrio desudant. Cæterùm hinc patet, ubi in mediis angustiis, & cruciatibus amor, ibi nullus pavor, labor, dolor, imò quies, gaudium, dulcor.

Adverte 5tò. Procedens ad Martyrium ex tua parte coneris esse in statu gratiæ per Sacramentum pœnitentiæ, vel saltèm elicias actum contritionis, & convenias cum tuis inimicis.

I. Cor. 13. Etenim juxta Apostolum: *Etiamsi tradidero corpus meum, ita ut ardeam,* (pro Christo) *charitatem* (seu gratiam) *autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Adverte 6tò. Ante, & in ipso Martyrio pone tibi ob oculos vivâ fide perennes cruciatus inferni, ad quæ nonnulli deficientes in Martyrio, repentinâ morte percussi descenderunt. *Vide Annal. Eccl.* Hinc beatus Morus & alii Martyres Tyrannis respondebant: *Satiùs est momentanea sufferre supplicia, quàm æterna subire tormenta.* Consideres perpetuas cæli delicias, coronas, gloriam, triumphos, quos Victor in Christo paulopòst subibis. Considere res felicem in die novissimo resurrectionem corporis tui, in

In Annalibus Eccl. apud Baronium.

quo

quo tot relucebunt ſidera, quot præceſſerunt vulnera: Ita ſeipſam ſolabatur mater ſeptem Machabæorum, & hunc in modum animabat filios ſuos ad terribiles cruciatus ferendos. Conſideres atrociſsimam paſſionem & mortem Chriſti, & vix alicujus momenti apparebunt tibi tormenta tua. Conſideres tibi ſemel moriendum in magnis anguſtiis, exiguo merito, imò magno cum ſalutis periculo: Cur nunc easdem mortis torturas gloriosè non feras, ſumma æternaquè cum gloria & ſpe certiſsima beatiſsimæ æternitatis? &c. 2. Machab. c. 7

Adverte 7mò. Totam fiduciam pone in auxilio DEI, & nihil in viribus tuis, ora DEUM inſtanter, neque vim tormentorum perpendas, quæ forent tibi portabilia vel importabilia. Audi S. *Cyprianum*: Novi ego, ac flevi quosdam magni animi fortitudine præditos, qui jam coronæ proximi defecerunt, & quem diu profeſsi fuerunt, abnegârunt. Quid fuit in cauſa? Dimoverant oculos ſuos ab eo, qui ſolus robur dat infirmis: intermiſerant orationem, ac cœperunt ad humana præſidia reſpicere. Contemplabantur ſuæ naturæ viriculas, conſiderabant ungulas, aculeos, candentes laminas, ferrum & ignem, reliquumquè carnificinæ apparatum, etiam aſpectu horrendum, & cruciatuum atrocitatem cum ſuis viribus conferebant, & ideo victoriam amiſerunt è manibus. Ubi quis ita cogitat: Hoc poſſum, illud perpeti non poſſum, nunquam feliciter peraget Martyrium. Sed qui ſe totum tradit Divinæ voluntati, non aliò ſpectans, quàm ad illius opem, is demum firmus invictus eſt. Hoc autem fieri non poteſt, niſi adſit vera & vivida fides, nihil hæſitans, nihil diſquirens, nec cogitans, quanta ſit Tyranni ſævitia, quanta hominis imbecillitas, ſed quanta ſit Domini virtus, qui certat & vincit in membris ſuis. *Et paulò pòſt*: Nec quiſquam ſibi diſpliceat, ſi corpore pariter & animo ſentiat gravem & diuturnam moleſtiam, tantùm fidat ei cui certat, is qui non patietur quenquam tentari ſupra id quod poteſt, ſed faciet etiam cum tentatione proventum. *Idem*: Timendas non eſſe injurias & pœnas perſecutionum, quia major eſt Dominus ad protegendum, quàm diabolus ad impugnandum.

S. Cyprianus, vel quisquis Author eſt, Tract. de duplici Martyrio.

S. Cyprianus lib. 4 Epiſt. 6. ad Tibari.

Quocirca in persecutionibus nemo cogitet, quod periculum diabolus importet, sed consideret, quòd auxilium DEUS præstet.

l. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. *Accipe quoque suprà specificata, & hic pro posse convenienter applica.*

§. Unicus.

De Martyrii Desiderio.

D*Esiderium Martyrii, est actus ardentissimæ Charitatis, & Fortitudinis, quo aliquis ex motivo amoris DEI, intensissimè cupit pro veritate & justitia pati, & mori, in DEI, suorumque gloriam.* Quia efficax desiderium Martyrii utpote actus heroicus, non nisi ex perfecta charitate & virtute præcellenti oritur. Unde dicitur *Fortis esse ut mors dilectio.* (*Cant. 8.*) Quia sciens se non posse dilecto & summo Bono magis gratificari & placere, quàm quod habet carissimum, nempe vitam in signum honoris & dilectionis ad ejus, suorumque gloriam profundere; ad id præstandum flagrantissimo æstuat desiderio, quærit, & ingerit se in occasiones. Crux cum Andrea; Ignis cum Laurentio; Leones, confractio ossium, imò omnia tormenta diaboli cum Ignatio, omnia facilia, læta, & jucunda tali apparent. Nimirum ubi amor, ibi dulcis dolor.

S. Martinus, S. Dominicus, S. Franciscus ejusmodi flagrabant Martyrii desiderio: S. Ludgardis tantùm effecit apud Christum, quòd aspirans ad S. Agnetis Martyrium, illud profusione sangvinis Divinitùs factâ promeruerit. (*In vita S. Ludgardis.*)

SECTIO IV.

De Oppositis Martyrii.

P*Rimum* est, quod opponitur tanquam imperfectum perfecto. Et ita dum quis commodè potest fugere mortem pro Christo, est quid imperfectum. Unde *S. Bonaventura*: Mortem pro Christo desiderare, morti se pro Christo exponere, & in mortis agone gaudere, actus est Charitatis perfectæ. (*S. Bonav. Apolog. paup. Resp. 2. cap. 1.*)

perfectæ. Porrò mortem fugere, actus est imperfectionis, quantùm in se est; potest tamen ad perfectionem reduci per circumstantiam superadditam: utpote cùm quis hoc facit, ut se reservet ad gloriosiorem triumphum; sicut fugit Apostolus: vel cùm id agit ad præbendum infirmis spei solatium, nè dum morte imminente trepidare se sentiunt, in desperationem labantur. Et hâc ratione fugisse credendus est Christus, non ex vehementia timoris, sed ex benigna condescensione perfectissimæ charitatis. Juxta quod dicit *Augustinus*: Firmissimi sunt Christiani, si qui sunt, qui nequaquam morte imminente turbantur. Sed nunquid Christo firmiores? quis hoc insanissimus dixerit? quid est ergo, quòd ille turbatus est, nisi quia infirmos in suo corpore, id est, in Ecclesia suæ infirmitatis voluntariâ assumptione consolatus est? ut si qui suorum morte imminente turbantur, ipsum in Spiritu intueantur, nè hocipso se putantes reprobos pejore desperationis morte absorbeantur. *Hæc Augustinus.* Quibus luce clariùs ostenditur, quòd in passione trepidare, quanquam sit imperfectum, nullam tamen in Christo condescendente imperfectionem ponit, sed in eis solùm, quibus ipse condescendit. *Hactenus D. Bonaventura.*

S. Aug. homil. 60. in Joann.

2dò opponitur *Pseudo-Martyrium*, nempe quod perficitur absque charitate. De quo Apostolus: *Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Unde S. Augustinus: *Ecce venitur ad passionem, ecce venitur & ad sanguinis effusionem, venitur ad corporum incensionem, & tamen nihil prodest, quia charitas deest.* Tales sunt etiam Catholici extra statum gratiæ in peccato mortali existentes, nisi illud priùs deleverint pœnitentiâ Sacramentali, aut saltèm contritione. Tales sunt, qui non rectâ, sed vanâ intentione patiuntur, sive sint fideles, sive infideles. Hinc S. Augustinus inquit: *Romani laudis avidi gloriam ingentem ardentissimè dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac & mori non dubitaverunt.* Et: *Cæteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate presserant.* Tale quoque Martyrium est infidelium pro sua perfidia morientium. Quare S. Augustinus: *Omnes illi Pastores boni, non solùm, quia sanguinem fuderunt, sed quia pro ovibus fuderunt. Non enim fuderunt elatione, sed charitate. Nam & apud hæreticos, qui propter iniquitates*

1. Cor. 13.

S. Aug. serm. de verb. Dom. 50.

S. Aug. lib. 5. de civit. c. 12.

S. Aug. de verbis Domini serm. 50.

quitates & errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerunt, nomine Martyrii se jactant; ut hoc pallio dealbati faciliùs furentur, quia lupi sunt.

3tiò opponitur *Inconstantia*, & *Imperseverantia* in *Martyrio*, ut primis persecutionibus Ecclesiæ de ejusmodi pluribus lapsis legimus, quorum aliqui mox gravissimè à DEO puniti, in gehennam æternùm cruciandi detrusi sunt: aliqui in Gentilismum defecerunt, retrogressi à janua cælestis gloriæ èvestigio eis aperienda ad Erebi igneos carceres.

In Annal. Eccles. Bzovii

SECTIO V.
De Partibus Fortitudinis.

FIducia, Magnificentia, Patientia, & Perseverantia suntFortitudinis, ut virtutis specialis, partes integrales, inquantùm versantur circa pericula mortis: & quidem actus Fortitudinis, qui est in aggrediendo, integrant Fiducia & Magnificentia; Actum verò Fortitudinis in sustinendo, componunt Patientia & Perseverantia. Inquantùm autem eædem virtutes habent se circa alia difficilia & ardua, sunt Potentiales Fortitudinis virtutes, eiquè ut secundariæ principali annectuntur. Cæterùm sequentibus, Magnanimitatem cum D. Thoma loco Fiduciæ à Tullio hìc positæ substituemus.

D. Thom. 2. 2. q. 128.

SUBSECTIO I.
De Magnanimitate.

M*Agnanimitas, est virtus specialis, quâ aliquis sese ordinatè habet circa magnos honores.* Dicitur: *virtus specialis*; quia Magnanimitas ponit modum rationis circa determinatam materiam, nempe bonum honoris, quod est speciale bonum inter exteriora bona. Dicitur: *quâ aliquis sese ordinatè habet*, id est, convenienter se gerit ad dictamen rationis circa magnos honores. Ubi nomine honorum imò intelligitur id quod causat honorem, nempe ut magnanimus studeat facere ea, quæ sunt digna honore non qualiacunque sed magna, quales v. g. potissimùm sunt heroici actus virtutum. Sicut econtrà, si quis

D. Thom. 2. 2. q. 129.
Ibidem a. 1.

hoc modo contemneret honores, quòd non faceret ea, quæ ſunt digna honore; non vitaret ea, quæ ſunt contraria honori, hoc vituperabile eſſet. 2dò intelligitur ipſe honor, conſequens aliquam excellentiam, qui pro moderamine rationis eſt vel amandus, vel contemnendus. Et quidem circa mediocres honores, ut D. Thomas ait, verſatur virtus quædam innominata. *Ibidem a. 2.* Nominatur tamen ex ſuis extremis, quæ ſunt Philotimia, id eſt amor honoris, & Aphilotimia, id eſt ſinè amore honoris; Laudatur enim quandoque qui amat honorem, quandoque autem qui non curat de honore, prout ſcilicet utrumque moderatè fieri poteſt. Circa magnos autem honores eſt Magnanimitas; *Ibidem a. 3.* quia eos magnanimus intendit. Sicut quibus eſt dignus, vel etiam ſicut minores his, quibus eſt dignus: quia videlicet virtus non poteſt ſufficienter honorari ab homine, cui debetur honor à DEO. Et ideo non extollitur ex magnis honoribus, quia non reputat eos ſupra ſe, ſed magis eos contemnit, & multò magis moderatos & parvos. Et ſimiliter etiam Dehonorationibus non frangitur, ſed eas contemnit, utpote quas reputat ſibi indignè afferri.

Fiducia, eſt quoddam robur ſpei, ſeu ſpes roborata ex aliqua firma opinione ad aliquod arduum bonum aſſequendum. *Ibidem a. 6.* Unde Fiducia pertinet ad Magnanimitatem, quæ propriè eſt circa ſpem alicujus ardui.

Securitas, eſt conditio Fortitudinis, & Magnanimitatis; *Ibidem a. 7.* Fortitudinis, quatenus animi quietem à timore importat; Magnanimitatis, quatenus repellit deſperationem.

Proprietates, ſeu Conditiones Magnanimitatis ſunt, Ima, intendere ſolùm ad magna, quæ pauca ſunt, quæ etiam indigent attentione, & ideo habet motum tardum. *Ibidem a. 3. ad 3.* Neque intromittere ſeſe, niſi de magnis. Unde in his, qui ſunt naturaliter diſpoſiti ad Magnanimitatem, tales conditiones naturaliter inveniuntur. 2da per comparationem ad humilitatem. Nam in homine invenitur aliquod magnum, quod ex dono DEI poſſidet; *Ibidem a. 3. ad 4.* & aliquis defectus, qui competit ei ex infirmitate naturæ. Magnanimitas ergo facit, quòd homo ſe magnis dignificet ſecundùm conſiderationem donorum, quæ poſſidet ex

DEO. Sicut si habet magnam virtutem animi, magnanimitas facit, quòd ad perfecta opera virtutis tendat. Et similiter est dicendum de usu cujuslibet alterius boni, puta scientiæ, vel interioris fortunæ. Humilitas autem facit, quòd homo seipsum parvipendat secundùm considerationem proprii defectûs. Similiter etiam magnanimitas contemnit alios, secundùm quod deficiunt à donis DEI. Non enim tantùm alios appretiatur, quòd pro eis aliquid indecens faciat. Sed humilitas alios honorat, & superiores æstimat, inquantùm in eis aliquid inspicit de donis DEI. Unde dicitur in Psalm. 14. de viro justo: Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: quod pertinet ad contemptum magnanimi: Timentes autem Dominum glorificat; quod pertinet ad honorationem humilis. Et sic patet, quòd magnanimitas & humilitas non sunt contraria, quamvis in contraria tendere videantur: quia procedunt secundùm diversas considerationes.))

Ibidem a. 5. Porrò aliæ proprietates, secundùm quod ad magnanimum pertinent, non sunt vituperabiles, sed superexcedenter laudabiles. Quod enim imò dicitur, quòd magnanimus non habet in memoria, à quibus beneficia recipit, intelligendum est quantùm ad hoc, quod non est sibi delectabile, quòd ab aliquibus beneficia recipiat, quin sibi majora recompenset: quod pertinet ad perfectionem gratitudinis, in cujus actu vult superexcellere, sicut & in actibus aliarum virtutum. Similiter etiam 2dò dicitur, quòd est otiosus & tardus: non quia deficiat ab operando ea, quæ sibi conveniunt, sed quia non ingerit se quibuscunque operibus, sed solùm magnis, qualia decent eum. Dicitur etiam 3tiò, quòd utitur ironiâ, non secundùm quod opponitur veritati, ut scilicet dicat de se aliqua vilia, quæ non sunt: vel neget aliqua magna quæ sunt: sed quia non totam magnitudinem suam monstrat, maximè quantùm ad inferiorum multitudinem: quia, sicut etiam Philosophus ibidem dicit, ad magnanimum pertinet, magnum esse ad eos, qui in dignitate, & bonis fortunæ sunt, ad medios autem moderatum. 4tò etiam dicitur, quòd ad alios non potest convivere, scilicet familiariter, nisi ad amicos: quia omnino vitat adulationem, & simula-

simulationem, quæ pertinent ad animi parvitatem. Convivit tamen omnibus, & magnis, & parvis, secundùm quod oportet. 5tò etiam dicitur, quod vult habere magìs infructuosa: non quæcunque, sed bona, id est honesta. Nam in omnibus præponit honesta utilibus, tanquam majora. Utilia enim quæruntur ad subveniendum alicui defectui, qui magnanimitati repugnat.))

Aliæ Proprietates & Conditiones Magnanimitatis ex sequentibus colliguntur. 1mò, quòd quia magnanimus tendit ad magna, consequens est, quòd ad illa præcipuè tendat, quæ important aliquam excellentiam: & illa fugiat, quæ pertinent ad defectum. Pertinet autem ad quandam excellentiam, quòd aliquis benefaciat, & quòd sit communicativus, & plurium retributivus. Et ideo ad ista promptum se exhibet, inquantùm habent rationem cujusdam excellentiæ: non autem secundùm eam rationem, quâ sunt actus aliarum virtutum. Ad defectum autem pertinet, quòd aliquis intantùm magnipendat aliqua exteriora bona vel mala, quod pro eis à justitia vel quacunque virtute recedat, & declinet. Similiter etiam ad defectum pertinet omnis occulatio veritatis: quia videtur ex timore procedere. Quòd etiam aliquis sit planctivus, ad defectum pertinet: quia per hoc videtur animus exterioribus malis succumbere. Et ideo hæc & similia vitat magnanimus secundùm quandam specialem rationem, scilicet tanquam contraria excellentiæ, vel magnitudini. 2dò, magnanimus exteriora bona contemnit, inquantùm non reputat ea bona magna, pro quibus debeat aliquid indecens facere. Non tamen quantùm ad hoc contemnit ea, quin reputat ea utilia ad opus virtutis exequendum. 3tiò, quòd quicunque non reputat aliquid magnum, neque etiam multùm gaudet, si illud obtineat, neque multùm tristatur, si illud amittat. Et ideo quia magnanimus non æstimat exteriora bona, scilicet bona fortunæ, quasi aliqua magna: inde est quòd nec de eis multùm extollitur, si adsint, neque in eorum amissione multùm dejicitur. 4tò, magnitudinis animi repugnat, quòd aliquis res modicas tantùm appretietur, quòd de eis glorietur. Unde & in quarto Ethicorum dicitur de magnanimo, quòd

Ibid. a.4. ad 2.

Ibidem a. 8. ad 2.

Ibidem a. 8. ad 3.

D. Thom. 2. 2. q. 132. a. 2. ad 1 & 3.

Eth. lib. 4. c.3.

quòd sibi sit honor parvus. Similiter etiam & alia, quæ propter honorem quæruntur, puta potentatus, & divitiæ, parva reputantur ab eo. Similiter etiam magnitudini animi repugnat, quòd aliquis de his, quæ non sunt, glorietur. Unde

Ibidem. de magnanimo dicitur 4. Ethicorum, quòd magis curat veritatem quàm opinionem. Similiter etiam magnitudini animi repugnat, quòd aliquis glorietur in testimonio laudis humanæ, quasi hoc magnum aliquid æstimetur. Unde de magnanimo

Ibidem. dicitur 4. Ethicorum, quòd non est ei cura, ut laudetur. Deinde juxta Philosophum magnanimus non est contentiosus, qui nihil æstimat magnum. Nullus enim contendit nisi pro re, quam æstimat magnam.

Motiva sectandæ Magnanimitatis. 1mum. Proverb:

Prov. c. 19. *Gloria ejus* (id est viri) *iniqua prætergredi*, seu magno animo contemnere & pertransire, sive sibi illatas injurias, sive ardua iniquitatum ad virtutum obstacula. *Apostolus* exhortatur Christianos relinquere minoris momenti certamina, & acriora gene-

Ephes. 6. roso & magnanimo pectore suscipere, dum ait *Ephes:* Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sangvinem, sed adversùs Principes, & Potestates, adversùs mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, propterea accipite armaturam DEI. *Idem* non qualemcunque, sed cæle-

Philip. 3. stem requirit conversationem, dicens: Nostra conversatio in cælis est.

S. Chrysost. hom. in Psalm. 144. 2dum. *S. Chrysost:* Quoniam magnum habes Dominum, sis quoque tu excelsus, & te explica à rebus, quæ ad hanc vitam pertinent, Sume spiritus, qui superent præsentium rerum humilitatem, non ut sis elato animo, & insolens, sed magno, & excelso animo. Aliud enim arrogantia, aut insolentia, & aliud magnitudo animi. Est enim arrogans, qui propter res parvas se jactat, & gloriatur, ac conservos despicit. Alto verè est animo, qui mente est humilis, & præsentis vitæ um-

Elias Nazianz. interpr. Comm. in 2. Orat. bras nihil esse existimat. *Elias Nazianz.* interpret: Magnanimitas est perfecta animi virtus, ac velut ornamentum virtutum: Magnanimi autem viri præter alia proprium hoc est, honorem eum,

eum, qui vulgaribus & abjectis viris, atque ob parvas res exhibetur, aspernari, atque ita contemptum & ignominiam, ac propterea iis, à quibus offenditur, ignoscere. *Idem*: Magnanimi viri præter alia, quibus præditus est, & instructus, proprium illud videtur, nihil serviliter, nihil tectè atque occultè dicere aut facere, sed omnia apertè & propalàm, atque odium suum & benevolentiam præ se ferre. *Isidor. Pelusiota*: Ego & modestum, & animi magnitudine præstantem eum voco, qui cùm maximis virtutis muneribus fungatur, non tamen ob magnas & præclaras actiones gloriam affectat, sed virtutes suas silentio tegit, nec in proximos insultat. Quatenus enim magna efficit, magnificè sensit: quatenus etiam ea occultavit modestè. *S. Gregorius*: Parvus est, qui terrena diligit; magnus, qui æterna concupiscit. *Idem*: Qui magna agit, quamvis de se humilia sentiat, scit tamen magna esse quæ agit. Nam si magna esse nescit, ea proculdubio minimè custodit. *Idem*: Magna (DEUS) promisit, qui magna præcipiendo docuit: ut magnitudo muneris ad fortitudinem incitaret laboris. Magnum quippe est, soli Domino servire, videlicet instanter bona agere, bonis actibus reproba non miscere: sed ô quàm maximum in hujus vitæ transitu potestatem cruentorum spirituum non incurrere, nullas in via horribilitates cernere, contrarietates objectionum nullas invenire, æternas pœnas evadere, Liberatoris nostri præsidia sentire, momentaneam seculi lucem perdere, sed repentè ineffabilem claritatem æternitatis invenire: audiant ergo, audiant, qui de manu Philistiim liberari desiderant: Præparate corda vestra Domino, & servite illi soli.

Idem in Orat. 3. *Isidor. Pelusi. lib. 3. Epist. 381.* *S. Gregor. l. 5. Moral.* *Idem lib. 26.* *Idem lib 3. in 1. Reg. c. 7.*

3tium. *Christus* dedit nobis magnanimitatis exemplum, dum oblatos sibi honores Regios contempsit, laudari se prohibuit, injurias minimè curavit, denique omnia, quæ mundus æstimat, & stupet, ut pulverem sub pedes suos jecit: ardua verò quæque, & difficilia, semper usque ad mortem aggressus est, sustinuit, evicit, superavit.

4tum. De *Beatissima Virgine* hæc Mellifluus Doctor affert: In Matre DEI nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem, sed cùm in sua æstimatione

S. Bern. serm. 1. de Virg. DEIpara.

tam humilis esset, & nihilominus in promissionis credulitate magnanimis; ut quæ nihil aliud, quàm exiguam sese reputabat ancillam, ad incomprehensibile se mysterium, & admirabile commercium, ad inscrutabile Sacramentum nullatenus se dubitaret electam, & veram DEI & Hominis Genitricem crederet mox futuram. Agit hoc nimirum in cordibus electorum gratiæ prærogativa Divinæ, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes, magis autem coëperentur sibi, ut non solùm ulla ex magnanimitate subintret elatio, sed hinc maximè provehatur humilitas, ut inveniantur eò amplius timorati, & Largitori munerum non ingrati: ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla subrepat, sed quò minùs de sua quisque vel in minimis præsumere consveverit, eò amplius etiam in magnis quibusquè de Divina virtute confidat.

5tum. *Paulus Apostolus*, quàm magnanimus fuerit. 1mò. in suo Apostolatu, pro Christi gloria exultando, cùm ait: *Quamdiu quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo.* (Rom. 11.) 2dò, Mundum cum sua gloria pedibus suis substernendo, dicens: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JESU CHRISTI, propter quem omnia detrimentum feci & arbitror ut stercora.* (Philip. 3.) 3tiò. Mala mundi, ut sol tetras nubes infrà suppositas, nihili ducebat. Denique sublimitates cælorum transcendens, solo amore Magni DEI contentabatur. Pulchrè de hoc *S. Chrysostomus*, qui ait: (S. Chrysost. hom 7. de laud. S. Pauli.) Hujus rei studio non tantùm urbes, gentes, exercitus, provincias, pecunias, potestates, velut arenam vilia reputavit; sed & pro Christi dulcedine non Angelorum, non Archangelorum admiratus est dignitatem, nec quicquam simile concupivit. Quod enim majus erat omnibus, Christi amore fruebatur: cum hoc beatiorem se cunctis putabat, sinè hoc autem neque Dominationum, neque Principatuum socius esse cupiebat. sed cum hac dilectione magis esse extremus optabat, imò etiam ex numero punitorum, quàm sinè hac inter summos, & honore sublimari. *Causam assignat, aitquè*: Perfrui enim charitate Christi, hoc illi vita erat, hoc mundus, hoc Angeli, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum,

gnum, hoc promisſio, hoc bona videbantur innumera. Præter hæc verò nihil in tristium parte ponebat. Horum enim, quæ hìc habentur, nihil aſperum, nihil etiam ſvave reputabat: ſic deſpiciebat univerſa, quæ cernimus, ut ſolet herba jam putrefacta contemni. Tyrannos verò ipſos, ac populos ſpirantes furorem, velut quosdam culices æſtimabat: mortem verò, & cruciatus, & mille ſupplicia quaſi ludum puerorum, dummodo propter Chriſtum aliquid ſuſtineret. Tunc enim amplectebatur libenter, & decorabatur, vinctus catenâ magìs, quàm diademate coronatus. Etenim coarctatus carcere habitabat cælum, ac libentiùs verbera excipiebat, & vulnera, quàm alii bravia diripiunt, dolores non minùs quàm præmia diligebat, cùm ipſos utique dolores loco duceret præmiorum: propterea enim illos & gratiam nominabat. *Hæc aureum Os.*

Ad Praxim vide etiam ſuprànotata, & hìc convenienter adhibe. l. 2. tra. 1. c. 1 ſect 4. ſubſ. 2. §. 2.

Actus Magnanimitatis ex Diſcipl. Clauſt. P. Joann. à JESV MARIA.

Excellentiſſime DEVS, quem ſinè cordis erectione non poſſum attingere, cupio Apoſtolicas virtutes comparare.

Imprime fortiſſime DEVS robur magnum cordi meo; deſidero enim heroicos virtutum actus producere propter te

Deſpicio altiſſime Domine omnes mundi honores, & faſtus calco, ut ſupra mundum extollar ad te.

Vtinam potentiſſime DEVS univerſam mundi claritatem, & famam nunc haberem, non ut poſſiderem, ſed ut contemnerem propter te.

Opto, Domine, Job patientiam aſſequi.

Vtinam te amore Pauli diligerem.

Vtinam me ſicut Magdalenam peccatorum meorum poeniteret.

Certè clementiſſime DEVS daturus ſum operam, ut Angelico more in terris vivam.

Conabor Domine occaſionem pro te Martyrium obeundi perquirere:

Quoties quid arduum in cultu virtutum occurret, ego dulciſſime DEVS me offeram pugnaturum pro te.

Abſit à me Domine, ut animum deſpondeam à Chriſtiana perfectione comparanda.

In mandatis tuis excellenter exercebor, & considerabo vias tuas: in justificationibus tuis intensissimo corde meditabor, non obliviscar sermones tuos.

Actus exterior Magnanimitatis in superioribus, est tueri suam dignitatem & Jurisdictionem. Unde Paulus monet Timotheum Præsulem Ephesiorum, nè se permittat contemni, dicens: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Et Titum Episcopum Cretensem: *Nemo te contemnat.* Sic S. Basilius contra Valentem; S. Athanasius contra Constantinum; S. Chrysostomus contra Eudoxiam; S. Ambrosius contra Valentinianum, Imperatores pro Ecclesiastica libertate, & sua Jurisdictione decertabant. S. Carolus Borromæus præ summa humilitate maledicta in suam personam congesta dissimulabat, sed tactam suam dignitatem & Jurisdictionem Ecclesiasticam contra Reges & Principes acriter propugnabat, eosquè excommunicabat, paratus pro hoc ipsam mortem libenter oppetere.

Timoth. 4.
Tit. 2.

SUBSECTIO II.

De Præsumptione.

D. Thom. 2. 2. q. 130.
Ibidem a. 1.

PRæsumptio, *est vitium Magnanimitati per excessum oppositum, quo aliquis supra vires & facultatem propriam, quidpiam attentat.* Dicitur; *est vitium*: Quia id, quod est contra ordinem naturalem, est vitiosum. Ordo autem naturalis requirit, ut actio commensuretur virtuti agentis, quàm commensurationem excedit præsumptuosus, ponens actionem majorem virtute propriâ. Et ita esset vitiosum & præsumptuosum, quòd aliquis in statu imperfectæ virtutis existens, attentaret statim assequi ea, quæ sunt perfectæ virtutis. Sed si quis ad hoc tendat, ut proficiat in virtutem perfectam, hoc non est præsumptuosum, nec vitiosum. Et hoc modo Apostolus in anteriora se extendebat, scilicet per continuum profectum. Similiter non est præsumptuosum, cum auxilio Divino cogitare, & facere opus aliquod virtuosum: quia hoc non totaliter excedit facultatem humanam, cùm per alios possumus, aliqualiter per nos possumus,

Ibid. a. 1. ad 1.
Ibid. ad 3.

possumus, ut in 3. Ethic. habetur. Esset autem præsumptuosum, si ad hoc aliquis tenderet absque fiducia Divini auxilii. Dicitur: *per Excessum*; Quia sicut magnanimus consistit in medio secundùm proportionem ad propriam facultatem; non enim in majora tendit, quàm sibi conveniant: Ita præsumptuosus excedit idem medium secundùm proportionem suæ facultatis, dum tendit in majora, quæ sibi non conveniunt. *Ibidem ad 2.*

Motiva cavendi Præsumptionem. 1mum. In lib. *Judith* dicitur: Domine DEUS ostende, quoniam non derelinquis præsumentes de te: & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias. *Eccl:* Vidit præsumptionem cordis eorum, quoniam mala est. 2dum. *S. Basilius* inducit S. Petrum aliquantùm præsumere, & inde prolabi in negationem Christi. Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Sic & causam lapsûs Davidis in homicidium & adulterium fuisse eandem præsumptionem, quòd scilicet semel gratiâ singulari visitatus dixerit illud Psalm. 29. v. 7: Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum. Unde mox pœnam subdit: Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Idem Psalm. 118. v. 67: Priusquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum custodivi. *S. August:* Nulla præsumptio perniciosior, quàm de propria justitia, aut scientia superbire. *S. Bernardus:* Et mira quidem præsumptio dæmonum, sed non minùs mira obstinatio est, quòd superbia eorum semper ascendit, propterea non est illis commutatio. Quia enim converti noluerunt à via præsumptionis, inciderunt in viam obstinationis. Quàm perverso & everso sunt corde filii hominum, quicunque sectantur vestigia dæmonum, ingrediuntur dæmonum vias! Hæc enim tota adversùm nos spiritualium colluctatio nequitiarum est, ut nos seducant, ut nos inducant in vias suas, ut inducant in eis, perducant ad destinatum finem, qui paratus est eis. Fuge homo præsumptionem, nè gaudeat de te inimicus tuus, nempe in his vitiis maximè gaudet in seipso expertus, quàm difficile possis ab hac tanta voragine respirare. *Vide eundem*

Judith c. 6.
S. Basil. hom. 22. de humil. & reg. brev. Resp. 81. de lapsu Petri.
S. Aug. super illud Eccl. 7: Non te justifices ante DEUM &c.
S. Bern. serm. 11. super Psalm: Qui habitat.

eundem eleganter de præsumptione infrà sub gradibus superbiæ discurrentem.

1. 2. tr. a. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3. *In Praxi fugiendi Præsumptionem, adhibe proportionatè suprà dicta.*

SUBSECTIO III.

De Ambitione.

D. Thom. 2. 2. q. 131. AMbitio, *est peccatum magnanimitati per excessum adversans, quo aliquis inordinatè Honorem desiderat, vel quem non meretur, vel quem non in DEUM, nec in proximi commodum, sed ad suipsius tantùm utilitatem refert.* Dicitur: *peccatum* &c: quia omnis inordinatio est vitium, utpote virtuti in ordine quodam vitæ oppositum: inordinatum autem est, appetere honorem ratione alicujus excellentiæ, quæ non habetur, quod est appetere honorem supra suam proportionem, vel si habetur non referre in DEUM honorem, cùm illud secundùm quod homo excellit, non habet homo à seipso, sed est quasi quiddam Divinum in eo: similiter non referre ad proximi utilitatem, cùm illud, in quo homo excellit, datur homini à DEO, ut ex eo aliis prosit. Dicitur: *per excessum*; Quia sicut præsumptio opponitur per excessum magnanimitati, quatenus hæc respicit ad aliquod opus magnum, tanquam ad finem intentum: ita ambitio opponitur magnanimitati per excessum, quatenus hæc respicit ad honorem tanquam materiam, quâ debitè utatur. Dicitur: *aliquis inordinatè Honorem* &c. Ubi honor sumitur, non modò prout est in honorante, pro signo contestativo excellentiæ in honorato: verùm & pro ipsa excellentia effectiva honorationis, aut alicujus alterius boni utilis & jucundi, quales potissimùm sunt dignitates Ecclesiasticæ & Seculares, quæ si appetantur propter honorem eas comitantem, propriè talis appetitus est Ambitio, si propter divitias, est Avaritia, si propter delicias, est aliquod aliud vitium: quia vitia ex fine intento & objecto sumunt propriam speciem.

Ibidem a. 1.

Ibidem a. 2. ad 1.

Eccl. c. 7. *Motiva detestandi Ambitionem.* 1mum. *Eccl:* Noli quærere ab homine ducatum, neque à Rege cathedram honoris. *Idem:* Qui potestatem sibi sumit, injustè odietur. *Lucæ:*

Idem c. 20.

Quod

Quod hominibus altum est, abominatio est apud DEUM. *Luc. 16.*
Corinth: Charitas non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt. *I. Corinth. 13.*
Christus minatur: Væ! vobis Pharisæis, qui diligitis primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro. *Luc. 11.*

2dum. *S. Ambrosius:* Hoc ipso perniciosior ambitio, quod blanda est conciliatricula dignitatum: & sæpè quos vita nulla delectat, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, facit ambitio criminosos: habet enim forensem gratiam, domesticum periculum, & ut dominetur, aliis priùs servit, curvatur obsequio, ut honore donetur, & dum vult esse sublimior, fit demissior. *S. Bernardus:* O perversitas! ô abusio filiorum Adam! quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leviter ascendunt, & difficiliùs descendunt, parati ad honores & celsitudines graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam Angelicis humeris formidandos. Ad sequendum autem te Domine JESU vix inveniuntur, qui vel trahi patiantur, qui velint duci per viam mandatorum tuorum. *Idem:* Planè cupiditas radix iniquitatis, ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excœcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina langvorem. Contempsit vanam gloriam, ait, quoniam vana est: fortè solidius aliquid affectaret, fortè honores, fortè divitias: quantos, hoc negotium perambulans in tenebris, trudi fecit in tenebras exteriores, veste spolians nuptiali, & virtutum exercitia fructu pietatis evacuans? quantos pestis hæc nequiter supplantatos turpiter dejecit, ut cæteri quique, quos latuit occultus effossor, subitam expavescerent ad ruinam? Quid verò hunc fovet vermem aliud, quàm mentis alienatio, & oblivio Veritatis? aut quid nisi Veritas hunc prodendum vestigat proditorem, & negotium arguit tenebrarum? nimirum hæc est quæ dicit: Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, se autem perdat, & detrimentum sui faciat? Et item: Potentes, ait, potenter tormenta patientur. Hæc est, quæ sedulâ suggestione reducit in mentem, quâm sit in ambitu frivola consolatio, grave judici-

S. Ambrosius super Luc. lib. 3.

S. Bernardus serm. 2. in Ascens. Domini.

Idem serm. 6. super Psalm: Qui habitat.

um, usus brevis, finis ignotus. Tertia tentatio de ambitione fuit, quando omnia regna promisit, si cadens adoraret eum. Videsnè, quòd ambitionis via adoratio diaboli est, quâ videlicet ad honores, & gloriam mundi perveniendum suis ille adoratoribus pollicetur? *Idem*: Ambitio, mater hypocrisis, latebras amat, & tenebras quærit, lucis impatiens. Ambitio spurcum vitium in imo jacet, videt tamen omne sublime, sed videri ipsa refugit, nec mirum, optato namque necesse est careat, nisi caveat arbitros. *Idem*: Alius undique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, & dissimulat, miseraquè sibi suffragia mendicare non erubescit, manibus & pedibus repens, si quo modo tandem se ingerere queat in Patrimonium Crucifixi, & bona Domini, quæ sola ex omnibus inveniuntur exposita. Nimirum peregrè profectus est, & in plenissimo die ut sua districtè repetat rediturus. *Idem*: O Ambitio ambientium crux! quomodo omnes torquens omnibus places? nihil acriùs cruciat, nihil molestiùs inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus. *Idem*: Potestatis ambitio Angelum felicitate Angelicâ privavit, scientiâ appetitus hominem immortalitatis gloriâ spoliavit. Non Evam cibus deflexerat, non mandatorum destituerat oblivio: sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. *Idem*: Ambitio furoris causa. *S. Chrysostomus*: Ambitio docet, quod natura non novit; cupit, quod pietas ipsa horrescit; audet perficere, quod DEUS novo supplicio cogitur vindicare. *S. Gregorius*: Prælatus si perversa perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittit.)) Eja! ambias nunc Prælaturam. *Tullius*: Miserrima est omnino ambitio, honorumquè contentio. *Et*: Complures se scelere contaminârunt imperii cupiditate.

S. Bernardus Epist. 126. — *Idem in decla. super Ecce nos.* — *Idem de consid. ad Eugen. l. 5.* — *Idem in quodam serm.* — *Idem Epist. 126.* — *S. Chrysost. hom. de Absol.* — *S. Greg. l. 3. past. c. 5.* — *Cic. 1. offic. & 3.*

2. Reg. 15. — 3tium. Absalon ambitione regni impulsus, quia contra proprium Patrem exercitum eduxit, crinibus in arbore suspensus, & triplici lancea à Joab transfossus occubuit. *Aliud.* Accidit Neapoli in Conventu quodam Religiosorum, ut post completorium refectionis locum ingrederetur, cui erat cura illius commissa, qui mox in ingressu videt illum fratribus circum-

In speculo exemplor.

 quaque

quaque refertum, & illi cappas habebant indutas, & tanquam hora foret collationis faciendæ, & illam expectarent, sedebant. Accurrit ille sinè mora ulla ad Priorem, & istud illi aperit. Prior fratrem delirum putat, hæc omnia narrantem, attamen dum urgetur, vadit, videt, & credit, & ille quoque turbatur; & rem mox confert cum Monasterii gravioribus Patribus, & prudentioribus, de quorum consilio sacras vestes assumit, & sacrum Christi corpus præferendo, toto Conventu comitante se illuc confert, & ad illum sermone directo, qui honoratiori loco sedebat, eos adjurat, ut aperiat, quidnam sint, & ad quid venerint, & quid velint: & ut ad hæc respondeant, illis præcepit in nomine illius Domini, quem gestabat in manibus. Ut autem Prior coram illis cum Venerabili Sacramento comparuit, omnes assurrexerunt quidem, & capita inclinârunt: capucia taliter tamen dimittentes, ut eum minimè viderent, & hoc facto iterum sederunt. Ita jussi à Priore, ut responderent ad proposita, inclinârunt. Tandem qui inter eos videbatur præcipuus, respondens dixit: Quòd ipsi omnes fuerant ejusdem Ordinis Religiosi, & pro majori parte Magistri, Priores, Suppriores, Baccalaurei, Lectores, & aliis Officiis donati, & quòd omnes damnationis sententiam acceperant, quoniam ambitio multa, superbia, invidia, & alia hujus generis vitia eos fecerant damnatione dignos. Sed quòd Divinâ permittente clementiâ jussi fuerant illuc venire, ut eos & universos Ordinis cultores commonefacerent, ut suæ vocationi facerent satìs; nam illi, quia minimè id præstiterant, omnes damnati erant, & flammis cremantur æternis, in cujus signum cuncti in eos aspicerent. Et hoc dicto omnes illi cappas aperuerunt, & singuli eorum flammis circumcincti, & incensi visi fuêre, & tunc idem præcipuus manu in mensa signum dedit, & sic illa visio evanuit, & totus Conventus mansit timore consternatus. Istius rei adhuc perseverat memoria in illo Conventu quasi per traditionem recepta ab antiquis. Nec dubium, quin maximus eo tempore ibi, & alibi fuerit ex visione illa fructus subsecutus, & multa regularis vitæ instauratio. Nec talis visio arbitranda est pro-

pter Conventum illum tantummodo ibi accidisse, sed propter universi Ordinis alumnos.

Seneca Epist. 872. 4tum. Quid Cneum Pompejum in Africam, quid in Septentrionem, quid Mitridatem & in Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? infinita scilicet cupido crescendi, cùm sibi uni parum magnus videretur. Quid C. Cæsarem in sua fata pariter ac publica immisit? Gloria & Ambitio, & nullus supra cæteros eminendi modus. Unum ante se ferre non potuit, cùm Respub. ante se duos ferret. Sic ille juxta illud Lucani: Non fert Pompejusvè parem, Cæsarvè Priorem. Aliud. Rufinus cum Arcadio Imperatore regnum administrans, quia ipsam imperialem dignitatem sibi arrogare ausus est, caput amisit; quod publico in loco hastæ infixum est, dextera verò illius abscissa per urbem circa opificum officinas circumlata est, cum hoc elogio: Date stipem inexplebilis ambitionis & avaritiæ viro.

Niceph. lib. 13. c. 1.

5tum. Exemplum Christi, Ambitionem detestantis, de quo S. Bernard: Conetur quis ascendere in montem potestatis: quantos putas contradictores habebit, quantos inveniet repulsores, obstacula quanta, quàm difficilem viam, quid si tandem cùm adipisci contigerit quod optabat? Potentes, ait scriptura, potenter tormenta patientur; ut præsentes solicitudines, anxietates, quas potestas ipsa parit, omittam. Quia ergo non erat quò ascenderet, descendit Altissimus, & suo nobis descensu svavem ac salubrem demonstravit ascensum. Descendit de monte potentiæ, infirmitate carnis circumdatus. Quid enim tenero corpore, & infantilibus membris videtur infirmius? Quid indoctius apparet parvulo, qui sola Matris ubera noverit? quis impotentior eo, cujus omnia membra clavis affixa, cujus omnia dinumerantur ossa? quis insipientior eo, qui tradebat in mortem animam suam, & quæ non rapuit, tunc exsolvebat? vides quàm multùm descenderit, quantùm à potentia sua, quantum à sapientia sua exinaniverit semetipsum.)) Deinde quâdam vice Christus post signum factum in satiandis quinque millibus hominum de quinque panibus, cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipse solus. Et Apostolus ait: Nec quisquam sibi sumit honorem: sed qui vocatur

S. Bernardus serm. 4. in fest. Ascens.

Joann. c. 6.

Hebr. c. 5.

tur à DEO tanquam Aaron; ſic & Chriſtus non ſemetipſum
clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius
meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio lo-
co dicit: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Mel-
chiſedech.

6tum. Conſidera exempla Sanctorum, qui omnes digni- *Joann. Bu-*
tates honoreſque reſpuerunt; non omnia quidem, quia ſunt in- *ſæus de Ambit.*
numera, ſed illuſtriora. *S. Ambroſius*, teſte Paulino, à populo & *Paul. in vita.*
Imperatore Epiſcopus Mediolanenſis poſtulatus, noctu ex urbe
aufugit, & cùm Ticinum iter intendiſſet, non ſinè miraculo ma-
nè deprehendit ſe eſſe in porta Mediolanenſi. *S. Hieronymus* ità *Epiph. Epiſt.*
refugit omnes honores, ut, licèt Sacerdos, tamen miniſteria *ad Joann.*
Sacerdotis, in ſuo monaſterio exercere reformidârit. *S. Chryſoſt:* *Metaph. in*
teſte Metaphraſte, veritus nè ad honores eveheretur, in ſolitu- *vita.*
dinem aufugit: ſed Flavianus Divinitùs monitus è ſpelunca ex-
tractum Sacerdotem fecit, vi deinde Antiochiâ ad Archiepiſco-
patum Conſtantinopolitanum pertractus. *S. Martinus*, auctore *Sulp. in vita.*
Sulpitio, nè Diaconatum quidem ſvadente S. Hilario ſuſcipere
voluit, ad Epiſcopatum autem coactus eſt. Cùm autem quidam
Epiſcopi vilitate perſonæ, & habitûs deterriti conſecrare eum
nollent, valdè gaviſus eſt, eoſdemque majori honore deinceps,
quàm alios proſecutus eſt. *S. Auguſtinus*, ut ipſe confitetur, co-
gnitâ morte ſui Epiſcopi fugit ab urbe, ſed cùm urgente populo
invitus ab Epiſcopo Hipponenſi ad Sacerdotium traheretur, in
ordinatione totus perfuſus fuit lacrymis. *B. Gregorius* quoque,
ut habet Joannes Diaconus, electus in Summum Pontificem non *Joann. in vita.*
modò aufugit, ſed etiam literis compellavit Mauritium Impera-
torem, nè conſentiret electioni: Indicio autem cæleſti columnæ
igneæ proditus, & Pontifex factus, primus ſe epiſtolis, *ſervum*
ſervorum appellavit. *S. Ammonius* Eremita, teſte Palladio, aurem *Pallad. hiſt.*
ſibi præcidit, nè fieret Epiſcopus. *S. Malachias*, ut ſcribit S. Ber- *Lauſiaca c. 12.*
nardus in ejus vita, non ſuſcepiſſet Epiſcopatum, niſi Epiſcopi *S. Bern. in*
congregati illi anathema comminati fuiſſent. Omnem ſiquidem *vita S. Malach.*
locum ſublimem & excelſum, velut præcipitium arbitrabatur, ait
idem *S. Thomas Aquinas*, *S. Bernardinus*, aliique complures, non ſemel
Epiſcopatus delatos repudiârunt. Et noti ſunt hoc ſeculo, qui

in

in Ordinem Patrum purpuratorum non antè referri se passi sunt, quàm in virtute obedientiæ à Summo Pontifice cogerentur. *S.*
Vitæ l. 3. *Franciscus Borgia* ideo etiam societatem abdicato Ducis titulo elegit, quod viam in ea honoribus præclusam cerneret. Generalatûs verò honorem, sicut coactus suscepit, ità non semel abdicare voluit.

In praxi propulsandi Ambitionem, servit *imò* advertere, quia delectari honoribus est peccatum, oblatis autem non gaudere magnæ est difficultatis, adeoque & virtutis. Hinc *S. Chry-*
S. Chrysost. hom. 43. *sostomus ait*: Ut sævi quidam venti in traquillum mare delati totum ab imo subruunt, ut & arena cum undis misceatur: sic Ambitio, & turpis quæstus animam subeuntes, omnia subvertunt. Excœcant mentis intuitum, præsertim gloriæ furor: nam pecunias quidem contemnere volenti satis est facile: honorem autem à multis collatum despicere, multi laboris indiget, magnæ sapientiæ, Angelicæ cujusdam animæ ipsum cælestis testudinis verticem tangentis. Non est enim, non est, inquam, vitium ita Tyrannicum, & ubique dominans. *2do.* Exitum honoris considerare: uti idem Sanctus hortatur, dum ait: Cogita cùm gloriam concupiscis, quòd eam sis assecutus, & disce finem, & nihil invenies. Cogita quantam ea res habeat jacturam, quot, & qualibus bonis privet. Labores quidem sustinebit & pericula, fructibus autem privabitur, & certaminum præmiis. *3tio.* Severitatem rationis reddendæ frequenter animo volvere: nam omnis adeundi honoris Ecclesiastici abscindetur ambitio, si se judicandos potiùs, quàm judicaturos hi, qui præesse volunt populis, cogitarent. Lege plura de statu Ecclesiasticorum suprà. Ad quem rigorem Divini Judicii & periculum maximum æternæ damnationis, illiusque atrocissimæ præparent se & sæculares Dignitarii & Honorati; utpote quibus in dignitate positis aperitur campus ad innumera quæque scelera tum privata tum publica perpetranda. Deinde rectæ administrationis strictissima reddenda DEO ratio, & si non pro suis, saltem pro alienis luendæ
Sap. 6. erunt pœnæ, ut non immeritò minetur DEUS per Sapientem:
Potentes potenter tormenta patientur.

1. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3. *Vide quoq; suprà dicta, & hic congruo modo ad profligandam Ambitionem adhibe.*

SUB-

SUBSECTIO IV.
De inani Gloria.

INanis gloria, est vitium capitale, Magnanimitati oppositum, quo aliquis gloriam quærit, vel de eo, quod non est; vel de eo, quod non est gloriâ dignum, sicut de aliqua re fragili & caduca; *vel de eo, quod judicio hominum tantùm laudatur, gloriam expetendo*, cùm judicium humanum non sit certum; *vel ipsam gloriam ad finem indebitum referendo*; puta non ad honorem DEI, vel proximi salutem. Dicitur: *vitium*, seu peccatum, idquè mortale, vel veniale. Mortale est, si charitati perfectè adversetur. Peccatum autem inanis gloriæ secundùm se consideratum, non videtur contrariari charitati, quantùm ad dilectionem proximi. Quantùm autem ad dilectionem DEI, potest contrariari charitati dupliciter. Uno modo ratione materiæ, de qua quis gloriatur; puta cùm quis gloriatur de aliquo falso, quod contrariatur Divinæ reverentiæ: secundùm illud Ezech. 28: Elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum. Et 1. ad Corinth. 4: Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? vel etiam cùm quis bonum temporale, de quo gloriatur, præfert DEO. Quod prohibetur Hierem. 9: Non glorietur sapiens in sapientia sua: nec fortis in fortitudine sua: nec dives in divitiis suis. Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nôsse me. Aut etiam cùm quis præfert testimonium hominum testimonio DEI. Sicut contra quosdam dicitur Joann. 12: Qui dilexerunt magìs gloriam hominum, quàm DEI. Alio modo ex parte ipsius gloriantis, qui intentionem suam refert ad gloriam, tanquam ad ultimum finem, ad quem scilicet ordinat etiam virtutis opera: & pro consequendo non prætermittit facere etiam ea, quæ sunt contra DEUM. Et sic est peccatum mortale. Unde Augustin. dicit in 5. de civitate DEI: quòd hoc vitium, scilicet amor humanæ laudis, tam inimicum est piæ fidei, si major in corde sit cupiditas gloriæ, quàm DEI timor vel amor, ut diceret Dominus Joann. 5: Quomodo potestis credere gloriam ab invicem

D. Thom. 2. 2. q. 132.

Ibidem a. 3.

expectantes, & gloriam, quæ à solo DEO est, non quærentes? Si autem amor humanæ gloriæ, quamvis sit inanis, non tamen repugnet charitati, neque quantùm ad id, de quo est gloria, neque quantùm ad intentionem gloriam quærentis, non est

Ibidem a. 1. peccatum mortale, sed veniale. Cæterùm quòd aliquis bonum suum cognoscat, & approbet, non est peccatum. Dicitur enim 1. ad Corinth. 2: Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex DEO est: ut sciamus, quæ à DEO donata sunt nobis. Similiter etiam non est peccatum, quòd aliquis velit bona opera sua ab aliis approbari. Dicitur enim Matth. 5: Luceat lux vestra coram hominibus. Et ideo appetitus gloriæ de se non nominat aliquid vitiosum. Sed appetitus gloriæ inanis, vel vanæ vitium importat. Nam quodlibet vanum appetere vitiosum est, secundùm illud Psalm. 4: Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Potest autem gloria dici vana tripliciter. Uno modo ex parte rei, de qua quis gloriam quærit, puta, cùm quis quærit gloriam de eo, quod non est gloriâ dignum, sicut de aliqua re fragili & caduca. Alio modo ex parte ejus, à quo quis gloriam quærit: puta hominis, cujus judicium non est certum. Tertio modo ex parte ipsius, qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem: puta ad honorem

Ibidem a. 1. ad 3. DEI, vel proximi salutem. Imò laudabiliter potest homo suam gloriam appetere, secundùm illud Matth. 5: Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Ut scilicet ab hominibus DEUS glorificetur: vel ad hoc, quòd homines proficiant ex bono, quod in alio cognoscunt: vel ex hoc, quòd ipse homo ex bonis, quæ in se cognoscit per testimonium laudis alienæ studeat in eis perseverare, & ad meliora proficere. Et secundùm hoc laudabile est, quòd curam habeat aliquis de bono nomine, & quòd provideat bona coram DEO & hominibus. Non tamen quòd in hominum laude inaniter

Ibidem a. 4. delectetur. Dicitur: *vitium capitale.* Unde qui ponunt superbiam inter vitia capitalia, non ponunt vanam gloriam. Gregorius autem in 31. Moral. c. 31. superbiam ponit omniumReginam vitiorum: & inanem gloriam, quæ immediatè ab ipsa

 oritur,

oritur, ponit vitium capitale. Ratio 1mi est, quia superbia est appetitus inordinatus excellentiæ. Ex omni autem bono, quod aliquis appetit, quandam perfectionem & excellentiam consequitur. Et ideo fines omnium vitiorum ordinantur in finem superbiæ. Ratio 2di est, quia gloria vana multùm est appetibilis, cùm sit manifestativa excellentiæ, quam homines maximè desiderant. Et ideo ex inordinato appetitu gloriæ multa vitia oriuntur, tanquam de se nata ordinari ad inanis gloriæ finem, quæ est manifestatio propriæ excellentiæ. Ad quod potest homo tendere dupliciter. Uno modo directè, sive per verba, & sic est jactantia; sive per facta, & sic, si sint verba habentia aliquam admirationem, est Præsumptio novitatum, quas homines solent magis admirari. Si autem falsa sint, sic est Hypocrisis. Alio autem modo nititur aliquis manifestare suam excellentiam, indirectè ostendendo, se non esse alio minorem. Et hoc quadrupliciter. Primò quidem, quantùm ad intellectum: & sic est Pertinacia, per quam homo nimis innititur suæ sententiæ, nolens credere sententiæ meliori. Secundò, quantùm ad voluntatem: & sic est Discordia, dum non vult à propria voluntate discedere, ut aliis concordet. Tertiò, quantùm ad locutionem: & sic est Contentio, cùm aliquis verbis clamosè contra alium litigat. Quartò, quantùm ad factum: & sic est Inobedientia, dum scilicet aliquis non vult exequi superioris præceptum. Dicitur: *Magnanimitati oppositum*: Quia sicut Magnanimitas est non tantùm circa honorem, sed per consequens est & circa gloriam, tanquam honoris effectum, moderatequè utitur honore & gloriâ; ita inordinatè appetere gloriam, opponitur Magnanimitati. Dicitur; *quo aliquis gloriam quærit* &c. ubi intelligitur non tantùm gloria strictè sumpta, per quam habetur apud plures clara cum laude notitia, sed etiam largiùs accepta pro clara notitia apud pauciores, vel unum, imò apud seipsum solum, dum scilicet aliquis proprium bonum considerat ut dignum laude. Porro *Gloria* universaliter accepta, est clara cum laude notitia: quæ si interiùs subsistat, *Fama* vocatur; si verbis proditur, *Laus* appellatur; si aliis signis exterioribus manifestatur, *Honor* dicitur,

Ibidem a. 2.

P. *Lohner Bibl. man. vana glor. citan. S. Ambr. in Epist. Rom.*

Isa. 40. *Motiva execrandi vanam Gloriam.* 1mùm. *Isa*: Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos fœni. *Christus* mo-
Matth. c. 6. net: Attendite, nè justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Et *Apostolus*: Non efficiamini inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.
S. Chrysost. hom. 4. 2dum. *S. Chrysost*: Si gloriari cupis, gloriam despice, & omnibus eris gloriosior. *Cassianus*: Magna est ejus gloria, quæ
Cassianus in Epist. nullis laudibus crescit, & nullius vituperatione minuitur. *S. Augustinus*: Qui bene didicit vel expertus est vitiorum superando-
S. Aug. in Ps. 7. rum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ, vel solùm vel maximè cavendum esse perfectis, quo primo enim vitio lapsu est ani-
S. Hieron. ad Nepotia. ma hoc ultimum vincit. *S. Hieronymus*: Nè nimis religiosus velis videri, nè plus humilis, quàm necesse est, gloriam fugiendo
S. Greg. lib. 20. Moral. non quæras. *S. Gregorius*: Sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa quam superat, elevatur. *S. Chrysostomus*: Qui omni-
S. Chrysost. in Joann. um pecuniarum contemptum habent, & nulli imaginationi totius mundi se immiscuerint, & tyrannicas corporum concupiscentias sustinuerint: hi multoties capti à vana gloria omnia
Idem super Matth. perdiderunt. *Idem*: Dicebant apud se, si benè fecerimus cum pauperibus quis nos videt? & si viderint, non multi vident, & si multi vident, pro tempore vident, transit tempus, & cum tempore beneficii memoria. Melius est ergò ædificia facere, quæ aspiciant homines non in hoc tempore solùm, sed etiam in posterum. O insipiens! quid tibi prodest ista memoria, si ubi
S. Basil. in Const. Monast. c. 11. es torqueris, & ubi non es laudaris? *S. Basilius*: Vanam gloriam vocat latronem bonorum operum: Fugiamus, inquit, inanem gloriam, dulcem spiritualium operum spoliatricem, jucundùm animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum deprædatricem, eandemquè mellis illitu fraudis sui veneni cololatricem, & mortiferum hominum mentibus poculum porrectricem. Quod opinor ea de causa facit, ut vitio se illi avidius ingurgitent, nec ulla illius explean-
S. Bern. serm. in Nativ. S. Joann. Bapt. tur facietate. Dulce quid, humana imperitis est gloria. *S. Bernardus*: Stultus ùt luna mutatur, quia splendet luna sinè fervore, modò plena, modò exigua, modò nulla videtur. Mutatum siquidem

quidem lumen nunquam in eodem ſtatu permanet, ſed creſcit & deficit. Extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet. Sic, ſic, qui conſcientias ſuas in alienis labiis poſuerunt, modò magni, modò parvi ſunt, modò nulli, ſecundùm quod adulantium lingvis vel vituperare placuerit, vel laudare. *Idem*: Nox præceſsit, ut filius lucis in die honeſtè ambulans, time ſagittam, leniter volat, leviter penetrat; ſed dico tibi, non leve infligit vulnus, citò interficit. Nimirum ſagitta hæc vana gloria: non eſt unde hæc impugnet puſillanimes & remiſſos, qui ferventiores eſſe videntur, ipſi paveant, ipſi ſibi caveant in hac parte; nihilominus adhuc ſoliciti non deſerere ſcutum inexpugnabile veritatis. Quid enim aliud tam contrarium veritati? Nec ſanè huic opponenda ſagittæ ſecreta illa, & quodammodo intima veritatis exigimus: ſemetipſam noverit anima, de ſe teneat veritatem. Difficile prorſus (nî fallor) homo verbis laudantium hominum in vita ſua abduci poterit altum ſapere, ſi ſe intus ad lucem veritatis ſolicitâ conſideratione diſcutiat. Nonnè enim, ſi propriam cogitat conditionem, dicturus eſt ſibi; quid ſuperbis terra & cinis? Nonnè ſi propriam conſideret corruptionem, fateatur neceſſe eſt, quoniam non eſt in eo bonum? Sed etſi fortè aliquid habere videtur, non inveniet puto quid reſpondeat Apoſtolo dicenti: Quid habes quod non accepiſti? *Et alibi:* Qui ſtat, videat nè cadat. Poſtremo ſi fideliter computet facilè illi erit advertere, quòd nec cum decem millibus poſſit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe: & omnes juſtitias ſuas tanquam pannum menſtruatæ reputari. *Idem*: Fratres ſi hæc ſcitis, nemo veſtrûm velit laudari in vita iſta, quia quidquid hic favoris captas, quod ad DEUM non retuleris ipſi furaris. Tibi enim unde gloria putride pulvis, tibi unde? de vitæ ſanctitate? ſed Spiritus eſt qui ſanctificat, Spiritus dico non tuus, ſed DEI: & ſi prodigiis aut ſignis effulgeas, in manu tua fiunt, ſed virtute DEI. An blanditur popularis favor, quòd verbum bonum & benè fortè depromſeris? Sed Chriſtus donavit os & ſapientiam. Nam lingva tua, quid niſi calamus ſcribæ? & hoc ipſum mutuò accepiſti. Talentum creditum eſt, repetendum cum uſura. Si inventus fueris ad opus impiger, ad fructum referendum

S. Bern. ſerm. 6. ſuper Pſalm: Qui habitat.

Idem ſerm. 13. de gloria & laude.

dum fidelis, pro labore tuo mercedem accipies. Si quo minus, tolletur à te talentum, & nihilominus exigetur lucrum, & vocaberis servus nequam & piger. Omnis igitur de bonis multiformis gratiæ apparentis in vobis referatur ad ipsum laus, laudabilium siquidem universorum Authorem, & Largitorem. Idquè non fictè, quemadmodum ab hypocritis, nec solâ consuetudine, sicut à secularibus, sed nec quadam necessitate, ut jumenta ferendis oneribus applicantur, sed sicut decet sanctos, sinceritate fidâ, devotione solicitâ, hilaritate gratâ, sed non dissolutâ. *D. Thomas* docet: quòd gloria inanis etiam venialis aufert operi meritum. Quia nullus peccando meretur vitam æternam. Unde opus virtuosum amittit vim merendi vitam æternam, si propter inanem gloriam fiat: etiamsi illa inanis gloria non sit peccatum mortale. Sed quando aliquis simpliciter amittit æternam mercedem propter inanem gloriam, & non solùm quantùm ad unum actum: tunc inanis gloria est peccatum mortale. *Idem*: Gloria inanis dicitur, esse periculosum peccatum: non tantùm propter gravitatem sui, sed etiam propter hoc, quòd est dispositio ad gravia peccata, inquantùm scilicet per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus, & nimis de se ipso confidens. Et sic etiam paulatim disponit ad hoc, quòd homo privetur interioribus bonis. *S. Bonaventura*: Si omnia prædicta vitia (capitalia) viceris quod sinè maximis laboribus & multis doloribus non fit, si tamen fit, tunc ampliùs à vana gloria cavere debes. Hæc enim occultè virtutibus se ingerit, ità ut vix à spiritualibus semper valeat comprehendi. Hæc est multiformiter vana, semper & in omnibus vanitatem ingerens, in vestitu, in apparatu, in loquela, in taciturnitate. Si veste pretiosâ indutus fueris, adest: si humilis fueris, ampliùs gloriatur: si loqueris, gaudet unde dixeris, si taces, laudat te velut humilem. Ipsa semper suggerit, & magnum desiderium ingerit ad illa, in quibus laus, & honor consistit, etiam per magna pericula & labores, & majorem fortitudinem dat suis amatoribus, quàm spes beatitudinis veris præliatoribus. Hæc eadem bestia suggerit gradus Clericatûs, Prebyterii, & Diaconatûs, si quis tamen eum vellet cogere, nam per se non vult, nè ipse appetere videatur. Vide super

D. Thom. 2. 2. q. 132. a. 3. ad 1.

Idem ibid. ad 3.

S. Bonav. de pugna spirit. c. 8.

per hoc, exemplum libro de institutis cœnobiorum Cassiani. Non possunt varietates hujus bestiæ explicari, sed ubicunque eam projeceris, semper stat aculeo recto sicut tribulus. Ipsa est sicut allium, quoties unum tegmen removeris, aliud adhuc intus habet. Ubi autem ipsa intraverit, matrem dolosam sequuntur filiæ perversæ, quæ sunt, inobedientia, contentio, jactantia, hypocrisis, pertinacia, discordia, novorum præsumptio, seu inventio. *Cassianus de instit. coenob. lib.* II. *cap.* 14. & 15.

3tium. Ezechias Rex, quia suos thesauros omnes Assyriis ostentavit, graviter à Propheta increpatus, & graviùs in filio punitus est, à quo Assyrii omnes illas divitias abstulerunt. *Aliud.* B. Claræ de monte Falco propter exiguam tentationem vanæ gloriæ subtractus fuit à DEO annis quindecim Divinæ dulcedinis, & spiritualis illuminationis influxus; nec prius potuit eum recuperare, quamvis multis lachrymis, jejuniis, ciliciis, flagellis, & orationibus pro eo instaret. 4. *Reg.* 20. *Salut. in spec. p.* I. *c.* 12.

4tum Imitare *Christum* de quo *Doctor mellifluus*: Jam verò etiam nocte voluit nasci. Ubi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Christus elegit quod salubrius judicat, vos elegistis, quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? cujus judicium justius? cujus sententia sanior? denique tacet Christus, non se extollit, non magnificat, non prædicat, & ecce annunciat eum Angelus, laudat multitudo cælestis exercitus. Et tu ergò, qui Christum sequeris inventum absconde thesaurum. Ama nesciri, laudet te os alienum. *Idem. Et vox Patris audita est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Verè enim hic est, in quo non est quod Patri displiceat, quod Patris oculos offendat. Unde & Ipse ait: *quæ placita sunt ei facio semper. Ipsum*, inquit, *audite.* Ecce Domine JESU vel jam nunc loquere. Quousque siles? quousque dissimulas? diu tacuisti, & valdè diu: sed jam nunc loquendi licentiam habes à Patre, quamdiu virtus & DEI sapientia, quasi infirmus aliquis & insipiens lates in populo? Quamdiu nobilis Rex, & Rex cæli fabri Filium Te pateris appellari, pariter & putari? Etenim Lucas Evangelista testatur: *Quoniam adhuc Filius Joseph putabatur.* O humilitas virtus Christi, quantum confundis superbiam nostræ vanitatis! parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, & jam silere *S. Bernardus serm.* 3. *de nativ. Domini circumstant.* *S. Bern. serm.* I *in Epiph. Domini Matth.* 3. *Joann* 8. *Luc.* 3.

non

non possum, impudenter & imprudentes ingerens & ostentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cùm tanto tempore silebat, cùm seipsum abscondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? quid timeret ab inani gloria, qui est vera gloria Patris? Utique timebat, sed non sibi. Nobis timebat ab illa, quibus noverat esse timendum: nobis cavebat, nos instruebat. Tacebat ore, sed instruebat opere: & quod postea verbo docuit, jam clamabat exem-

Matth. 11. plo: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Nam de infantia Domini parum aliquid audio: ex tunc usque jam ad hunc tricesimum annum nihil invenio. Nunc verò latere jam non potest, qui tam manifestè demonstratur à Patre.)) Christus de se

Joan. 8. ipso dixit: *Ego non quæro gloriam meam, sed ejus, qui misit me.* Et

Matth. 8. aliàs frequenter, cùm alios vel à lepra, vel alio morbo curavit

S. Chrysost. hom. 26. *in Matth.* iisdem dixit: *Vide, nemini dixeris.* Super quæ verba *S. Chrysostomus* ait: Ideo nulli dicere jubet, docens non diligere ostentationem & honorem: nam quod alio loco sanatum à se Christus jubet beneficium publicare, non divulgari se ipsum jussit, sed

Luc. 8. dari gloriam DEO. Narra, inquit, quanta tibi fecit DEUS. Per hunc ergò leprosum instruit nos, non esse vanè gloriosos; per istum autem non esse ingratos sed omnia ad DEI laudem referre.

5tum. *Exempla Beatissimæ Virginis, & Sanctorum.* Cùm DEIparam S. Elisabeth laudare & inter mulieres benedictam dicere

Luc. 1. cœpisset, mox ad DEUM refundens eas laudes dixit: *Magnificat anima mea Dominum.* S. Paulus coactus se ipsum commendare propter confundendos Pseudo-Apostolos, ô cum quanta cautela id faciat! quomodo idipsum etiam suæ insipientiæ deputat! quomodo revelationes suas non nisi in alterius persona patefaciat! quàm denique molestiam laudis propriæ quantocyùs expediens ad suas infirmitates & defectus enunciandos, quasi ad re-

2. *Cor.* 12. frigerium properet, ut tandem dicat: *Libenter igitur gloriabor in*

Gal. 6. *infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Denique alio loco dicit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU CHRISTI; per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Surius in vita *Alind. S. Bernardus* cùm ob varia plurimaquè miracula multum ab

c. 6. aliis

aliis laudari & æſtimari ſe adverteret, in hæc verba prorupit: Ex ſcripturis deduci, ſigna fieri vel per perfectos, vel per fictos. Ego nec perfectionis mihi ſum conſcius, nec fictionis. Nihil ergò mihi, & ſignis iſtis; quandoquidem meæ illæ famæ magis, quàm vitæ noverim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem, ſed ad commemorationem potiùs, ad fructum autem aliorum, & ad fovendam de iis bonam opinionem. Sed & aliàs ſi à vana gloria ſe tentatum advertebat, dicere ſolitus eſt: Propter te non cœpi, propter te non deſinam.

In Praxi. Contra vanam gloriam præſtantisſimum remedium eſt. *Imò.* In veritate cognoſcere, & judicare ſe ipſum, nihil boni à ſe habere, ſed à ſolo DEO; omnia verò mala à ſeipſo: hinc ad exorientem gloriolam, & complacentiam propriam, mox ſeipſum interiùs verbis contemptibilibus increpare, ac demum dicere: *Precor Domine, tibi ſit honor & gloria, mihi confuſio & ignominia.* *2dò.* Conſiderare exitum & vanitatem omnium rerum humanarum: Sic *S. Baſilius* ſuaſit dicens: Attende tibi ipſi. Mortalis enim; quippe terra es, & in terram abibis. Vbi jam dic, qui civitatum amplisſimos Magiſtratus capeſſebant? Ubi Rhetores invicti? ubi exercituum Duces? ubi Tyranni? Nonnè omnia pulvis? Nonnè ſunt in fabulam verſa omnia? memoria vitæ eorum, en quàm paucis osſibus retinetur? *3tiò.* Conſiderare vanitatem, falſitatem, & inſtabilitatem laudis humanæ. Qui enim hodie tecum ſunt, cras contrariari poſſunt, & è converſo, ſæpe ut aura vertuntur, quemadmodum rectè Thomas Kempen: dixit: Et præterea ut idem in ſequenti quopiam capite dixit: Non es ſanctior ſi laudaris: Nec vilior ſi vituperaris. Quod es, hoc es: nec major dici vales, quàm DEO teſte. *4tò.* Audi *S. Bonaventuram*: Vanam gloriam ſi vincere deſideras, cave ſummo ſtudio, nè quicquam intentione gloriæ incipias facere, cogitans *illud Salvatoris*: Receperunt mercedem. *Et illud:* Quoniam DEus diſſipavit oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam DEus ſprevit eos: *Item illud:* Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Secundò deberes niti, illud, quod bonâ intentione incœpiſti, ſimili cuſtodiâ ab inquinatione gloriæ cuſtodire. Item quicquid ſingulare eſt, & unde

S. Baſilius hom. 3 in verba Moys.

Plu. lib. 2. 6 1. §. 3.

Matth. 6. 11
Pſal. 65.
Gal. 1.

de laus & gloria posset conquiri, semper vitandum est bellanti contra hanc bestiam. Nam principium privationis vanæ gloriæ, secundùm Climachum est custodia oris, & amor humilis societatis victoria consummata coram multitudine miserabiliter adinveniri. *Chrysostomus*: Vnicum vanæ gloriæ remedium orate DEum, ut Ipse te liberet. *Hactenus Doctor Seraphicus.*

Joan. Climach. gradu 21 de cenod. prope fin.

Vide quoque suprà notata, & hic ad praxim conuenienter applica.

l. 2 tra: 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

SUBSECTIO V.

De Pusillanimitate.

D. Th. 2. 2. q. 133.

P*Usillanimitas, est peccatum magnanimitati oppositum, quo quis ea non attentat, quæ sunt naturali virtuti suæ commensurata.* Dicitur; *est peccatum.* Quia contrariari naturali inclinationi, est contrariari Legi naturæ, quod est peccatum: contrariatur autem naturali inclinationi, qui non exequitur actionem suæ potentiæ commensuratam. Igitur non exequi actionem suæ potentiæ commensuratam, est peccatum. Et inde est quòd servus, qui acceptam pecuniam Domini sui fodit in terram, nec est operatus ex ea propter quendam pusillanimitatis timorem, punitur à Domino, ut habetur Matth, 25. & Luc. 19. Ejusmodi autem potentia ad bonum intelligitur habilitas ad virtutem, quæ inest alicui vel ex bona dispositione naturæ, vel ex scientia, & ex exteriori fortuna, quibus dum recusat uti ad virtutem, pusillanimus redditur. Dicitur; *Magnanimitati oppositum:* quia sicut magnanimitas ex animi magnitudine tendit ad magna, ità pusillanimus ex animi parvitate se retrahit à magnis. Et hæc definitio est pusillanimitatis ut naturali virtuti magnanimitatis est opposita prout verò opponitur, ut supernaturali magnanimitati, sic pusillanimitas *est vitium non attentans ea, quæ sunt supernaturali virtuti, & gratiæ DEI proportionata.* Vbi præter habitus virtutum infusos, quos quisque esse in se saltèm per conjecturam supponere debet, eosquè procurare, intelligitur multiplex gratia DEI actualis homini inspirans heroicos actus virtutum, parata simul cooperari & consummare, modò homo per abjectionem & parvitatem animi ex parte sua non desit.

Mi-

Motiva profligandæ Pusillanimitatis. *1mum.* *Eccl:* Noli esse Pusillanimis, in animo tuo. Esai: Dicite; Pusillanimes confortamini, & nolite timere. *1. Thess.* Consolamini pusillanimes. *Proverb.* Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam Et Spiritum pusillanimem quis poterit sustinere? *Num:* Pusillanimitas sua occasio Israëlitis fuit, nè ingrederentur terram promissionis, audientes enim terram quidem esse optimam, verùm habitatores ejus esse validos, ac urbes munitas, consternati animo utpote sub jugo Ægyptiorum mancipialiter educato, cœperunt murmurare contra Dominum: propter quod à terra illa manante lacte & melle extorres, cadavera eorum ceciderunt in deserto.

Eccl. 7. *Esa. 35.* *1. Thess. 2.* *Prov. 18.* *Num. C. 13. & 14.*

2dum. *S. Chrysostomus:* Quemadmodum sana corpora, si modò pane victitent, pingvia, vegeta tamen sunt; morbida verò etiam sumptuosâ, variâque mensâ imbecilliora redduntur: sic evenire in animis hominum solet, pusillanimes, nè, si diademate quidem, & immensis honoribus potiantur, redire ad se possunt: Philosophi verò etiam in vinculis, in catena, voluptate merâ fruuntur. *S. Petr. Chrys.* Remissio quæ os Prælati obstruit, quæ mentem ejus dejicit, quæ adulatorem & venditorem olei facit, dum sibi quietem & honorificentiam venatur in favore Principum: hæc miseros præcipitat in foveam scandalorum, hæc est remissio, per quam unus ædificat parietem, & alius linit: per quam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur; imò per hanc canes muti non valentes latrare per consensûs uniformitatem, faciem & similitudinem peccatorum assumunt, sicut scriptum est: Vsquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? *S. Bernardus.* Eorum verò, qui consideratione propriæ infirmitatis desperatione dejiciuntur, habitatio est anxia, & eos in tormentis diximus habitare. Quamdiu enim & pœnas sustinent, in quibus nocte & die conterantur, & eis quoque, quas nondum sentiunt, ampliùs cruciantur, ut non sufficiat diei malitia sua, sed opprimuntur his quoque, quæ fortasse nunquam experientur. Quæ tormenta, quis infernus intolerabilior potest excogitari? præsertim, quia & tanto labore premuntur, & cælestis panis non sustentantur edulio. Hi sunt, qui in adjutorio Altissimi

S. Chrys. hom. 38. in Epist. 1. ad Cor. *P. Chrys. in quadam Epist.* *S. Bern. Serm. 1. super Psalm. Qui habitat.*

non habitant, quia desperant. *Idem*: Ad rugitum Leonis nullam bestiam stare posse perhibent, nè eam quidem quæ adversus ictum ejus totâ animositate repugnat: & plerumque superat ferientem, quæ non sustinet rugientem. Verè bestia, verè rationis expers, qui tam pusillanimis est, ut soli timori cedat, qui solâ futuri exaggeratione laboris victus ante conflictum non telo sed tubâ prosternitur Nondum restitîstis usque ad sangvinem ait strenuus ille Dux, qui Leonis hujus noverat vanum esse rugitum. Et alius quidam: Resistite, inquit, diabolo, & fugiet à vobis. *Idem*: Quæ pusillanimis est, & modicæ fidei mens, rei suæ familiaris tenuitate constringitur, nec valet præ inopia otiari ad vacandum Divinis laudibus, seu his quæ laudes pariunt intuendis beneficiis. Et si quando certè conatur assurgere, confestim domesticarum necessitatum curis urgentibus evocatur ad sua, & comprimi propriâ egestate compellitur. *Idem*: Non immeritò his, quos in anxietate positos videmus, amicis nostris compatimur, quibus utique, dum exitum ignoramus, defectum metuimus. Quoniam quidem sicut sanctis & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confunditur; Sic damnandis & reprobis tribulatio parit è contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, & illa interimit.

Idem Serm. 13. *sup. Psalm. Qui habitat.*

Idem Serm. 10. *in Cant:*

Idem Epist. 31.

In Praxi Pusillanimitati, occurre. *Imò.* Humilitate. Hinc B. *Isaac* dicit: Una est omnium eorum, quæ ex pusillanimitate sequuntur, medicina, per quam quis statim in anima invenit consolationes, nempe humilitas cordis &c. Nam secundùm mensuram humilitatis tuæ datur tibi, & patientia in adversitatibus tuis, & secundùm patientiam tuam alleviatur gravitas tribulationis tuæ, & consolationem obtinebis)) 2*dò.* Elevare spe & firmâ fiduciâ in DEum: Unde DEus per *Psalmistam*: Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. Et *Apostolus* inquit: Omnia possum in eo, qui me confortat. Lege plura

Isaac Presb. c. 42.

Psal. 90. 14.

Philip. 4.

de spe, & desperatione ut suprà. Ac tandem per magnanimitatem aggredere, sustine, perfice. Porrò pro aliena pusillanimitate erigenda praxim porrigit *S. Gregorius* dicens: Pusillanimes aptiùs ad iter bene agendi reducimus si quædam bona illorum ex latere requiramus, ut dum in eis alia reprehendendo corripimus, alia amplectendo laudamus, quatenus eorum teneritudinem laus audita nutriat, quam culpa increpata castigat. Plerumque autem utilius apud illos proficimus, si & illorum bene gesta memoramus. Et si qua ab eis inordinatè gesta sunt, non jam tanquam perpetrata corripimus, sed quasi adhuc nè perpetrari debeant prohibemus: ut & illa quæ approbamus, illatus favor augeat, & contra ea, quæ reprehendimus magis apud pusillanimes exhortatio verecunda convalescat. Unde Paulus cùm Thessalonicenses in accepta prædicatione perdurantes, quasi de vicino mundi termino quâdam cognosceret pusillanimitate turbatos, priùs in eis, quæ fortia prospicit, laudat; & cautè monendo postmodùm, quæ infirma sunt, roborat. Ait enim: Gratias agere debemus DEO semper pro vobis, fratres; ità ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas uniuscujusque vestrûm invicem.

S. Greg. P.3. post. ad mon.8.

1. Theff. 1.

3tiò Adhibe hìc proportionatè supradata.

1. 2. tra.1.c. 11. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

SUBSECTIO VI

De Magnificentia.

MAgnificentia ex suo etymo à magnumfaciendo sumitur, idque dupliciter. 1mò. Ut est *generalis virtus*, quâ aliquis facit magnum, secundùm quod facere comuniter sumitur, nempe pro quacunque actione, sive transeat in exteriorem materiam, sive maneat in ipso agente, sicut intelligere & velle. 2dò. Ut *specialis virtus est, quâ circa externam tantùm materiam, aliquid magnum & præclarum efficitur.* Dicitur: *specialis virtus.* 1mò respectu amoris pecuniæ, quem moderatur magnificus, nè sum-

V D.Thom.2.2. q. 134.

Ibidem a. 1. 2. 3.

 ptus

ptus magni impediantur. 2dò Respectu artis, quatenus per eam aliquid magnum fit. Nam opus factibile producitur ab arte, in cujus usu potest attendi una specialis ratio bonitatis, quod *ipsum* opus factum per artem sit magnum, scilicet in quantitate, pretiositate, vel dignitate. 3tiò Respectu sumptuum magnorum profundendorum, potissimùm ad faciendum magnum opus in cultum DEI. Unde Philos. dicit in 4. Eth. quòd honorabiles sumptus sunt maximè, qui pertinent ad divina Sacrificia. Et ideo magnificentia conjungitur Sanctitati, quia præcipuè ejus effectus ad religionem, sive ad Sanctitatem ordinatur. Deinde magnificus profundit opes ad faciendum aliquid, unde proveniat honor toti civitati, sicut cùm facit aliquid, ad quod tota civitas studet. Deniquè si quid in his, quæ ad propriam personam aliquis facit, quod magnitudinem habeat, hoc etiam magnificè magnificus prosequitur, sicut ea, quæ semel fiunt, ut nuptiæ, vel aliquid aliud hujusmodi, vel etiam ea, quæ permanentia sunt.

Distingvitur autem magnanimitas à magnificentia, quòd illa intendat opus magnum in omni materia, hæc verò in aliquo opere factibili.

Motiva Magnificentiæ. S. Rex David pro construendo Templo Domini præparavit magnificas impensas & sumptus, ùt ipsemet profatus est: *Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas Domus Domini, auri talenta centum millia & argenti mille millia talentorum: Æris & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine: Ligna & lapides præparavi ad universa impendia.* (1. Paral. 22.) Porrò, Rex Salomon eandem domum Domini feliciter consummavit, de qua dixerat: *Domus, quam ædificare cupio, magna est: magnus est enim DEUS noster super omnes DEOS.* (2. Paral. 2.) Et paulò pòst: *Domus quam cupio ædificare, magna est nimis & inclyta.* Quod magnificum opus in cultum DEI, vel ex solorum latomorum, aliorumquè ædificantium multitudine conjecturare licet. Etenim Salomon *numeravit septuaginta millia virorum portantium humeris, & octoginta millia, qui cæderent lapides in montibus, præpositosquè eorum tria millia sexcentos.* (Ibidem.) Ædificabat autem templum Domini septem annis. Davidem & Salomonem secuti sunt Constantinus Magnus Imperator, aliiquè pii

reges

Reges & Principes, quorum magnifica opera in templis, ædificiis, & structuris pro cultoribus DEI, tum amplissimas fundationes, ex quarum pluribus sigillatim sumptis, centeni, imò & milleni possent commodè sustentari servi DEI, stupet præsens seculum. Quodsi illam sanctam antiquitatem præsens seculi perversitas nequeat, vel nolit imitari, conservet adminus sarta tecta, & non rapiant filii in profanos usus, quod Patres eorum DEO consecrârunt. Unde & sua imperia, DEO juvante, dilatârunt. At nunc, quia adimitur Ecclesiis, minuuntur Regna totis provinciis, justo Vindice DEO.

In Praxi comparandi Magnificentiam serviunt proportionatè suprà dicta hìc applicata. *l. 2. tra. 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.*

SUBSECTIO VII.

De Parvificentia, & Banausia.

P*Arvificentia vitium est, quo homines ab ea proportione deficiunt, quæ debet esse secundùm rationem inter sumptus & opus.* Quia sicut magnificus principaliter intendit magnitudinem operis; secundariò intendit magnitudinem sumptûs, quam non vitat, ut faciat magnum opus. Ità Parvificus è converso principaliter quidem intendit parvitatem sumptûs, ex consequenti autem intendit parvitatem operis, quam scilicet non recusat, dummodo parvum sumptum faciat: sic ergò Parvificus deficit à proportione, quæ debet esse secundùm rationem inter sumptus & opus. Defectus autem à ratione vitium est. *D.Thom. 2.2. q. 135. a. 1.* *Ibid. a. 1. ad 3.*

Proprietas Parvificentiæ est. Quod sicut magnificus cum liberali convenit in hoc, quod promptè & delectabiliter pecunias emittit; ità etiam parvificus convenit cum illiberali, sive avaro in hoc, quod cum tristitia & tarditate expensas facit. *v. Ibidem a. 2. ad 2.*

Vitium, græcè *Banausia* dicitur à furno, in quo ignis omnia consumit Latinè verò *consumptio*, seu nimia profusio, opponitur Parvificentiæ in eo, quod excedit in sumptu operis dignitatem, expendens multa, ubi pauca oporteret expendere. Opponitur autem magnificentiæ ex parte operis magni: quod præcipuè intendit magnificus: in quantum scilicet ubi oportet multa expendere, nihil aut parum expendit.

SUBSECTIO VIII.

De Patientia.

PUNCTUM I.

D. Th. 2. 2. q. 136.

Patientia est virtus, quâ bonum rationis conservatur contra tristitiam, nè ratio ipsa ei succumbat. Quia virtutes morales ordinantur ad bonum, inquantum conservant bonum rationis contra impetus passionum. Inter alias autem passiones, tristitia efficax est, ad impediendum bonum rationis, secundùm illud secundæ ad Cor. 7. Seculi tristitia mortem operatur. Et Eccl. 30. Multos occidit tristitia, & non est utilitas in illa.

Unde necesse est habere aliquam virtutem, per quam bonum rationis conservetur contra tristitiam, nè scilicet ratio tristitiæ succumbat. Hoc autem facit Patientia. Unde Augustinus dicit in lib. de patientia: Quòd patientia hominis est, qua mala æquo animo toleramus (id est sinè perturbatione tristitiæ) nè animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus. Unde manifestum est, Patientiam esse virtutem. *Tullius* lib. 2. de invent. definit patientiam dicens: *quòd patientia est honestatis ac utilitatis causa voluntaria, ac diuturna perpessio rerum arduarum ac difficilium.* Quòd dicit *arduarum*, pertinet ad constantiam in bono. Quòd dicit *difficilium*, pertinet ad gravitatem mali, quam propriè respicit patientia. Quòd verò addit *diuturna*, sive diutina, pertinet ad Longanimitatem secundùm quod convenit cum patientia.

Tullius lib. 2. de invent.

Tertull: lib. de patient. c. 15.

Tertullianus describens patientiæ effigiem in hunc modum disserit; Jam effigiem, habitumquè patientiæ comprehendamus. Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura nullâ mœroris, aut iræ rugositate contracta: remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate dejectis, os taciturnitatis honore signatum, color qualis securis & innoxiis, motus frequens capitis in diabolum & minax risus.

Gradus Patientiæ ex S. Bernardo Serm. 1. in Festo S. Andreæ.

Triplicem hic licet considerare gradum, incipientium, proficentium, perfectorum. Initium sapientiæ timor Domini, medium

medium spes, charitas plenitudo. Denique Apostolum audi, quia *plenitudo legis est charitas.* Qui initiatur à timore, crucem Christi sustinet patienter: qui proficit in spe, portat libenter: qui verò consummatur in charitate, amplectitur jam ardenter: solus etenim iste est, qui dicere possit, quia amator tuus semper fui & desideravi amplecti te. Longè est vox ista ab eo, qui sustinet quidem, sed optaret omnino si posset, non venisse in hanc horam. Denique (si non videor temerarius) longè est ab ea voce: *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste.* Quid enim? *Matth. 26.* Certè super asellum ascenderat, ut nè hic quidem hostibus relinqueretur. Agnosco planè in Duce belli pusillanimorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis, considero charitatem, stupeo miserationem, expavesco dignationem. Misericors Dominus non beati Andreæ robustum sibi suscepit affectum, quia non est sanis opus medicus, sed malè habentibus. Si quem fortè dignatio scandalizat, planè meretur audire: *Nonne oculus tuus nequam est, quia ego bonus?* *Matth. 20.* Huic enim odor vitæ in mortem est. *Et paulò infrà.* Denique agnosco & in hoc ipso Paraclytum maximum, agnosco Paraclytum benignissimum, qui propè sit his, qui tribulato sunt corde. Non despero jam Domine, etiamsi molesta mihi videatur tribulatio, quam patior, etiamsi pusillanimis sum, etiamsi desidero, ut transferatur calix à me. Non despero, inquam, dummodo audiam ipse: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut Tu. Ità planè dummodo non murmurem, id enim penitus separaret à te, si non citiùs resipiscerem, non renuo, etiamsi opus habeo consolari. Quid enim? agnosco vocem meam in Salvatore, & de salute desperem? Planè in patientia mea possidebo animam meam. Et paulò pòst. *Non sunt* *Rom. 8.* *condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Hoc si jam sentire cœpisti, haud dubium, quin libenter feras crucem Domini & dicas: *Paratus sum, & non* *Psal. 118.* *sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Attamen si vis perfectus esse, unum adhuc tibi est necessarium. Quid illud inquis? Profectò gaudium in Spiritu Sancto. Siquidem & is qui timore cöercetur & patiens est, qui ratione spei ducitur, & be-

nevolus est: nisi etiam fuerit fervens Spiritu, facilè labi potest. Porrò quæ per Spiritum diffunditur Charitas & patiens & benigna est, & quod est amplius nunquam excidit. *Et infrà*, Fortis quippe est ut mors, non patientia aut spes, sed dilectio. Non timor aut ratio, sed Spiritus fortitudinis est. Dicit patientia, sic oportet fieri; quia timore urgetur. Dicit voluntas, est bonum sic expedit, & sic agendum est: quia spei attrahitur ratione. Charitas verò quæ inflammatur à Spiritu, neque sic oportet dicit, neque sic expedit: sed sic volo (inquit) sic cupio, sic desidero vehementer. Videtis quanta sublimitas, videtis quanta securitas, quantaque suavitas Charitatis? Felix anima quæ ad hunc Charitatis pervenerit statum. *Hæc mellifluus Doctor.*

S. Chrysost. tom. 4. in 1 ad Thess. cap. 3. hom. 3.

Hos gradus patientiæ maximè secundum & tertium debet sequi in tribulationibus gratiarum actio; de qua S. Chrysostomus ità disserit: Nè igitur in tentationibus indignemur, neque angustiemur, neque tumultuemur. Job gravius vulnus diabolo intulit, cùm spoliatus gratias egit, quàm cùm pauperibus sua distribuit. Omnibus enim privatum generosè & cum gratiarum actione id ferre multò majus est, quàm in divitiis egeno facere Eleemosynam, sicut in hoc contigit justo. At ignis ingruens sæpius substantiam tuam absumpsit, & totam domum populatus est? reminiscere eorum quæ Job acciderunt, age gratias Domino, qui prohibere potest, & non prohibuit, & tantam recipies mercedem, quantam si omnia illa in pauperum manum reposuisses. *Hoc ipsum iteratò affirmans:* Parem, *inquit* habebis mercedem cum eo, qui pecunias suas pauperibus largitus est, si amissis illis gratias egeris, & cùm ad Divinatores ire potueris, sustinueris illas magis non recipere, quàm hoc pacto recipere. Sed in pauperie degis, & fame & infinitis periculis? Recordare Lazarum cum inopia, & orbitate, & innumeris aliis pugnantem molestiis, & hæc post virtutem tantam. Recordare Apostolorum, qui & in fame & in siti, & in nuditate degebant; prophetarum, justorum; & omnes ipsos invenies non de divitibus, non de gaudentibus, sed de egentibus, tribulatis, & angustiatis esse. Hæc apud te ipsum

ipsum colligens, Domino gratias age, quòd te hujus fecit participem, non exosus, sed & valde diligens; quomodo & illos tot gravia pati non permisisset, nisi vehementer amâsset. Nullum gratiarum actioni par bonum. Hoc maximum est Sacrificium, hæc oblatio perfecta. Ideo Divinus Paulus: In omnibus, inquit, gratias agite: hæc est enim voluntas DEI.

Gradus Patientiæ ex aurea Formula S. Bonaventuræ de grad. virtut. c. 5.

Patientiæ altus gradus est, patienter sustinere amissio- *Ordo graduum*
nem rerum, ut Job. Altior, patienter sufferre amissionem ho- *I. Patientiæ*
noris, ùt David cùm improperia Semei sustinuit. Altissimus *Job* 1.
est, patienter sufferre mutilationem membrorum, vel ablatio- 2. *Reg.* 16.
nem vitæ corporalis. In hoc gradu fuit Christus, cùm spontè pro nobis animam suam posuit.

Item altus gradus est patientiæ, tolerare afflictionem, II.
quam homo pro peccatis meruit. Unde Petrus: Si peccantes, 1. *Pet.* 2.
& colaphizati sufferstis &c: Altior, patienter sufferre afflictionem, quam innocenter sustinet pro justitia. Unde si quid patimini propter justitiam, beati. Altissimus est, ferventer appetere afflictionem. In hoc gradu fuit Christus, cùm dicebat: Im- *Matth.* 5.
properium expectavit &c. *Psal.* 68.

Item altus gradus patientiæ est, non vindicare inju- III.
riam facto, Altior, non vindicare verbo. Altissimus est, non habere vindictam in desiderio.

Item altam habet patientiam, qui non indicat impa- IV.
tientiam in verbo. Altior, qui non indicat vultu. Altissimus, qui non portat impatientiam in corde suo.

Item altum gradum patientiæ habet, qui non vindicat V.
injuriam suam, cùm vindicare potest, licèt non sinè damno. Altiorem, qui non vindicat, cùm vindicare potest sinè damno
Altissimus est, cùm gratias agit pro afflictione ut Tobias, cùm *Tob.* 11.
dixit: Gratias ago tibi Domine, quia castigâsti & sanâsti me.

Item altus gradus patientiæ est, cùm aliquis patienter VI.
sustinet adversitates, ut à peccatis suis purgetur juxta illud: In *Prov.* 27.
fornace probatur argentum. Altior, ut in cælo gloriosè re-

Matth. 5. muneretur juxta illud Matthæi: Beati eritis cùm vos oderint homines &c. Altisſimus, ut Chriſto vicem rependat; juxta illud Hieronymi: Felix eſt anima, quæ pro Chriſti nomine tanta voluerit ſuſtinere, quanta ille pro nobis paſſus eſt.

Item altus gradus patientiæ eſt, de injuria nunquam querimoniam facere. Altior, nunquam injuriam propriam excuſare. Altisſimus eſt, injuriam propriam nunquam alicui ad vindicandum ſignificare.

PUNCTUM II.

Pſal. 125. *Motiva* ad perpetuum exercitium Patientiæ hæc afferuntur. *Imum. Pſalm*: Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua (boni operis in patientia) venientes autem venient cum ex-
Prov. 14. ultatione, portantes manipulos (cæleſtium præmiorum.) *Prov.*
Prov. 16. Qui patiens eſt, multâ gubernatur ſapientiâ. *Ibidem*: Melior
Eccl. 2. eſt patiens viro forti; & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium. *Eccl*: Qui timent Dominum, cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habebunt usque ad inſpectionem illius.
Luc. 8. *Chriſtus*: Quod autem in bonam terram *ſemen cecidit*, hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. *Idem*: In patientia veſtra poſſi-
Luc. 21. debitis animas veſtras. *Act.* Quoniam per multas tribulatio-
Act. 14. nes oportet nos intrare in regnum DEI. *Apoſtolus*: Quæcun-
Rom. 15. que ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam, ſcripta ſunt, ut per pa-
Hebr. 10. tientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. *Idem*: Patientia autem vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem DEI facien-
1. Cor. 11. tes reporteris promisſionem. *Idem*: Dum judicamur, à Domi-
2. Cor. 6. no corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. *Ibidem*: Sed in omnibus exhibeamus nosmetipſos, ſicut DEI miniſtros in multa patientia. *Jacobus*: Patientes igitur eſtote fratres usque
Jacob. 5. ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ patienter ferens donec accipiat temporaneum & ſerotinum.
Ibidem. *Ibidem*: Patiente eſtote & vos, & confirmate corda veſtra, quoniam adventus Domini appropinquabit. *Ibid.* Ecce Judex ante januam
Ibidem. aſſiſtit: Exemplum accipite fratres laboris, & patientiæ,

Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt: sufferentiam Job audîstis, & finem Domini vidistis: quoniam misericors Dominus & miserator. *Apoc*: Quoniam servâsti verbum patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. *Apoc. 3.*

2*dum.* S. *Augustinus*: Nè indignemini fratres, si in mundo mali florent, & vos adversa patimini, quia non est Christianæ religionis in temporalibus exaltari, sed potiùs deprimi. Mali enim nihil habent in cælo, & vos nihil habere debetis in terra, sed spe illius boni ad quod tenditis, quicquid in via contingit, gaudere debetis. *Idem*: Intelligat homo medicum esse DEum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas, non audit medicus ad voluntatem, sed ad sanitatem. *S. Ambros.* Illud est magnificum, si subjectus contumeliis judicium DEI laudes: si vexatus ægritudine judicio DEI deputes: si inopia non revocet, quo minus laudes justitiam DEI. *S. August.* Quæcunque dura & molesta, quæcunque gravia & horribilia, quæ quisque patitur in hac vita, in comparatione æterni ignis non tantùm parva, sed nulla sunt. *S. Chrysost.* Pro Christo pati, inquit, munus est majoris admirationis, quàm sit revera mortuos excitare, & signa miranda patrare: nam illic quidem debitor sum, hìc verò debitorem habeo Christum. *Idem*: Si corpus, inquit, rectè dicimus beatum, quod potest absque sui offensione ferre frigus & calores, & famem, & inopiam, & viæ difficultates, aliasque ærumnas; quantò magis beatam oportet vocare animam, quæ viriliter & fortiter omnes omnium molestiarum incursus ferre potest, & cor suum per omnia nulli servituti obnoxium servare? *S. Thomas*: Consuetum est, ut nomine virtutis etiam virtutum actus significentur. Et ideo patientia quantum ad habitum ponitur virtus. Quantum autem ad delectationem quam habet in actu, ponitur fructus. Et præcipuè quantum ad hoc, quod per patientiam animus præservatur, nè obruatur tristitia. *Idem*: Dicendum quòd patientia dicitur habere opus perfectum in adversis tole-

August. in ser. de patient. *Idem super Psal. 21.* *S. Ambros. super Beati immaculati.* *S. August. T. 10. Serm. 190. de tempore.* *S. Chrysost. in Ep. hom. 4. ad Philip.* *Idem hom. 1. ad pop. Antioch.* *S. Th. 2. 2. q. 136. a. 1. ad 3.* *Idem a. 2. ad 1.*

tolerandis, ex quibus primò procedit tristitia, quam moderatur patientia: Secundò ira, quam moderatur mansvetudo: Tertiò odium, quod tollit charitas: Quartò injustum nocumentum, quod prohibet justitia. Tollere enim principium uniuscujusque est perfectius. Nec tamen sequitur si in hoc patientia est perfectior, quòd sit perfectior simpliciter. *Idem*: Dicendum, quòd possessio importat quietum dominium. Et ideo per patientiam dicitur homo suam animam possidere, in quantum radicitùs evellit passiones adversitatum, quibus anima inquietatur. *Idem*: Dicendum, quòd patientia dicitur esse radix & custos omnium virtutum, non quasi directè eas causando & conservando, sed solùm removendo prohibens. *Cassianus*: Quantum quis in lenitate ac patientia cordis, tantum in corporis puritate proficiet. Scriptum est enim: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (sui corporis) non enim æstus corporis declinabit, nisi qui animi motus ante compresserit. *S. Gregorius*: Ego virtutem patientiæ & signis & miraculis majorem credo. *S. Hieronymus*: Lubens nunc tormenta patior, ut tunc futura mihi gloria servetur. Non enim judicabit Dominus bis in idipsum. *S. Bernardus*: Quem diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium, quem recipit. Flagellatum video & emendatum, & aliud suspicer, quàm unum esse ex filiis? *Idem*: Quando autem magna bona mortalibus provenerunt, quæ non magna prævenerunt mala? Nam ut cætera taceam, nonnè illud unicum, & singulare beneficium nostræ salutis præcessit mors Salvatoris? *Idem*: Hæc est via vitæ tribulatio præsens, via gloriæ, via civitatis, habitaculi, via regni, secundùm quod clamat latro de cruce: Memento mei Domine dum veneris in Regnum tuum. Certè & crux pretiosa est, & crux amari potest, & crux habet exultationem: ità est fratres mei. Si fuerit qui colligat, semper lignum crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat spiritualium Charismatum. Non est sylvestris arbor, lignum vitæ est apprehendentibus eam. Arbor fructuosa, arbor salutifera: alioquin quomodo Dominicam occuparet terram? Illam dico pretiosam glebam, cui clavorum

Ibidem ad 2.

Ibid. ad 3.

Cassianus Collat: 12. 6.

S. Greg. lib. 1 Dial. c. 2.

S. Hieron. in Epist.

S. Bern. Epist. 23.

Idem Epist. 266.

Idem Serm. 1. in festo S. Andreæ.

infixa est radicibus. Si non esset hæc pretiosior cunctis, fructuosior universis, nunquam illo plantaretur in horto, nec illam permitteretur vineam occupare. *Idem*: Plectuntur aliqui pro peccatis suis, & humiliter sustinent: hoc ipsum tamen eis ad patientiam reputatur. Flagellantur alii non tam purgandi, quam probandi coronandique: & major in eis patientia comprobatur & commendatur. *S. Thomas* docet excellentioris fortitudinis esse gravia pati, quàm fortia agere, dum inquit: Dicendum, quòd sustinere est difficilius, quàm aggredi, triplici ratione. Primò quidem, quia sustinere videtur aliquis ab aliquo fortiori invadente, qui autem aggreditur invadit per modum fortioris. Difficilius autem est pugnare cum fortiori, quàm cum debiliori. Secundò, quia ille qui sustinet, jam sentit pericula: ille autem qui aggreditur habet ut futura. Difficilius autem est non moveri à præsentibus, quàm à futuris. Tertiò, quia sustinere importat diuturnitatem temporis: sed aggredi potest aliquis ex subito motu. Difficilius autem est diu manere immobilem, quàm subito motu moveri ad aliquod arduum. Unde Philosoph: dicit in 3. Eth: quòd quidam sunt prævalentes ante pericula, in ipsis autem discedunt: fortes autem è contrario se habent. *Thomas Kempensis*: Miser es ubicunque fueris, & quocunque te verteris, nisi ad DEum te convertas. Dispone & ordina omnia secundùm tuum velle & videre, & non invenies nisi semper aliquid pati, aut sponte aut invitè. Converte te suprà, converte te infrà, converte te intrà: & in his omnibus invenies crucem: & necesse est te ubique tenere patientiam, si internam vis habere pacem, & perpetuam promereri coronam.

Idem serm. feria 4. hebd. pænos.

S. Thom. 2. 2. q. 123. a. 6. ad 1.

Th. Kemp. de imit. Chri. lib. 1. c. 22. init. & lib. 2. c. 12. num. 3. & 4.

PUNCTUM III.

TErtium Motivum ab exemplis Patientiæ. I. Patientiæ metaphoricæ exemplum est, DEUS T. O. M. qui quantas tolerat offensas ab hominibus, quis edisserat? & tamen donis naturalibus & supernaturalibus non cessat cumulare hostes suos. Hinc *Psalmista ait*: Miserator & misericors Dominus, patiens & multum misericors. Et *Apostolus*: An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?

Psal. 144.

Rom. 2.

II. Exem-

II. Exemplum veræ patientiæ fuit *Christus*, qui de seipso ait: Nonnè hæc oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam? Et *Petrus*: Christus passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. *S. Bonaventura*: Quis patiens nisi justissimus, & innocentissimus pro peccatis & injustitiis nostris crucifixus vi amoris & ardore charitatis iniquitates nostras portavit super lignum? Quis verò persecutionem passus est propter justitiam, quam habebat, faciebat, prædicabat, & sitiebat, nisi ille, qui est à Judæis crucifixus? Verè hic est verè beatus, cui maledixerunt homines adversùs eum mentientes. *Thomas à Kempis*: Tota vita Christi crux fuit & Martyrium, & tu tibi quæris requiem & gaudium?)) Patientia Christi fuit in multiplici, summo, & continuo dolore. De quo *B. Angela de Fulginio* hæc auro & cedro digna profert dicens: Societas Christi magis experimentalis, & continua fuit summus dolor: à quo statim anima Christi, quando corpori sanctissimo fuit infusa, fuit etiam associata. In illo enim momento, quo fuit anima illa humano corpori, & Divinitati unita, statim fuit repleta summâ sapientiâ: & ideo Christus statim fuit viator, & comprehensor, & statim in utero Virginis Matris suæ incepit sentire summum dolorem, sciendo, videndo, & considerando, & intelligendo universaliter & singulariter omnes pœnas, & quamlibet per se, quas ipsa anima cum sua carne experiri debebat, & pro nobis tolerare. Et sicut propinquus morti factus fuit in agonia, & in tanta tristitia, quòd corpus sudorem sangvineum usque ad terram emisit, propter hoc, quòd acerbitatem mortis prævidebat; ità anima Christi prævidendo ista tormenta sibi affutura, summo dolore dolebat, quamvis corpus non experiretur tantum, sicut quando passioni fuit Christus propinquus.

Luc. 24. *1. Petr. 2.* *S. Bonav. in stim. amor.* *Th. Kempen. lib. 2. c. 12.* *In vita B. Angelæ de Fulginio.*

Anima illa sancta prævidebat cultellos illarum pessimarum lingvarum, & verba aculeata cujuslibet lingvæ singularis: & sciebat & continuò considerabat, à quibus, & quando, & quomodo, & quantum debebat affligi, interfici, deludi, & mactari, & videbat se ad hoc natum, & ad hoc venisse in mundum. Unde non poterat esse, nisi in dolore, quando considerabat qualiter debebat esse venditus, traditus, captus, negatus, derelictus,

ligatus, colaphizatus, maledictus, flagellatus, judicatus, reprobatus, condemnatus, & ſicut latro ad crucem ductus, ſpoliatus, denudatus, crucifixus, mortuus, lanceâ percuſſus. Et ſciebat omnes percusſiones martellorum, & omnes ictus flagellorum, & foramina clavorum, & omnes guttas ſangvinis & lacrymarum guttas, quas fundere debebat, & omnia ſuſpiria & fletus & lamenta doloroſa ſua, & matris ſuæ; quæ omnia illa ſancta anima Chriſti ſemper prævidebat, & conſiderabat, & quando ſic ſe habebat, abſque dubitatione non poterat eſſe ſinè triſtitia, & ſummo cordis & mentis dolore. Et ſic tota vita Chriſti fuit aſſociata ſummo dolori, triſtitiæ, & afflictioni.

Præter hoc Chriſtus Dominus verus liber vitæ innumerabiles toleravit dolores. Statim enim natus, non in balneo, nec in plumis poſitus, nec pellibus involutus, ſed in fœno, in ſtabulo, & duro præſepio inter jumenta collocatus, eſt, & ſic Infantulus tenerrimus ſtatim natus incepit ſecundùm corpus tolerare corporis afflictiones. Conſequenter peregrinationes cum Matre ſua dulcisſima & tenerrima Virgine & JOSEPH ſene uſque in Ægyptum per deſertum vaſtisſimum peregit, in cujus tranſitu filii Iſraël ſine cibo humanitùs præparato quadraginta annis permanſerunt. Conſequenter peregrinationes ad templum ſecundùm legis ſtatuta faciebat adhuc Puerulus continuè pedibus ſuis ambulando, cùm tamen locus ſuus Nazareth plùs quàm per duas dietas ab Hieruſalem diſtaret.

Et factus vir ſtatim poſt baptiſmum deſertum intravit, ibique quadraginta diebus jejunavit & eſurijt intantum, quòd diabolus credidit, eum propter famem ad peccatum poſſe inclinare. Unde & de hoc primò eum tentavit. Ivit pedibus ſuis per caſtella, per loca, per civitates, famem, ſitim, pluvias, calores, caumata, frigora ſuſtinendo, ſudando, ſe fatigando, multas moleſtias ſuſtinendo, & tandem mortis ſupplicia tolerando. Et hos omnes labores ſuſtinuit, ut viam veritatis prædicaret, & falſitates dæmonum, & eorum dominium exterminaret, & ut hominibus pœnitentiam utilisſimam demonſtraret, & ipſos ad eam induceret, & ut oſtenderet in dolorum & afflictionum toleratione ſtare felicitatem, & bonum

hominum, & gloriam, & ut nobis exemplum daret, quòd prædicta sunt toleranda.

De doloribus autem quos tempore passionis sustinuit, nulla lingva sufficit dicere, nec cor cogitare. Fuit enim in Christo dolor ineffabilis multiplex: fuit etiam in Christo dolor intensissimus, & acutus, ex compassione quam habuit humano generi, quod diligebat summo amore: & non solùm in communi dolebat pro toto humano genere perdito, dejecto, & damnato, sed compatiebatur unicuique personæ humani generis pro peccatis, imò etiam secundùm mensuram quantitatis uniuscujusque delicti & pœnæ, quam eos incurrisse, & in futurum incurrere sciebat certissimè. Quot igitur fuerunt, vel sunt homines, & quot peccata commisit, vel committet quilibet homo, & quot habet vel habebit peccata, tot Christus habuit dolores ex summa misericordia, & compassione provenientes.

Cùm igitur homines & eorum peccata, & pœnæ, quas incurrerant & incurrere debebant essent infinitæ, manifestum est, summum dolorem & infinitum eum pro nostro amore sustinuisse. Christus enim quemlibet electorum suorum ineffabiliter diligebat, & hoc amore eviscerato in eos secundùm mensuram cujuslibet, sentiendo præsentialiter & continuè eorum offensam commissam, & committendam, & pœnam, & pœnas, quas propter tales offensas sustinere debebant: & dolebat, & compatiebatur eisdem, sustinendo eorum pœnas cum summo dolore, tali scilicet & tanto dolore & compassione fuit afflictus propter nos dulcissimus JESUS, ut ipsa compassio summa, quâ nobis condolebat, eum impulerit ad sustinendum tormentum crucis, & mortem horrendam, & dolores infinitos, ut pro nostris offensis satisfaceret, & nos redimeret, & à pœnis nos alleviaret.

Fuit etiam in Christo dolor compassionis propriæ, scilicet suimetipsius. Summè enim compatiebatur sibi ipsi de dolorosa pœna, & ineffabili, quam super se venire ineffabiliter videbat: Videns enim Christus, & considerans se ad hoc missum à Patre, ut omnium electorum suorum dolores & pœnas

porta-

portaret in seipso, nec posse falli, quòd tam excessivum & ineffabilem non sustineret dolorem, & se ad hoc totaliter esse datum; compatiebatur sibi ipsi summo dolore. Si enim aliquis dolorem maximum & pœnam super se certissimè & ineffabiliter venire cognosceret, & ipsum dolorem sinè intermissione habere, præ oculis, absque dubio sibi ipsi compateretur, & tantò plùs, quantò super se venire cognosceret majorem dolorem: & adhuc quantò plùs intelligeret & sentiret qualis & quantus esset talis dolor. Hæc omnia summè fuerunt in Christo, plus quàm dicere possim. Sed hoc exemplum dico propter grossitudinem intellectûs humani.

Fuit etiam in Christo dolor compassionis sui misericordissimi Patris. Infinitè enim Christus diligit, & dilexit Patrem suum, Dominum misericordiarum & totius pietatis. Videns enim Ipsum DEum Patrem, quem infinitum diligebat, tantâ affici compassione & misericordiâ super nos, ut suum Filium dilectissimum vellet dare & morti tradere, qui erat sibi in infinitum res charissima, infinito super hoc compatiebatur dolore super tanta compassione DEI Patris: propter quod ut voluntati Patris, quodammodo remedium adhiberet, humiliavit semetipsum sibi factus obediens usque ad mortem crucis, & hunc modum doloris impossibile est explicare.

Dico igitur quòd dolor fuit in Christo ineffabiliter: qui quidem dolor ineffabilis fuit concessus & in ipso permissus, & dispensatus ex ineffabili sapientia Divinitatis. Quæ dispensatio Divina ineffabilis & æterna cum Christo ineffabiliter & æternaliter comitata & unita, dolorem pati summè in eo dispensabat: quantò dispensatio Divina est mirabilior, tantò dolor Christi acutior, & intensior ex Divina dispensatione resultans; ità quòd nullus intellectus est ità capax, quod illum dolorem unquam potuerit comprehendere. Ista enim Divina dispensatio fuit origo omnium dolorum, & in hac oriuntur & finiuntur. Et sicut est impossibile comprehendere aliquem intellectum, infinitatem Charitatis, quam ostendit in hoc, quòd per mortem suam nos redimere vellet, sic est impossibile comprehendere infinitum dolorem in eo dispensatum, quo ipse doluit. Fuit enim iste dolor resultans ex ineffabili lumine Christo da-

to. Ipſa enim Divinitas lumen ineffabile ineffabiliter Chriſtum illuminans, & cum iſta Divina diſpenſatione in ipſum vivens, & in ipſo Divino lumine in dolorem transformans, tantum ſibi reddebat dolorem, quòd ineffabile eſt totum. Videbat enim Chriſtus quandam ineffabilem menſuram ſibi datam tam exceſſivi doloris, qui dolor ſuâ ineffabilitate eſſet omni creaturæ occultus. Iſtius enim doloris ſcilicet Divini luminis ſibi dati, Divina diſpenſatio fuit fons & origo.

Fuit etiam in Chriſto dolor compaſſionis ſuæ dulciſſimæ Matris; quia enim Chriſtus ſuam Matrem plùs quàm etiam aliam aliquam creaturam dilexit, & diligebat, utpote quia ex ipſa ſola carnem Virgineam traxit, & quia ipſa ſuo Filio plùs quàm alia creatura condolebat propter capacitatem nobiliſſimam & profundiſſimam, quam habebat excellentiùs, quàm aliqua creatura; ideo Chriſtus ei condolebat & compatiebatur, quia eam corpore, corde, & animo ſummè dolere & lamentari videbat: dolebat enim ipſa Mater in ſummo, & ipſe Chriſtus illum ſuum dolorem in ſeipſo portabat, & hujus doloris fundamentum fuit in diſpenſatione Divina.

Fuit etiam in Chriſto dolor de offenſione Patris, quem ſummè diligebat: videbat enim qualiter in ſua paſſione, quando homo ſuum Dominum, ſuum Factorem crucifigebat, ſummè offendebatur DEus Pater. Majus enim peccatum quod unquam fuerit, nec futurum ſit, fuit interficere & crucifigere Filium DEI. Et conſequenter plùs offendebatur DEus, de quo Chriſtus ſinè dubio in immenſum doluit. Unde & dolore & compaſſione motus tam ex parte Patris, qui offendebatur, quam ex parte hominum, qui eum offendebant, fuit motus ad dicendum illud verbum: Pater dimitte eis, quia neſciunt quid faciunt. Forſitan enim DEUS Pater iterum totum humanum genus damnâſſet propter hoc, niſi Chriſtus quaſi oblitis omnibus aliis doloribus in morte ſua benigna oratione factâ cum lacrymis & clamore DEum Patrem mitigâſſet.

Fuit etiam in Chriſto dolor compaſſionis Apoſtolorum, & diſcipulorum ipſius: dolebant enim Apoſtoli, & diſcipuli, & mulieres, quæ ſecutæ eum fuerant, maximo dolore. Cum ergò

gò

gò eos Christus summo amore diligeret, dolorem discipulorum dispersorum, & tribulatorum, Christus in seipso portavit.

Præter hos dolores Christus multiplicem dolorem sustinuit, quadruplici enim genere gladiorum & sagittarum fuit vulneratus & crucifixus iste DEus homo Christus JESUS. Primum fuit obstinatorum cordium perversa crudelitas: erant enim eorum corda continuè contra Christum vehementissimè obstinata, & in continuo studio & diligentia erant cogitantes, & machinantes, quomodo eum vituperabiliùs, & crudeliùs exterminarent de terra, & nomen ejus, qui eos salvare venerat, & omnem Societatem ejus. Secundum genus fuit malitia & nequitia illarum irarum grandissimarum, & odiorum, quas illi crucifixores contra Ipsum continuè portabant: quot enim contra Ipsum cogitationes & perversæ intentiones, & iniquæ voluntates fuerunt, tot fuerunt cultelli, & sagittæ animam Christi transverberantes. Tertium genus fuit malitia & dolositas lingvarum vociferantium contra Ipsum: quot enim fuerunt accusationes, detractiones, iniqua consilia, subsannationes, derisiones, oblocutiones, blasphemiæ, maledictiones, falsæ sententiæ, falsa testimonia, tot sustinuit dolores animam suam affligentes.

Quartum genus fuit crudelissimum opus passionis, quod in eum dirissimè exercuerunt; & hoc patet deducendo per totam passionem: quot enim tractus capillorum, & barbæ, & capitis, quot impulsus, quot ligamina, quot alapæ, quot colaphi, quot exspuitiones, quot verberationes, tot sustinuit & habuit passiones, potissimè ex parte clavorum, quia acceperunt clavos grossissimos, æquales, scabrosos, & quadratos, quibus manus ejus & pedes crudelissimè perforantes, & transfigentes, & totaliter lacerantes, & destruentes, Ipsum crudelissimè affixerunt. Ex tali enim forma clavorum pœna supermaxima resultavit. Supposito etiam, quòd ligno manus ejus & pedes non fuissent affixi, adhuc utique passio durissima perstitisset; sed adhuc non contenti, manus & ejus pedes trahentes, & totum corpus, & ossa, & nervos extendentes, & disjungentes, & dinumerantes ligno durissimo affigentes strictissimè compresserunt. Et nec sic contenti crucem in altum

tum elevantes, & nudum frigori, vento, & aeri, & populo exhibentes, ponderositas totius corporis & gravitas in manibus pendebat, & in pedibus sustentabatur, ut duritia clavorum ampliùs sentiretur, & sangvinem sinè intermissione clavis in plagis existentibus emitteret, & sic in tormento maximo moreretur, & sic omnis eorum malitia compleretur.

Et ut ipse DEus & homo de tam excessivo dolore nobis aliquid manifestaret, & quòd non pro se, sed pro nobis illum tolerârit, patefaceret, & ut de ipso dolore nos semper dolere, & eviscerosiùs compati nos instrueret; istis tribus de causis illud verbum clamavit, cùm in isto dolore esset dicens: DEus meus, DEus meus, ut quid dereliquisti me? DEus enim derelinquere eum non poterat, cùm Ipse DEus esset. Sed seipsum hominem manifestavit, cùm se derelictum in suis doloribus proclamavit: tunc enim clamando manifestavit superacutissimum dolorem & ineffabilem, quem pro nobis tolerabat: DEus enim dolorem Christi bene sentiebat similiter; quia ipsum portabat, ergò solùm pro nobis clamavit, ut summum dolorem non pro se sed pro nobis se pati indicaret: & sic ad dolendum & condolendum semper & assiduè nos provocaret & moneret. Et nè quis existimet ipsum solum quando in cruce erat doluisse; ex quo formatio corporis & ejus organizatio, & animæ infusio, & Verbi unio simul & semel fuerunt, ex qua supermirabili unione, anima illa repleta fuit summâ sapientiâ, & ineffabili, omnia sibi præsentia & futura repræsentavit: Et ideo superacutissimum dolorem & omnino ineffabilem sibi videbat advenire, statim quando formatus est & conceptus: & ideo de hoc continuè dolens (Divinâ sapientiâ dispensante) istum dolorem toleravit ab animæ infusione, usque ad animæ separationem: & hoc verba sua testantur, cùm dicat frequenter se crucem bajulare, & cùm dicat discipulis non pro se, sed pro illis, & pro nobis crucem se tolerare, & se esse tristem: & ideo: Tristis est anima mea usque ad mortem. Hoc dictum est, ut nos ad dolorem super suum dolorem efficaciùs provocaret

Et hic dolor cum omnibus suprà dictis fuit vehemens &

acutus propter nobilissimam animam, quam habebat: quantò enim illa anima erat sanctior, & mitior, & nobilior, tantò acutiori & intensiori cruciabatur dolore. Anima enim illa summè nobilissima ex omnibus his injuriis & afflictionibus summo cruciabatur dolore: omnes ij dolores originem trahentes ex illa summa & ineffabili dispensatione Deitatis, taliter animam Christi cruciaverunt, quòd omnis per se dolor in Christi corpore redundavit, vehementissimè ipsum corporaliter affligens; fuit etiam ille dolor intensior propter nobilitatem & delicationem sui Virginei corporis, quod fuit nobilius omni alio nato de muliere: & ideò magis sensitivum & magis affligebatur ex prædicto dolore. Fuit autem acutissimus dolor in Christo ratione Personæ, quia verus DEus erat. Unde & omnis afflictio & injuria sibi illata infinitam offensam continebat: nam non solùm homini fiebat, imò etiam DEO vero; propter quod rationem dolendi infinitam habebat: & ineffabiliter dolebat de omni contumelia & afflictione sibi illata.

Et in his omnibus Salvator ipse mundi, DEus homo Christus JESUS, cùm pateretur, non comminabatur, nec maledicebat, nec se defendebat, nec se vindicabat, nec cùm accusaretur se excusabat; nec cùm manus & brachia in cruce extenderentur, non ea retrahebat; nec cùm ad mortem quæreretur, se abscondebat: nec cùm in facie spueretur, ipse non eam abscondebat, sed totaliter & omnimodè se tradidit voluntati eorum, ut per nequitiam eorum etiam ipsis nolentibus & ingratis opus redemptionis ministraret. Imò (quod est ineffabile cogitare) in ipso opere passionis, quod in eum innocentem exercebant, ipse exemplum patientiæ præbebat, veritatem eos docebat, pro eis cum lacrymis & fletu, & clamore intensissimè Patrem orabat. Et pro ipso peccato eorum grandissimo (pro quo omnis mundus & humana natura perire meritò debebat) tunc ipse majora beneficia præstabat, utpote quia ipsomet dolore & passione (quam ipsi ministrabant) ipse pro omnibus nostris doloribus satisfecit, & tunc nos redemit, & portas paradisi crucifixoribus, & omnibus aliis aperuit, & suo Patri reconcialiavit; & gratiosos nos effecit in

tantùm

tantùm, quòd filii DEI simus, omnino sibi reconciliati in ipso opere, quo damnabilis erat totus mundus, & omnis creatura; pro eo videlicet quòd creatura inventa fuerit in suum Creatorem, tantam injuriam intulisse; O pietas! ô immensa misericordia! ô inexcogitabilis benignitas! quòd ubi superabundavit infinita iniquitas, ibi superabundaret & gratia, talis ac tanta, quæ vere finem non habet.

Hoc mysterium totum fecit infinita illa benignitas & misericordia, ut nobis esset exemplum patientiæ in omni tribulatione, & adversitate, & non solùm inimicis mala non redderemus, imò etiam eis amore Redemptoris bona conferremus. Si enim aliquis Patriarcha aut Sanctus Propheta, aut Angelus, aut alius Sanctus, exemplum tale dedisset, meritò acceptandum fuisset: sed quòd Sapientia DEI infinita apparuerit inter nos incarnata, & Veritas infallibilis (quæ nec decipi nec decipere potest) nobis tale exemplum vivendi dederit, cum negligentia nullatenus est transeundum: sed summâ deligentiâ perfectissimè adimplendum.

Et Paulò infrà hæc subinfert. O quot & facta sunt, & facta sunt, expenduntur, & expensa sunt, ut dolores & afflictiones & adversitates, quæ DEus misericorditer, aut immittit, aut permittit, vitarentur! quæ tamen procul dubio salubria essent, & magis meritoria, si ut quasi spontaneè assumptæ tolerarentur, quàm multæ aliæ afflictiones & pœnitentiæ, quæ pro libito assumuntur. Meliùs enim novit cælestis Medicus, quæ afflictiones & adversitates ad animam purgandam, erudiendam, & perficiendam requiruntur, quàm ipse infirmus & insipiens homo. Tales enim afflictiones & pœnitentiæ pro libito voluntatis quæsitæ & assumptæ, vanæ gloriæ vacant multum quandoque. Contingentes autem ex dispositione Divina, & cum magna patientia & complacentia acceptatæ, occultantur hominibus, quasi ex necessitate & coactione voluntatis tolerentur. Dico igitur & consulo filiis, ut frigora, rigores, calores, æstus, pulices, sudores, caumata, capitis, stomachi, & alios corporis dolores, salvâ ejus consistentiâ toleremus; nec curiosi simus ad remedia quærenda, nisi in summa necessitate,

quæ

quæ omnino bonum animæ impediret. Idem dico, si DEO disponente, aut permittente, paupertates, amicorum mortes, oppressiones, persecutiones, opprobria, verbera, rapinæ veniant & contingant, non doleamus; imò non solùm cum patientia toleremus, sed ipsas tanquam à Medico summo, & nostro Salvatore nobis electas & administratas amore ejus & pro nostro summo bono cum magna complacentia acceptemus; tanquam si à nobis ipsis spontaneè & voluntariè essent quæsitæ & acceptæ. Et tunc procul dubio tantùm, imò magìs erunt meritoriæ, quàm si (non alias contingentes) nos ipsi pro libito voluntatis ad peragendum pœnitentaim acciperemus. O miserabiles quid ampliùs dicemus? qui non solùm dolores & & afflictiones, & adversitates nobis à DEO sapientissimo misericorditer, sicut ipse sustinuit, administratas refugimus, imò ad contrarium nitimur? nam die ac nocte voluptates & dulcedines corporales insequimur, consolationes temporales summo studio ac diligentiâ quærimus, & vana gaudia jugiter meditamur. Verè non est hæc via DEI hominis JESU Christi omnium Salvatoris. Quomodo enim vadit ad illum, qui est via doloris & exemplum, illa misera anima, quæ in mundo isto semper vult habere consolationem? in veritate anima, quæ sapiens est, & quæ sapienter vult vivere, non debet aliud in mundo isto quærere quàm dolorem. Imò si attendat ad dilectum suum JESUM, & haberet scintillam amoris, non deberet quærere aliud lucrum, nec alium statum in isto mundo, nisi illum, quem ipse habuit, scilicet doloris & angustiæ & afflictionis: & hæc esset tota consolatio ejus.

Et non solùm dico in istis terrenis & temporalibus, & corporalibus rebus, imò etiam dico de spiritualibus: non enim in servitio DEI debemus multùm curare de consolationibus, quæ ibi inveniuntur. Nunquid enim MARIA Mater JESU dilectissima videns dilectum suum Filium in cruce plangentem, & morientem, petivit tunc ab ipso dulcedinem aut consolationem? certè nequaquam; sed angustiam ab eo accepit, amaritudinem & dolorem. Ità debet esse in anima nostra: signum enim est pauci amoris, imò est magnæ præsumptionis, si anima desiderat à Christo in mundo isto aliud sentire quàm

dolorem Plùs enim placet DEO servitium pauperis, qui servit sibi fideliter propter amorem sinè expensis & beneficio, quàm servitium divitis, qui quolibet die facit expensas magnas, & servit sibi sub spe recipiendi spirituale beneficium. Ità anima pingvis & dives magnâ dulcedine quam degustat de DEO in servitio suo, si cucurrerit ad eum per amorem & servit sibi, non est tanti meriti, quanti est illa, quæ currit ad DEum, & servit sibi similiter, & cum simili amore sinè tamen consolatione, sed cum dolore: Igitur ità videtur mihi, quòd doceat me lumen Divinum, quòd venit de vita Christi, quæ est via eundi per dolorem ad DEum & in DEum, quod per viam, per quam ivit caput nostrum, scilicet Christus JESUS per illam viam debeant ire manus, brachium, pes, & cætera membra.

Et sic invenit anima finaliter per paupertatem temporalem divitias æternales; per despectum & verecundiam, summum honorem, & magnitudinem gloriæ; & per modicam pœnitentiam perfectam cum pœna & dolore, possidebit summum bonum cum summa dulcedine & consolatione: licèt anima debeat ipsi DEO servire propter ipsum, quia est dignus in infinitum diligi, & ut sic cum summa reverentia serviatur ei, à qualibet creatura propter suam summam & altissimam bonitatem. Cui sit honor & gloria in infinita seculorum secula Amen. *Hactenus B. Angela.*

S. Bonav. 1. vitæ Christi c. 12. Exemplum patientiæ Beatissima Virgo MARIA, & S. Joseph, de quibus hæc *S. Bonaventura.* Considera, quomodo Dominus permittit suos persecutionibus & tribulationibus vexari. Tunc enim magna erat tribulatio Matri & Joseph, cùm viderent Puerum ad occisionem quæri: quid enim gravius audire poterant, & erat eis in hoc tribulatio magna, quia licet scirent eum Filium DEI esse, tamen poterat sensualitas eorum turbari & dicere: Dominus DEus omnipotens quid opus est, quòd iste tuus Filius fugiat? non potes sic eum defendere? & etiam in hoc erat tribulatio, quòd in terram longinquam oportebat eos ire, quam ignorabant, & per vias asperas, cum essent inhabiles ad eundum, Domina propter juventutem,

Joseph

Joseph verò propter senectutem: Ipse etiam Puer quem portare habebant, vix erat duorum Mensium, & peregrinari habebant in terra aliena, & pauperes quasi nihil habentes, omnia enim ista sunt afflictionis materia. Tu ergò cùm tribularis patientiam habe, nec credas tibi ab eo Privilegium dari, quod nec sibi tribuit nec Matri. *Idem*: Beatissima Virgo rediens ex Hierusalem in Nazareth, dum non invenirent Puerum JESUM, cum Joseph quærebant eum cum summo dolore. Quid enim erat perdere JESUM? conspice benè ipsam & vehementer compatere, quia in angustia est anima sua, nunquam ex quo nata fuit, usque tunc fuit in tanta. Non ergò turbemur, quando tribulationes habemus, cùm etiam Matri non pepercit Dominus. Ad suos enim eas permittit venire, & signa sunt suæ dilectionis, nobis autem expedit eas habere. *Idem*: Vide Charissime, quòd Maria mansuetissima fuit per lenitatem, patientissima contra omnem adversitatem. Ipsa enim est Maria quam Simeon sic alloquebatur, sicut in Luca dicitur: Et dixit ad Mariam Matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius. Hic gladius acutissimam Filii sui passionem, sive mortem signat. Gladius corporalis animam, nec occidere potest, nec vulnerare, sic acutissima Christi passio, licèt animam Mariæ per compassionem pertransivit, ipsam tamen nec per odium occidit, nec per impatientiam vulneravit. Maria enim interfectores Filii sui nunquam odivit, nunquam contra eos impatiens fuit. Nam si alii Martyres patientissimi fuerunt in Martyrio suo corporali, quantò magis Martyr nostra Maria in Martyrio suo spirituali? De cujus nobili Martyrio Hieronymus ait: Quia spiritualiter & atrocius passa est gladio passionis Christi, plùs quàm Martyr fuit. O mira Mariæ patientia & mansuetudo! quæ non solùm patientissima fuit, dum coram ipsa Filius ejus crucifigeretur, sed etiam dum ante crucifixionem propter ipsam Filius ejus vilipenderetur, sicut in Evangelio Marci dicitur: Nonnè hic est fabri Filius & Mariæ? Ubi post pauca sequitur: Et scandalizabantur in eo. Revera faber est Christus, sed

Idem Medit. vitæ Christ. c. 14.

Idem in speculo B. V. lect. 4.

Hiero. ad Paul. & Christ. de Assumpt. B. M. Epist. 10.

Marci 6.

Psal. 37.

sed qui fabricatus est auroram & solem. Heu quàm longè à gratia mitissimæ MARIÆ sunt, qui tam immites, tam impatientes, tam iracundi sunt, sicut commensales & socii & vicini sæpe sentiunt)) Vide de immenso mari dolorum MARIÆ, quos patientissimè, libentissimè, ardentissimè amore DEI tulit suprà sub Martyrio.

Job 10. v. 24. *IV. Exempla Sanctorum ex Biblioth. Manual. P. Lohner tit. patient.* S. Job petebat à DEO: Quis det ut veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi DEUS? & qui cœpit ipse me conterat, solvat manum suam & succidat me. Et hæc mihi sit

2. Cor. 12. consolatio, ut affligens me dolore non parcat. *Aliud.* S. Paulus de se ipso fatetur; Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis in Christo. Cùm enim infirmor, tunc potens sum. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet

Nadas. in anno crucif. hebd. 35. in me virtus Christi. *Aliud.* S. Franciscus Xaverius tantum habebat pro Christo patiendi desiderium, ut sicut abundantibus Divinis solatiis, identidem clamabat: *Satìs est, satìs est;* ità in adversis non minori contentione: *Ampliùs, Ampliùs;* clamaret. Sed & illud frequenter repeteret: *Domine nè auferas à me hanc crucem, nisi des majorem.* Hinc dicere solebat, videri sibi nostros nequaquam fideliter militare, si diu nullis tribulationibus

Vit. lib. 1. c. 4. exercerentur. *Aliud.* De S. Gertrudis patientia Christus ipse testimonium tulit, dum Virgini cuidam devotæ dixit. Tanta hujus animæ delectatione afficior, ut sæpe numero, dum ab aliis hominibus offendor, me ipsum in ea quieturus insinuem, atque pressuram cordis, aliamvè molestiam eidem tunc temporis destinem, quàm dum tantâ ut solet gratiarum actione suscipit, tantâ suffert humilitate ac patientiâ, tantâ denique devotione, in unione passionis meæ mihi offert, omnino me reddit placatum, facitquè ut innumeris sæpe hominibus ejus amo-

Vit. lib. 4. c. 17. re parcam. *Aliud.* S. Theresiæ quondam Christus apparuit dicens: Ille Patri meo cælesti omnium est gratissimus, qui quàm plurimis, maximisquè afflictionibus exercetur. Et vide, filia mea, vide & animitùs perpende vulnera mea, & fatere, quàm nulli tui dolores cum meis vel conferri possint. A quo tempore

pore tantum illa desiderium patiendi concepit, ut semper dicere soleret: *Aut pati, aut mori*; fatereturquè, se afflictiones cum omnibus mundi thesauris non commutaturam. Hinc octodecim sibi spinas eligebat, quibus assiduo amore sponsi vellicaretur; nempe sex exteriores, puta dolores, & fatigationes corporis, famem & sitim, frigus & calorem, paupertatem sive inopiam, injurias & dedecora, persecutiones & minas. Sex interiores scilicet tristitiam, timores, scrupulos, tentationes, passiones vehementes, spiritûs blasphemias. Sex Divinas videlicet impetum amoris, deliquium amoris, ignem accendentem cor, horrorem & nauseam rerum creatarum, zelum animarum, atque honoris DEI. Ob quæ omnia post mortem visa est, quasi de sepulchro exire cum cruce pulchra & eleganti arte facta velut symbolo patientiæ. *Aliud. S. Magdalena de Paz* ampliùs & ampliùs sitiens particeps fieri passionem Christi, petiit sæpe ab eodem hanc gratiam sibi concedi, in quo exaudita non tantùm facta est particeps Christi dolorum in suo agone, & stigmatum impressione, verùm etiam in exstasim rapta per viginti sex horas totius passionis Christi, ab eo tempore quo valedixit suæ Virgini Matri usque ad mortem expressit externè in seipsa historiam, ordinem, ità ut simul cum Christo v. g. fuerit in agonia in horto, flagellaretur, crucem bajularet, crucifigeretur, penderet in cruce, agonizaret, per omnia sustinens amaræ passionis acerbitatem, dolorumquè atrocitatem ad similitudinem Christi patientis: Ejusdem S. Magdalenæ in atrocissimis tribulationibus, tentationibusquè sæpè iterata hæc verba fuère: *Pati, non mori.* *In vita ejus Collector.*

Exempla profana. De Socrate sic scribit Seneca: Si exemplum desideratis, accipite Socratem per omnia aspera jactatum, invictum fame & paupertate, quàm graviorem illi domestica onera faciebant, & laboribus, quos militares quoque pertulit, & quibus ille domi exercitus. Sive uxorem ejus spectes, moribus feram, lingvâ petulantem, sive liberos indociles, & Matri quàm Patri similiores. Sic ferè in bello fuit, aut in tyrannide, aut in libertate bellis & tyrannis sæviore Viginti septem annis pugnatum est: post finita arma triginta Tyrannis *Epist. 104.*

nis noxæ dedita est civitas, ex quibus plerique inimici erant, post hæc carcer & venenum. Hæc usque eò animum Socratis non moverunt, ut nè vultum quidem moverit. Non hilarem quisquam, non tristiorem vidit Socratem, æqualis in tanta inæqualitate fortunæ. *Aliud.* Pueri apud Lacedemonios in ara Dianæ, cui ab indejicibili virtute cognomen Orthiæ, flagellis quot annis stato festo ex more totum diem cædebantur, itaque frequenter durabant ad mortem usque hilares ac læti, concertantes inter se de victoria, quis ipsorum diutissimè fortissimequè toleraret verbera. Unde nec gemitum, nec vocem dabant, nec scapulas aut corpus contrahebant, tantùm ut victoriæ hujus nomen & decus obtinerent.

Plutarchus in Lac.

PUNCTUM IV.

In c. 5. Judith §. 12. n. 46.

PRaxis disponendi se ad exercitium patientiæ in tribulationibus est. Imò. *Removere ejus impedimenta*, quorum unum est. Opinio falsa de tribulatione, ex qua magis tribulationis metu quàm re cruciamur. Teste enim Didaco de Celdada gravissimum genus tormenti, est metus tormenti; plùs aliquando torquet opinione quàm re. Nam res semel toleratur, metus calamitatem amplificat & multiplicat, & ferit anticipato vulnere, toties repetito, quoties subit ejus memoria.

S. Greg. 31. lib. Moral.

2dò. *Est deponere affectum inordinatum erga res creatas:* nam teste S. Gregorio sinè dolore amittitur, quidquid sinè amore possidetur. Quæ verò ardenter diligimus habita, graviter suspiramus ablata.

Eccl. 2.

3tiò. *Considerare, esse hanc viam ordinariam nempe crucis ad Cælum.* Unde *Eccl.* dicit: Fili accedens ad servitutem DEI, sta in justitia & timore, & præpara animam ad tentationem. Et *Christus*: Arcta via est quæ ducit ad vitam.

Matth. 7.

4tò. Voluntatem DEI esse quæ immittit tribulationes ob varios fines nobis, proximisquè utilissimos, tum gloriæ DEI & Sanctorum servientes. Hinc *S. David* inquit: obmutui & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.

Psal. 38.

5tò.

5tò. *Prævidere futuras angustias*: quia teste S. Gregorio: Minus jacula feriunt, quæ prævidentur; & nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. *S. Greg. hom. 35. Evang.*

6tò. *Considerare æterna mala, & perennia bona*: quia illa per patientiam evitantur; hæc acquiruntur: proponere sibi exemplum Christi, & tot milliones patientium in omni statu, sexu, ætate & dicere; Potuerunt hi & hæ, cur & non ego? sed amor DEI superat omnia, qui etiam delectabiles facit dolores & tribulationes.

7timò. *Confortare se frequentiùs SSmo.* Eucharistiæ Sacramento, qui est cibus fortium. Et *Psal.* Parâsti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. *Psal. 22.*

8tavò. Oratione & fiduciâ ad DEI auxilium recurrere, qui non permittit tentari plùs, quàm sustinere potest homo, sed cum tentatione facit proventum.

9nò. Scire quarundam quæstionum resolutiones *ex P. Lohner. Prima est*, cur DEus famulos suos, quò fidelius ei serviunt, quoque plura pro ipsius gloria agunt, & patiuntur, eò pluribus persecutionibus & tribulationibus obnoxios esse sinat? Sic enim plerumque fieri testatus est, inprimis S. Gregorius his verbis: Ego fidenter dico, quia minus piè vivis, si minùs persecutiones pateris. Testatus est 2. S. Macarius dicens: Viri Divini præparare se debent ad certamen & prælium. Ea enim est Christianæ Religionis via, ut ubi est Spiritus S. ibi statim sequatur conflictus & persecutio. Vides Prophetas, quorum pacto cum contribulibus suis persecutionem passi sunt, in quibus tamen Spiritus operabatur. Vides, quomodo Dominus non ab alia gente, sed à suis persecutione affectus est, nempe à propria tribu Israel, à qua etiam cruci est affixus. Itidem & Apostoli. Itaque statim à cruce transivit Spiritus Paracletus, & migravit ad Christianos. Testatus est S. Ignatius, qui Parisiis operam dans, & à quodam quæsitus, cur omnia ei tunc prospere fluerent? respondit: Me tacente tacent alii: Quiescente quiescunt: Ubi me commovero, invida continuò tempestas exorietur, ejusquè fluctibus exagitabor. Testata est S. The-

Biblioth. Manu. tit. Patient.

S. Greg. lib. 6 Epist. 17.

S. Macar. hom. 15.

Riba: in vita lib. 2. c. 2.

Mens.7. c. 4. apud Lanc. Opusc. 9. c. 1. n. 13. S. Theresia dicens: Semper observatum est, eos qui Christo Domino viciniores & propiores fuère, plùs aliis laboribus & adversis lancinatos, & divexatos esse. *Ad hanc ergò quæstionem* geminas hujus rei esse causas. *Prima est Amor DEI* erga hujusmodi Personas. Ità testatus est ipse Christus S. Brigittæ dicens: Amici mei tribulantur in hoc mundo, aut ad minus supplicium in futuro, aut ad majorem coronam in cælo. Nam Petrus & Paulus pro justitia mortui sunt, sed Petrus amariùs Paulo; quia plùs dilexit carnem Paulo; & quia Ecclesiæ meæ accepit primatum, debuit & se mihi majore morte conformare. Paulus verò, quia plùs dilexit continentiam, quia plùs laboravit, tanquam miles egregius, gladium obtinuit. Sed & alias eidem de quodam Episcopo dixit: Propterea quia amicus meus est, & eum intimè diligo, ideo quasi amico laboriosius onus impono. Idem testatus est Angelus eidem Brigittæ de B. Virgine dicens: Congruè S. Virgo nuncupari potest florens rosa, nam sicut rosa crescere solet inter spinas, ità hæc venerabilis Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes, & quemadmodum quantò rosa se in crescendo plus dilatat, tantò fortior & acutior spina efficitur, ità & hæc electissima rosa MARIA, quantò plùs ætate crescebat tantò fortiorum tribulationum spinis pungebatur. Cùm autem ad illam ætatem ipsa pervenit; quâ Filius DEI factus est Filius suus, tunc plenissima illa rosa in sua pulchritudine magis dilatari ac crescere videbatur, ac tribulationum spinæ ipsam acriter stimulantes, fortiores & acutiores quotidie efficiebantur. Testata id ipsum est B. Maria Magdalena de Pazzis, dum Christum allocuta dixit: Permittis ô Verbum dæmones confligere cum servis tuis, eos ut facias gloriosiores; & quantò majorem gratiam dare vis, & majus lumen ad te cognoscendum, tanto magis fabricas fornaces & ignes, in quibus purgentur corda adinstar auri, & appareant illorum virtutes tanquam lapides digni & pretiosi. Hinc jam olim Ethnici idem de suis Dijs quoque senserunt, ut Seneca his verbis testatur: Hanc rationem Dij sequuntur in bonis viris, quàm in discipulis suis Præceptores, qui plus laboris exigunt ab his, in quibus certior spes est. Dicant ergò ipsi; Digni visi sumus DEO, in quibus experiretur, quan-

Lib. 3. revel. c. 19. in addit.

Lib. 4. Revel. c. 92.

S. 16. Angelic.

Vitæ p. 4. c. 24.

Seneca lib. de Proverb.

quantum natura humana posset pati: Optimi milites ad durissima mittuntur. *Secunda causa est odium diaboli* erga eosdem justos: Quod tribus ex causis concipit. Quia per illos magis glorificatur DEUS, cujus proinde gloriam in ipsis dæmones imminuere cupiunt. Ità S. Laurentius Justinianus indicavit dicens: Præmonebat milites suos Christus ad persecutionum tolerantiam, nè imparati ad certamen accederent; Sciebat quippe semper Justis bella ab humani generis adversario commoveri, quæ non tantùm adversùs homines, qui invisibiliter infestantur, verùm etiam contra hominum Conditorem concitari noscuntur, non tamen ut invincibilis debelletur, sed ut ipsius gloria in hominibus denigretur. Bacchatur itaque adversùm justos, per quos utcunque Divina proficiscitur laus, quatenus ex laudantium perditione magnificentiam diminuat laudati. Quia hos meritis & virtutibus abundare videns invidet, ideoque spoliare conatur. Quam causam S. Chrysostomus indicavit his verbis. In tempore virtutis perfectæ, tunc diabolus spirat vehementiùs. Et quemadmodum Piratæ, qui mare navigiis infestant, non tunc ubi conspexerint navem, de portu exeuntem invadunt (quid enim hinc fructus caperent, si scapham inanem demergerent) sed ubi redierit onusta, plenaquè sarcinis, tunc demum omnes experiuntur artes; ità sceleratus ille dœmon simul atque viderit aliquos multa collegisse v. g. Jejunia, preces, eleemosynam, castitatem, reliquasquè virtutes omnes, ubi videt navigium plenum esse pretiosis lapidibus, tunc irrumpit undique thesaurum perfodiens, ut in ipsis portûs ostiis scapham demergat, jamquè nudos ad eum portum ejiciat. Quia per justos regnum & potestas sathanæ maximè imminuitur; nam ut rectè idem S. Chrysostomus ait: Nunquam magis furit & sævit scelestus ille dæmon, quàm cùm ex suis vasis & instrumentis multa videt diripi. Non est ejus qui parva gessit & mala, malam illam bestiam irritare. Quamobrem quando videris virum justum magna & præclara gerere, & mala pati innumerabilia nè mireris. Nam contra mirari oportet, si diabolus multas accipiens plagas esset quieturus & vulnera placidè toleraturus. Rectè ergò concludit S. Leo. Intel-

Fasci amor. c. 11.

S. Chrys. hom. 3. in C. 3. Isai.

Idem hom. 43. in 1. Cor.

S. Leo S. 1. Quadr.

ligamus quantò studiosiores pro nostra salute fuerimus, tantò nos vehementiùs ab adversariis impetendos.

Altera quæstio: An perfectionis studium admittat defensionem sui contra calumnias, falsas accusationes & testimonia? contrarium quippe suadere videntur tum Christi & Sanctorum Exempla, nunquam se etiam in periculo gravissimorum malorum incurrendorum, defendentium: tum SS. Patrum passim id
Ibi perf. c. 15. dissuadentium consilium. Excitabit, inquit S. Teresia, Divina Majestas aliquem, qui verùm Patronum vobis tacentibus aget, sed vos hujus rei recordari nollem, sed gaudere quòd culpemini. Quod si vos non defenderit, certum est id minimè opus esse. *Ad hanc quæstionem respondeat per duas resolutiones. Prior* est, esse omnino licitam, imò & sub præcepto adhibendam defensionem sui, vel informationem, vel excusationem, quando silentium vel in infamiam tertii cederet, vel in scandalum aut ruinam aliorum, aut superior rei veritatem exquireret: nam libertas loquendi, quâ justi viri pro justitia sua usi sunt, teste
S. Isidorus lib. 2. Ep. 279. Isidoro Pelusiota non à fastu & arrogantia, sed necessitate nata est. Hæc enim nè justè incommodis affici viderentur, hujusmodi voces expressit; ut tamen securiùs transigatur hæc defensio, & nè amor proprius & cupiditas excellentiæ, quæ ut docent Sancti origine, & peccato prima, in conflictu ultima est, nos decipiat, rectè quis faciet, si se præmissâ precatione in æquilibrio constituat, & tum vel à superiore, vel confessario, vel alio prudente Viro Consilium petat. *Posterior resolutio* est, extra dictos casus plerumque esse omittendam
Opusc. 9. c. 7. n. 264. sui defensionem, maximè cùm, teste Lancizio experientia probet, multis non profuisse excusationes, nec officiorum publicè obeundorum cursum, & successum, nec animarum lucra impedivisse.

Tertia quæstio est: An saltèm, sine perfectionis præjudicio licitum sit, à DEO defensionem & auxilium petere; uti Ecclesiæ & magnorum virorum exempla suadere videntur? ad quam respondeat cum Lancizio triplicis generis esse tribulationes & cruces. 1. Communes quæ concernunt totam Ecclesiam, vel aliam communitatem. 2. Aliæ privatæ quidem

quidem veruntamen nisi avertantur in damnum communitatis cessuræ. 3. Privatæ & Personales, quæ nulli alteri quàm ipsi patienti præjudicium aut damnum afferunt: & in prioribus quidem duabus tribulationibus rectè à DEO auxilium peti, uti allata exempla probant; secus verò posterioribus: in his enim perfectio suadet, non petere à DEO levamentum ut plus patientiæ exerceatur; si minus levaminis extrinsecus offeratur. Quam ob causam S. Teresia commendat unam ex Monialibus suis Beatricem Dignesiam dicere solitam, insignem quandam rusticitatem fore, in doloribus, quos Dominus ei immitteret, alleviamentum quærere. *Lib. fund. c. 11.*

Imò. *Exercere se in Actibus Patientiæ patienter, libenter, ferventer, cum gratiarum actione DEO, juxta suprà dicta tum hìc, tum alibi.* *l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. p. 2.*

Actus interni Patientiæ

SI oportuit te Christe pati, & ità intrare in gloriam tuam; quo pacto ego in illam intrabo, nisi viâ regiâ Sanctæ crucis?

II. *Cognovi Domine quia æquitas Judicia tua, & in veritate tua humiliâsti me.*

III. *Opto potiùs cunctos inferni cruciatus tolerare, quàm tuam justitiam violare.*

IV. *Iram tuam Domine portabo, quoniam peccavi tibi: quod si bona suscepi de manu tua, quare mala non sustinebo?*

V. *In omni adversitate te bone JESU recogitabo, quia talem pro me sustinuisti adversus temetipsum contradictionem.*

VI. *Utinam dignus sim gaudenter cum Apostolis tuis contumeliam, pauperiem, & quidquid volueris, pati pro nomine tuo.*

VII. *Quidquid laboris mihi unquam acciderit id propter Te Domine patienter feram. Si tentationibus exercear; si moeror importunus ingruat, si morbi, si dolores, si quævis tormenta contingant, omnia te juvante fortiter tolerabo.*

VIII. *Absit à me Domine, ut animum despondeam à Christiana perfectione comparanda: omnes enim difficultates Te Duce superabo, & in DEO meo transgrediar murum.*

IX. *Absit à me, ut amore vitæ, vel timore mortis à virtutis proposito desistam. Et si me oporteret universis mundi miseriis, & calamitatibus obrui, nunquam à te recedam.*

X. *Imprime fortissime DEUS robur magnum cordi meo; cupio enim Te sequi per omnem afflictionem & desolationem internam & externam.*

XI. *Ut Jumentum factus sum apud Te Domine DEUS meus; Tu nôsti onus meum quale sit, da mihi illud patienter ferre, ut per cruces extollar ad Te.*

XII. *Offero me Tibi Domine, paratum ad omnia mala æquanimiter, hilariter, ac sinè ulla prorsus querimonia sustinenda.*

XIII. *O! si Patientiam S. Job assequi possem, & Constantiam Sanctorum Martyrum.*

XIV. *Utinam dignus essem Martyrium pro Te subire Domine virtus mea, & firmamentum meum Utinam pro Te vivus comburerer: utinam assari cum Laurentio mererer.*

XV. *Da mihi Domine disciplinam, ut non auferas misericordiam; cæde contumacem, ut reddas mihi promissam hereditatem. Auge tormenta, sed auge patientiam.*

Actus externi Patientiæ.

Ex P. Lohner Biblioth. Manual. tit. Patientia

Lib. 6. revel. 165. 1. *Suis peccatis imputare, quæ quis patitur.* Ità Christus S. Brigittam docuit dicens: Si quis vituperatur, non contristetur, sed respondeat sic: Dignum est, quia toties in conspectu Domini peccavi, & non pœnitui, majoribus enim afflictionibus digna sum. Ideo rogate pro me ut tolerando opprobria temporalia, fugiam sempiterna. Hinc rectè S. Laurentius Justinianus, Aumilis, ait, semper arbitratur, se deteriora mereri, quàm patiatur; quamobrem patienter aspera sustinet, gratias in tentationibus agit. Nec valet quis humano explicare ingenio, quantæ sit utilitatis, quanti meriti, & quàm sit DEO gratum, non altum sapere, tribulationes irruentes perferre fortiter, illatas contumelias tranquillâ mente pati, & humiliter adversantia quæque propriis peccatis adscribere.

Psal. 38. v. 10. 2. *Silere cùm aliquod vel à DEO, vel proximo malum infertur.* Ità S. David suo exemplo docuit dicens: Obmutui & non aperui os meum, quia tu fecisti. Plena certè teste S. Laurentio Justiniano, victoria est, ad contumeliam acclamanti non re-

S. Laur. Just. c. 4. de patient.

spondere

ſpondere, & tacere eo provocante. Nam ſicut nihil eſt deformius, quàm reſpondere furioſis: ità nihil utilius, quàm tacere nobis provocatis. Imò ut quidam antiquorum Patrum dixit: Omnis labor quicunque evenerit tibi, taciturnitate ſuperabitur. Chriſtus teſte S. Ambroſio calumniis appetitus ſilentium detulit triumphale. Quare & tu ſemel pro ſemper hoc accipe: Patiendo aliquod malum immiſſum à DEO vel permiſſum per quamcunque creaturam, ſile, nihil conqueraris (ita effugies innumeros defectus, & detrimentum meriti) ſed procide ad pedes Crucifixi JESU, ipſi effunde dolorem tuum, fatere te majoribus malis dignum eſſe, gratias age quod te dignum fecerit ſimilitudinis ſuæ & coronæ patientiæ, ora pro adverſariis, ora pro majori Cruce ſimul & amoroſa patientia, offer in unione dolorum Chriſti tuam Crucem ad DEI & ſuorum gloriam, tuamquè ſalutem &c. Hæc eſt ſumma ſummarum in patientia: alioquin nunquam veram pacem & lætitiam in hac vita habebis. *Lanciz. Opuſc. 9. n. 165.* *Collector.*

3. *Non ſe excuſare.* Magnum enim ut S. Tereſia ajebat humilitatis argumentum eſt, videre immeritò, & innocentes nos damnari, & ſilere. Quod qui faciat, næ ille Dominum DEum egregiè imitatur. Licèt enim id nobis peccatum ſit, cujus inſimulamur, nunquam ità tamen omnis culpæ expertes ſumus, ſicut bonus DEus erat. *In itine: perfect. c. 15.*

4. *A lacrymis abſtinere.* Ità Chriſtus Suſonem docuit, dum ipſum propter dicteria & irriſiones aliorum flentem corripuit his verbis: Prô pudor! visnè in fœminæ morem lacrymari? certò tibi ipſi apud omnes cæli cives ignominiæ notam inures. Terge oculos, & hilarem vultum exhibe, ut neque dæmones, neque homines animadvertant, afflictionis causâ te plorare. *Vit. c. 47.*

5. *Non diſcedere à locis & perſonis, à quibus quis patitur.* Ità olim antiqui Patres ſuadebant dicentes: Si tibi contigerit tentatio in loco, in quo habitas, non deſeras locum in tempore tentationis, quia ſi deſerueris, quocunque perrexeris ante te invenies, quod fugiebas: ſed patiens eſto donec tentatio tranſeat, nè diſceſſio tua aliis ſcandalum faciat: & nè fortè aliis *Lib. 5. Libell. 7. n. 32.*

qui circa ipsum locum habitant, tribulationem ingerat discessio tua. Quam doctrinam studiosè Socii S. Francisci observabant, utpote quos amor Evangelicus adeò patientes fecerat, ut quærerent potiùs ibi esse, ubi persecutionem paterentur in corpore, quàm ubi cognitâ eorum sanctitate mundano possent gaudere favore.

Chron.p.1.c.4.

Lib. 2. Vit. c.11.

6. *Non petere, ut auferatur tribulatio.* Sic Sancta Catharina Senensis, cùm esset iniquè accusata & infamata, quasi impura Virginitatis jacturam fecisset, & hanc ipsam suam infamiam Christo offerret, non petiit, ut innocentiam suam declararet, sed tantùm, nè à dæmone superaretur, & à Divino obsequio abstraheretur.

7. *Adversarium qui videtur causa mali velut singularem Benefactorem agnoscere;* ideoque. 1. *Excusare* juxta illud S. Bernardi monitum: Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Ità sanè S. Ignatius fecit, qui omnia, quæ fiebant, usque adeò bene interpretabatur, ut natum domi proverbium fuerit: *Interpretationes Patris.* 2. *Laudare illum.* Juxta exemplum SS. Apostolorum: Maledicimur & benedicimus. Item S. Moysis, de quo S. Ambrosius: Quantas, ait? Moyses à populo DEI absorbebat contumelias, & cùm Dominus insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, ut indignationi Divinæ plebem subduceret: quàm miti sermone post injurias appellabat populum, solabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fovebat operibus. Et quamvis cum DEO constanter loqueretur, homines tamen humili & gratâ appellatione affari solebat. Meritò æstimatus esse supra homines, ut vultui ejus non possent intendere. 3. *Orare:* Nihil enim, ut S. Agnes S. Brigittæ olim dixit, est pulchrius aut acceptius DEO, quàm lædentem se diligere, & pro persequentibus orare. Hinc S. Chrysostomus hortatur: Lædit te quispiam aut contumeliâ insectatus est, DEum precare, ut mox illi reconcilietur, & parcat. Frater enim est, tuum membrum est, eodem, quo tu Patre genitus, ad eandem vocatus est mensam; dicet aliquis: at si id egero, majorem mihi in modum insultabit. Ergò & majora te & plurima manebunt præmia.

S. Bern. Ser. 40.

1. Cor. 4. v. 12.

S. Ambro. lib. 2. Offi. c. 7.

Lib. 4. revel. c. 124.

S. Chrysost. l. de Laud. DEI.

§. I. De

§. I.

De Patientia Injuriarum.

QUoniam injuria includit pleraque mala corporis, & animi, adeoque est quid genericum; tum quia ejus sustinentia humilis, accedit ad actum heroicum; igitur de ea sigillatim necesse fuit aliquid insinuare antecedenter ad sequentes paragraphos.

Motiva pro Patientia Injuriarum. *Apostolus.* Jam quidem omnino delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos. Quare non magìs injuriam accipitis? Quare non magìs fraudem patimini? *S. Augustinus*: Perfacile est vestem contemptam habere, inclinato capite incedere, velum super capillos dimittere: sed verum humilem patientia ostendit injuriæ. *S. Gregorius*: Nullus perfectus est, qui inter mala proximorum patiens non est. Qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia à boni plenitudine longè distat. Abel quippe renuit esse, quem Cain malitia non exercet. Sicut in tritura paleæ grana premuntur, sic flores inter spinas prodeunt, & rosa quæ redolet, crescit cum spina quæ pungit. *S. Joannes Chrysost*: In propriis injuriis patientem esse laudabile est: injurias autem DEI dissimulare impium est. *Idem*: Si vindicare vis, sile, & funestam adversario dedisti plagam. *Idem*: Nîl ità confusionem facit ingerenti mala, sicut fortis tolerantia patientis, & neque in verbo neque in opere reddere vindictam. *Isidorus*: Magna est virtus, si non lædas à quo læsus es. Magna est fortitudo, si etiam læsus remittas. Magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas)) *vide plura suprà sub opere misericordiæ: Remittere offensam.*

I. Cor. 6.
S. August. Epist. ad Probam.
S. Greg. lib. 20. Moral. super illud Job 30. Frater fui draconis.
Joan. Chrysost. super Matth.
Idem Ibidem.
Idem super Epist. ad Hebr.
Isid. soliloq. lib. 2.

§. II.

De actibus Patientiæ in perferendis Corporis malis.

COrporis mala sunt, *Paupertas, Fames, Sitis Æstus, Frigus, Nuditas, Habitatio incommoda, Labor, Morbi, Verbera, Dolores inflicti, Mort.*

Motiva

Motiva ferendi patienter Paupertatem.

Psal. 87. *Psalmista* in Persona Christi ait: Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea. *S. Bernardus*: Bonum mihi *ait* Domine tribulari, dummodo ipse sis mecum, quàm regnare sinè Te, epulari sinè Te, sinè Te gloriari. Bonum in tribulatione magìs amplecti Te, in camino (Paupertatis) habere Te mecum, quàm esse sinè Te vel in cælo. Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum? sævit ignis, sed Domiuus nobiscum est in tribulatione. Si DEUS nobiscum, quis contra nos? Ut ergò Paupertas nemini noceat, illud animo altissimè imbibendum, omnem inopiam à DEO nobis immitti bono nostro, ut excoquatur ad purum scoria nostra. S. Job ex opulentissimo in extremam paupertatem unâ vice redactus, corruens in terram adoravit & dixit: Nudus egressus sum de utero Matris meæ, & nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ità factum est. Sit nomen Domini benedictum.

S. Bern. serm. 16. in Psal: Qui habitat.

Motiva tolerandi Patienter Morbos.

S. Bernardus. Credo autem quòd & ego Spiritum DEI habeam, & consilium DEI, in hoc scio equidem, quòd in regione habitatis infirma, & multi aliqui ex vobis laborant infirmitatibus, sed mementote quis dixerit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Et: *cùm infirmor* inquit *tunc fortior sum.* Compatior utique, & multum ego compatior infirmitati corporum, sed timenda multò magìs ampliusquè cavenda animarum infirmitas. Propterea minimè competit religioni vestræ medicinas quærere corporales, sed nec saluti expedit. Nam de vilibus quidem herbis, & quæ pauperes deceant, interdum aliquid sumere, tolerabile est, & hoc aliquando fieri solet. At verò species emere, quærere medicos, accipere potiones religioni indecens est, & contrarium puritati: maximequè Ordinis nostri, nec honestati congruit, nec puritati. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scimus autem, quia qui in carne vivunt, DEO placere non possunt. Spiritualia proinde spiritualibus procuranda, & quærenda potio humilitatis, & clamandum in toto corde: Sana animam

S. Bern. Epist. 321.

2. Cor. 12.

Ibid.

nam meam Domine, quia peccavi tibi. Huic sanitati Fratres dilectissimi operam date: hanc sectamini, hanc servate, quia vana salus hominis. *S. Augustinus*: Quis non ægrotat in hac vita, quis non longum langvorem trahit? Nasci hic in corpore mortali, incipere ægrotare est. *S. Ambrosius*; Infirmitas corporis, sobrietas mentis est, infirmitas virtutum officina est. *S. Gregorius*: Divinâ dispensatione agitur, ut prolixiora vitia, ægritudo prolixior exurat. Christum aspice crucifixum, virum dolorum & scientem infirmitatem: Verè enim langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Apostolus de se ipso ait: Cùm infirmor, tunc potens sum. *Idem*; Virtus in infirmitate perficitur. *S. Augustinus*: Tussi laboras, pulmone deficis, cibum stomachus respuit, phthisi decoqueris, vinum fastidis, dissenteriâ sauciaris, multimodo morborum genere afficeris: sed & hæc, si oculum habes, si cordatus es, DEI tota sunt; disciplinam Patris nè abjicias fili &c.

S. August. psal. 102.
S. Ambros. §. 74.
S. Greg. hom. 19. *in Evan.*
Isai. c. 3.
2. *Corinth.* 12.
S. Aug. de visit. inf. c. 3.

§. III.

De Actibus Patientiæ in perferendis animi malis.

HUjusmodi mala sunt: *Solicitudo & cura, timor, moeror, tentationum impetus, anxietas scrupulorum, morsus conscientiæ, ariditas & desolatio mentis, contemptus, contumeliæ, irrisiones, detractiones.*

Pro Patientia in malis verborum.

S. Gregorius: Qualis quisque apud se latet, contumelia illata probet. *Idem*: Tunc illata convitia bene toleramus, cùm in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur, quòd alienâ injuriâ percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia pejus est supplicium, quod meremur. *Idem*: Lingvas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, nè ipsi pereant: ità per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat. *S. Bernardus*. Desinite ergò Fratres, desinite tam indebitis innoxios lacessere injuriis, & cassis scriptitationibus inquietare, quia nec cumulatis etiam contumeliis provocari poterimus, ut

S. Greg. 1. *Dial. c.* 5.
Idem in Moral. Lib. 13. *c.* 1.
Idem Lib. 30. *c.* 9.
S. Bern. Epi. 67.

Matth. 5. vobis, nisi quod reverentiæ est, respondeamus. *Christus*: Beati estis, cùm maledixerint vobis & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos mentientes propter me: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. *2. Reg. c.* 14. 2. *Reg.* Sicut Angelus DEI, sic est Dominus meus Rex, ut nec benedictione vel maledictione contemptus moveatur.)) DEus patienter fert innumeras blasphemias sui. Similiter. *Christus* æquanimiter audiebat de se dici, quòd sit homo devorator, Amicus peccatorum, bibens vinum, in Belzebub Principe dæmoniorum ejiciens dæmonia, blasphemus, seductor ille *S. Bern. serm.* 34. *in Cant.* *S. Bernardus* de David ait: vetuit prohibere maledicum convitiantem (nempe Semei) quæstum æstimans maledicta.

Patientia in Desolatione animi, & Scrupulis.

Quid sint scrupuli, & quomodo eis obviandum alibi visum est. Hic autem de illis agitur quatenus pertinent ad desolationem animi. Quæ quid sit, quoduplex, unde proveniat, motiva patienter tolerandi eam, quid in ea practicè agendum habes infrà ex Cardinali Bona sub Discretione Spirituum. *Cap.* 9. *sect.* 5. Hic autem breviter aliqua adjicio quæ animent ad patientiam desolationis, & quæ spectant ad praxim in ea se gerendi ùt decet. *S. Bonav. Med. vitæ Chri. c.* 14. *S. Bonaven*: Qui spiritualiter vivit, non moveatur, si aliquando mente aridâ videtur sibi esse derelictus à DEO, cùm etiam Matri DEI hoc contigerit. Non ergo mente tabescat sed diligenter eum quærat, in sacris meditationibus & operibus persistendo, & re inveniet eum. *Christus* Dominus in atrocissimo crucis supplicio constitutus privatus erat omni refrigerio & solatio in parte animæ sensibili: unde & clamabat: DEus meus DEus meus ut quid dereliquisti me?

Institu. Myst. Lib. 2. *Tract.* 3. *c.* 3. R. P. *Augustinus à S. Michaele Carmelita* hæc præclara circa desolationem animi affert dicens: I. Quamvis anima devota sese sentiat ità floccidam in devotione, ità aridam in DEI amore, vix ullum affectum experiatur ad aliquid spirituale, sed potiùs nauseam & aversionem, ità ut non videatur etiam se posse in aliquo humiliare, aut cor suum compungere & convertere ad ea, quæ sunt Spiritûs DEI; attamen non debet hoc sibi attrahere,

trahere, sed constanti animo se resolvere ad serviendum Regi seculorum immortali propriis expensis. Dum illi incidit esse impossibile sic perseverare in vita Spirituali, atque propterea ipsi ad visum repræsentantur difficultates, quæ capiti ejus imminere videntur tempore diuturnæ vitæ fortè futuræ; tunc cogitet jam se forsitan agere ultimum diem, imò horam vitæ suæ, ut aliquid boni faciat, vel amore DEI patiatur: & revera nîl certius morte, nihil autem incertius horâ mortis: quare sibi à sapiente dictum putet: *quodcunque facere potest manus tua, instanter operare*, & meritò; nam ùt monet Salvator: *veniet nox quando nemo potest operari*, utiliter ad salutem. Deinde cogitet solùm de præsenti, quod tantummodo est instans temporis, & consequenter momentaneum & leve tribulationis præsentis: futura autem, utpote incerta, reputet ut non futura, & in DEO inadvertenter prætereat; Scriptum est enim: *sufficit diei malitia sua*, absque eo, quòd molestia crastina cum intempestiva anxietate præveniatur. Denique si nimium ad pusillanimitatem tentetur, concipiat animos, & dicat cum Apostolo: *omnia possum in eo, qui me confortat*, nihil mihi nimis arduum, nihil nimis difficile, omnia possum, *non ego, sed gratia DEI mecum.* Eccl. 9. Joan. 9. Matth. 6. Philip. 4.

II. Et verò hoc potest docere experientia, nempe quòd anima, alioqui secundùm apparentiam & sensum planè derelicta, obtenebrata, desolata, sicut depascere debeat collem Myrrhæ in summa amaritudine animi constituta, subinde tamen, & si solummodo ad momentum temporis aliquod sublevamen sentiat illucescente in se per modum fulguris corruscantis, aliquo radio Divinæ illustrationis, ac DEO instillante unam guttulam consolationis: sicque anima à Dilecto planè subitò, & transeunter visitatur; non sinè desiderabili successu; hæc enim quantumvis subitanea visitatio custodit & roborat spiritum ejus; nè fiat pusillanimis, ut recordetur se à Dilecto non deseri, sed probari; inde etiam fit, quòd anima talem induat fortitudinem, ut planè sit resignata, & parata, in omnimoda derelictione ac desolatione consumere omnes dies vitæ suæ, imò advertens DEum sibi in hoc complacere, nec non reflectens sese sic optimè posse exercere & ostendere suam erga DEum fideli- *Institu: Mystic. Lib. 1. tract. 4. c. 29.*

fidelitatem, incipit anhelare ad sic manendum, vel alia pro amore Dilecti usque ad extremum vitæ halitum toleranda. Tali resignatione confortata Seraphica Mater Theresia, sæpiùs clamabat; *Aut pati, aut mori;* sed & S. Magdalena de Pazzi in hoc spiritu fortitudinis, in hoc pro DEO patiendi desiderio plùs ultra progressa dicebat: *Non mori, sed pati*, quasi voluisset diutius vivere, & æternæ beatitudinis fruitionem differre, ut ampliùs pati posset, quasi noluisset mori & ire ad cælum; quia ibi non datur occasio aliquid pro amore DEI patiendi.

Institut. Myst. Lib. 4. tract. 2. Cap. 26.

III. Quando DEus animam relinquit in ariditate: itâ ut nec spiritum in sublimitate ponere, nec introvertere, nec aliter per fidem juvare possit, ut aliquam subtilitatem inveniat in bonis cogitationibus, vel DEum in mente habeat; tum non est consultum multùm urgere spiritum, vel violentiam inferre; sed consultiùs omnia modestè dimittere & oculos aperire ad quævis sibi proxima & obvia, vel ad aliquam piam imaginem, vel quidpiam aliud, ut illa in DEO & DEum in illis simplici fidei oculo, aspiciat & obvium habeat, non se intrà vel extrà, vel suprà vertendo, sed ad id, quod est primò obvium, vel ad quævis occurrentia.

Institut. Mystic. lib. 4. tract. 4. c. 8.

IV. Quando anima in oratione non specialiter agitur vel trahitur, sed potiùs advertit se premi multiplicitate phantasmatum vel afflictionum, vel tentationum absque eo, quòd possit subterfugere; tunc debet se accommodare, & omnia ista tranquillè tolerare, sese librando in providentia DEI, vel etiam se gerendo, quasi imbre perfusa, tempestate obruta, urenti boreâ concussa, vel tumultu populari foret inquietata, nec sciret remedium contra omnia ista, ac proinde imprudenter faceret, si in istis se turbaret vel irasceretur, eò quòd in his omnibus non possit esse sinè auditu, sinè sensu, sinè perceptione.

Quocirca omnino præstat in tali constitutione habere patientiam, & servare tranquillitatem mentis, omnia modestè sufferendo, quàmdiu DEO visum fuerit; conando tamen interea servare advertentiam, undè veniat ventus, & oculum aper-

apertum ad orientem, dico ad DEum habere ut de manu ejus omnia suscipiat, & in ipsum omnia demergat animo constanti, tranquillo, quieto, imò lætabundo; atque hoc modo in oratione neque est anxietas, nec difficultas, nec violentia, uti nec in aliis exercitiis, utpote cùm ad omnia magìs se habeat passivè, vel permissivè: quæ permissio nihil aliud est, quàm tranquilla tolerantia cum intuitu reverentiali ad DEum; quasi sic deberet esse, nec ipse aliter posset se habere.

Ut anima in his cum majori tranquillitate possit manere, & consequenter in oratione, etiam longo tempore sinè tædio perseverare, sinè læsione cerebri vel dolore capitis, plurimùm juvat cor humile; dum scilicet anima per continuam sui annihilationem, seu exinanitionem eò devenit, ut nè quidem semel cogitet de re aliqua prætendenda extra DEum essentialiter, nec aliud desideret præter Essentiam DEI; quin potiùs ei adhuc nimium videatur minimum, quod DEI Bonitas ei dignatur impendere; imò per essentialem, seu in gradu perfecto requisitam humilitatem, non ampliùs reflectit, an sic vel aliter secum agatur, sed sese totaliter committit Divinæ clementiæ; sicut aliquis pauperculus in palatio toleratus facilè contentatur iis, quæ ei dantur; cùm ei adhuc videatur nimius favor, quòd ibi sinè ullo suo merito toleretur ex mera gratia.

V. Sponsus cælestis gaudet videre, quòd anima devota sit timida, verecunda, & sibi ipsi inter homines non multùm fidat, nec internis suis illustrationibus nimium innitatur &c: ità ut non nisi invita & necessitate compulsa sese ad creaturas extravertat; nec eis cum aliquo affectu adhæsivo utatur. Si dilectus tempore internæ caliginis, eam accedat, & illa timens decipi, eum audire renuat, ejusquè alloquium, & blanda verba primâ fronte suspecta habeat; id ipse non malè capit, sed lætatur in dilecta sua tantam reperire circumspectionem: sic jucundabatur Christus Salvator noster, dum frequenter apparere solitus Sanctæ Theresiæ ab eadem repellebatur aliquando & conspuebatur, de mandato Confessarii ipsius, qui apparitiones istas suspectas habebat; siquidem Christus eam laudabat; eò quòd tutius & securiùs æstimaret Confessarii obedientiam

Institut. Mystic. Lib. I. tract. 4. c. 33.

dientiam in hoc sequi, quàm manere sine timore deceptionis in his Divinis visitationibus & visionibus; simili modo nostra Magdalena Pazziana sæpe metuebat decipi in plurimis, iisquè singularibus, quibus à DEO præveniebatur prærogativis gratiarum, raptibus, extasibus &c: ideoque non semper sequebatur internum tractum, neque etiam expressiora quædam sibi à Christo facta mandata, quando obedientia superiorum vel in minimo erat contraria; nam sæpe erat in caligine mentis, & ariditate spiritûs à DEO relicta; atque ideo opus habebat adminiculo seu baculo obedientiæ, nè cespitaret, vel erraret in aperiendo cordis sui ostio tempore inopportuno, alteri quàm Dilecto, ideo dicere solebat, *se plùs æstimare guttulam obedientiæ, quàm integrum mare contemplationum sinè securitate obedientiæ.*

Institu. Myst. Lib. 1. tract. 4. c. 27. VI. Anima desolata magis confidens, quòd per adjutorium superiorum & Patrum spiritualium faciliùs Dilectum inveniet, ad eos pergit; unde subdit: *invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem, & dixi illis, num quem diligit anima mea, vidistis?* Cant. 3. hi possent illi respondere, an nescis, quia fides docet, quòd Dilectus tuus sit ubique locorum? nescis quòd sit in corde tuo? illa replicaret, quin imò Patres mei id novi; sed fides in me adeò est obscurata, ut in mentem incidere videatur, quasi procul abesset à me; quid ità? *quia quæsivi illum & non inveni,* Cant. 5. per aliquod perceptibile vel sensibile signum; *vocavi & non respondit mihi,* per suavem aliquam inspirationem, prout solebat; videtur procul aufugisse.

Hìc advertere licet, quanto desiderio sponsa anhelet ad Sponsum; atque hoc est signum tenerrimi ad illum amoris: illum autem subinde invenit, sequendo directionem Patrum Spiritualium; unde ait: *Paululùm cùm pertransissem eos* Cant. 3. (puta vigiles) *inveni quem diligit anima mea;* unde quæso contigit, ut tam citò inveniret? Vigiles id est superiores, quorum est custodire civitatem, seu communitatem sibi commissam, monstraverant ei viam compendiosam ad eum inveniendum, ut clarè innotescat, nihil esse, quod rectiùs, securiùs & compendiosiùs ad DEUM deducat, quàm directio & obedientia Superiorum; quippe qui hos sequitur, Joan. 8. nè vel passum ponit in vanum, utpote cùm per eos audiat

DEum

DEum loquentem, quem *qui sequitur non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, ac deducetur per vias rectas: *nam justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum DEI. Hæc citatus Author.* *Sap. 10.*

Patientia in Tentationibus.

Pro qua *Imò.* Angelus *ad Tobiam*: Quia acceptus eras DEO, necesse fuit ut tentatio probaret te. *Jacobus*: Omne gaudium existimate fratres mei, si in tentationes varias incideritis. *Eccl*: Qui non est tentatus, quid scit? *2dò.* Thomas à Kempis: Multi quærunt tentationes fugere, & graviùs incidunt. Per solam fugam non possumus vincere, sed per patientiam & veram humilitatem omnibus hostibus efficimur fortiores. *S. Augustinus*: Profectus noster per tentationem fit, nec quisquam sibi innotescit nisi tentatus. *B. Henricus Suso*: Plerique quando sacratiora sunt tempora & ipsi se libentiùs ad DEum converterent, tantò magis ipsorum afflictio augetur, ità ut nec unam quidem Orationem Dominicam, vel Angelicam salutionem absque diabolicis susuriis explere liberè possint. Unde & ipsi in quandam velut desperationem labentes, orationem à se abjiciunt, & hoc pacto sibi ipsis loquuntur. Quid putas tibi ista oratio prodest tot sordibus conspurcata? sed in hoc nimium errant & suo adversario penitus obsequuntur, cujus hoc præcipuum studium est, ut eos ab exercitiis spiritualibus repellat. Nesciunt certè quòd oratio ipsorum cum omnibus immissionibus illis, de quibus dolent optimè sapit, & verè accepta est ante conspectum Divinæ majestatis. Sæpe namquè (ut D. Gregorius ait) Mens humana adeò perturbatur, ut se ipsam eruere nesciat, in præsenti dolore & angustia constituta: sed ipsa pro eadem ante DEI oculos adversitas devotissima interpellat: ipsaquè passionis amaritudo in oculis illius resplendens, citiùs eum ipsi quàm alia exercitia inclinat, & velociùs adesse compellit. Unde nec ullum omnino bonum opus negligendum est, nec orationes, & templi frequentatio (quæ maligno spiritui singulariter adversatur, & molesta est non minimum) unquam intermittenda. Quòd enim homini de orationis puritate minuitur, hoc ei ex afflictionis molestia accedit, & satis grata est hujusmodi oratio in oculis

Tob. c. 12 *Jacob. c. 1* *Eccl. c. 34.* *Thom. Kemp. Lib. 1. de imit. Chri. c. 13.* *S. Aug. in Psal. 60.* *V. apud Lud. Blosium in Consol. pusill.*

lis DEI. *Idem:* Considerare libet quàm suaviter & amorosè æterna Sapientia cuncta disponat; dum quod plurimùm sibi nocere pleriquè angustiis, tentationibusquè gravissimis pressi arbitrantur, ipsa ad summam eorum utilitatem inflectit. Magnam siquidem Purgatorii partem illa afflictio tollit, & eam patientibus impendio prodest, atquè ingens prœmium adducit. Quamvis enim ipsi multorum se criminum reos arbitrentur, sed coram DEO veri, magniquè Martyres sunt, cùm nulli dubium sit, longè acerbiorem, hujusmodi perpetuam afflictionem, dolorem infligere, quàm uniùs carnificis ictus collo exceptus. Deniquè passionem hanc magnæ esse dilectionis indicium, præsagiumquè, tam scripturarum testimoniis, quam ipsâ veritate probatur; quippe quàm & copiosa gratia & multorum secretorum revelatio subsequuntur. Debent igitur præfati homines eam non solùm patienter, sed & libenter sustinere; certi quòd brevis hæc amaritudo, & momentaneum tribulationis hujus, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operetur in eis.

Matth. 4. v. 3. *3tiò.* Exempla Patientiæ in tentationibus *ex Bibl. Man. Lohner, tit. Tentat.* I. JESUS ductus est in desertum à Spiritu ut tentaretur à diabolo, & cùm jejunâsset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius DEI es, dic ut lapides isti panes fiant. II. Anachoreta quidam ab Angelo circumductus, cùm supra Monasterium innumera diabolorum agmina, super porta Civitatis verò unicum dæmonem otiosum vidisset, quærens ex Angelo causam visionis, intellexit, ideo unum toti Civitati sufficere, quòd pleriquè jam alioqui ipsi devoti & obedientes essent; Religiosos autem, cùm jurati dæmonum hostes sint, integris agminibus expugnari debere, & tamen vinci vix posse. III. Canon Alexandrinus castimoniæ amantissimus Sacerdos, licèt de cælo animatus vocem audivisset dicentem: *Tolera & persevera:* adeò tamen à tentationibus carnis impetebatur, ut locum mutandum decerneret, fecissetquè nisi S. Joannes Baptista Tutelaris ejus Divus se cum his vocibus objecisset: Si aversaris pugnam, perdidisti coronam. Resumpsit ergò animos, & fortiùs pugnavit, feliciusquè vicit.

Specu. Exemp.

Marchant.

IV. S.

IV. S. Ephrem in summa animi malacia ac tranquillitate DEO supplicavit, ut sibi pugnas tentationum pridem pugnatas instauraret, neque materiam meriti, ac triumphi denegaret. *S. Climac. c. 29.*

In Praxi ferendi patienter tentationes, easquè vincendi potissimùm serviunt. I *Principiis obstare.* Unde S. Chrysostomus: Sicut, cùm primum initium duxerit, non cohibeatur ignis arida ligna corripiens, sic in immensam assurgit altitudinem. Imò ut scintilla, si fortè immensam materiam corripuerit, non antè subsistit, quàm totam depascatur; Sic & peccati natura, ubi animi cogitationem aliquam adorta est, nec quisquam est qui malum restingvat, procedens ulteriùs magis indomita efficitur. Quâ utiquè ratione complures videas in omne genus peccatorum imprudentes prolapsos, quòd flammam initio exorientem non extinxerint: II. *Oratio.* Sic Christus ipse monuit dicens *Vigilate & Orate, ut non intretis in tentationem.* Hinc Joannes Avila dicere solebat: Tentatio ad te, tu verò ad DEum. Quemadmodum puereli perterrefacti, statim confugiunt ad sinum Matris; sic nos, cùm aliquâ tentatione pulsamur, per preces confugiamus ad DEum. B. Virgo dedit S. Brigittæ tria remedia contra tentationess. Cùm tentatione sordidâ tentaris, dicito: JESU Fili DEI, omnium conditor adjuva me, ut in tentationibus variis non delecter. Cùm verò delectat te loqui, dicito: JESU Fili DEI, qui coram Judice tacuisti, tene lingvam meam, donec cogitem, quid & qualiter loquar. Cùm verò delectat operari vel quiescere dicito: JESU Fili DEI, qui ligatus fuisti, rege manus & omnia membra mea, ut opera mea tendant ad bonum finem. *Et addidit:* Quacunque tentatione tentaris in oratione, nihilominus ora, & conare ad orandum, quia desiderium & conatus bonus reputabitur pro effectu orationis. Et si sordida advenientia menti tuæ ejicere non poteris, tunc ille conatus reputabitur pro corona, modò non consentias, & sint contra voluntatem tuam. III. *Humilitas.* Sic enim S. Antonio, dum mundum totum laqueis circumdatum videns quæsivit, quis evasurus sit? Humilis; responsum est. IV. *Virtutis contrariæ exercitium:* ità S. Ignatius suis suasit dum dixit: Antevertere oportet tentationes

S. Chrys. de cont. genti.

Matth. 26. v. 15.

In Vitis Patrum.

S. Ignatius p. 5. Constitu. c. 2. §. 13.

nes adhibitis earum contrariis, ut cùm quis ad superbiam animadvertitur esse propensus, exerceri is debet in rebus abjectioribus, quæ ad humiliandum ipsum utiles futuræ videantur, & sic de aliis pravis animæ propensionibus.

§. IV.

De Actibus patientiæ in variis generibus malorum exercendis.

S. Aug. in Joan. hom. 158. S. *Augustinus*: Tu bonus tolera malum: nam & Christus Judam, cùm sciret furem esse, toleravit, & ad prædicandum misit, eiquè cum aliis Eucharistiam dedit. *S. Ambro. super Luc. lib. 5.* *S. Ambrosius*: Voluit Christus deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo sua tradi ut cùm sis desertus à socio, proditus ab ipso, moderatè feras tuum errare judicium, periisse beneficium. *S. Greg. in hom. 35. super Evang.* *S. Gregorius*: Non est perfectè bonus, nisi, qui fuerit & cum malis bonus. Bonus enim non fuit, qui malos tolerare recusavit. *Idem super Ezech. hom. 7. & 19.* *Idem.* Patientia vera est, quæ & ipsum amat, quem portat. Nam tolerâsse & odisse non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. *Idem super Ezech. hom. 7. & 19.* *Idem.* Nulla sunt bona quæ agimus, si non æquanimiter proximorum mala toleramus.)) Christus Dominus secedens in desertum ad quadragesimale jejunium juxta Marcum, erat ibi cum bestiis, ad quod *S. Bonuvent*: inquit: *S. Bonav. Med. vitæ Christi c. 17.* In eo verò quòd conversatur cum bestis disce humiliter conversari, etiam æquanimiter tolerare eos, qui tibi videntur aliquando irrationabiliter se habere.

Pro Patientia in subjectione & obedientia. *Psal. 65.* *Psalm*: Probâsti nos DEus: igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium

Psal. 65. *Eph. c. 5.* *Pro Patientia in malis cujuscunque status* Ecclesiastici, Religiosi, Matrimonialis &c: *Apostolus*: Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis cum omni humilitate, & mansuetudine cum patientia. *1. Corinth. c. 7.* *Idem*: Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.

Reliqua de Patientia in quibusvis particularibus, fusiùs supplentur ex suprà dictis de Patientia in generali.

SUBSECTIO IX.

De Oppositis Patientiæ.

Imò. Opponitur *Pseudo-Patientia. S. Bernardus*: Non bona patientia est, cùm possis esse liber, servum (curarum inanium) te permittere fieri. Vera patientia est pati vel agere, contra quod libeat, sed non præter quod liceat. *S. Augustinus:* Inde est patientia justorum vera, unde est in eis Charitas DEI vera, & inde est patientia iniquorum falsa, unde est in eis cupiditas mundi perversa.

S. Bern. ad Eugen. de Consid.

S. Aug. lib. de Patient. c. 17.

Philosophorum antiquorum falsa Patientia.

Unde *S. Cyprianus*: Tam in illis falsa erat patientia, quàm & falsa sapientia. Unde enim vel sapiens esse vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec patientiam DEI novit? *Ibidem:* Si patiens ille est, qui humilis & mitis est: Philosophos autem nec humiles videmus esse, nec mites, sed sibi multùm placentes, apparet non illic esse veram patientiam, ubi sit insolens affectatæ libertatis audacia, & exerti ac seminudi pectoris inverecunda jactantia.

S. Cyprianus Serm. de patient.

Falsa & illorum Patientia de quibus *S. Augustinus:* In illis autem qui mala sustinent, ut mala faciant, nec miranda nec laudanda patientia, quia nulla est sed miranda duritia. *Ibidem*: Cùm ergò videris quenquam patienter aliquid pati, noli continuò laudare patientiam, quam non ostendit, nisi causa patiendi. Quando illa bona est, tunc ista vera est,

S. Aug. lib. de Patient. c. 5. c. 6.

2dò. Opponitur Impatientia. *Proverb*: Impatiens operabitur stultitiam. *Ibidem:* Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam. *Ibidem.* Qui impatiens est, sustinebat damnum, & cùm rapuerit aliud apponet. *Eccl:* Væ his qui perdiderunt sustinentiam. *S. Gregorius:* Tribus modis virtus patientiæ exer-

Prov. 14.
Ibid. c. 19.
Eccl. 2.
S. Greg. in hom. 35. super Evang.

ceri solet: alia namque sunt, quæ à DEO, alia quæ ab antiquo adversario, alia quæ à proximo sustinemus: A proximo namque persecutiones, damna, & contumelias sustinemus; ab antiquo autem adversario tentamenta, à DEO flagella toleramus. Sed in his omnibus modis vigilanti oculo semetipsum debet mens circumspicere, nè contra mala proximi protrahatur ad retributionem mali: nè contra tentamenta adversarii seducatur ad delectationem, vel consensum delicti: nè contra flagella opificis proruat ad excessum murmurationis. *S. Isidorus:* Discat non murmurare, qui mala patitur, & si ignorat, cur mala patitur, per hoc se justè pati arbitretur, quia ab illo judicatur, cujus nunquam injusta judicia sunt. *S. Bernardus:* Momentaneum, inquit, hoc & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Perge ergò murmurare & dicere: longum est, grave est, non possum tam immania, & tam diuturna portare; Apostolus monentaneum & leve perhibet esse quod tolerat; & certè necdum à Judæis quinquies quadragenas, unâ minus accepisti, necdum nocte ac die in profundo maris fuisti, necdum plus omnibus laborâsti, postremo necdum usquè ad sangvinem restitisti. Vide ergò quàm non sunt condignæ ad gloriam passiones. Quod tribulationis est, momentaneum est & leve! quòd gloriæ æternum est, & pondus etiam supra modum in sublimitate. Quid in incertum tibi dies & annos numeras? transit hora, transit & pœna, & accedunt sibi, sed cedunt potiùs & succedunt. Non sic gloria, non sic remuneratio, non sic merces ipsa laboris: nescit vicissitudinem, nescit finem, manet tota simul, & manet in æternum. *Idem:* Væ tibi! qui post lapsum fortiorem te nobis exhibes. Ut quid tam rigidus es in tuam perniciem? inclinare potiùs, ut meliùs erigaris, & nè prohibeas frangi quod distortum est, ut possit meliùs solidari. Quid indignaris increpanti gallo? tibi potiùs indignare. Pluviam voluntariam (ait Psalmista) segregabis DEus hereditati tuæ, & infirmata est. Bona infirmitas, quæ segregatur hereditati, quæ medicum non repellit, induratos enim tanquam vas figuli in virga ferrea

S. Isid. lib. 4. de summo bono

S. Bern. Serm. 1. de fallacia & brevitate vitæ præsentis.

Idem Serm. 3. in festo SS. Petri & Pauli.

ferrea conteret: & hereditas infirmata est, ait, tu verò perfecisti eam. Impatiens in adversis duplicat sibi eadem, gratiam, & consolationem Divinam perdit, offensam DEI incurrit, ejus iram ad ampliores pœnas provocat, novos conscientiæ cruciatus sibi comparat, nullum cæli habet sperare proemium, sibi gravis, aliis intolerabilis, Martyr diaboli in hoc, & in futuro seculo.

In Praxi cavendi impatientiam, & alia Opposita Patientiæ, assume proportionatè suprà dicta. *1. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.*

§. Unicus.

De Impatientia Injuriarum.

PRov. Nè dicas reddam malum pro malo. Expecta Dominum & liberabit te. *Ibidem.* Nè dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam ei. *Eccl.* Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam. *Prov. 20. Prov. 74. Eccl. 28.*

S. Ambros. Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius, quàm animo non commoveri. Hoc nostrum est, naturæ illud. *S. Chrysostomus.* Illa fulgentissima victoria est, quæ inferentem injurias patiendo superat. *S. Ambrosius.* Qui citò movetur injuriâ, facit se dignum videri contumeliâ, dum vult indignus videri. *S. Ambro. Offi. 1. S. Chrys. hom. 45. in Matth. S. Ambros. de Offic. c. 6.*

SUBSECTIO X.

De Perseverantia.

PErseverantia, *est specialis virtus, quâ homo in honestis operibus persistit, quantum necesse est.* Dicitur; *specialis virtus*: quia juxta Philosoph. 2. Eth. c. 3. Virtus est circa difficile, & bonum: Et ideo ubi occurrit specialis ratio difficultatis v. g. boni, ibi est specialis virtus. Opus autem virtutis potest habere bonitatem & difficultatem ex duobus. Uno quidem modo ex ipsa specie actûs, quæ accipitur secundùm rationem pro- *D. Th. 22. q. 137. a. 1.*

prii objecti. Alio modo ex ipsa diuturnitate temporis. Nam hoc ipsum, quod est diu insistere alicui difficili, specialem difficultatem habet. Et ideo diu persistere in aliquo bono, usque ad consummationem, pertinet ad specialem virtutem. Dicitur: *persistit quantum necesse est*: ubi intelligitur finis bonorum operum, ad quem perseverantia in iisdem persistere facit. Est autem duplex finis. Unus quidem qui est finis operis: alius autem qui est finis humanæ vitæ. Per se autem ad perseverantiam pertinet, ut aliquis perseveret usque ad terminum virtuosi operis, sicut quòd miles perseverat usque ad finem certaminis, & magnificus usque ad consummationem operis. Sunt autem quædam virtutes, quarum actus per totam vitam debent durare, sicut fidei, spei, & charitatis, quia respiciunt ultimum finem totius vitæ, humanæ. Et ideo respectu harum virtutum, quæ sunt principales, consummatur actus perseverantiæ usque ad finem vitæ. Et secundùm hoc August. accipit perseverantiam pro actu perseverantiæ consummato. Cæterùm, ut homo perseveret in bono usque ad finem vitæ indiget non modò habitualis gratiæ dono, sed etiam DEI auxilio conservantis hominem in bono usque ad finem vitæ. Quia cùm liberum arbitrium de se sit vertibile, & hoc ei non tollatur per habitualem gratiam præsentis vitæ, non subest potestati liberi arbitrii etiam per gratiam reparati, ut se immobiliter in bono statuat, licèt sit in potestate ejus, quòd hoc eligat. Plerumquè enim cadit in nostra potestate executio, sed non electio. *Et alibi* idem Angelicus Doctor inquit: Quòd perseverantia tripliciter dicitur. Quandoque enim significat habitum mentis, per quem homo firmiter stat, nè removeatur ab eo, quod est secundùm virtutem per tristitias irruentes, & sic se habeat perseverantia ad tristitias, sicut continentia ad concupiscentias, & delectationes ùt Philos dicit in 7. Ethic: Alio modo potest dici perseverantia habitus quidam, secundùm quem homo habet propositum perseverandi in bono usque in finem. Et utraque istorum modorum perseverentia simul cum gratia infunditur, sicut & continentia & cæteræ virtutes. Alio modo dicitur perseverantia, conti-

Idem a. 1. ad 2.

De lib. arbit. l. 4. to. 5.

D. Th. cit. a. 4.

Idem 1. 2. q. 109. a. 10.

nuatio quædam boni usque ad finem vitæ. Et ad talem perseverantiam habendam, homo in gratia constitutus, non quidem indiget aliâ aliquâ habituali gratiâ, sed Divino auxilio ipsum dirigente, & protegente contra tentationum impulsus. Et ideo postquam aliquis est justificatus per gratiam, necesse habet à DEO petere prædictum perseverantiæ donum, ut scilicet custodiatur à malo, usque ad finem vitæ: multis enim datur gratia, quibus non datur perseverare in gratia.

Porrò quòd hæc finalis perseverantia, sicut & prima gratia sunt merè gratuita, pulcherrimè disserit. *S. Bernardus* dicens: In quorum numero indignos nos servos nominis sui, ipsa de qua locuti sumus constituere dignetur misericordia, quæ ab æterno est, & usque in æternum super electos, in medio quidem aliquatenus ostendens liberum arbitrium meriti, gratia principium, & finem omnino soli vendicans sibi, ut sit nobis Alpha & Omega Dominus DEus noster, & pro utroque jure clamemus: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *S. Thomas*; ait: Constantia ad perseverantiam spectat, ità tamen quod in aliquo inter se conveniunt, & in aliquo, differunt. Et quidem conveniunt in fine: quia ad utrumque pertinet firmiter persistere in aliquo bono: Differunt autem secundùm ea, quæ difficultatem afferunt ad persistendum in bono. Nam virtus perseverantiæ propriè facit firmiter persistere hominem in bono ex ipsa diuturnitate actûs: constantia autem facit firmiter persistere in bono contra difficultatem, quæ provenit ex quibuscunque aliis exterioribus impedimentis. Et ideo principalior pars fortitudinis est perseverantia, quàm constantia, quia difficultas, quæ est ex diuturnitate actûs, est essentialior actui virtutis, quàm illa, quæ est ex exterioribus impedimentis.

S. Bern. Ser. 4. supra Esaiam.

S. Th. 22. q. 137. a. 3.

Gradus Constantiæ ex S. Bonaventura in Form. aurea de grad. virtut.

I. Constantiæ altus gradus est, cùm homo tantùm unitur DEO, quòd non potest induci ad aliquod malum, quod DEO displicet, nec abduci ab aliquo bono, quod DEO pla-

Ordo graduum Constantiæ.

cet per amisſionem rerum temporalium, ſicut Tobias & Mathathias. Altior, cùm homo non poteſt cogi per mutationem membrorum, ſicut illi ſeptem, de quibus legitur in libro Machabæorum. Altisſimus, cùm non poteſt cogi per ablationem vitæ temporalis, ſicut Paulus cum dicit: Non ſolùm alligari, ſed etiam mori paratus ſum propter nomen Domini JESU Chriſti.

II. Item in altum conſtantiæ gradum aſcendit, qui non recedit à DEO in proſperitate, ſicut David. In altiorem aſcendit, qui non recedit à DEO in adverſitate illata ab inimicis, ut Stephanus. In altisſimum, qui non recedit à DEO in adverſitate illata ab amicis, ut Job: qui dixit amicis: Juſtificationem, quam tenere cœpi, non deſeram.

III. Item in alto gradu conſtantiæ eſt, qui non conſentit tentationibus peccatorum carnalium, ſed tamen ſuffert. In altiori eſt, qui non conſentit tentationibus peccatorum ſpiritualium, ſed tamen ſuffert. Unde Jacobus ait: Beatus vir qui ſuffert tentationem &c. In altisſimo eſt, qui extirpat à ſe etiam occaſiones tentationum carnalium & ſpiritualium peccatorum. In iſto gradu fuit Chriſtus.

IV. Item in altum gradum aſcendit, qui non movetur à Sancta converſatione, vel à bono opere, vel propoſito bono, irriſione, vel vituperatione ùt David, cui Michol irriſit & contempſit, & improperavit, quòd ſaltâſſet ſcurra nudus coram ancillis. In altiorem, qui non movetur adulatione, vel laude hiſtrionum, & malorum hominum. In altisſimum aſcendit, qui non movetur adulatione vel laude bonorum hominum.

Matth. 10. *Stimuli ad Perſeverantiam in bono, ſunt. Imus.* Chriſtus ait: Qui perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit. *Apoſt:* Itaquè fratrès mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles & abundantes in omni opere Domini, ſemper ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino. *Idem.* Ipſe autem DEus ſanctificet vos per omnia, & integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſinè querela in adventu Domini noſtri JESU Chriſti ſervetur. Fidelis eſt qui vocavit vos, qui etiam faciet. *Idem.* Confidens in in hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque

1. Corinth. c. 15.

1. Theſſ. 5.

Philip. 1.

usque in diem JESU Christi. *Idem:* Christus verò tanquam Filius administravit domum ipsius, cujus domus nos sumus, si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus. *Ibidem:* Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retinemus. *Ibidem:* In disciplina perseverate. *Apocalip:* Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *2dus. S. Gregorius:* Incassum quippe bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur; quia & frustra velociter currit, qui priusquam ad metas venerit, deficit. *S. Bernardus:* Absque perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Nutrix est ad meritum, mediatrix in prœmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem gratitudo. Sola est cui æternitas redditur, vel potiùs quæ æternitati hominem reddit; dicente Domino: Qui perseveraverit usquè in finem salvus erit. *S. Hieronymus:* Non quæruntur in Christianis initia, sed finis & perseverantia. Paulus malè cœpit, sed benè finivit; Judæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. *3tius ab Exemplis. S. Bernardus inquit:* Magis DEO propinqua similitudo est, in qua animus virtutis magnitudine, summi Boni quasi gestat magnitudinem, & perseverantiæ in bona constantia, æternitatis ejus incommutabilitatem. Et hæc est similitudo intantum propria, ut non jam similitudo, sed unitas spiritûs nominetur, cùm fit homo unus cum DEO spiritus, non tantùm virtute volendi idem, sed expressione quâdam, & unitate virtutis aliud velle non valendi. *Sequentia exempla ex Bibl. Man: Lohner tit: de Perseverantia: Christus Dominus* de se ipso dixit: Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam. Et in cruce dixit: Consummatum est. Sed & *S. Bernardus* de eo sic discurrit: Descendat de cruce si Rex Israël est; imò verò quia Rex Israël est, titulum regni non deserat; cùm enim salvus esse non possit, nisi qui perseveraverit usque in finem, quantò minus poterit esse Salvator? Additquè *S. Thomas:* Si de cruce descenderet, virtutem nobis

Hebr. 3. *Ibid. 3.* *Ibid. 12.* *Apocal. 2.* *S. Gregor: in Mor. & est de poenit. dist. 3. Can. in ca ss.* *S. Bern. in Epist. 129.* *S. Hiero: lib. 1. cont. Iovin.* *S. Bern. de vit. solit.* *Joan. 17. v. 4.* *Joan. 19. v. 38.* *S. Bern. in die Pasch. Serm. 1.* *S.Th. in Matth. c. 27.*

S. Ambros. ex hort. ad Virg. patientiæ usque in finem non demonstrâsset. *Aliud:* Quis fortior Paulo? quis beatior? ille tamen vas electionis Dominicæ, non antè sibi coronam vindicavit, quàm certamen omne consummaretur, ideoquè ait: Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi. *Aliud:* S. Ignatius in rebus arduis urgendis constantissimus erat. Causæ hujus constantiæ erant, quòd antequam quidquam aggrederetur omnia circumspiciebat, & examinabat. Deinde quia multum orabat, lacrymis gratiam à DEO petens, unde sæpe voluntatem Divinam Divinitus intelligebat, non sinens se ab ea avelli. Denique quia viros peritissimos, quorum curæ res commissæ erant, consulebat. Idem, si quæ negotia in certum diem destinâsset, nullâ tempestate, nullâ difficultate ab eorum expeditione ad constitutum tempus impediri se permittebat. In adeundis viris Principibus cunctas molestias alacritate mirabili devorabat; semel aditu exclusus, commodam admissionem horas ipsas quatuordecim jejunus expectabat. Si quid semel re bene perspectâ, consiliariisquè adhibitis decrevisset, non facilè cedebat. Hinc Julius III. festivè Principes monebat, nè cum Ignatio contenderent, nè victi vellent discedere, videlicet ob ejus in rebus agendis constantiam & fortitudinem. *Aliud:* Socrates morti adjudicatus propter sinceram Philosophiæ professionem, ad judices conversus dixit: Equidem vos omnes singulari benevolentiâ complector, parendum tamen, & potiùs dico DEO immortali, quàm vobis. Itaque quamdiu spirabo, & potero nunquam Philosophiæ curam abjiciam, nec vestri admonendi, more què meo adhortandi ad virtutem, quemcunque ex vobis nactus fuero.

Ribad. lib. 5. vit. c. 9.

Jos. Lang. ex Polianth. fol. 246.

Quoad Praxim comparandi Constantiam, seu Perseverantiam in bono, facit. Imò. Humilitas & Timor DEI. Unde *S. Bernardus*: In veritate didici, nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram DEO inveniaris non altum sapere, sed timere. 2dò. *Consideratio Brevitatis vitæ, & æternitatis, tum gloriæ cælestis, tum poenarum inferni.* Hinc Beda inquit: DEI ineffabilis & immensa bonitas etiam hoc providit, ut laborum quidem tempus

S. Bern. in Cant. Ser. 54.

& ago-

& agonis non extenderet, nec longum faceret, aut æternum, sed breve, & ut ità dicam, momentaneum, ut in hac brevi, & exigua vita agones essent & labores, in illa verò, quæ æterna est, coronæ & proemia meritorum, ut labores quidem citò finirentur, meritorum verò proemia sinè fine durarent. *SS. Theodorus* & *Lucius* per inconstantiam tentati, semper modicum tempus prætendebant, quo adhuc tenerent perseverantiam in proposito, quousque omnino tentatio illa abscessit. *3tiò.* Denique pro finali perseverantia obtinenda, exequere signa prædestinationis suprà allata. Nam esse prædestinatum & mori hominem in gratia DEI, seu in illa finaliter perseverare, sunt eadem in re ex parte nominis. Cæterum ex mente *Angelici Doctoris*, & communi sensu Theologorum, sciendum est, gratiam finalis perseverantiæ non posse mereri, posse tamen oratione impetrari, vel sibi vel aliis. *Rationem alibi dat*, quia ad meritum maximè de condigno gratiam & donum gratiæ aliquod concedere, est quædam obligatio justitialis, quæ non sequitur ad orationem positam; sed quod ex motivo illius DEus tribuit, misericorditer tribuit, quale est donum finalis perseverantiæ merè gratuitum, & solius misericordiæ DEI. Quare ô homo sit tibi perpetua memoria, ùt æternitatis, ità & felicis transitûs ad eam, pro quo die noctuquè misericordiam DEI, tum patrocinium DEIparæ, ac SS. Patronorum tuorum implorare non cesses. Inter alias intentiones, intentionem quoque adipiscendæ finalis perseverantiæ, seu felicis mortis, in omnibus operibus tuis habeas, sive illa opera ex voluntate tua habeant vim impetrandi, sive ex natura sua saltèm de congruo possint obtinere donum finalis perseverantiæ. *Suarez* docet (ut juxta promissum Christi:) Petite & dabitur vobis, infallibiliter finalis perseverantia obtineatur, debere esse pro illa acquirenda perseverantem quoque orationem, non ità *quasi per unum actum vel per plures in certo tempore, vel usque ad certum instans vitæ factos, impetrando perseverantiam & quasi confirmationem in gratia pro reliquo tempore vitæ*, verùm *successivè* per totum *vitæ tempus, quasi per partes perseverantiam impetrando.* v. g. *Nunc impetrando auxilium efficax ad non cadendum in præsenti occasione, &*

l. 2. tra. 1. c. 2. sub spe.

V. D. Th. l. 2. q. 17. a. 9. & Sua: de gratia & merit. lib. 12. c. 26.

Suar: de grat. & merit: lib. 12. c. 38. n. 14.

Matth. 7.

post illam iterum orando & impetrando aliud auxilium ad servandum præceptum iterum recurrens, & sic consequenter semper orando, & nunquam deficiendo. Et infra n. 16. *Igitur perseverantia orationis in tali materia requisitæ, est, ut non semel tantùm, aut iterum fiat, sed ut toto tempore vitæ duret, & præsertim ut in occurrentibus occasionibus servandi mandata, aut vincendi tentationes, cum debita fiducia repetatur: sic enim fiet, ut procedendo ab uno actu ad alium benè operando, & convenienter orando, infallibiliter perseverantiam consequatur:* Et n. 17 *Ut fructus meriti de congruo certior sit* (nempe ad acquirendam perseverantiam) *adjungenda est semper petitio perseverantiæ. Et eâdem ratione non solùm orandum est, ut non peccemus, sed ut in oratione perseveremus; quia neque oratio, neque perseverantia in illa potest sinè gratia DEI fieri, neque sine congrua vocatione fiet.*

Ex his collige ad donum finalis perseverantiæ infallibiliter obtinendum præter assiduam orationem, opus quoque recedere à malo & facere bonum. Quia *quantùm ad primum*, quòd juxta *Cornelium à Lap:* Aliqui piè viventes in morte defecerint, ideo illâ tentatione victi: v. g superbiæ, propriæ complacentiæ, odii &c: perierunt, quia ei in vita aliquando non restiterunt, ut expediebat. Deinde secundùm Lessium quibusdam in pœnam præteritorum peccatorum subtrahit DEUS speciales gratias, permittitquè graviores tentationes, quæ multis fiunt occasio ad æternam damnationem. *Quoad secundum:* Nam ut B. Angelæ morienti Divinitus dictum est. *Necesse est hominem in morte illorum recordari, quorum in vita memor fuit.* Hinc si in contritione mori desideras, debes ejus exercitium dum vivis non raró præmittere, & sic de aliis virtutibus.

Corn. à Lap. in quod: Comment.

Less de pers. Divin. & Justitia DEI c. 15.

In vita B. Angelæ.

4tò. *Vide supradicta & hìc proportionatè applica.*

l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

Interni Actus Perseverantiæ.

Clementissime DEus! firmissimè statuo, me usque ad mortem Tibi famulaturum.

P. Joan. à J. M. discip. Claust.

Fidelissime Domine! si per annos mille in hac vita molestissima laborandum esset, à proposito Tibi vacandi non desisterem.

Misericordissime DEus! absit à me, ut ob ullam adversitatem consilium mutem.

Potius

Potiùs amantissime Domine uri me sinam, quàm instituto desistam.

Etsi oporteret benignissime DEus universis mundi miseriis obrui, nunquam de alio statu cogitarem.

Utinam desideratissime Domine moriar, antequam à te recedam.

Mihi certe adhærere Tibi Domine bonum est, propterea perenniter adhærebo.

Donec superest halitus in me, à Te non divellar.

Actus Externi Perseverantiæ.

Pericula cadendi, & in virtute perseverantiæ deficiendi, sagaciter indagare, & salubribus contra illa mediis se prævenire. *P. Lohner Bibl. Manuel. tit. Perseve:*

Seipsum variis motivis ad perseverandum exstimulare; maximè efficaci illo, & à S. Bernardo aliisque frequenter usitato stimulo: Ad quid venisti? Item illo à S. August. usurpato: Potuerunt isti & istæ, & tu non poteris?

A lapsu, si fortè per fragilitatem is contingat, citò resurgere; hoc enim, ut rectè advertunt Theologi & Ascetæ, est unum ex mediis, quibus DEus ad prædestinationem hominis executioni mandandam utitur.

Amorem vitæ, timorem mortis, minasquè ac promissa generosè contemnere; ob hæc enim plerumquè à perseverantia deflectunt homines.

SUBSECTIO XI.

De Pertinacia.

Pertinacia, est vitium per excessum perseverantiæ adversum, quo aliquis in propria sententia perseverat plùs quàm oportet: Sicut mollis minùs quàm oportet; perseverans autem tantùm quod oportet. *V D. Th. 2. 2. q. 138. a. 2.*

S. Isidorus inquit: Pertinax dicitur aliquis, qui est impudenter tenens, quasi ad omnia tenax. *S. Isidor. lib. 10. c. 15.*

Motiva cavendi Pertinaciam.

Imùm. Jacob Patriarcha moribundus filiis suis Simeon & Levi *Gen. c. 49.*

Levi ob cædem in Sichem patratam ità imprecatur: Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum quia dura: dividam eos in Jacob, & dispergam in Israël. *Proverb*: Nè innitaris prudentiæ tuæ. *Isa*: Væ! qui sapientes estis in oculis vestris. *2dum. Cassianus*. Impossibile est quenquam qui proprio fidit judicio, diaboli illusionibus non decipi. *Idem* refert quendam Benjamin monachum pervicaciorem in servanda ratione abstinentiæ contra placita seniorum, deinde relicta eremo ad vomitum seculi rediisse, ruinâ suâ cunctos docens, neminem suis definitionibus vel proprio judicio confidentem perfectionis culmen aliquando posse ascendere. *S. Bernardus*: Lepra verò proprii consilii eo perniciosior est, quò magìs occulta: & quantò plùs abundat, tantò sibi quisquè sanior esse videtur. Hæc illorum est, qui zelum DEI habent, sed non secundùm scientiam, sequentes errorem suum, & obstinati in eo, ità ut nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt vanitatis defensores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, & magni in oculis suis, ignorantes DEI justitiam, & suam volentes constituere. Et quæ major superbia, quàm ut unus homo toti Congregationi judicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat Spiritum DEI? Idololatriæ scelus est non acquiescere, & quasi peccatum ariolandi repugnare. Eant nunc qui se faciunt aliis religiosiores, qui non sunt sicut cæteri hominum; Ecce arioli & idololatræ facti sunt: si tamen & ei qui dixit hoc plusquàm sibi judicant esse credendum. Neque huic discrepat veritatis sermo quem dixit: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Sed ubi poterit hæc lepra mundari nisi in Jordane? ibi mergère quicunque hujusmodi es, & attende quid fecerit magni Consilii Angelus, quomodo Consilium postposuerit Consilio, vel magìs voluntati mulieris unius (beatam Virginem loquor) & fabri pauperis, ipse est Joseph. Inventus enim in medio Doctorum audiens eos, & interrogans, quonam modo interrogatus est: Fili quid fecisti nobis sic? at ille: Quid erat, inquit, quòd me quærebatis, nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? At illi non intellexerunt verbum. Et quid

Proverb. 3.
Isa: 21.
Cassian. collat. 16.
Idem collat. 2. c. 2.
S. Bern. Ser. 3. temp. Pasch.

quid fecit, Verbum non capiebatur in se, descendit ità, ut esset etiam subditus illis. Quis jam non erubescat obstinatus esse in Consilio suo, quando suum Sapientia ipsa deseruit? sic mutavit Consilium suum, ut quod jam cœperat ex tunc usque ad trigesimum ætatis suæ annum prorsus non dimiserit. Nil enim ab hoc duodecimo anno de ejus doctrina vel operibus invenis usque ad annos triginta.

In Praxi facilè erit pertinaciam deponere, si ejus radix evellatur, nempe vana gloria. Etenim Doctore S. Thoma: *Ideo aliquis inanis persistit in propria sententia, quia per hoc vult suam excellentiam manifestare. Et ideo oritur ex inani gloria sicut ex causa.* S. Th. q. 138. a. 2. ad 1.

Denique adhibe hic convenienter suprà specificata. 1. 2. tra: 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

SUBSECTIO XII.

De Mollitie.

M*ollities, est vitium perseverantiæ oppositum, quo aliquis de facili recedit à bono propter aliqua difficilia, quæ sustinere non potest.* Dicitur: *quo aliquis de facili* &c. Molle enim dicitur, quod facile cedit tangenti. Non autem judicatur aliquid molle ex hoc, quòd cedit fortiter impellenti, nam & parietes cedunt machinæ percutienti. Et ideo non reputatur aliquis mollis, si cedat aliquibus valde graviter impellentibus delectationibus, vel tristitiis. Graviùs autem impellit metus periculorum, quàm cupiditas delectationum. D. Th. 2. 2. q. 138. a. 1. & 2.

Contra Mollitiem, 1mùm. *Prov*: Qui mollis & dissolutus est in opere, frater est sua opera dissipantis. *Christus*. Nemo mittens manum suam ad aratrum (*servitij DEI in ejus excolendo agro spirituali animæ*) & respiciens retro (*ad mundi supervacuas curas*) aptus est regno DEI. *Apostolus*: Vide ergò bonitatem, & veritatem DEI. In eos quidem qui ceciderunt, in te autem bonitatem DEI, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris. 2dum. *S. Basilius*: Vermes in lignis mollioribus enascuntur: ità animi impietates in mollioribus hominum mentibus Prov: 18. Luc. c. 9. Rom. 11. S. Basil. hom. de grat. agen.

S. Amb. lib. 1. Offic. c. 36. bus oriuntur. *S. Ambrosius*: Revera jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque se ipsum vincit, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, non variarum rerum mutatione quasi vento quodam circumfertur. Quid autem excelsius & magnificentius, quàm exercere mentem, afficere carnem, & in servitutem redigere, ut obediat imperio, consiliis obtemperet, ut in adeundis laboribus impigrè exequatur propositum animi ac voluntatem?

1. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3. *In Praxi cavendi Mollitiem, adhibe congruo modo supradicta.*

SUBSECTIO XII.

De Dono Fortitudinis.

V. B. Thom. 2. 2. q. 139. A. 1. FOrtitudo ut donum Spiritûs S. est, quâ supra rationem virtutis fortitudinis (quâ homo non deficit à bono) ulteriùs ad ejusdem cujuscunque boni inchoati finem perveniat, evadendo pericula imminentia, & concipiendo fiduciam vitæ æternæ, qui est finis omnium bonorum operum, & evasio omnium periculorum.

1. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3. *Motiva & alia dicta sub virtute fortitudinis hìc proportionatè servire possunt. De dispositione ad idem Donum vide suprà sub dispositione ad dona Spiritûs S. & hìc applica.*

CAPUT VIII.

DE CARDINALI VIRTUTE TEMPERANTIÆ.

§. Imus.

V. D. Thom. 2. 2. q. 141. T*Emperantia, est virtus specialis, una de Cardinalibus, moderativa secundùm rationem, appetitûs sensitivi, quà concupiscibilis, versantio circa*

ca delectationes bonorum sensibilium, & tristitias de eorum absentia. Dicitur: *est virtus*; quia de ratione virtutis est inclinare ad bonum, quod est 2dum rationem esse. Hoc autem præstat temperantia, vel ex ipso nomine insinuans qnandam temperiem seu moderationem, quam ratio facit. Adeoque temperantia est virtus. Dicitur: *specialis*; quia etsi temperantia vi nominis sui, quandoque accipitur pro aliis virtutibus moralibus, sitis in quadam temperie seu moderatione animi, adeoque sic accepta sit communis virtus, tamen temperantia sub nomine temperantiæ, antonomasticè spectata, quatenus refrænativa appetitûs ab his, quæ maximè alliciunt, est specialis virtus, utpote habens specialem materiam. Dicitur: *una de cardinalibus*; Quia virtus principalis seu cardinalis dicitur, quæ principaliùs laudatur ex aliquo eorum, quæ communiter requiruntur ad rationem virtutis: moderatio autem, quæ in omni virtute requiritur præcipuè laudabilis est in delectationibus tactûs, circa quæ est temperantia: tum quia tales delectationes sunt magìs nobis naturales, & ideo difficiliùs est ab eis abstinere, & concupiscentias earum refrænare: tum etiam quia earum objecta magìs sunt necessaria præsenti vitæ. Et ideo temperantia ponitur virtus principalis seu cardinalis. Dicitur: *moderativa 2dum rationem &c.* id est, ad dictamen rationis proponentis aliquam regulam, ostensivam medii, quod attingere debeat temperantia. Hæc autem regula est vitæ præsentis necessitas. Quia bonum virtutis moralis præcipuè consistit in ordine rationis. Nam bonum hominis est 2dùm rationem esse, ut Dionys. dicit 4. cap. de di: no: Præcipuus autem ordo rationis consistit in hoc, quòd aliqua in finem ordinat, & in hoc ordine consistit bonum rationis. Nam bonum habet rationem finis, & ipse finis est regula eorum, quæ sunt ad finem. Omnia autem delectabilia quæ in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ necessitatem, sicut ad finem. Et ideo temperantia accipit necessitatem hujus vitæ, sicut regulam delectabilium, quibus utitur, ut scilicet tantum eis utatur, quantum necessitas hujus vitæ requirit.

V. Ibid. A. 1.

V. Ibid. A. 2.

V. Ibid. A. 7.

Cùm verò temperantia respicit necessitatem quantùm *V. Ibid. A. 6. ad 3.*

ad convenientiam vitæ, quæ quidem attenditur, non solùm secundùm convenientiam corporis, sed etiam secundùm convenientiam exterarum rerum, puta divitiarum, & officiorum, & multò magìs secundùm convenientiam honestatis: Et ideo Philosophus ibidem subdit quòd delectabilia, quibus temperatus utitur, non solùm considerat, ut non sint impeditiva sanitatis, & bonæ habitudinis corporalis, sed etiam ut non sint præter bonum, id est contra honestatem, & quòd non sint supra substantiam, id est supra facultatem divitiarum. Et August. dicit in lib. de moribus Ecclesiæ, quòd temperans respicit non solùm necessitatem hujus vitæ sed etiam officiorum.

Dicitur: *appetitus sensitivi &c:* quia ad virtutem moralem pertinet conservare bonum rationis contra passiones, rationi repugnantes. Motus autem passionum est duplex, unus partis concupiscibilis, prosecutivus bona sensibilia, alter partis irascibilis recessivus à malis sensibilibus. Unde sicut fortitudo conservat bonum rationis moderando motus passionum partis irascibilis, nempe timores & audacias; ita temperantia pro bono rationis detinendo moderatur motus concupiscibilis, scilicet concupiscentias maximarum delectationum: utì fortitudo moderativa est irascibilis circa maxima pericula.

Tantò verò delectationes sunt vehementiores; quantò consequuntur operationes magìs naturales. Maximè autem naturales animalibus sunt operationes, quibus conservatur natura individui per cibum & potum, & natura speciei per conjunctionem maris & fœminæ. Igitur circa delectationes ciborum & potuum, & circa delectationes venereorum, seu circa moderationem gustus & tactus propriè & principaliter est temperantia, secundariò autem circa moderationem aliorum sensuum. Quia sensibilia gustûs & tactûs sunt necessaria conservativa individui, vel speciei animalis, eorumque usus annexam habet essentialem delectationem. Inquantùm verò sensibilia ad alios sensus pertinentia conferunt ad delectabilem usum necessariorum, qui pertinet ad gustum & tactum v. g. sapor & odor facit delectabiliorem cibum, intantum secundariò eosdem sensus moderatur temperantia.

Gradus

Gradus Temperantiæ.

Temperantia 2dum Macrobium prout est virtus politica, est nihil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, sub jugo rationis cupiditatem domare. Temperantia prout est virtus purgatoria, est omnia relinquere inquantum natura patitur, quæ corporis usus requirit. Temperantia verò prout est virtus purgati animi, est terrenas cupiditates non solùm reprimere, sed penitus oblivisci. Temperantia prout est virtus exemplaris, est quædam in se perpetua intentione conversatio. *Macrob lib. 1. in Somn. Scip. Cap. 8.*

Gradus Temperantiæ ex Seraphico Doctore in Formula aurea de gradibus virtutum. c. 12.

Temperantiæ altus gradus est, moderare se in omnibus exterioribus, scilicet in victu, habitu, somno, in incessu, verbis, factis, & moribus, ut omnia ordinatè & modestè fiant 2dùm DEUM. Altior est, temperare se in motibus & affectionibus interioribus, nè nimis circa transitoria occupentur. Altissimus, temperare cogitationes, nè nimis extra DEUM evagentur. *Ordo graduum temperantiæ.* I.

Item altus gradus est, restringere se ab illicitis interioribus & exterioribus. Altior, refrænare se à licitis exterioribus & interioribus ad tempus. Altissimus est, abstrahere se à licitis exterioribus & interioribus usque ad mortem, juxta illud. *Virtus est, licitis abstinuisse bonis.* Ille enim solus ad illicita non cadit, qui se cautè restringit à licitis, dicit Glossa super Job: Qui enim non vult detrahere, & mentiri, & similia, restringat se à licitis verbis, quia authore Salomone. *In multiloquio peccatum non deerit.* II. *Glossa in 3. C. Job: ex Greg. lib. 5. morali. c. 8. Proverb. 10.*

Item aliqualis altus gradus est, moderatè loqui de defectibus hominum in præsentia eorum. Altior, temperatè loqui de defectibus vivorum & mortuorum in absentia illorum, sed tanquam præsentes essent. Altissimus, excessus tam vivorum & mortuorum absentium excusare fideliter, quia locum excusationis non habent. III.

Item Chrysostomus ponit gradus de temperantia cibi & IV.

potus dicens: Nihil sic ægritudinem fugat sicut moderata refectio, ecce altus gradus. Nihil sic sanitatem servat, ecce altior. Nihil sic acumen sensuum operatur, ecce altissimus.

Sap. cap. 8.

Motiva Temperantiæ. Sap. Sobrietatem (*seu Temperantiam*) & Prudentiam docet (*nempe Sapientia*) & justitiam & Virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. *S. Prosper:* Temperantia *inquit* libidines frænat, affectus temperat, ignem libidinosæ voluptatis extingvit, ad honestum modum redigit in cibo & potu, inserit & multiplicat cogitationes, ac desideria sancta, & mentem placidam tranquillitate componit. *S. Thomas* dicit, quòd quamvis pulchritudo conveniat cuilibet virtuti, excellenter tamen attribuitur temperantiæ duplici ratione. Primò quidem secundùm communem rationem temperantiæ, ad quam pertinet quædam moderata & conveniens proportio, in qua consistit ratio pulchritudinis, ùt patet per Diony. 4. cap. de Divin. Alio modo, quia ea, à quibus refrænat temperantia, sunt infima in homine, convenientia sibi secundùm naturam bestialem, etiam ex eis maximè natus est homo deturpari. Et per consequens pulchritudo maximè attribuitur temperantiæ, quæ præcipuè turpitudinem hominis tollit. Et ex eadem etiam ratione honestum maximè attribuitur temperantiæ. Dicit enim: Isido: in lib. Etym. Honestus dicitur qui nihil habet turpitudinis. Nam honestas dicitur quasi honoris status, qui maximè consideratur in temperantia, quæ repellit vitia maximè opprobriosa.

S. Prosp. de vita contempl. c. 19.

S. Thomas. 2. 2. q. 141. A. 2. ad 3.

c. 4. p. 1. circa medi.

l. 10. ad cujus initium est: Humilis in princ. illius.

In Praxi comparandi Temperantiam servit illam exercere in suis actibus sequentibus infrà.

§. 2dus.

DE INSENSIBILITATE.

D. Th. 2. 2. q. 148. A. 2.

INsensibilitas, est vitium Temperantiæ excessivè oppositum, quo quis adeò delectationem refugit, ut illius fugiendæ causâ prætermittat id, quod ad naturæ conservationem est necessarium. Quia omne illud quod contrariatur ordini naturali est vitiosum. Natura autem dele-

delectationem apposuit operationibus necessariis ad vitam hominis, & ideo naturalis ordo requirit, ut homo intantum hujusmodi delectationibus utatur, quantum necessarium est saluti humanæ, vel quantum ad conservationem individui, vel quantum ad conservationem speciei. Si quis ergo intantum delectationem refugeret, quòd prætermitteret ea, quæ sunt necessaria ad conservationem naturæ, peccaret quasi ordini naturali repugnans. Et hoc pertinet ad vitium insensibilitatis. Sciendum tamen, quòd ab hujusmodi delectationibus consequentibus hujusmodi operationes quandoque laudabile, vel etiam necessarium est abstinere propter aliquem finem: sicut propter sanitatem corporalem, aliqui abstinent à quibusdam delectationibus ciborum, potuum, & venereorum; & etiam propter alicujus officii executionem; sicut athletas & milites necesse est à multis delectationibus abstinere, ut officium proprium exequantur. Et similiter pœnitentes ad recuperandam animæ sanitatem, abstinentiâ delectabilium quasi quâdam dietâ utuntur. Et homines volentes comtemplationi, & rebus divinis vacare, oportet, quòd se magis à carnalibus desideriis abstrahant. Nec aliquid prædictorum ad insensibilitatis vitium pertinet, quia sunt secundùm rationem rectam.

§. 3tius.

DE INTEMPERANTIA.

INtemperantia vocatur puerile peccatum propter similitudinem conditionum convenientium pueris. Peccatum enim intemperantiæ, est peccatum superfluæ concupiscentiæ, quæ assimilatur puero quoad tria. Primò quidem quantùm ad id quod uterque appetit, sicut enim puer, ita & concupiscentia appetit aliquid turpe. Cujus ratio est, quia pulchrum in rebus humanis attenditur, prout aliquid est ordinatum sdùm rationem. Unde Tullius dicit, in 1. de Offic. quòd pulchrum, quod consentaneum est hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus à reliquis animantibus differt. Puer autem non attendit ad or-

D. Tho. 22. q. 142. A. 2.

dinem rationis. Et similiter concupiscentia non audit rationem, ùt dicitur in 7mo Ethico. Secundù conveniunt quantùm ad eventum. Puer enim si suæ voluntati dimittatur, crescit in propria voluntate. Unde Eccl. 20. dicitur. Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadit præceps. Ita etiam & concupiscentia si ei satis fiat, majus robur accipit. Unde August. dicit: in 7mo Confes. Dum servitur libidini, facta est consvetudo: Et dum consvetudini non resistitur, facta est necessitas. Tertiò. quantùm ad remedium, quod utrique præbetur. Puer enim emendatur per hoc quod coercetur. Unde dicitur proverb. 23. Noli subtrahere à puero disciplinam. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis. Et similiter dum concupiscentiæ resistitur, reducitur ad debitum honestatis modum. Et hoc est quod August. dicit in 6. Musicæ quòd mente in spiritualia suspensâ, atque ibi fixâ & manente, consvetudinis, scilicet carnalis concupiscentiæ impetus frangitur; & paulatim repressus extingvitur. Major enim erat cùm sequeremur, non tamen omnino nullus, sed certe minor cùm refrænamus. Et ideo Philo. dicit in 3. Ethic. quòd quemadmodum puerum oportet 2dùm præceptum pædagogi vivere, sic & concupiscibile consonare rationi.

Eccl. cap. 1. — *Contra Intemperantiam. Eccl*: Vigilia, cholera, & tortura infrunito. *S. Gregorius* dicit. Vitia carnalia, quæ sub intemperantia continentur, & si sint minoris culpæ, sunt tamen majoris infamiæ. Nam magnitudo culpæ respicit deordinationem à fine; infamia autem respicit turpitudinem, quæ maximè consideratur 2dùm indecentiam peccantis. *S. Thomas*: Inter omnia vitia humana vitium intemperantiæ maximè exprobrabile est. Quia exprobratio opponi videtur honori & gloriæ; honor autem excellentiæ debetur. Gloria autem claritatem importat. Est ergo intemperantia maximè exprobrabilis propter duo. Primò quidem quia maximè repugnat excellentiæ hominis. Est enim circa delectationes communes nobis & brutis. Unde in Psal. 48. dicit. Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Secundò quia maximè repugnat ejus claritati, & pulchritudini,

S. Gregor: lib. 33. Moral. cap. 11.
D. Tho. 2.2. q. 142. A. 4. ad 1.
S. Thom. 2.2. q. 142. A. 4.

tudini, inquantùm ſcilicet in delectationibus, circa quas eſt intemperantia, minùs apparet de lumine rationis, ex qua eſt tota claritas & pulchritudo virtutis. Unde & hujusmodi delectationes dicuntur maximè ſerviles.

Pro *Praxi* juxta D. Thomam ad vitandum intemperantiam, maximum remedium eſt, ut non immoretur homo circa ſingularium conſiderationem. Nam homo allicitur à ſingularibus delectabilibus, quæ intemperatum faciunt hominem. *Ibid. A. 3.*

SECTIO I.

DE PARTIBUS TEMPERANTIÆ INTEGRALIBUS.

DIcuntur partes integrales alicujus virtutis conditiones, quas neceſſe eſt concurrere ad virtutem. Et ſecundùm hoc ſunt duæ partes integrales temperantiæ, ſcilicet verecundia, per quam aliquis refugit turpitudinem temperantiæ contrariam, & Honeſtas, per quam ſcilicet aliquis amat pulchritudinem temperantiæ. Nam præcipuè temperantia in virtutes vendicat ſibi quendam decorem, & vitia intemperantiæ maximè turpitudinem habent. *D. Thom. 2.2. q. 143. A. 1.*

SUBSECTIO I.

De Verecundia.

V*Erecundia, non eſt virtus, ſed laudabilis quædam paſſio, nempe timor alicujus turpis.* Dicitur: *Non eſt virtus &c.* Quia virtus dupliciter accipitur, propriè ſcilicet, & communiter. Propriè quidem virtus perfectio quædam eſt, ùt dicitur 7. Phyſic. Et ideo omne illud quod repugnat perfectioni, etiamſi ſit bonum, deficit à ratione virtutis. Verecundia autem repugnat perfectioni. Eſt enim timor alicujus turpis, quod ſcilicet eſt exprobrabile. Unde Damaſc. dicit: quòd verecundia *V. D. Thom. 2.2. q 143. A. 1. Ibid. A. 1. lib. 7. tex. 17. & 18. tom. 2. lib. 2. cap. 15.*

recundia est timor de turpi actu. Sicut autem spes est de bono possibili & arduo, ita etiam timor est de malo possibili, & arduo, ùt habitum est, cùm de passionibus ageretur. Ille autem qui est perfectus secundùm habitum virtutis, non apprehendit aliquid exprobrabile & turpe ad faciendum, ùt possibile & arduum, id est, difficile ad vitandum; neque etiam actu facit aliquid turpe, unde opprobrium timeat. Unde verecundia propriè loquendo non est virtus, deficit enim à perfectione virtutis. Communiter autem virtus dicitur esse omne quod est bonum, & laudabile in humanis actibus, vel passionibus. Et secundùm hoc quandoque verecundia dicitur virtus, cùm sit quædam laudabilis passio.

1. 2. q. 40. A. 1. & q. 42. A. 3. & q. 41. A. 2.

Porrò verecundia sicut potest esse laudabilis in iis, qui mediocriter se habent secundùm quod est in eis aliquid de amore boni, & tum non sunt totaliter immunes à malo; ità deficit in optimis viris laudabiliter, in pessimis autem viris non laudabiliter. Quia sicut dictum est, verecundia est timor alicujus turpitudinis. Quòd autem aliquod malum non timeatur, potest propter duplicem rationem contingere. Uno modo quia non æstimatur ùt malum. Alio modo, quia non æstimatur ùt possibile sibi, vel ùt difficile vitari. Et secundùm hoc verecundia deficit in aliquo dupliciter. Uno modo, quia ea, quæ sunt erubescibilia, non apprehenduntur ùt turpia. Et hoc modo carent verecundiâ homines in peccatis profundati, quibus sua peccata non displicent, sed magis de eis gloriantur. Alio modo quia non apprehendunt turpitudinem ùt possibilem sibi, vel quasi non facile vitabilem. Et hoc modo senes & virtuosi verecundiâ carent. Sunt tamen sic dispositi, ut si in eis esset aliquid turpe de hoc verecundarentur. Unde Philosophus dicit in 4. Ethic: quod verecundia est ex suppositione studiosi. Cæterùm opprobria quæ inferuntur alicui propter virtutem, virtuosus quidem contemnit, quia indignè sibi irrogantur: sicut de magnanimis Philosoph dicit in 4. Ethic. Et de Apostolis dicitur actuum quinto; quòd ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Ex imperfectione autem virtutis contingit quòd

D. Tho: 2. 2. q. 143. Art. 2. ad 1. Lib. 4. cap. 3. tom. 5.

quòd aliquis verecundetur de opprobriis, quæ sibi inferuntur propter virtutem: quia quantò est aliquis, magis virtuosus, tantò magis contemnit exteriora bona vel mala. Unde dicitur Isa. 51. Noli timere opprobrium hominum. Contingit tamen per accidens, quòd aliquis de his verecundatur, vel inquantum habentur ut vitiosa 2dum hominum opinionem, vel inquantum homo refugit in operibns virtutis notam de præsumptione, aut etiam de simulatione. Deinde sicut honor quamvis non debeatur verè, nisi soli virtuti, respicit tamen quandam excellentiam: ita etiam vituperium, quamvis debeatur propriè soli culpæ, respicit tamen adminus 2dùm opinionem hominum, quemcunque defectum. Et ideo de paupertate, & ignobilitate, & servitute, & aliis hujusmodi, aliquis verecundatur. Dicitur in propositione: *timor alicujus turpis.* Hoc turpe intelligitur vituperium & vitiosa turpitudo, quod illud primum primò & principaliter verecundia respicit, hoc 2dum secundariò. Quia sicut honor habet rationem boni ardui, ita vituperium habet rationem mali ardui, virtus autem & passio timoris versatur propriè circa audaciam; & sicut honor debetur virtuti, ita vituperium vitio, & ideo verecundia ex consequenti respicit vitiosam turpitudinem, quæ consistens in deformitate actûs voluntatis, non importat rationem mali ardui, cùm aliquid situm in sola voluntate videtur non esse arduum & elevatum supra potestatem hominis. Cæterùm verecundia respicit culpam, qualiter uno modo ut aliquis desinat vitiosa agere propter timorem vituperii. Alio modo, ut homo in turpibus, quæ agit vitet conspectus publicos propter timorem vituperii: quorum Imum 2dùm Gregorium Nyssenum lib. 4. de Creat. hominis cap. 14. pertinet ad erubescentiam, 2dum ad verecundiam.

D. Tho. 2. 2. q. 143. a. 2. ad 2.

Ibid. ad 2.

V. Ibid. a. 2.

Incentiva Verecundiæ. S. *Ambrosius*: Pulchra virtus est verecundia & suavis gratia, quæ non solùm in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, nè modum prætergrediaris loquendi, nè quid indecorum sermo resonet tuus. *Idem*: Est enim verecundia pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est. Nonnè hæc prætulit Publicanum? & commendavit eum, qui

S. Ambr. de offic. lib. 1. cap. 19.

Ibidem.

qui nec oculos suos audebat ad cælum levare? Paulus orationem deferri præcepit cum verecundia, & sobrietate. *Idem*: Verecundia cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta, tamen adolescentes juvenilesquè annos maximè decet: ùt artifex in materia commodiore meliùs operari solet; sic verecundia in ipso quoque corporis decore plus eminet. Ita tamen ut ipse etiam non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quàm expetitus. *S. Hieronymus*: Ingenia liberaliter educata faciliùs verecundia, quàm metus superat, & quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor. *S. Bernardus*: Quid amabilius verecundo adolescente? quàm pulchra & quàm splendida gemma morum est verecundia, in vita & vultu adolescentis? quàm vera & minimè dubia bonæ spei nuntia, bonæ indolis index. Virga disciplinæ, expurgatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti. *Idem*: Verecundia est soror continentiæ: nullum æquè manifestum indicium columbinæ simplicitatis, & ideo etiam testis est innocentiæ, lampas pudicitiæ mentis jugiter lucens; ut nîl in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illico perdat.

Ibidem. *S. Hierom. ad Pammach.* *S. Bernardus sup cant. serm. 6.* *Ibidem.*

Praxis acquirendi verecundiam habenda proportionatè juxta methodum suprà datam,

Ib 2. tract. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

SUBSECTIO II.

De Honestate.

HOnestas, *est quædam spiritualis pulchritudo.* Pulchritudo autem opponitur turpi. Opposita autem maximè se invicem manifestant. Et ideo ad temperantiam specialiter honestas pertinere videtur, quæ id quod est homini turpissimum & indecentissimum repellit, scilicet brutales voluptates. Unde & in ipso nomine temperantiæ maximè intelligitur bonum

V. D. Tho. 2. 2. q. 145. art. 4.

num rationis, cujus est moderari & temperare concupiscentias pravas. *Idem*: Honestum est idem realiter quod virtus, sicut etenim Isidorus dicit: honestas dicitur quasi honoris status. Unde ex hoc videtur aliquid dici honestum, quod est honore dignum. Honor autem excellentiæ debetur. Excellentia autem hominis maximè consideratur 2dùm virtutem, quæ est dispositio perfecti ad optimum, ùt dicitur in 7. Phys. Et ideo honestum propriè loquendo, in idem refertur cum virtute. *Idem*: Inter honestum & spirituale decorum nullum est discrimen; quia sicut accipi potest ex verbis Dionys. 4. cap. de divi. nomi. ad rationem pulchri, sive decori concurrit & claritas & debita proportio. Dicit enim: quòd DEUS dicitur pulcher, sicut universorum consonantiæ & claritatis causa. Unde pulchritudo corporis in hoc consistit, quòd homo habeat membra corporis benè proportionata cum quadam debiti coloris claritate. Et similiter pulchritudo spiritualis in hoc consistit, quòd conversatio hominis, sive actio ejus sit benè proportionata 2dùm spiritualem rationis claritatem. Hoc autem pertinet ad rationem honesti, quod diximus idem esse virtuti, quæ 2dum rationem moderatur omnes res humanas. Et ideò honestum est idem spirituali decori. Unde August. dicit in lib. 83. q.3. Honestatem voco intelligibilem pulchritudinem, quam spiritalem nos propriè dicimus. Et postea subdit: quòd multa sunt pulchra visibilia, quæ minùs propriè honesta appellantur.

Ibidem. a. 1.

Ibidem. a. 2.

Motiva Honestatis. *Apostolus*: Providentes bona (honesta) non tantùm coram DEO, sed etiam coram omnibus hominibus. *S. Augustinus*: Tanta est probitatis vis & honestatis, ut omnis vel penè omnis ejus laude moveatur humana natura nec usque adeò fit turpitudine vitiosa, totum ut ejus amittat sensum. *S. Ambrosius*: Tantus splendor honestatis est, ut vitam beatam efficiat tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ. *S. Bernardus*: Honestum, in quo animæ decorem locandum censuimus, diffinitur: mentis ingenuitas solicita servare cum conscientia bona famæ integritatem, vel juxta Apostolum providere bona non tantùm coram DEO, sed etiam coram hominibus. *S. Thomas*: Honestum est homini naturaliter delectabile.

Rom. 12.

S. August. lib. de civit. Dei.

S. Ambr. 2. de de Offic.

S. Bernar. Cant. serm. 85.

D. Tho: 2. 2. q. 146. a. 3.

lectabile. Quia unumquodque naturaliter delectatur in suo convenienti. Hoc autem quod est 2dùm rationem ordinatum, est naturaliter conveniens homini.

SECTIO II.

De Partibus Temperantiæ subjectivis.

V. D. Tho: 2. 2. q. 143. a. 1. PArtes subjectivæ alicujus virtutis dicuntur species ejus. Oportet autem diversificare species virtutum secundùm diversitatem materiæ vel objecti. Est autem temperantia circa delectationes tactûs, quæ dividuntur in duo genera. Nam quædam ordinantur ad nutrimentum: & in his quantùm ad cibum est abstinentia, quantùm autem ad potum propriè sobrietas. Quædam verò ordinantur ad vim generativam: & in his quantùm ad delectationem principalem ipsius coitus, est castitas, quantùm autem ad delectationes circumstantes, puta quæ sunt in osculis, tactibus, & amplexibus, attenditur pudicitia.

SUBSECTIO I.

De Abstinentia.

D. Tho: 2. 2. q. 45. a. 2. ABstinentia, est virtus specialis, quâ moderamur ciborum delectationes. Dicitur; virtus: dum scilicet abstinentia regulatur 2dùm rationem, unde dicitur 2. Petri c. 1. Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam: ut nimirum homo à cibis abstineat, prout oportet pro congruentia hominum, cum quibus vivit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate. Dicitur; virtus specialis: Quia virtus moralis conservat bonum

D. Tho: 2. 2. q. 146. a. 2. rationis contra impetus passionum: & ideo ubi invenitur specialis ratio, quâ passio abstrahitur à bono rationis, ibi necesse est esse specialem virtutem. Delectationes autem ciborum natæ sunt abstrahere hominem à bono rationis, tum propter earum

magni-

magnitudinem, tum etiam propter necessitatem ciborum, quibus homo indiget ad vitæ conservationem, quam maximè homo desiderat. Et ideo abstinentia est specialis virtus.

Gradus Abstinentiæ ex Formula aurea D. Bonaventuræ cap. 15.

Abstinentiæ altus gradus est, vitare superflua oblectamenta corporis in victu, & in vestitu, & in aliis commoditatibus. Altior, vitare oblectamenta spiritûs, quæ subitò veniunt, & subitò terminantur, ùt contingit in luxuria, in choreis, & cùm aliquis delectabiliter audit, & loquitur mendacia, vel detractiones, & similia. Altissimus, vitare delectabilia spiritûs, quæ sæpe veniunt & diu permanent, sicut est in ornatu superfluo, & amicitia carnali & in gaudio temporali. *Ordo graduum Abstinentiæ.* I.

Item altus gradus est, libenter vitare illicita oblectamenta, quæ homo non potest, vel difficulter habere potest. Altior est, sponte vitare illicita delectabilia, quæ habet, vel quæ habere potest. Altissimus, qui potest vitare licita delectabilia, quæ habet, & quæ habere potest, & quibus meritoriè uti potest, unde illud. *Virtus est licitis abstinuisse bonis.* II.

Item Altus gradus est, sponte vitare delectabilia in vilibus & nocivis. Altior, vitare delectabilia in raris & caris ad tempus, & quæ fiunt cum multa diligentia, & magnis sumptibus comparantur. Altissimus, vitare delectabilia in raris & caris omni tempore. III.

Item Altus gradus est, consolationem transitoriam non admittere in omnibus visibilibus propter DEUM. Altior est, fugere consolationem transitoriam in Angelis & invisibilibus propter DEUM: sicut Maria Magdalena dixit. Non quæro Angelos, sed eum qui fecit me & Angelos &c. Altissimus, vitare ad tempus consolationem, quæ potest haberi in ipso Creatore propter salutem proximorum, sicut dixit Apostolus. Optabam anathema esse pro fratribus. Et: Cupio dissolvi & esse cum Christo. In omnibus his fuit Christus. IV. *Rom. 9. à Phil: 1. cap.*

Illicia Abstinentiæ. *Imum. Ecclesiast:* Beata terra cujus principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad *Eccles. 10.*

Eccl: 29. ad luxuriam. *Ecclef:* Initium vitæ hominis aqua & panis.
Ibid: 31. *Idem:* Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur. *Pro-*
Proverb: 27. *verb:* Anima saturata calcat favum, anima esuriens amarum pro
Eccl: 37. dulci sumit. *Eccl:* Qui abstinens est, adjiciet sibi vitam. *Ezech:*
Ezech: 4. Cibus tuus quo vesceris erit in pondere. *Rom:* Is qui mandu-
Rom: 14. cat, non manducantem non spernat. Et qui non manducat, manducantem non judicet. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit DEO.

S. August: lib. 10. cap 1. ante med. tom. Imo. 2dum. *S. Augustinus:* Hoc me docuisti Domine, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam; sed dum ad quietem satietatis, ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu insidiatur mihi laqueus concupiscentiæ. *Divus*

D. Hieron. Epist. 1. ad Tur. *Hieronymus:* Nonnulli pudicam vitam appetentes in medio itinere corruunt, dum solam abstinentiam carnium sufficere putant, & leguminibus onerant stomachum. Parcus cibus, & venter semper esuriens, triduanis jejuniis præfertur, & multò melius est, quotidie parum, quàm rarò satis sumere. Pluvia enim illa optima est quæ sensim descendit in terram, subitus autem & nimius imber in præceps arva subvertit. *S. Augusti-*

S. August: de Christ: doctrina. *nus:* Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis, preciosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fœdissimâ gulæ flammâ in vilissimum olus exardescat, & sanus quisque maluerit more Domini pisce vesci, quam lenticula more Esau nepotis Abrahæ, aut hordeo, more jumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestiæ, quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus hujusmodi rebus non ex earum rerum natura quibus utimur, sed ex causa utendi, & modo appetendi, vel probandum, vel improbandum est, quod facimus. *S. Hieronymus:* Mater sanitatis

S. Hieron: in Epist. est abstinentia, mater ægritudinis est voluptas, sine carne enim

S. Greg. lib. 20. mora. & vino citò friget Venus, & à patre Libero ad inconcessam Venerem gradus est proximus intemperantia. *S. Gregorius:* Per abstinentiam non caro sed carnis vitia extingvenda sunt. Sic necesse est ut arcem continentiæ quisque teneat, quatenus non carnem, sed vitia occidat. Sæpè enim dum in illa hostem insequimur, etiam civem quem diligimus trucidamus: & sæpè

dum quasi concivi parcimus, ad prælium hostem nutrimus. *Idem*: In abstinentia discretio servanda est. *Idem*: Quia à paradisi gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc, in quantum possumus, per abstinentiam resurgamus. *S. Bernardus*: Abstinebo à vino, quia in vino luxuria est, aut si infirmus sum, modico utar juxta consilium Apostoli: Abstinebo & à carnibus, nè dum mihi nimis carnem nutriunt, simulquè & carnis nutriant vitia: panem etiam ipsum cum mensura studebo sumere, nè onerato ventre stare ad orandum tædeat. *Idem*: Panis furfureus, & simplex aqua, olera vel legumina simplicia, nequaquam res delectabiles sunt. sed in amore Christi, & internæ delectationis desiderio, ventri benè morigerato gratanter ex his satisfacere posse, valde delectabile est. Quot millia pauperum ex his, vel ex aliquo horum delectabiliter satisfaciunt naturæ? Facillimum quippe & delectabile esset, adjuncto DEI amoris condimento, 2dùm naturam vivere, si insania nostra nos vivere permitteret, quâ sanatâ, statim arridet naturalibus natura.

Ibidem.
Ibid. in homil.
S. Bernardus ser. 66. in Cant.
S. Bernar. Epist. ad Frat. de mon. DEI, de vi. solit.

3*tium*. Christus Dominus à quo tempore natus, usque dum se in Israel trigesimo ætatis anno manifestavit, hanc virtutem, utì omnes reliquas, summa cum perfectione exercuit. Sed voluit omnia hæc exempla latere, ut nobis eo silentio, & occulta illa tringinta annorum vita persvaderet pulcherrimam, ac secretissimam virtutem humilitatis, quæ tam necessaria, tantiquè momenti est, ut benè factum censuerit, quòd exempla, quæ nobis toto hoc tempore dedit, laterent, ut doceret, svaderetquè nobis hanc virtutem humilitatis, cujus est officium, celare (quoad charitas sinit) virtutes, quæ in homine sunt, & excellentia, quæ is facit, opera. Et cùm certum sit, abstinentiam, quo perfectior est, hoc magìs (quantum ex ipsius parte) omne voluptatis deliciarumquè genus in cibis fugere, eoquè quod vitæ servandæ sufficit contentum esse, manifestè sequitur toto hoc tempore benedictum Dominum nunquam cibos delicatos, nec svaves potiones sumpsisse, sed cibos vulgares vilisquè pretii, modicos, & in exigua admodum quantitate, eligendo semper id quod æterno Patri erat gratius, & in quo magis exercebat, declarabatquè desiderium, quod habebat patiendi

Arias Thesaur. inexhau de Temperantia c. 7.
Idem Ibidem.

di pro homine, faciendiquè ut redemptio ad quam operandam venerat, cupiosior esset. Postquam autem cum hominibus conversari cœpit, adeò temperantem se in victu gerebat, ut hoc remedium adhiberet ad peccatorum correctionem. S. *Chrysostomus ait*: Christus quodlibet genus remedii exhibebat, & non solùm disputando, sed etiam comedendo corrigebat, inde nos instruens, quòd quodlibet potest animæ utilitatem adferre.

V. Ariam Tract. de Temperantia cap. 1.

4tùm. Beatissima Virgo MARIA, quam Seraphicus Doctor in exemplum parsimoniæ statuit dicens: MARIA fuit temperatissima per sobrietatem. Ipsa enim est MARIA cui dicitur. Nè timeas MARIA, invenisti gratiam. Nota quod dicitur. Invenisti gratiam. Nunquam MARIA tantam gratiam invenisset, nisi gratia MARIAM in cibo & potu temperatissimam invenisset. Non enim se compatiuntur gratia & gula: quia impossibile est, quòd homo simul per gratiam DEO gratus, per gulam ingratus. Bonum est ergo quærere gratiam, & fugere gulam. Dicit Paulus. Optimum est gratiâ stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Nota etiam quod dicitur: Ecce concipies in utero. Nunquam Maria DEUM in utero concepisset, si idem uterus contra DEUM crapulosus fuisset, & si uterus ille mero æstuâsset, cùm venter mero æstuans &c. despumat in libidinem. Uterus ergo ille, qui DEO incarnato gravidatus est, nunquam in cibo aut potu intemperato gravatus est. Unde Chrysostomus ait: Comessatrix aut vinolenta Maria nunquam fuit. Heu! quàm longè à gratia Mariæ, qui in cibo & potu toties excedunt.

D. Bonaventura tom. 1. spec. B. M. V. lect. 4.
Lucæ 1.
Hæbre. 13.
Lucæ 1.
S. Chrysost. ho. 1. in Mat. opere imperfecto. 1.

5tùm. *Exempla Sanctorum ex Franc. Aria. Thesau: inexh. Temperan. c. 6.* S. Nicolaus ab incunabulis abstinere jejunareque cœpit. Nam 4. & 6. feria lac nutricis semel duntaxat, idquè vesperi sugebat, cùm reliquis diebus sæpius sugeret: & quamvis varia adhiberent media, ut hanc abstinentiam amitteret, frustra tamen fuêre. S. Joannes. Chalybita, etiam dum puerulus, maximam abstinentiam exercuit per dies aliquot planè jejunus. S. Vincentius Ferrerius infans jejunare cœpit, etiam aliquot

Leonardus in ejus vita.
Metaphr. in ejus vita.
Justinian in ejus vita.

aliquot dies in pane & aqua. S. Edmundus: qui postea Cantuariensis Episcopus fuit, cum adhuc adolescentulus esset, pœnitentias instar adulti faciebat, diebus Veneris solo pane contentus. B. Frater Joannes de firmo Ordinis S. Francisci etiamnum lactens, sicut S. Nicolaus, & posteaquam rationis usum habere cœpit, sæpè jejunabat, præter pauxillum panis in die nihil comedens. S. Pachomius ita ad DEUM: Tu nôsti Domine, quia ex quo suscepi habitum Monachi, nimis humiliatus sum in conspectu tuo: nunquam satiatus sum pane & aquâ, vel quâlibet creaturâ aliâ, quam fecisti.

Sur. in Novem.

In hist. Min. p. 2. l. 8.

In vitis Patrum lit. I. Author. D. Hieronymo.

In Praxi pro comparanda Abstinentia hæc ex *P.* Lohner, excerpta observa. *1. Christi, & Sanctorum exempla frequenter ob oculos ponere*, dicereque cum S. August. sibi ipsi: Potuerunt isti & istæ, & tu non poteris? 2. *Spiritualibus rebus magna cum diligentia vacare*: gustato enim Spiritu desipit omnis caro, & quidquid ullo modo ad carnales voluptates conducit: ut sunt cibus & potus. 3. Sæpè considera quàm vilis, brevis, noxia sit voluptas, quæ ex cibo & potu hauritur. 4. Quotidie sibi parum de cibo & potu detrahere, donec ad certam corporique convenientem mensuram perveniatur. 5. *Exercitatio corporis & animi assidua*: ut S. Bernardus svasit dicens. Surge, præcingere, tolle otium, exere vires, move brachia, complosas explica manus, exercitare in aliquo, & statim senties sola te appetere, quæ famem tollant, non fauces demulceant. Reddit enim sapores cibis exercitium, quos tulit inertia. Multa quæ respuis otiosus, post laborem sumes vel desidiosus. 6. Pari modo sibi persvadeat, non esse adeò facile ad perfectionem hujus virtutis pervenire, sicut primo aspectu apparet. Nam ut benè S. Gregorius notat. *Sic plerumq; voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Nam dum solvi debitum necessitas petit, voluptas expleri desiderium suggerit, & tanto gula securiùs inpræceps ruit, quanto sibi sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit.* Quod S. August: confessus est dicens: *Et quis est Domine, qui non rapiatur aliquantum extra metas necessitatis? quisquis ille est, magnus profectò est, magnificet nomen tuum, ego autem non sum, quia homo peccator sum.* 7. Non tantùm efficax, sed

P. Lohner Bibli: Manual. tit. Abstinentia.

S. Greg. lib. 30. Moral.

S. August. in confess.

ſed etiam neceſſarium pro hac virtute obtinenda medium credat, orationem eſſe, nam teſte S. Bernardo: Oratio virtutem impetrat jejunandi, & jejunium meretur gratiam orandi, jejunium orationem roborat, oratio ſanctificat jejunium. Hinc S. Auguſtinus iterum de ſe fatetur. *His tentationibus quotidie conor reſiſtere, & invoco dexteram tuam ad ſalutem meam, & ad te refero æſtus meos, quia conſilium mihi de hac re nondum ſtat; nemo enim poteſt eſſe continens, niſi tu des.* 8. Quia verò DEUS etiam cooperationem noſtram requirit, ideo magnifaciat & ſpeciali curâ obſervet Aſceta regulas pro temperando victu à S. Ignatio Lojola traditas, quæ ferè in ſequentibus conſiſtunt. *Imò.* Quòd à pane minùs ſit abſtinendum, quàm à reliquis alimentis, eo quòd is nec gulam adeò irritet, nec tentationi adeò obnoxium hominem reddat. *2dò.* Quod circa potum magis ſit abſtinentia ſervanda, quàm cibum, eo quòd gravior exceſſus in illo, quàm in hoc committi poſſit. *3tiò.* Quòd circa edulia & pulmenta potiſſimùm abſtinentia ſervari debeat, utpote per quæ & appetitui ad peccandum, & diabolo ad tentandum major occaſio ſubminiſtratur; unde gemina induſtria adhibenda, ut ſcilicet & groſſioribus cibis quis veſcatur, vel parcè delicatis utatur. *4tò.* Quòd ad menſuram juſtam cibi aut potiùs inveniendam, paulatim ſibi aliquid detrahere debeat, quousque deprehendat, quantum ſufficit, ut functiones ſuas ordinarias commodè obire poſſit. *5tò.* Quòd inter comeſtionem expediat vel Chriſtum cum diſcipulis comedentem imaginari, vel aliis piis cogitationibus animum, ſvaviter tamen & absque violentia occupare, ut hac ratione occupatus abſtrahatur à ſvavitate ciborum percipienda, minusquè ſuper illos affectus effundatur. *6tò.* Quòd ad intemperantiam cavendam non parum conducat, ſi ante, quàm cibus ſumatur, ac nulla eſuries ſentitur, determinetur quantum quis ſumere velit, & ab hac menſura, nec à propria aviditate, nec ab inſtigatione inimici abduci ſe permittat. *7mò.* Quod præcipuè cavendum ſit, nè ſuper ſumendos cibos animus quaſi totus effundatur, aut cum nimia aviditate & feſtinatione comedatur.

Vide etiam ſuprà dicta & hìc congruo modo adhibe.

S. Bern. ſer. 30.

S. Auguſt. in confeſſ.

S. Ignat. in lib. Exerc.

l. 2. tract. 1. c. 1. ſec. 4. ſubſ. 2. §. 2.

Actus Interni Abstinentiæ.

Ex discipl. Claustr. Joannis à I. M.

Temperantissime JESU Christe decerno escâ & potu eò tantum uti, ut natura ad tibi serviendum consistat. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2.

Nolo mitissime Domine ullam in mensa voluptatem percipere. Absit à me Domine ùt lauta, vel ullo modo palato svavia quæram.

Vellem dulcissime DEUS, ut omnia, quæ sumpturus sum absynthium saperent propter te.

Propono amantissime Domine cor à mensa subtrahere, ac lectioni sacræ admovere.

Propono Domine corpus fame ac siti vexare propter te.

Utinam clementissime DEUS quoties accumbo mensæ, portio deterrima mihi contingat.

Utinam benignissime JESU Christe, felle quod gustâsti, omnia mea prandia condiantur.

Actus Externi Abstinentiæ.

Ex Bibl. Manual. P. Lohner Titu. Abstinentia.

Imus. Cibos ab Ecclesia vetitos, pro tempore, quo prohibentur, non sumere. *2dus.* Jejunia Ecclesiastica exactè servare, nec non ex propria regula aut instituto ordinata custodire, & ex consilio aliquo non præcepta suscipere. *3tius.* Hora consveta secundùm morem Religionis, aut congregationis, in qua vivimus, non citiùs manducare. *4tus.* Cibos lautiores ac pretiosiores, si necessitas, aut charitas non exigit, fugere & aversari. *5tus.* Communes cibos non exquisitè præparatos, sed quomodocunque oblatos libenter comedere. *6tus.* Quantitatem ciborum saluti corporis necessariam, & saluti animæ non officientem duntaxat accipere. *7mus.* Ante comestionem cogitationes de cibis penitus abscindere, & in ipsa comestione æstum, & nimiam aviditatem cohibere. *8vus.* Ex quantitate, & qualitate, & numero esculentorum, ea omnia subtrahere, quæ saluti corporis non nocent, & puritati mentis deserviunt.

SUBSECTIO II.

De Jejunio.

JEjunium, est actus virtutis Abstinentiæ, quo maceratur caro per subtractionem ciborum, ob aliquem honestum finem. Dicitur: *Actus virtutis*: Quia etsi Jejunium non videatur attingere medium 2dùm quantitatem, secundùm quam etiam medium virtutis non accipitur, attingit tamen medium 2dùm rationem rectam, 2dùm quam medium virtutis accipitur. Ratio autem judicat, quòd propter aliquam specialem causam aliquis homo minus sumat de cibo quàm sibi competeret secundùm statum communem, sicut propter infirmitatem vitandam, aut ad aliqua corporalia opera expeditiùs agenda. Et multò magis ratio recta hæc ordinat ad spiritualia mala vitanda, & bona prosequenda. Non tamen ratio recta tantum de cibo subtrahit ut natura conservari non possit, quia Hieron: dicit. Non differt utrùm magno, vel parvo tempore te interimas; quia de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimiâ egestate, vel manducandi, vel somni penuriâ, immoderatè corpus affligit. Similiter etiam ratio recta non tantum de cibo subtrahit, ut homo reddatur impotens ad debita opera peragenda. Unde dicit Hier: quòd rationabilis homo dignitatem amittit, qui jejunium charitati, vel vigilias sensus integritati præfert. Dicitur: *Actus virtutis Abstinentiæ*. Quia omnis actus virtuosus, qui est circa aliquam materiam, ad illam virtutem pertinet, quæ medium in illa materia constituit. Jejunium autem attenditur in cibis, in quibus medium adinvenit abstinentia. Unde manifestum, quòd jejunium est abstinentiæ actus. Dicitur: *Ob aliquem finem honestum*: qui triplex potissimùm spectatur à jejunio. Nam jejunium assumitur. Primò ad concupiscentias carnis reprimendas. Unde Apostolus dicit 2. Cor. 6. In jejuniis, in castitate: quia per jejunia castitas conservatur. Ut enim Hieron: dicit: Sine Cerere & Baccho friget Venus, id est per abstinentiam cibi & potûs tepescit luxuria. 2dò assumitur ad hoc quod mens liberiùs elevetur ad sublimia contemplanda. Unde dicitur

D. Tho: 147. a. 1. ad 2.

Refertur de conse. d. 5. c. non mediocriter.

Refertur loco nunc dicto.

D. Tho: 2. 2. q. 147. a. 2.

Ibidem a. 1.

dicitur Daniel. 10. quòd post Jejunium trium hebdomadarum revelationem accepit à DEO. Tertiò ad satisfaciendum pro peccatis. Unde dicitur Joël 2. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu & planctu: & hoc est quod Aug. dicit in quodam sermone de oratione & jejunio. Jejunium purgat animam, mentem sublevat, propriam carnem spiritui subiicit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extingvit, castitatis verum lumen accendit. Unde patet, quòd jejunium est actus virtutis. *In serm. 230. d temp. cir. princ. tom. 10.*

Jejunium quadruplex numeratur. *1mum. Naturale*, quo aliquis indigentiam cibi famelicus non refert ad aliquod bonum honestum, estquè actus indifferens: quale jejunium requiritur ante sumptionem Eucharistiæ, quod etiam modico cibo vel potu frangitur. *2dum Morale*, de quo nunc egimus *3tium Legale* quatenus lege naturali tum divinâ præcipitur ut medium utile ad deletionem & cohibitionem culpæ, & ad elevationem mentis ad Spiritualia. Lege autem Ecclesiasticâ, quatenus modus & tempus determinatur talis jejunii: de quo plura Morales Theologi. Nunc breviter aliud, est jejunium Ecclesiasticum quod vocatur *Quadrâgesimale*, de quo S. Ambrosius ait. Bonum est quidem cunctis temporibus jejunare, sed melius Quadragesimam jejunare cum Christo, hanc enim Quadragesimam nobis Dominus suo jejunio consecravit. *Aliud Jejunium Quatuor Temporum*, de quo *S. Isidorus Hispalensis* locutus est dicens. Triduanis autem diebus jejunare de exemplo sumptum est Ninivitarum, qui damnatis pristinis vitiis, totos se tribus diebus jejunio ac pœnitentiæ contulerunt, & operti saccis DEUM ad misericordiam provocârunt. Aliud *jejunium Vigiliarum*, de quo *S. Bernardus* sic locutus est: Sanctorum festa præcipua Patrum sanxit authoritas, votivis prævenienda jejuniis, utiliter planè & non ad insipientiam nobis, si adfuerit, qui advertat. Multa siquidem quotidie peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes; nec tutum est omnino, celebrandas suscipere festivitates sacras, maximequè eas, quæ maximæ sunt, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissâ, quo digniores inveniamur, & capaciores spiritualium gaudiorum. *Et paulò pòst.* *V. P. Lobner f. 1. c. 1.* *S. Isidor. serm. 4. de offic. Eccl.* *S. Bernardus in Vigilia S. Andreæ.*

Non modo tamen præparatio est ad proximam celebritatem, observatio præmissa jejunii, est & admonitio quædam eruditioque non parva. Discimus ex hoc ipso, quænam sit vera via festivitatis æternæ. Quid enim est, quod jejuniis solemnia præveniamus, nisi quòd per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum DEI? Indignus quippe est solemni lætitiâ, qui statutam vigiliæ abstinentiam non observat. Planè inquam si renuis affligere animam tuam in vigilia, indignus jure censeris requie, & exultatione festivâ. Est autem universum præsentis vitæ tempus vigilia quædam solemnitatis, magni & æterni Sabbathi, quod præstolamur: nec causaberis longiores vigilias, si æternitatis festivitatem attendas *4tùm. Metaphoricum*, quo præter gulæ moderationem abstinetur ab aliis vitiis.

Col. 2. *Motiva Jejunii.* *Imùm. Job.* Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna, magis quàm thesauros auris recondere.
Job: 12.
Luc: 6. *Christus*: Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. *Idem*: Tu
Matth: 6. autem cùm jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava; nè videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Apo-*
2. Cor: 6. *stolus*: In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut ministros DEI in vigiliis, & jejuniis.

S. Aug sup. Joan. hæ: in discre: de Conf. d. 5. can. Jejunium.
Idem serm. de Jeju.
S. Hieron. hæ. in discre: de Cons. dist. 5. Non dico.
S. Greg: in homil.
S. Ambr: de Abst. & Jejun.
Greg: in Pastor.

2dùm. S. Augustinus: Jejunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus seculi. *Idem*: Jejunium verbositatem non amat, divitias superfluitatem judicat, superbiam spernit, humilitatem commendat, præstat homini seipsum intelligere, quod est infirmum & fragile. *S. Hieronymus*: Sint tibi quotidiana jejunia, & refectio satietatem fugiens, nihil enim prodest tibi biduo vel triduo transmisso, vacuum portare ventrem, si post pariter obstruatur. *S. Greg*: Illud jejunium DEUS approbat, ut hoc quod tibi subtrahis, alteri largiaris; ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. *S. Ambrosius*: Jejunium mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc gradu ad DEUM citiùs pervenit, hunc gradum antequam currum Helias ascendit. *S. Gregorius*: Non DEO, sed sibi jejunat, qui quæ ventri ad tempus subtrahit,

hit, non inopibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. *S. Bernardus*: Quid vero est condonari commissa, nisi jejunio brevi, jejunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus, ubi nullus unquam cibus est, consolatio nulla, terminus nullus, ubi guttam aquæ dives postulat, & accipere non meretur. Bonum ergo & salutare jejunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Non solùm abolitio est peccatorum, sed extirpatio vitiorum, non solùm obtinet veniam, sed promeretur gratiam, non solùm delet peccata præterita, quæ commisimus, sed & repellit futura, quæ committere potueramus. *S. Athanasius*: Videsnè quid faciat jejunium? Morbos sanat, distillationes corporis exsiccat, dæmones fugat, pravas cogitationes expellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus sanctificat, denique ad thronum DEI sistit. Et nè putes hæc temerè dici habes hujus rei testimonium in Evangeliis prolatum à Salvatore. Cùm enim quæsivissent discipuli quonam modo immundi spiritus ejicerentur, respondit Dominus. Hoc genus non ejicitur, nisi in oratione, & jejunio. Valde enim dæmones oblectantur crapulâ & ebrietate, & corporis commodis. Magna vis in jejunio, & magna ac præclara fiunt per illud. Alioquin unde homines, tam mirifica præstarent, & signa per eos fierent, & sanitatem infirmis per ipsos largiretur DEUS, nisi planè ob exercitationes Spirituales, & humilitatem animi, & conversationem bonam? Jejunium enim Angelorum cibus est: & qui eo utitur, ordinis angelici censendus est)) Ecclesia hæc de Jejunio ad DEUM canit. Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia.

S. Bern. Serm. 4. in Quadr.

S. Athanasius in lib. ad Virg.

In Præfat. Missæ Quadrages.

3tiùm. *Exemplum Christi*, qui frequenter famescens, & sitiens, solenne ad initium prædicationis quadraginta dierum fecit jejunium. *Unde S. Ambrosius*: Christus jejunavit causâ salutis nostræ, ut rem utilem non solùm nos doceret verbis, sed etiam exemplis instrueret. Bonus medicus, qui poculum quod ægro daturus est, prior gustat, ut experimentum æger accipiens, securus sit de poculo, securior de salute. De B. V. M. habes suprà descriptum exemplum ejus Jejunii. *Exempla Sanctorum. Elias* jejunio cælum clausit sacrilego populo Judæorum:

D. Ambr. Serm. 37.

l. 2. tract. c. 1. sec. 3. sub exempla B. V. M.

S. Ambr. in lib. de Elia & jejunio.

Jejuniis

Jejuniis filium viduæ ab inferis resuscitavit: Jejunus pluvias & ignes de cælo excivit: jejunus curru ad cælum raptus est, & quadraginta dierum jejunio acquisivit Divinam præsentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus jejunavit. *Esther & Judith*, Jejunio indicto effecerunt, ut propositum suum feliciter perficientes, populum suum ab interitu liberârint. Aliorum Sanctorum jejunia quis edisserat? Fuerunt qui non modò carnibus, piscibus, ovis, lacticiniis, vino, oleo, perpetuò abstinuerunt, & panem & aquam sibi interdixerunt, verùmetiam radicibus, herbulis rore conspersis, sumitatibus arborum in exigua quantitate victitârunt, & severissimum & perpetuum jejunium traxerunt; Fuerunt qui ad occasum solis, ad biduum, & triduum, imò totâ hebdommadâ prolongabant jejunia. Fuerunt qui quadraginta diebus in jejunio absque ullo cibo perdurârunt. Fuerunt qui annis aliquot solo Sanctissimæ Eucharistiæ usu, & nullo alio edulio se confortârunt. Legantur vitæ Patrum & aliorum Sanctorum, magis mirabilia reperies. Nec ullus pene fuerit excellenti opinione Sanctitatis in Ecclesia DEI, qui non excelluerit in jejunio. Aliquorum quidem abstinentia est magis admiranda, quàm imitanda. Veruntamen non est abbreviata manus Domini, quin & tibi quoque discretè in exercitio jejunii conanti proficere, succurrat. Potens est DEUS stupenda efficere suâ gratiâ supernaturali, quæ naturam suâ impossibilitate excedunt. Sed illa quæ sunt ordinaria jejuniorum exercitia quòd negligas, profectò tibi rubor confusionis est. Erubescas te superari à delicatis juvenculis, & virgunculis in affluentia deliciarum manentibus. Timeas nè Ethnicorum quoque dura abstinentia, durum tibi comparet judicium & supplicium vindicis justitiæ DEI.

Esther 4. Judith 8.

Vide Vitas Patrum & aliorum Sanctorum

De Praxi suprà vide sub Abstinentia.

SUBSECTIO III.

De Oppositis Abstinentiæ.

S. Hieron. in Epist. ad Furiam.

Imò. *Opponitur imperfecta Abstinentia.* Contra quam *S. Hieronymus.* Nonnulli vitam pudicam appetentes in medio itinere corruunt,

corruunt, dum solam abstinentiam carnium putant, & leguminibus onerant stomachum, quæ moderatè, parceque sumpta innoxia sunt; Et ut quod sentio loquar, nîl sic inflammat corpora, & titillat membra genitalia, sicut indigestus cibus, victusquè convulsus. *S. Gregorius*: Non cibus, sed appetitus in vitio est. Unde & lautiores cibos plerumque sinè culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. *2dò.* Opponitur Abstinentia seu Jejunium *per excessum. S. Hieronymus.* Ante annos robustæ ætatis periculosa est teneris abstinentia. *S. Gregorius*: Abstinentiæ virtus nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet: aut valde inordinata est, si atterit, plus quàm valet. *3tiò. Per defectum* opponitur nempe *Gula, capitale vitium, quod est inordinatus comedendi & bibendi appetitus.* Dicitur: *vitium capitale.* Quia ex eo multa alia vitia oriuntur, tum propter rationem ejus delectationis, quæ est una de conditionibus felicitatis, quam naturaliter appetimus; tum propter conservationem vitæ, quæ similiter naturaliter est appetibilis, adeoque & ipse cibus est maximè appetibilis, sinè quo vita haud conservatur: unde ad hoc ferè totus labor humanæ vitæ ordinatur; secundùm illud Eccles. 6. Omnis labor hominis in ore ejus. Dicitur: *inordinatus* &c. nempe ex eo quòd recedit ab ordine rationis, in quo bonum virtutis moralis consistit.)) Huc pertinet dictum S. Gregorii. Sic voluptas plerumque sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat, nam dum solvi debitum necessitas petit, voluptas explere desiderium suppetit, & tantò gula securiùs in præceps ruit, quantò sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit.

S. Gregor: lib. 30. Moral.

S. Hieron: ad S. Lætam.

S. Greg: lib. 20. Moral.

D. Tho: 2. 2. q. 148.

V. Ibidem. a. 5.

V. Ibidem. a. 1.

S. Greg: lib. 30. Moral.

Gulæ species sunt. Præpropere, Lautè, Nimis, Ardenter, Studiosè. Quia gula importat inordinatam concupiscentiam edendi. In esu autem duo considerantur, scilicet ipse cibus, qui comeditur, & ejus comestio. Potest ergo inordinatio concupiscentiæ attendi dupliciter. Uno quidem modo quantùm ad ipsum cibum, qui sumitur: Et sic quantùm ad substantiam vel speciem cibi, quærit aliquis cibos lautos, id est pretiosos: Quantùm ad qualitatem, quærit cibos nimis accuratè præparatos, id est studiosè. Quantùm autem ad quantitatem, excedit nimis

D. Tho: q. 148. a. 4.

mis in edendo. Alio verò modo attenditur inordinatio concupiscentiæ, quantùm ad ipsam sumptionem cibi, vel quia prævenit debitum tempus comedendi, quod est *Præpropere*; vel quia non servat modum debitum in edendo, quod est *Ardenter.* Isidor. verò comprehendit Imum & 2dum sub uno dicens: quòd gulosus excedit in cibo secundùm quid, quantum, quomodo, & quando.

E Eliciturex lib. 6. de summo bono c. 22. non procul à fine & cap. 42.

Motiva fugiendi Gulam. Imum. *Eccl:* Somno salubri fruuntur viscera temperantis, manè surgit idem & compos est animi, labor autem vigilia & cholera, torsionesquè exercent hominem insatiabilem. *Eccl:* Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Prov:* Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pingvia, non ditabitur. *Christus:* Væ vobis! qui saturati estis, quia esurietis. *Idem:* Attendite vobis, nè fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ. *Rom:* Sicut in die honestè ambulemus, & non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentionibus, & æmulatione: sed induimini Domiuum JESUM Christum: & carnis curam, nè feceritis in desideriis. *Philip:* Quorum DEus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.

Eccl: 31. Eccl: 37. Prov: 21. Luc. 6. Idem. 21. Rom. 13. Philip. 13.

Ingl. su. Rom. 14.

2dum Motivum. Non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo invenit. Et Esau primatum suum non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit. Scio enim Noë omne genus carnis, quod cibo esset usui, manducare concessum. Eliam cibo carnis refectum; Joannem mirabili abstinentiâ præditum, animalibus, id est, locustis in escam cedentibus, non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticulæ concupiscentiæ deceptum. Et David propter aquæ desiderium à se ipso reprehensum, & Regem nostrum non de carne, sed de pane tentatum. *S. Hieronymus:* Sit vilis & vespertinus cibus olera & legumina, interdumquè pisciculos pro summis ducas deliciis. Qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnopere quàm de pretiosis cibis stercus conficiat. *Idem:* Galenus vel doctissimus Galeni interpres, Adeps, quorum

Hier. in epist. ad Paulin. Idem in epist.

rum vita & ars sagina est (dicit in exhortatione medicinæ) nec vivere posse diù, nec sanos esse, animasquè ita nimio sangvine & adipibus quasi luto involutas, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de carnalibus eructare, & ventris ingluviem cogitare. *S. Gregorius*: Dominante gulæ vitio, omne quod homines fortiter egerunt, perdunt: & dum venter non restringitur, simul omnes virtutes animæ luxuriâ destruuntur. *Idem*: Non ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus edomatur, quia si non ea, quæ nobis sunt viciniora, prosternimus, inaniter ad ea, quæ longius sunt, impugnanda transimus. Incassùm namque contra exteriores inimicos in campo bellum geritur; si intra urbis mœnia civis insidians habetur. *S. Isidorus*: Gulæ saturitas nimia aciem mentis obtundit, ingeniumquè evertere facit. *Idem*: Quibuslibet escis refectus venter seminaria luxuriæ parit, nec prævalet mens discretionum gubernacula moderari, ciborum præfocata pondere. Non enim sola crapula vini mentem inebriare consvevit, verùm etiam cunctarum escarum nimietas vacillantem eam ac nutabundam reddit, omniquè integritatis ac puritatis contemplatione despoliat. *Innocentius*: Impossibile est saturum ventrem pugnas interioris hominis experiri, nec bellis robustioribus attentari dignum esse eum, qui potest deiici leviori conflictu. *Secundum D. Thomam & alios*: Gulæ filiæ quinque numerantur, scilicet inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis circa intelligentiam. Quia gula propriè consistit circa immoderatam delectationem, quæ est in cibis & potibus. Et ideo illa vitia inter filias gulæ computantur, quæ ex immoderata delectatione cibi & potûs consequuntur. Quæ quidem possunt accipi vel ex parte animæ, vel ex parte corporis. Ex parte autem animæ quadrupliciter. Primò quidem quantùm ad rationem, cujus acies hebetatur ex immoderatione cibi & potûs. Et quantùm ad hoc ponitur filia gulæ hebetudo sensûs circa intelligentiam, propter fumositates ciborum, perturbantes caput, sicut è contrario abstinentia confert ad sapientiæ perceptionem: 2dùm illud Eccl: 2. Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut ani-

S. Greg. lib. 30. Moral.

Idem lib. 13. Moral.

Isid. lib. 1 de summo bono.

Idem de Inst. Monach.

Innoc. de vilit cond humanæ.

D. Tho: 2. 2. q. 148. a. 6.

mum meum tranferrem ad sapientiam. Secundò quantùm ad appetitum, qui multipliciter deordinatur, per immoderantiam cibi & potûs, quasi sopito gubernaculo rationis. Et quantùm ad hoc ponitur inepta lætitia: quia omnes aliæ inordinatæ passiones ad lætitiam & tristitiam ordinantur ùt dicitur in 2do Ethic. Et hoc est quod dicitur. 3. Esdræ 3. Quod vinum omnem mentem convertit in securitatem & Jucunditatem. Tertiò quantùm ad inordinatum verbum. Et sic ponitur multiloquium: quia ùt Gregorius dicit in Pastorali. Nisi gulæ deditos immoderata loquacitas raperet, dives ille, qui epulatus quotidie splendidè dicitur, in lingva graviùs non arderet; Quartò quantùm ad inordinatum actum. Et sic ponitur scurrilitas, id est, jocularitas quædam, proveniens ex defectu rationis, quæ sicut non potest cohibere verba, ita non potest cohibere exteriores gestus. Unde ad Ephes. 5. super illud: Aut stultiloquium, aut scurrilitas, dicit gloss. Quòd à stultis curialitas dicitur, id est, jocularitas, quæ risum movere solet. Quamvis posset utrumque horum referri ad verba, in quibus contingit peccare, vel ratione superfluitatis, quod pertinet ad multiloquium: vel ratione inhonestatis, quod pertinet ad scurrilitatem. Ex parte autem corporis ponitur immunditia: quæ potest attendi sive secundùm inordinatam emissionem quarumcunque superfluitatum, vel specialiter quantùm ad emissionem seminis. Unde super illud ad Ephes. 5. Fornicatio autem & omnis immunditia &c: dicit glo. id est incontinentia pertinens ad libidinem quocunque modo. *S. Hieronymus*: Pingvis venter non gignit mentem tenuem. *S. Basilius*: Ventris moderatio animi perturbationum compressio est, perturbartionum autem compressio, animi pax est atque tranquillitas: animi autem tranquillitas nihil aliud, quàm fœcundissimus virtutum fons est. *S. Climacus*: Sicut stercoris copia multitudinem gignit vermium: ita multitudo ciborum, lapsuum & malarum cogitationum, atque somniorum operatur multitudinem. *S. Isidorus*: Nemo potest virtutum perfectionem attingere, nisi priùs ventris edomuerit ingluviem.

Lib. 2. c. 5. com. 5. — *Par. 3. ca. 2. in princ.* — *Gl. interlin: Ibid.* — *S. Hier. epist. 2. ad Nepot.* — *S. Basil. in Const. Mon. c. 5.* — *S. Climac. de discr.* — *S. Isid. lib. 1. c. 42.* — *Gen. 3.*

3tiùm. Ex Biblioth. Man. P. Lohner tit. Gula. I. Vidit Eva

Eva quòd lignum esset bonum ad vescendum, & tulit de fructu ejus, deditquè viro suo, & comedentes ambo, totum humanum genus secum in perniciem traxerunt. II. Serapion cùm diu à gula superatus, & quæ occultè comederet furatus; tandem tentationem & fragilitatem suam seniori detexisset, panemquè furto sublatum de sinu extraxisset, flamma sulphurea gravissimè fœtens de eodem sinu exivit, ut intelligeret, tunc tandem tentationem illam penitus fuisse expugnatam. III. Alius quidam frater, cùm in patriam domum veniens, piscibus oblatis non contentus, sed gallinam occidens, & assari jubens, ubi primnm bolum accepit, ab eo suffocatus est. IV. Quidam miles post mortem puero suo apparens, cùm hic præ timore aperire ei januam nollet, bufones ac serpentes januæ appendit, Filioq u suo nuntiari jussit, hunc esse suum & otiosorum in inferno cibum, & delicias.

Cassian. in Col. c. 11.

Spec. Exemp. Gulæ Exemp.

Ibidem exe. 16.

4tum. Beata Maria Magdalena de' Pazis etiam in pueritia non sumebat jentaculum, & in summo æstu nullo refrigerio utebatur, quod adeò DEO placuit, ut post viginti quatuor annos ei revelaverit, propter hanc mortificationem gulæ ei præparatam esse in cælis mensam plenam pretiosissimis cibis. *Aliud*: B. Jacoponus ut gulam domaret, absynthio quasi sale utebatur. Quondam ab appetitu bubulæ carnis vexatus, eam quidem emit, sed tamdiu in cubiculo servavit, donec computresceret, & tum demum pessimè olentem naso applicabat.

Vitæ cap. 5.

Corn. à Lap. in c. 11. Num.

In Praxi pro vincenda Gula hæc adhibe quædam media ex *P. Lohner*, quorum est I. Oratio, utì S. Augustinus suo exemplo docuit, dum dixit: His tentationibus (gulæ) quotidie conor resistere, & invoco dexteram tuam ad salutem meam, & ad te refero æstus meos, quia consilium mihi de hac re nondum stat. Multa nobis orantibus tribuis. Audivi rogantem ut accipiat. Aufer à me, inquit, concupiscentias ventris. Unde apparet *S.* DEUS meus, te dare, cùm fit quod imperas fieri. Hinc Hesiodi monitum est. Nè comede ex illa, quæ non benedicta patella est.

Biblioth. Man. P. Lohner tit. Abstinentia & Gula.

S. August. lib. 10. confess. c. 31.

Mocrob. lib. 3. c. 11.

II. *Spiritualium rerum studium*: nam gustato spiritu, desipit omnis caro. Hinc S. Gregorius ait. Gula per abstinentiam frangitur, sed abstinentiam ciborum corporalium habere non potest, qui

S. Greg.

qui mentem ſpiritualibus cibis non replet: potenter enim corpus extenuat, qui amore cæleſtium cor inflammat, quia dum ſpiritualia diligit, deſideria carnis valenter premit.

III. Sæpè perpendere, quàm beſtialis, vana, brevis, noxia corpori & animæ, atque adeò etiam indigna homine ſit voluptas immoderata, quæ ex guſtu percipitur, ac proin dicere cum Seneca, Ad majora ſum genitus, quàm ut mancipium ſim mei corporis. Certè Petrarcha judicavit hoc vitium nullo melius modo, quàm generosâ quâdam indignatione, & rei ipſius exiſtimatione confundi, vel ſenſim ùt Ciceroni placuit, vel repentè ùt Ariſtoteli viſum eſt. Multum confert cogitatio exitûs, quod cum omnibus vitiis ſit commune, tamen huic proprium & luxuriæ.

Petrarcha Dialo. c. 8.

IV. Ante menſam definire, quid & quantum ſumendum ſit, & hunc terminum nulla aviditate & inſtigatione inimici excedere:

S. Igna in Reg. de vict. tem.

V. *Infernalis cibi meminiſſe.* Ita Climacus ſvaſit dicens. Menſæ delibatio lamentandæ ſortis vermium illorum te admoneat, minuſquè delicias requires. Sed & in ipſo aquæ potu flammæ illius ſitim nè obliviſcaris, atque ita vim omnino naturæ facies.

Climacus grad. 7.

VI. Joannes Berchmannus nihil unquam peculiare in cibo admiſit, dicens, ſperare ſe DEO cordi fore, ut communia non nocerent, quando iis uteretur, nè diſcederet â communi uſu. Affirmabat uſu temporis temperantiam paulatim acquiri poſſe ſe verò nè jentandi aſſvetudine obſtringeretur, cœpiſſe ab initio ſuſcepti Tyrocinii detrahere quotidie aliquid de cibo conſveto, atque hac viâ didiciſſe abſtinere. Unde *S. Dorotheus* ſvadet ut quiſque experientiâ magiſtrâ diſcat & obſervet, quantâ cibi copiâ ſoleat ſtomachum gravare, ac deinde paulatim de copia illa detrahat, donec nullam ampliùs in digeſtione difficultatem ſentiat. Contra notet quoque quanta cibi tenuitas & parſimonia imbecilliorem reddat, ut officio, quod ſuſtinet, ægrè ſatisfacere posſit, quo animadverſo paulatim eò uſque commeatum augeat, donec integras vires ſentiat ad munus ſuum commodè obeundum. Pater Nicolaus Lancitius ſcribit â ſuo Magiſtro Novitiorum hanc regulam temperantiæ & ſobrietatis præſcriptam fuiſſe, ut tantum quis comedat, vel bibat, ut abſoluto prandio vel cœnâ ad orationem ſe diſpoſitum ſentiat. Hinc & Tertullianus de moribus

Vitæ p. 2. parag. 73.

S. Dorotheus f. 8.

Opiſcul. 2. n. 60.

Tertul. in pol. c. 39.

veterum Christianorum scribens, ait: bibitur qnantum pudicis est utile, ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem sibi adorandum esse DEUM. Et hoc est quod etiam Angelus Sancto Pachomio in dictatis regulis præcepit, concede unicuique ut comedat, & bibat pro viribus, neque jejunare prohibe, neque comedere. Et meritò, nam teste Clemente Alexandrino, periculosa sunt extrema, media autem bona sunt, medium autem est, quidquid non eget necessariis rebus.

Pallad. in Lausia Hist. c. 38.

Apud Lancit. lib. 7. n. 30.

VII. Denique præstantissimum remedium ex sensu SS. Patrum est, sicut alia vitia resistendo, *ita gulam & luxuriam fugiendo vincere.* Ignoti enim nulla est cupido, quanquam perfectiores etiam in mediis illecebris gulæ triumphant. Ita Fr. Bernardus de Quintavalle, socius Sancti Francisci, dicere solebat, gulæ vim multò magis in gustu, quàm copia ciborum reperiri, ideo ipse libenter publica convivia accedebat, eò quòd ibi insignem haberet occasionem se mortificandi, aliosquè ædificandi.

Petry de regno Dei. c. 2. f. 481.

Verùm rariùs hujusmodi maximè imperfectis sectanda exempla, cum etiam S. Ambrosius & S. Augustinus Conviviis, invitati, nolebant adesse, nè excederent metas temperantiæ. Refert S. Gregorius Turon. dicens: Vennocus Britto Presbyter in summa vivebat abstinentia. Vestes erant vilissimæ pelles, cibus agrestes & incoctæ herbæ, potus aqua. Ad comprimendam gulam, vini vascula ori solummodo admovebat, nihil ex iis hauriens. At dum hoc ipsum crebriùs factitat, tandem dulci odore vini illectus, & gustare nonnihil, inde & bibere, denique etiam cœpit inebriari adeò, ut homo miserabilis ex continua ebrietate tandem ad insaniam redactus, catenis constringi debuerit.

Collector.

Greg. Turon. lib. 8. Franc. c. 44.

Vide quoque suprà specificata, & hìc proportionata Methodo applica

I. 2. tra. I. c. I. sect. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

SUBSECTIO IV.

De Sobrietate.

SObrietas, *est specialis virtus, quâ removemus speciale rationis impedimentum ex potu inebriante proveniens.* Dicitur: *specialis virtus*: Quia ad virtutem moralem pertinet conservare bonum rationis

D. Tho: 2. 2. q. 149.

rationis contrà ea, quibus potest impediri. Et ideo ubi invenitur speciale impedimentum rationis, ibi necesse est esse specialem virtutem ad illud removendum. Potus autem inebrians habet specialem rationem impediendi usum rationis, inquantùm scilicet perturbat cerebrum suâ fumositate. Et ideo ad removendum hoc impedimentum rationis, requiritur specialis virtus, quæ est sobrietas. Differt autem abstinentia circa cibum & potum à sobrietate per hoc, quòd abstinentia faciat, nè ratio impediatur per ejus absorptionem ab immoderantia delectationis circa cibum. Sobrietas autem nè bonum rationis perturbetur à fumositatibus potûs inebriantis. Dicitur: *quâ removemus.* Ubi inter alias personas maximè removere debent hoc impedimentum rationis, seu sobrietati studere, nempe mulieres, & juvenes, tum senes, & honoratæ personæ. Ratio est, quia virtus habet habitudinem ad duo. Uno quidem modo ad contraria vitia, quæ excludit, & concupiscentias, quas refrænat. Alio modo ad finem in quem perducit. Sic ergo aliqua virtus magìs requiritur in aliquibus duplici ratione. Uno modo, quia in eis est major pronitas ad concupiscentias, quas oportet per virtutem refrænari, & ad vitia quæ per virtutem tolluntur. Et secundùm hoc sobrietas maximè requiritur in Juvenibus, & mulieribus, quia in Juvenibus viget concupiscentia delectabilis propter fervorem ætatis. In mulieribus autem non est sufficiens robur mentis ad hoc, quòd concupiscentiis resistant. Unde 2dùm Valerium Maximum. Mulieres apud Romanos antiquitus non bibebant vinum. Alio vero modo sobrietas magìs requiritur in aliquibus, utpote magìs necessaria ad propriam operationem ipsorum. Vinum autem immoderatè sumptum, præcipuè impedit usum rationis. Et ideo senibus, in quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditionem, & Episcopis, seu quibuslibet Ecclesiæ ministris, qui mente devotâ debent Spiritualibus insistere, & Regibus, qui per sapientiam debent populum subditum gubernare, specialiter sobrietas indicitur. Dicitur: *ex potu inebriante*; quia specialiter sobrietas attenditur circa potum non quemcunque sed eum, qui suâ fumositate natus est caput conturbare.

V. Ibidem a. 2. ad 1.

V. Ibid. a. 4.

Lib. 2. c. 1. titulo de usu vini mulierib. interdicto.

Ita D. Tho: a. 1.

Motiva

Motiva Sobrietatis. *Eccl:* Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem. *Eccl:* Vinum in jucunditatem creatum est, & non ad ebrietatem ab initio. Exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum. Sanitas est animæ & corpori sobrius potus. *Apostolus:* Omnes vos filii lucis estis, & filii diei, non sumus mortis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus; sobrii simus. *Origeni* sobrietas omnium virtutum mater est: sic è contrario ebrietas omnium vitiorum origo. *S. Augustinus;* Sobrietas est mentis & sensûs membrorum omnium, corporisquè tutela, castitatis pudicitiæquè munimentum, pudori proxima, amicitiæ pacisquè serva, honestatiquè semper conjuncta, criminumquè & vitiorum omnium profuga. *Beda:* Sobrietas servat memoriam, acuit sensum, dirigit vultum, integrat pudorem, mitigat vitia, figurat aciem, elinit aures, exonerat cerebrum, exprimit lingvam, explicat sermonem, nutrit medullam, confirmat sangvinem, procurat venas, constringit nervos, contemnit libidinem, recreat somnum, propagat senectutem, prohibet mysterium, & hominem constabilit. *S. Thomas:* Sicut potus inebriare valentis usûs mensuratus multum confert, ita modicus excessus multum lædit: quia impedit usum rationis, magìs etiam quàm excessus cibi. Unde dicitur: *Eccl.* 31. Sanitas est animæ & corpori sobrius potus. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit.

Eccl: c. 33. *Eccl: 31.* *1. ad Thessal. c. 5.* *Orig. Hom. 87.* *S. August:* *Beda in Collectaneis.* *V. D. Tho: 2.2. q. 149. a. 1.*

Ad Praxim Sobrietatis vide dicta de Praxi Abstinentiæ.

SUBSECTIO V.

De Ebrietate.

EBrietas, *species gulæ, est inordinatus appetitus vel usus potûs, cum privatione rationis.* Triplex autem potest contingere ebrietas. *Uno modo* sic, quòd nesciat potum esse immo- *D. Tho: 2. q. 150.* *V. ibid. a. 2.*

deratum, & inebriare potentem. Et sic ebrietas potest esse sinè peccato. *Alio modo* sic, quòd aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen æstimet, potum esse inebriare potentem. Et sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. *Tertio modo*, potest contingere: quòd aliquis benè advertat potum esse immoderatum & inebriantem, & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quàm à potu abstinere. Et talis propriè dicitur ebrius: quia moralia recipiunt speciem non ab eis, quæ per accidens eveniunt præter intentionem, sed ab eo quod est per se intentum. Et sic ebrietas est peccatum mortale. Quia secundùm hoc, homo volens & sciens privat se usu rationis, quo secundùm virtutem operatur, & peccata non declinat. Et sic peccat mortaliter periculo peccandi se committens. Dicit enim Amb. in lib. de Patriarchis, Vitandam dicimus ebrietatem, per quam crimina cavere non possumus; Nam quæ sobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Unde ebrietas per se loquendo est peccatum mortale.

Prov: 23. *Frænativa Ebrietatis.* *Imum. Prov:* Nè intueris vinum quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè, & in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extranea, & cor tuum loquetur perversa, & eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo, & dices. Verberaverunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi.

Prov: 25. Quando evigilabo & rursus vina repetam? *Prov:* Noli esse in conviviis potatorum, nec in commessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes

Prov: 20. Symbola consumentur. *Prov:* Tumultuosa ebrietas. *Prov:* Cui

Prov: 23. væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonnè his qui commorantur

Eccles. 19. in vino, & student calicibus epotandis? *Eccles.* Vinum & mu-

Esai. 5. lieres apostatare faciunt sapientes. *Esai.* Væ! qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cithara & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris: & opus Domini non respicitis, nec

Idem opera manuum ejus consideratis. *Idem.* Væ! qui potentes estis

ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. *Joël*: Expergiſcimini ebrii & flete: & ullulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam perit ab ore veſtro. *Apoſtolus*: Neque ebrioſi regnum DEI poſſidebunt. *Joel 1.* *1. Cor. 6.*

2dum Frænum. *S. Chryſoſtomus*: Ebrius, dæmon eſt voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina excuſatione carens, commune noſtri generis opprobrium. Non enim in conventibus tantùm inutilis ebrius, aut in privatis & publicis negotiis, ſed & ſolo aſpectu eſt omnium gravisſimus, fœtores exhalans teterrimos, eructationes & oſcitationes. *Idem*: Quantò melior aſinus ebrioſo? quantò canis præſtantior? omnes certè beſtiæ, cùm bibunt aut comedunt, ultra quàm ſatis eſt non ſumunt, etiamſi mille homines cogerent. *S. Baſilius*: Lymphatus & cacodæmone captus, miſericordiâ quidem dignus eſt: ebrius verò eâdem ferè & ipſe patiens minimè miſericordiâ dignus, qui ſpontaneus ſervit Dæmoni. *S. Auguſtinus*: Ebrietas eſt flagitiorum omnium mater, culparumquè materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubverſio ſenſûs, tempeſtas lingvæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, amisſio temporis, inſania voluntaria, ignominioſus langvor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela. *Idem*: Vinum potatum moderatè eſt medicamentum: plus juſto ſumptum venenum eſſe cognoſcitur. Jucunditati non ebrietati creata eſt vini materia. *Idem*: Per vinolentiam plurimi, plurimæquè à ſancto pioquè propoſito excidêre, & ſui obliti, amisſis honoribus, ignobiles remanſerunt, & ſedibus paternis profugi vitam, ùt ſumpſerunt, finierunt. *Idem*: Ebrietas eſt blandus dæmon, dulce venenum, ſvave peccatum; quam qui habet, ſe ipſum non habet, quam qui facit, peccatum non facit, ſed totus eſt peccatum. *Idem*: Ebrioſus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam. *Petr. Rav.* Ebrietas in Laico crimen eſt, in Sacerdote ſacrilegium: quia alter animam ſuam necat vino, alter Spiritum Sanctitatis extingvit. *Chryſoſt. hom. 1.* *Idem in Matth. homil. 58.* *S. Baſ. Mag. ſerm. de ebriet.* *S. Auguſt. ad ſacras Virg.* *Ibidem.* *Ibidem.* *R. Auguſt. in quodam ſerm.* *Idem de poenit.* *Pet. Rav. in quod. ſerm.*

3tium. In vitis Patrum legitur. Quidam ex illis gravisſimè continuis tentationibus devexatus mœrebat, & inconſolabiliter *Jacob Marchant Hort. paſt. Tubæ Sacerdot. tr. 4. lect. 5.*

biliter suam plangebat sortem. Tandem dixit ei dæmon, se liberum eum dimissurum, & ab omni posthac tentatione futurum immunem, si unum ex tribus peccatis, ebrietate, homicidio, adulterio patrare decerneret. Ille seductus fallaci hac promissione, elegit ebrietatem tanquam minus inter cætera malum. Verùm quid contigit? Cùm temulentus foret, cum quadam muliere in adulterium lapsus est: nec ibi flagitii terminus. Viro enim superveniente, & facinus subodorante, nè fortè illud ipse vindicaret, etiam & virum aggressus, trucidavit. Ita quod simplex & minus cæteris peccatum sibi eligere visus fuerat, triplici se scelere abominabili contaminatum agnovit. Sic nimirum profundum meritò dicimus & detestabile (gulæ) vitium, quod ad tantam malorum abyssum mox hominem perducit.

Eccl. 2. v. 2. 4tum. *Ex P. Lohner Biblioth. Man. tit. Ebrietas.* I. Salomon de se ipso confessus est: Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum transferrem ad sapientiam, devitaremquè stultitiam. II. S. Augustinus pro concione dixit: Ecce præclarissimus civis noster, & ferè ab omnibus dilectus Cyrillus Filium habebat, ut scitis, quem corrigere nolebat, & luxuriosè vivendo insumpsit partem bonorum suorum. Sed ecce hodie ebrietatem perpessus, matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, Patrem occidit, & duas sorores ad mortem vulneravit. III. Christus Dominus gustavit vinum myrrhatum cum felle mistum in exemplum mortificandi gulam nostram. IV. S. Gabriel Archangelus inter majora admirandæ sanctitatis S. Joannis Baptistæ indicia ponit, quòd vinum siceramquè non sit bibiturus. V. Alius quidam cùm ingens poculum in sanitatem alterius evacuandum offerretur, ingens frustum panis secalicei panis ei obtulit dicens; Ede tu istud in meam sanitatem, & ego tunc poculum hoc in tuam sanitatem ebibam.

S. August. ser. 33.

Lu. 1. v. 5.

Engelgr. in Cont. Dom. 2. post Epiph.

Drex. in Joseph c. 14. paragr. 3.

Alex. ab Alex. lib. 3. F.F. in Erem.

5tum. Alphonsus Rex Aragonum, ebrietatem & ebrios, cane pejus & angve oderat: rogatus verò tanti odii causam, quia scio inquit furorem & libidinem ebrietatis esse sorores. *Aliud.* Romani eos qui se vino ingurgitabant adeò exosos habuerunt,

buerunt, ut à senatu & publicis muniis, velut indignos, removerent. Hinc usque ad annum trigesimum, masculis vini usus non concedebatur. Fœminis verò omninò ignotus erat. *Aliud.* Hispani nè in testem quidem amplius admittunt illum qui semel ebrius extiterit. *Aliud.* Græci sanxerunt, ut qui potationibus patrimonium dilapidâsset, nè sepeliretur in majorum suorum monumentis, sed inglorius in quisquilias abiiceretur. *Timpius in specul. Princip. sig. 45. Alex. ab Alex l. 6. gen. dier. ca. 14.*

In Praxi cavendi Ebrietatem utere mediis à P. Lohner loco cit. propositis, illorum est. *I. Abstinere à conviviis.* Ita Salomon monuit dicens: Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum. Hinc S. Ambrosius & Augustinus, neque in Patria periti ibant ad convivium, nè temperantiæ amitteretur modus. *Prov. 3 v. 20.*

2. *Respectum humanum deponere.* Solent enim teste Augustino, Ebriosi ita se excusare, ut dicant: Persona potens me coëgit, ut amplius bibam, & in convivio Regis non potui aliter facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, & quod implere nolumus, non potuisse nos dicamus. Et si ad hoc veniretur ut diceretur tibi, aut bibas aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima tua moreretur. Sed excusatio ista falsa objicitur, ipsi enim Reges, & quicunque alii potentes, si te viderent definîsse ut eis non acquiescas, pro timore DEI inebriari, si tibi sub horam videantur irasci, postea verò te in grandi admiratione suspiciunt dicentes: Quantis eum minis & terroribus fatigavimus, tamen nunquam eum à sobrietate separare potuimus? *Addit verò postea.* Ille qui ebrietati resistit, si cum DEI adjutorio perseveraverit, & pro ipsa aliquas ipse pertulerit tribulationes, omnia ei DEUS ad Martyrii gloriam reputabit. *S. August. s. 232. de Ebriosis.*

3. *Per orationem frequenter gratiam obtinendi à DEO petere.* Ita iterum S. Augustinus sic consuluit dicens. Qui sunt ebriosi, cum adjutorio DEI de luto fœcis se excutiant, vel de cloaca ebrietatis, dum adhuc tempus est pœnitendi, festinent, quantâ possunt celeritate à DEO auxiliante consurgere, & totis animæ viribus cum Propheta supplicantes Domino dicant; Eripe me de luto, ut non inhæream. *Idem. c. 232.*

Ibidem. 4. *Paulatim sibi aliquid de potu subtrahere.* Unde idem Sanctus svasit dicens: Sed hic ante omnia scire debemus, quia non uno die homines efficiuntur ebriosi, sed cùm paulatim per singulos dies, singulos sibi aut binos calices ad potum consvetudinarium addunt: sic qui se de hoc malo desiderat liberare, paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat. Qui enim per partes aliquid subducere voluerit, & de ebrietate liberabitur, & intolerabilem inferni pœnam non patietur.

S. Climac. grad. 14. 5. *Fellis Christo in cruce oblati meminisse;* Ita S. Climacus svasit dicens: ubi poculum bibiturus sumpseris, aceti & fellis Domini DEI tui nè obliviscaris, & omnino vel moderatè bibes, vel ingemisces, vel certè humilior inde, & modestior evades.

Phytagoras apud Stobæum s. 18. 6. *Ebriorum mores & facta inspicere.* Ita Phytagoras consultus à quodam ebrioso qua ratione ebrietatem vitare posset? Respondit. Si quæ per ebrietatem facis, animo volvas. Hinc & Lacædemonii ut filiis suis ebrietatem interdicerent, aliud non faciebant, quàm ut servos inebriarent.

l. 2. trat. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3. *Vide etiam suprà dicta, & hìc modo convenienti adhibe.*

SUBSECTIO VI.

De Castitate.

V. D. Tho: in q. 151. CAstitas, est virtus specialis, quæ delectationes venereorum 2dùm rationem moderatur.

Ita Ibid. a. 1. ad 4. Castitas inquantùm est secundùm rationem operans, habet rationem virtutis, inquantùm autem habet delectationem in suo actu, connumeratur inter Fructus (Spiritûs.)

Gradus Castitatis.

Ex Formula aurea D. Bonaventuræ de gradibus virt.

Graduum castitatis ordo. I. Castitatis altus gradus est, castitas conjugalis. Altior, vidualis. Altissimus, virginalis. Hoc patet per fructus, qui eis debentur, scilicet tricesimus, sexagesimus, centesimus. In hoc ultimo gradu fuit Christus, & Beata Virgo Mater ejus. Damascenus

ſcenus etiam dicit. A nuptiis abſtinentia, eſt Angelorum imitatio.

Item altus gradus eſt, deteſtari geſtus & tactus impudicos. Altior, deteſtari verba impudica. Adhuc altior, deteſtari voluntatem vel concupiſcentiam impudicam, ſicut Sara dixit. Nunquam concupivi virum, &c. Altisſimus, Deteſtari cogitationem impudicam, ſicut Job dixit: Pepigi fœdus cum oculis &c. Item multum quandoque periclitatur caſtitas ex auditu impudico. Magìs quandoque ex viſu, ùt in David & Senibus in Daniele. Sed maximè quandoque ex tactu impudico. Item maximè adjuvatur caſtitas, ſi homo vitat locum ſuſpectum. Magìs ſi vitat homines ſuſpectos. Multò ampliùs, ſi vitat familiaritates ſuſpectas, & ea quæ provocant familiaritates ſuſpectas, ùt ſunt dulces literæ, dulces ſalutationes, dulces reſpectus, dulcia verba, & blanda, & crebra munuſcula, de quibus Hieronymus dicit: Crebra munuſcula, & dulces literas, & ſudariola, & cibos prægustatos, ſanctus amor non habet. II. Tob. 3 c. Job. 31. a. 1. Reg. 11. a. D. 13. a. Hier. Epiſt. 2. ad Nepotian.

Item altus gradus caſtitatis eſt, eſſe caſtum per munditiam carnis. Altior, per munditiam mentis, quia per impudicitiam maculatur corpus & anima, ùt dicit Apoſtolus. Quodcunque peccatum fecerit homo &c. Altisſimus, per imitationem exempli caſtitatis Chriſti. III. 1. Cor. 6.

Incentiva amandæ Caſtitatis. imum. *Sapiens*: O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate, immortalis eſt enim memoria illius: quoniam & apud DEum nota eſt, & apud homines. Cùm præſens eſt, imitantur illam: & deſiderant eam, cùm ſe eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. *Apoſtolus*: Te ipſum caſtum cuſtodi. *Idem*: Mulieres ætatis provectæ ſint prudentes, caſtæ &c. *Idem*: Jis, qui ſecundùm patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam. *Idem*: Volo autem vos ſinè ſolicitudine eſſe Qui ſinè uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat DEO. Qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini ſunt: ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad utilitatem Sap. 4. v. 1. 1. Tim. 5. 22. Tit. cap. 2. v. 5. Rom. 2. Cor. c. 7.

tem vestram dico: non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sinè impedimento Dominum obsecrandi. *Idem*: Hæc est enim voluntas DEI sanctificatio vestra: ut abstineatis vos â fornicatione, ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione & honore; non in passione desiderii, sicut & gentes quæ ignorant DEUM.

ad Thess. c. 4.

S. August. de bono conjugali.

2dum *S. Augustinus*: Sicut bonum erat quod Martha faciebat, occupata circa ministerium sanctorum, sed melius quo Maria audiens verba DEI; etiam bonum Susannæ in castitate conjugali laudamus; sed bonum viduæ Annæ, & magis MARIÆ Virginis anteponimus. *Idem*. Inter omnia certamina Christianorum duriora sunt prælia castitatis, nam ibi continua pugna, & rarior victoria. Rara enim concordia formæ atque pudicitiæ. Rara avis in terris, nigroquè simillima cygno. *S. Isidorus*. Nequaquam in senectute continentes vocandi sunt, qui in juventute luxuriosè vixerunt, tales non habent præmium, quia laboris certamen non habuerunt. Eos enim expectat gloria, in quibus fuerunt gloriosa certamina. *Beda*: Major est virtus ac sublimior gratia internam libidinem carnis extingvere, quàm nequitias dæmonum extrinsecus irruentes jugo Domini ac virtutis altissimæ potentiæ subjugare. *S. Bernardus*: Quis enim cælibem vitam, vitam cælestem & angelicam dicere vereatur? aut quod in resurrectione futuri sunt omnes electi: Quomodo non jam nunc estis, sicut Angeli DEI, in cælo, à nuptiis penitus abstinentes? Amplectimini Fratres pretiosissimam margaritam, amplectimini sanctimoniam vitæ, quæ vos efficit sanctorum similes, & domesticos DEI; dicente scripturâ. Incorruptio proximum facit DEO. Ita ergo non vestro quidem merito, sed gratia DEI estis, quòd estis: quod ad sanctitatem & sanctimoniam spectat, Angeli quidem terreni, aut potiùs cæli cives, sed interim in terra peregrini. *Idem*: Quid castitati magìs decorum, quæ mundum de immundo magis conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus sed felicitate, non virtute; sed etsi illius castitas felicior,

Idem in serm.

S. Isidor. l. 2. de sum. bono. c. 31.

Beda in collationibus Patr.

S. Bern. serm. 57. de verbis Psal. Hæc est generatio.

S. Bern. epist. 42. ad Hen. Sonon. Archiep.

licior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore, statum quendam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnia, morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubentur, præbens quodammodo terris cælestis jam illius conversationis experientiam.

3tium ab Exemplis. S. Benedictus per speciem mulieris aliquando à se visæ graviter tentatus in spinas se abjecit, sicquè prurientem libidinem extinxit. *Aliud. S. Bernardo* adhuc in seculo existenti contigit ut cum sociis aliquantis apud matronam aliquam Bernardus hospitaretur. Considerans autem mulier adolescentem decorum aspectu, capta laqueo oculorum suorum, in concupiscentiam ejus exarsit. Cumquè tanquam honoratiori omnium, seorsum ei fecisset lectulum præpari, surgens ipsa de nocte impudenter, accessit ad eum. Quam Bernardus sentiens, nec consilii inops clamare cœpit *Latrones, latrones*; Ad quam vocem fugit mulier, familia omnis exurgit, lucerna accenditur, latro quæritur, sed minimè invenitur. Ad lectulos singuli redeunt, fit silentium, fiunt tenebræ sicut prius, pausant cæteri, sed non illa misera requiescit. Exurgit denuò & Bernardi lectulum petit, sed denuo ille proclamat: *Latrones, latrones*; Quæritur iterum latro, latet iterum, nec ab eo qui solus noverat, publicatur. Usque tertio improba mulier sic repulsa, vix tandem seu metu, seu desperatione victa cessavit. Cùm autem die sequenti iter agerent, arguentes Bernardum socii, qnosnam toties eâ nocte latrones somniaverit, perquirebant; Quibus ille veraciter, inquit, aderat latro, & quod mihi pretiosius est in hac vita, castitatem videlicet, hospita nitebatur auferre incomparabilem thesaurum. *Aliud. S. Dominicus* meretricem conscio Rege Castellæ ad tentandam ejus castitatem immissam, in lectum prunis ardentibus plenum, in quo ipse sinè vestium aut corporis ambustione jacebat, invitans, egregium suæ castimoniæ testimonium reliquit. *Aliud. S. Franciscus Seraphicus* ab impudica fœmina noctu ad scelus invitatus, pavimentum prunis ardentibus ex proximo igne constravit, in eoquè decumbens mulierculam invi-

Surius 21. Mart.

In vita S. Bernardi.

Thom. Cant. l. 2. apum, c. 30. n. 45.

Chronica Min. l. 1. c. 64. & l. 2. c. 457.

invitavit, quo facto procacem mulierem ad pœnitentiam reduxit. Id ipsum in Ægypto fecisse dicitur, dum à Saracena meretrice ad impudicitiam provocatus, in ignem proximè ardentem se conjecit, eamquè ad stratum illud evocavit, quæ tanto viso miraculo fidem suscepit. Aliàs à dæmone per impuras suggestiones aggravatus, nudum corpus in nivem projecit, & ex nive septem statuas acsi uxores & filii forent, formavit, & nudus amplexus est. *Aliud. S. Ignatius*, ex quo die in B. Virginis patrocinium se dedit, tantam consecutus est castitatem, ut nullam deinceps carnis tyrannidem, quamvis perfervidus naturâ, senserit. *Aliud. S. Franciscus Xaverius* adeò castitatis erat amans, & studiosus, ut contra impudicam cogitationem in somno venientem, ad sangvinem usque certaverit. *Aliud.* Decius Juvenem quendam juvenili ætate florentem in amœnissimos hortulos adduci præcepit, ibiquè inter candentia lilia, & rubentes rosas, cùm leni juxtà murmure serperet rivus, & molli sibilo arborum folia ventus stringeret, super stratum plumis lectulum supinari, & nè inde se excutere posset, blandis fatorum nexibus irretitum relinqui. Quò cùm recedentibus cunctis meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere colla complexibus, & (quod dictu nefas est) manibus attrectare virilia. Quid ageret miles Christi, quò se converteret, nesciebat. Et quem tormenta non vicerant, superaret voluptas? Tandem cælitus inspiratus, præcisam mordicus lingvam, in osculantis se faciem expuit, sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superavit.

Maffeus lib. 3. vitæ cap. 8.

Vita.

S. Hier. in vita Pauli erem.

In Praxi pro tuenda Castitate hæc ex P. Lohner observanda sunt. Biblioth. man. tit. castitas 1. *Timor DEI.* Hæc enim est herba, quâ Arnozius etiam in mediis aulæ periculis castitatem illibatam servavit.

Hist. Soc. p. 1. l. 5. n. 65.

2. *Amor & cultus B. Virginis.* Si enim ut D. Bonaventura apud Canisium testatur, ex venerando vultu, & corpore prodibat divinum aliquid, & Virgineus, frigidusquè ros, qui ad impuritatem omnem spectantium arcendam & extingvendam mirificè conferebat, & quasi virgines germinabat, aut ad majorem vitæ honestatem provocabat, quantò magis ab ea nunc glo-

Stim. Virt. lib. 2. C. 23. & 24.

gloriosa simile auxilium expectari poterit? ita sanè expertus est S. Ignatius, & P. Ledes.

3. *Oratio.* Hinc S. Paulus ter Dominum rogavit, ut discederet stimulus carnis ab eo, sciens nimirum cum Sapiente, quoniam non posset esse continens, nisi DEUS daret. *Ibidem.*

4. *Humilitas.* Hinc apud priscos Patres Maximæ instar erat, non posse ad purum quempiam carnalibus vitiis emundari, nisi universum laborem suum atque conatum ad tantæ perfectionis finem intellexerit non posse sufficere, nec eam nisi miseratione DEI, & adjutorio comprehendi contingat. Et Climacus in scala paradisi ait: Eum qui in sudoribus & laboribus suis adversus hujusmodi adversarium pugnat, similem esse ei, qui inimicum suum papyro ligavit; qui verò continentiâ ac vigiliis oppugnat, esse similem ei, qui catenis, torquibusque hostem devincit; qui denique altissimâ humilitate & vacuitate iracundiæ depugnat, ei comparari, qui occidit inimicum, & in arena occultavit. *Grad. 15.*

5. *Fuga occasionum.* Ita Josephus Patriarcha exemplo suo docuit, relinquens pallium in manibus uxoris Putipharis: contagium quippe judicavit, ùt S. Ambrosius ait: si diutiùs moraretur, nè per manus adulteræ libidinis incentiva transirent: Nam ut benè Tertulli. Facile est non appetere quod nescias, at aversari, quod desideraveras, nunquam. Accedit consilium sapientis: quasi à facie colubri fuge peccata. Nam ut Baldesanus I. c. ait, ideo fit ut habitent, & depascantur hominum flagitiosorum cadavera serpentes, quòd in viventium animis suis olim strinxerint habitationem. Rectè ergo sponsa cantico ulti: Fuge dilecte mi, assimilare capreæ &c. Hinc Daphnis ob fugam libidinis in laurum conversa dicitur, ut significarent hoc figmento Poëtæ victoriam de carne non faciliùs, quàm per fugam obtineri posse. *Stimul. virtu. lib. 1. c. 7. & sequent. lib. 1. de Joseph. cap. 5. lib. ad Uxor. Eccles. 22.*

6. *Labor & occupatio honesta.* S. Hiero: ad edomandam carnem Hebræam lingvam addidicit, & postea dixit: Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Ob eandem causam Pater quidam Monasterii adolescentem quendam *stim. virtu: l. 1. c. 22. & 23.*

 luxuriâ

luxuriâ graviter tentatum jurgiis & dicteriis onerari præcepit, ut sic ei ad intendendum cogitationibus non vacaret.

Stim. virtu. l. 2. c. 28. 7. *Frequens usus Sacramentorum*, præcipuè Sacræ communionis. De hoc enim dicit S. David Psal. 22. Parâsti mensam adversus eos, qui tribulant me. *In Stim. p. 1. C. 1.* Hinc pulchrè S. Bonaven: Si ergo ò anima carnem diligis, nullam carnem, nisi Christi carnem ames.

Ludov. de Pont. tom. 3. tra: 2. c. 10. parag. 1. 8. *Præsentia trium Sociorum*, DEI, B. Virginis, & S. Angeli Custodis: Nam si Senecâ teste, magna pars peccatorum tollitur, si peccatis testis assistat: Quantò magìs si tres isti cogitantur præsentes? Ita sanè expertus S. Ephrem mulierem ad scelus provocantem ad publicum forum invitans.

Stim. virtu. l. 1. c. 11. 9. *Accurata sensuum, præcipuè oculorum custodia.* Quia ùt sapienter S. Basilius advertit, sensualis voluptas est instar alicujus fontis habentis plura epistomia, qui aquam fundit per sensus, & potentias carnis: & instar serpentis multorum capitum, per quæ omnia inficit veneno. Hinc sponsa: Hortus conclusus, fons signatus appellatur. *Cant. 4.*

10. *Votum saltèm ad tempus editum.* Per hoc enim provocatur partim liberalitas DEI ad gratiam offerendam, partim firmatur voluntas in proposito castitatis servando: si enim ingens est incivilitas non stare verbis aut promissis, quæ Regibus & Principibus hujus mundi sunt facta, quantò major erit inurbanitas atque irreverentia, si promissio DEO facta non impleatur? *Cap. 6.* Quid verò amplius boni castitas sub votum cadens operetur; vide suprà, ubi de votis actum.

Ludov. de Ponte tom. 3. tr. 2. §. 1. Qualis autem ulterius esse debet humilitas castorum, describit P. Lohner loco citato dicens. Porrò consistit hæc humilitas in tribus potissimùm capitibus. *Imò.* Ut summo secreto quis sibi soli ita servet castitatem, ut nullo verbo, quod vanitatem aliquàm, aut jactantiam sapiat, aut inane desiderium ostendat, quòd propterea in honore esse velit, illam prodat. *2dò.* Nè quis inaniter glorietur de excellentia, & perfectione sui statûs, aliosquè, qui minus perfectum habent statum, contemnat. *3tiò.* Ut semper vivat in timore, suæ infirmitatis memor, quòd Eva, cùm esset virgo, fuerit decepta à serpente. *l. 2. tra: 1. c. 1. sect. 4. subs. 2. §. 2.*

Vide insuper suprà specificata & hic proportionatè adhibe. *Actus*

Actus Castitatis Interni.

Ex Discipl. Claustr. P. Joannis. à I. M.

Purissime ac amore toto dignissime DEUS! constituo ab omni oblectatione abstinere propter Te. I.

Castissime Fili Virginis! etsi absque culpa omnibus carnis voluptatibus, quas homines affectant, frui possem, me ab eis vigilantissimè continerem. II.

Candidissime DEus cordis mei! non modò carnis delectationes respuo, sed imagines quoque formosorum corporum concipere nollem, III.

Amabilissime JESU Christe! pango foedus cum oculis meis, me rerum corporearum elegantiam non intuiturum. Suavissime decor animæ meæ! certè scias me à rebus corporeis, nec tactu, nec auditu, nec respectu, nec ullo modo (quoad mea fragilitas feret) ullam oblectationem percepturum. IV.

Dulcissime Domine! non tantùm oblectamenta carnis non recipiam, sed quod ad me attinet, neque spiritûs delectationes requiram. V.

Actus & Gradus Castitatis.

Ex P. Lohner *Biblioth. Manual. tit. Castit.*

1mus. Omnem illicitum carnis congressum fugere, licitum admittere.

2dus. Ab omni opere carnis etiam licito abstinere.

3tius. Desideria carnis insurgentia elidere, minimequè in ea consentire.

4tus. In cogitationibus carnis non immorari, sed eas statim deprimere.

5tus. Turpes motus carnis valde deprimere, & ad aspectum & tactum eorum, quæ nos possunt ad opus nefarium provocare, fortiter cohibere.

6tus. Non moveri etiam subtilissimo voluptatis desiderio, si memoria harum rerum, vel tractatûs ratio, vel necessitas lectionis ingesserit, sed velut opus quoddam simplex, ac ministerium humano generi necessarium contributum, tranquillo ac puro cordis intuitu contemplari, nihilquè ampliùs de ejus recordatione concipere, quàm si operationem laterum, ac cujuslibet alterius officinæ mente pertractet.

7mus. Nè in somno quidem illecebrosis phantasmatibus illudi.

8vus. Ab illis etiam motibus, qui causas cæteroquin naturales habent, tam in somno, quàm in vigilia liberum esse, quem gradum à paucissimis obtineri ait Cassianus lib. c.

SUBSECTIO VII.

De Pudicitia.

V. D. Tho: 2. 2. q. 141. a. 4. V. Ibid. D. Tho.

PUdicitia, est, quâ homo verecundatur de commistione venerea, sed præcipuè de quibuscunque signis ejus, ùt sunt aspectus impudici, oscula, &c.* Quia nomen pudicitiæ à pudore sumitur, in quo verecundia significatur. Et ideo oportet quòd pudicitia propriè sit circa illa, de quibus homines magìs verecundantur. Maximè autem verecundantur homines de actibus venereis. (ut Aug. dicit in 14. de Civit. DEI) intantùm quòd etiam concubitus conjugalis, qui honestate nuptiarum decoratur, verecundiâ non careat. Et hoc ideo, quia motus genitalium membrorum non subjicitur imperio rationis; sicut motus aliorum exteriorum membrorum. Verecundatur autem homo non solùm de commistione venerea, sed etiam de quibuscunque signis ejus: Ut Philosophus dicit in 2. lib. Rhet. & ideo pudicitia attenditur propriè circa venerea, & præcipuè circa signa venereorum: sicut sunt aspectus impudici, oscula, & tactus; Et quia hæc magìs solent deprehendi, ideo pudicitia magis respicit hujusmodi exteriora signa: Castitas autem magìs ipsam veneream commistionem. Et ideo pudicitia ad castitatem ordinatur, non quasi virtus ab ipsa distincta, sed sicut exprimens castitatis circumstantiam quandam. Interdum tamen unum pro alio ponitur.

Incentiva ruboris, seu pudoris, sive pudicitiæ, *Imùm.* Eccl. 26. *Eccl:* Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palbebris ejus agnoscetur. *Et mox:* Ab omni irreverentia oculis cave. *Et paulò pòst:* Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata. Philip. 4.

dorata. *Apostolus*: De cætero fratres quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa &c. hæc agite, & DEUS pacis erit vobiscum. *Idem*: Mulieres sint in amictu modesto cum verecundia & castitate. 1. *Tim.* 2.

2*dum*. *S. Cyprianus*: Pudicitia, *inquit*, est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domûs, concordiæ caput; Pudicitia solicita non est cui placeat, nisi sibi. Pudicitia nisi ornatur solo pudore, benè sibi tunc conscia de pulchritudine, si displicet improbis. Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo, beata ipsa, & beatos efficiens, apud quoscunque habitare dignatur, quam nunquam accusare possunt, nec qui eam non habent: venerabilis etiam hostibus suis, dum illam multò magis mirantur, qui eam expugnare non possunt. *Idem*: Pudicitia nobilium ornamentum est, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo debilium, prosperitas laborantium, solamen mœstorum, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, detersio criminum, multiplicatio meritorum, Dei Creatoris omnium amica. *S. Cyprian. lib. de bono pudicitiæ.* *Idem de* 12. *Abusionibus.*

3*tium* *Ab exemplis* 1. *Matris Virginis*. *S. Ambrosius*, inquit: Bonus regendæ castitatis pudor comes est, qui, si se prætendat ad ea, quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinit. Hic primus in ipso cognitionis ingressu Domini Matrem commendat legentibus, & tanquam testis locuples dignam, quæ ad tale munus eligeretur, astruit, quòd in cubiculo, quòd sola, quòd salutata ab Angelo tacet, & mota est in introitu ejus, quòd ad virilis sexûs speciem peregrinam turbatur aspectus virginis. Itaque quamvis esset humilis, præ verecundia tamen non resalutavit.

Exempla ex Bibl. manual. P. Lohner. tit. Castitas.

4*tum*. S. Ludovicus Catalaunensium Episcopus corpore venustus & pudicus à quadam Galliæ Regina ad scelus invitatus, eam torvo oculo aspiciens rejecit, unde oculus ille post 400. annos incorruptus mansit, & quasi crystallus lucidissimè luxit. *Thomas Cantipra. l. 2. Apum c. 30. para. 33.*

5*tum*. Cùm Godefredus Bullionius in recuperauda Palæstina

stina tanto robore depugnaret, ut equites cathaphractos uno ictu medios secaret, interrogatus, unde illi tantæ vires essent? respondit, nunquam hæc dextera molliori aliquo aut turpiori tactu effœminata est.

IV. Beatus Aloysius tantâ à DEO castitate præditus erat, ut nullam obscœnam cogitationem vel motum, neque noctu neque interdiu unquam experiretur: adeò verò mulieres fugiebat, ut ei nativam cum his discordiam intercedere diceres, nullam certè etiam consangvinitate conjunctam aspicere sustinebat.

An. Phon. Col. 72. pag. 83. V. P. Matthæus Boys S. I. cùm adhuc Novitius esset, & mendicatum de more missus, mensæquè adhibitus verba aliqua impudica audivisset, tanto mox dolore & iracundiâ exarsit, ut ex oculis lachrymæ, è naribus sangvis copiosè profflueret. Causam rogatus: egonè, ait, dolore non afficiar, cùm videam supremum Numen, ita hac lingvæ improbitate violari?

VI. Joannes Berckmanus dicebat, eum, qui fit impurus, nequiorem fieri omnibus diabolis. Fassus est, se nunquam *P. 2. vit. pag. 72.* ullâ impurâ cogitatione & tentatione oppugnatum. Hinc non potuit etiam ob horrorem erga luxuriam confessiones S. Augustini legere. *pag. 83.* Qui eum intuebantur, licèt aliorum vultus ob *pag. 87.* periculum intueri non auderent, ipsius tamen aspectu ad castitatis amorem incitabantur. *pag. 89.* Post mortem etiam multis castitatis donum impetravit. *Prov. Ven. Coli. Brix. 1598.* Bartholomæus Mariana tantus castitatis amator erat, ut oppositum vitium nunquam suo nomine, sed circuitione verborum, appellaret, nè vel solo nomine labia contaminaret. *Hactenus P. Lohner.*

In vita ejus lib. 1. c. 10. S. Gertrudi si quando in sacra scriptura legenti occurreret quidpiam minus pudicum, aut unde postea obscœni alicujus imago, memoriavè illi potuisset occurrere, si sola erat, aut ubicunque poterat etiam alibi, clam illud non lectum pro verecundia virginea transiliebat. Si verò haud poterat non lectum præterire, celerrimè illud legebat, ac perinde, acsi non intelligeret, simulabat: nisi quod ruborem virgineum pudicissimæ suæ verecundiæ, quæ tunc ejus perfundebat genas, celare nequiebat. Si præterea ut interdum contigit ab aliquibus

bus minus intelligentibus de rebus hujusmodi, quæ etiam innocenter in carne fiunt, consulta, interrogatave fuisset, quàm potuit maxima tunc verecundia, quidquid non pudicè satis posset audiri, sub velamine abscondens respondit, animumque interea suum adeò avertit, ut videretur tolerabilius sibi acuto interim ferro vulnerari, quàm hujusmodi audire sermones: Cæterùm ubi propter animarum salutem de hujusmodi necessario erat loquendum, ac si omnino inde non torqueretur ejus verecundia (modo operæ pretium videretur illud sic explicare) liberiùs eloquebatur.

Pro Praxi reliqua supple proportionatè ex dictis de Castitate.

SUBSECTIO VIII.

De Castitate Conjugali.

PRo *Castitate conjugali est Imò.* Ex occasione occisionis 7. maritorum Saræ à dæmone Asmodæo noluit *Tobias* junior eam ducere uxorem. Cui Angelus Raphaël dixit: Audi me & ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut DEUM à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea. Ipsâ autem nocte incenso jecore piscis, fugabitur dæmonium. Secundâ verò nocte in copulatione Sanctorum Patriarcharum admitteris. Tertiâ autem nocte benedictionem consequeris, ut Filii ex vobis procreentur incolumes. Transactâ autem tertiâ nocte, accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in Filiis consequaris. *Apostolus*: Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat,

Tob. 6. v. 16.

1. Cor. c. 7.

reddat, similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vaceris orationi, & iterum revertimini in idipsum, nè tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico adùm indulgentiam, non secundùm imperium. *Et*: Fratres tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores tanquam non habentes sint. *Idem*: Mulieres provectæ ætatis sint prudentes, castæ &c. *Idem*: Mulier salvabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide, dilectione, & sanctificatione cum castitate. *Idem*: Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros judicabit DEUS.

Ibidem. *Tit. cap. 8.* *1. Timoth. 2.* *Hebr. 13.*

2dò. *S. Augustinus.* Quia ægritudini semper consulendum est, propterea si contigerit, primo privari conjugio, si voluerit secundas & tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, si eas castè servavit: & si fuerit aliquis conjugalis excessus, qui tamen legitimum non violet thorum, habet nonnullum, sed veniale peccatum. *S. Hieronymus*: Juvenes verò hoc sunt admonendi modo; ut si uxores habeant, doceantur castè vivendum cum uxoribus suis: alienam sciant esse scelератum contingere. *Idem*: Origo quidem amoris honesta erat: sed magnitudo deformis. Nihil autem interest, ex qua honesta causa quis insaniat. Unde Xistus Pytagoricus ait in sententiis: Adulter est, inquit, in suam uxorem ardentior amator. In aliena quippe uxore omnis amor turpis, in sua nimius. Sapiens Judicio debet amare conjugem, non affectu. Non regnat in eo voluptatis impetus, nec præceps feratur ad coitum. Nihil enim est fœdius, quàm uxorem amare quasi adulteram. Certè qui dicunt, se causâ reipublicæ & generis humani uxoribus conjungi, & filios procreare, imitentur saltèm pecudes, & postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios, nec amatores se uxoribus præbeant, sed maritos. *S. Augustinus*: In conjugali vinculo si pudicitia conservatur, damnatio non timetur. *Idem*: Nihil est quod virilem animum ita ab arce virtutis dejiciat, atquè complexus ille, sinè quo uxor haberi non potest.

S. Aug. de fide ad Petrum. *S. Hier. ad Damasum.* *Idem Contra Jovin. lib. 1. & hab. 32. q. 4.* *S. August. de bono vid. ait c. 9.* *S. Aug. Can. f. 129. Loc. Con.*

3tiò.

3tiò. Exempla Christiana. Tobias junior inito cum Sara matrimonio dixit ad DEUM; Domine tu scis, quia non luxuriæ causâ accipio Sororem meam conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum: *Aliud.* Sara Tobiæ uxor quoque ad DEUM dixit: Tu scis Domine quia nunquam concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere. *Aliud.* S. Elisabeth Filia Petri Regis Aragoniæ, cum Dionysio Rege Portugaliæ luxuriæ deditissimo, tanta cum prudentia & sanctitate conversata est, ut omnes in admirationem raperet, qui maritum noverant, hoc solùm ipsam angebat, quòd DEUS toties offenderetur. Unde continuis precibus rogabat DEUM, ut lucem ei infunderet, quâ è profunda & cæca abysso tandem emergeret. Ulterius præcipiebat, ut omnes ejus illegitimi Filii sibi adducerentur, quos nutricibus tradebat, & commendabat, de omnibus providebat, nutricesquè muneribus donabat. Hac tantâ charitate, patientiâ, prudentiâ, sic mariti animum evicit, ut fidem conjugalem postea servârit.

Tob. c.8. v. 9.
Ibid. c. 3. v. 16.
Breviar. Rom. 4. Julii.

4tò. Exempla profana. Novi conjuges in Regno Mogor instante nuptiarum die prius sepulchra obeunt, & reserata sedulò contemplantur, quo nimirum vitæ suæ finem expendant, antequam liberis creandis initium dent. *Aliud.* Apud Romanos sponsæ ignis & aqua præferebatur, ut meminisset, se adhærere marito debere, etsi solùm igne & aquâ frui liceret.

Hier. Xaver. in lite. ann. 1598.
Plutar. Rom. q. 1.

Ad Praxim servandæ Castitatis Conjugalis vide suprà dicta de Castitate in generali.

Actus Continentiæ Conjugalis.

I. Exemplo S. Hedvigis nullum jejunium aut diem festum judicare, quem castitatis merito non condiat. *P. Lohner Bibl. man.*

II. Dum expetitur copula, semper & præcipuâ intentione procreandi liberos ad cultum DEI, & solatium Patriæ expetere.

III. Nihil præter morem, aut contra ordinem naturæ in actu copulæ admittere.

IV. Ad Prægnantem, & menstruatam, vel aliàs infirmam uxorem non accedere.

V. Si cognoscatur esse sterilis, vel impotens ad generandum vir, sive mulier, exemplo SS. Joachim & Annæ conjugio abstinere, & continentiæ studere.

§.

Contra vitium Castitati conjugali, actum in modò dictis. Porrò vitium eidem Castitati *per excessum* adversans, continetur sub ratione insensibilitatis, quâ videlicet aliquis in tantum detestatur usum mulierum, quòd etiam uxori debitum non reddit. *S. Augustinus:* Si tu abstines sinè uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.

S. August. lib. de Adult. conjugii.

De vitio autem Castitati conjugali *per defectum* opposito agitur infra hìc inter vitia contra naturam.

SUBSECTIO IX.

De Castitate Viduali.

1. Cor. 7.

PRo *Castitate viduali* servanda, est 1mò. *Apostolus.* Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quod si se non continent, nubant. Melius est enim nubere quàm uri. 2dò. *S. Ambrosius;* Sed nec vidua præceptum accipit, sed consilium. Consilium autem non semel datum, sed sæpè repetitum. Et primò dicit: Bonum est enim mulierem non tangere. *Et iterum:* Volo sic omnes homines esse, sicut & me ipsum. Et tertiò: Bonum est illis si sic maneant sicut & ego. Et quartò: Bonum est propter instantem necessitatem; & hoc placere Domino, & hoc honestum esse: Postremò beatiorem esse in viduitate perseverantem, non tantùm suo consilio, sed etiam DEI Spiritu definivit. Quænam igitur talis consiliarii benignitatem recuset, qui & voluntati habenas indulgeat, & id svadeat aliis quod in se expertus utile judicavit, non facilè comprehendi, nec fastidiosis

S. Ambrosius lib. 1. de viduis:

æqua-

æquari? Quæ igitur refugiat sancta fieri corpore & spiritu, cùm supra laborem sit præmium, supra usum gratia, supra opus merces? *Idem.* Propemodum non inferioris virtutis est eo abstinere conjugio, quod aliquando delectaverit, quàm conjugii delectamenta nescire. 3tiò *Ab exemplis. Judith* viduam post devictum ab ea Holophernem, benedixerunt eam omnes unâ voce dicentes. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quòd castitatem amaveris, & post virum tuum, alterum nescieris: ideò & manus Domini confortavit te, & ideò eris benedicta in æternum. *S. Ambrosius.* Docuit igitur scriptura quanta collatio gratiæ, quantum etiam sit munus divinæ benedictionis in viduis, quibus quoniam honorificentia à DEO tanta confertur, facilè est advertere qualis vita debeat competere. Docet enim Anna, quales deceat esse viduas, quæ immaturo mariti obitu destituta, maturæ tamen à DEO remunerationem laudis invenit. Non minus religionis officio quàm studio castitatis intenta, vidua inquit octuaginta & quatuor annorum, vidua quæ non discedebat de templo, vidua quæ jejuniis & obsecrationibus, die ac nocte serviret.)) Cætera supple proportionatè ex suprà dictis de Castitate.

Ibidem.

Lib. Judith. c. 15 v. 10.

S. Ambr. in milleloq. f. 2329. c. 1. lit. D.

SUBSECTIO X.

De Virginitate.

Virginitas, *est quædam specialis virtus, quà aliquis se immunem ab experimento venereæ voluptatis conservat, & se perpetuò conservare proponit.* Dicitur: *Virginitas;* quod nomen virginitatis à virore sumptum videtur. Et sicut illud dicitur virens, & in suo virore persistere, quod non est ex superabundantia caloris adustionem expertum; ità etiam virginitas hoc importat, quòd persona cui inest, immunis sit à concupiscentiæ adustione: quæ esse videtur in consummatione maximæ delecta-

V. D. Tho: 2. 2. q. 152. a. 3.

V. Ibidem. D. Thom. a. 1.

delectationis corporalis, qualis est venereorum delectatio: Unde S. *Ambrosius* dicit in libro de virginitate: quod castitas virginalis est exspers contagionis integritas. Dicitur: *virtus specialis*, quia in virginitate est sicut formale, & completivum, propositum perpetuò abstinendi à delectatione venerea. Quod quidem propositum laudabile redditur ex fine inquantum scilicet hoc fit ad vacandum rebus divinis. Materiale autem in virginitate est integritas carnis absque omni experimento venereæ delectationis. Manifestum autem est, quòd ubi est specialis materia boni habens specialem excellentiam, ibi invenitur specialis ratio virtutis; sicut patet in magnificentia, quæ est circa magnos sumptus. Et ex hoc est specialis virtus à liberalitate distincta, quæ communiter se habet circa omnem pecuniarum usum: Hoc autem quod conservare se immunem ab experimento venereæ voluptatis, habet quandam excellentiam laudis, suprà hoc quod est conservare se immunem ab inordinatione venereæ voluptatis. Et ideò virginitas est quædam specialis virtus, habens se ad castitatem sicut magnificentia ad liberalitatem. Unde juxta eundem Angelicum Doctorem tria importat virginitas. *Imò*. Integritatem corporalis membri, sed id per accidens, inquantum scilicet per hoc, quòd ex proposito voluntatis abstinet quis à delectatione venerea, remanet integritas in membro corporeo. Unde si contingat per alium modum quòd aliquo casu membri integritas corrumpatur, non magis præjudicat virginitati, quàm si corrumpatur manus aut pes. *2dò*. Immunitatem ab experimento venereæ voluptatis, quæ provenit ex seminis resolutione, quod dupliciter potest contingere. Uno modo ut procedat ex mentis proposito, & sic tollit virginitatem sive fiat per concubitum, sive absque concubitu. Facit autem mentionem Augustinus de concubitu, quia hujusmodi resolutio communiter & naturaliter ex concubitu causatur. Alio modo potest provenire præter propositum mentis, vel in dormiendo, vel per violentiam illatam, cui mens non consentit; quamvis caro delectationem experiatur; vel etiam ex infirmitate naturæ, ut patet in his, qui fluxum seminis patiuntur. Et sic non perditur virginitas; quia talis pollutio

Lib. de Virg. in 2 5. à. prin. l. to. 1.

D. Thom. Ibid. a. 3.

D. Tho: 2. 2. q. 152. a. 1. ad 3.

Ibid. a. 1. ad 4.

pollutio non accidit per impudicitiam, quàm virginitas excludit. *3tiò.* Virginitas secundùm quod est virtus importat propositum voto firmatum integritatis perpetuæ servandæ. Dicit enim Augustinus lib. de virginitate, quòd per virginitatem integritas carnis ipsi Creatori animæ & carnis vovetur, consecratur, servatur. Unde virginitas secundùm quod est virtus, nunquam amittitur nisi per peccatum. *Ibid.a. 3. ad 4.* *C. 8. in fi. to. 6.*

Illicia Virginitatis. *1mum.* Sapiens: Fœlix est sterilis & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. *Ibidem.* Incorruptio facit proximum DEO. *Isaias.* Nè dicat Eunuchus: ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus Eunuchis. Qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. *Christus:* Sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt (*moraliter*) propter regnum cælorum: Qui potest capere, capiat. *Apostolus:* Si nupserit virgo non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. *Et infrà.* Igitur qui matrimonio jungit virginem suam benè facit: & qui non jungit, melius facit. *Apocal.* Et cantabant quasi canticum novum ante sedem & quatuor animalia & Seniores, & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ DEO & Agno, & in ore eorum non est inventum mendacium. Sinè macula enim sunt ante thronum DEI. *Sap. c. 3.* *Sap. 6.* *Isai. c. 56. v. 4.* *Matth. 19. 12.* *Cor. c. 7.* *Apocal. c. 14. v. 3.*

2dum. S. Cyprianus: Nunc nobis ad Virgines sermo est, quarum quo sublimior est gloria, major est cura. Flos enim est ille Ecclesiastici germinis, decus, atquè ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, DEI imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. *Idem.* Virginitas est soror Angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, possessio *S. Cypria: de discipl. & habitu Virginum c. 2.* *Idem l. de Virgin.*

S. Aug. de bono virginali supra illud Virg. enim sunt & sequuntur agnum quocunque. &c.

S. Ambr. de viduit.

S. Greg. Nazianz. in car. de Virg. hæc ei dat elogia.

S. Cyrill. lib. 4. Apol. Moral. Cap. 8.

V. D. Thom 2. 2. q. 152. a. 4.

sessio omnium bonorum. *S. Augustinus*: Gaudia virginum non sunt eadem cum non virginibus, quamvis Christi: nam sunt aliis alia, sed nullis talia. *S. Ambrosius*: Supergreditur virginitas conditionem naturæ humanæ, per quam homines Angelis assimilantur: major tamen est victoria virginum, quàm Angelorum; Angeli enim sinè carne vivunt, virgines verò in carne triumphant. *S. Gregorius Nazianz.*

Virginitas res est omni mirabilis ævo;
Virginitatis amor mentes ad sidera tollit.

S. Cyrillus: Ut rosa igitur fragrans, & lilium rutilans est sancta Virginitas, flos & fructus. *Et paulò pòst.* O virtus magnetica virginitatis ad se trahens naturam! O saphyrus mirabilis castitatis omnem fugans & destruens famam venenosam! O smaragdus rutilans perpetuæ viriditatis, puritas inviolatæ integritatis amatrix! fœtidam veneris nullatenus patiens corruptelam. *Angelicus Doctor* Virginitatem præfert conjugali continentiæ. Quia id probatur & exemplo Christi, qui & Matrem Virginem elegit, & ipse virginitatem servavit: & ex doctrina Apostoli qui 1. ad Corinth. 7. Virginitatem consuluit tanquam melius bonum. Et etiam ratione: tum quia bonum animæ præfertur bono corporia: tum etiam quia bonum contemplativæ vitæ præfertur bono activæ. Virginitas autem ordinatur ad bonum animæ secundûm vitam contemplativam, quod est cogitare ea, quæ sunt DEI: Conjugium autem ordinatur ad bonum corporis (quod est corporalis multiplicatio generis humani & pertinet ad vitam activam, quia vir & mulier in matrimonio viventes necesse habent cogitare, quæ sunt mundi, ùt patet per Apostolum 1. ad Corinth. 7. Unde indubitanter virginitas præferenda est continentiæ conjugali. *Idem*: Porrò licèt virginitas sit melior, quàm continentia conjugalis, potest tamen conjugatus melior esse quàm Virgo, duplici ratione. Primò quidem, ex parte ipsius castitatis, si scilicet ille qui est conjugatus, habeat animum magis paratum ad virginitatem servandam, si oporteret; quàm ille, qui est actu virgo. Unde August. instruit virginem in lib. de bono conjugali, ut dicat: Ego non sum melior, quàm Abraham: sed melior

Idem Ibidem a. 4. ad 2.

C. 22. anno. 6.

lior est castitas cælibum, quàm castitas nuptarum. Et rationem postea subdit, dicens: Quod enim nunc ago, melius ille egisset, si tunc agendum esset. Quod autem illi egerunt, sic ego non agerem, etiamsi nunc agendum esset. Secundò: quia fortè ille qui non est virgo habet aliquam excellentiorem virtutem. Unde August. dicit in lib. de Virginitate: Unde scit Virgo, quamvis solicita, quæ sunt Domini, nè fortè propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem nondum sit matura martyrio? illa verò mulier, cui se præferre gestiebat, jam possit bibere calicem dominicæ passionis. *Idem*: Virginitas est excellentissima in genere castitatis. Transcendit enim & castitatem vidualem, & conjugalem. Et quia castitati antonomasticè attribuitur decor, ideò virginitati per consequens attribuitur excellentissima pulchritudo. Unde & Ambr. dicit in lib. de Virginitate: Pulchritudinem quis potest majorem æstimare decore virginis, quæ amatur à rege, probatur à judice, dedicatur Domino, consecratur DEO? Alio modo potest dici aliquid excellentissimum simpliciter. Et sic virginitas non est excellentissima virtutum. Semper enim finis excellit id, quod est ad finem; & quantò aliquid effiacius ordinatur ad finem, tantò melius est. Finis autem ex quo virginitas laudabilis redditur, est vacare rebus divinis. Unde ipsæ virtutes Theologicæ, & etiam virtus Religionis, quarum actus est ipsa occupatio circa res divinas præferuntur virginitati. Similiter etiam vehementius operantur ad hoc, quòd inhæreant DEO martyres, qui ad hoc postponunt propriam vitam; & viventes in monasteriis, qui ad hoc postponunt propriam voluntatem, & omnia quæ possunt habere, quàm virgines, quæ ad hoc postponunt veneream voluptatem. Et ideò virginitas non simpliciter est maxima virtutum. *Idem*: Virgines sequuntur Agnum quocunque ierit: quia imitantur Christum non solùm in integritate mentis, sed etiam in integritate carnis: ùt Augusti: dicit in lib. de Virginitate. Et ideò in pluribus sequuntur Agnum: non tamen oportet quòd magìs de propinquo: quia aliæ virtutes faciunt propinquius inhærere DEO per imitationem mentis.

Ibidem.

C. 44. in fine to. 6.

S. Thomas cit. a. 5.

Ambr. lib. 1. de virg. pa. 3. post me. l. to. 1.

Idem Ibidem a. 5. ad 3.

C. 27. à med. to. 6.

tis: Canticum autem novum, quòd solæ virgines cantant, est gaudium quod habent de integritate carnis servata.

Nazian. in Carm. de virg. 3tium. *Exempla Virginitatis. Imum est DEUS.* Unde S. Nazianzenus canit. *Prima TRIAS Virgo est. 2dum Christus Dominus* ex Virgine nasci voluit, subdi Nutricio Virgini, virgo manens docuit virginitatem; S. Joannem Evangelistam ob virginitatem præ cæteris dilexit Apostolis; denique in cruce moriens, Virgo Virginem Matrem Virgini commendavit. *3tium. Virgo & Mater MARIA*; de qua *S. August.* ait: Annuncianti Angelo Maria respondit, Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret, nisi prius se DEO virginem vovisset. *Et S. Bonaventura*: Maria castissima fuit per virginitatem: ipsa est MARIA de qua dicitur. Nomen Virginis Maria. Eximiæ castitatis Mariæ testem Evangelistam, testem ipsam Mariam, testem habemus Angelicam personam. Casta enim fuit Virginea carne, sicut Evangelium testatur dicens. Nomen Virginis MARIA. Castior fuit MARIA virginea mente, sicut ipsamet testatur, ipsa enim est, de qua dicitur; Dixit autem MARIA ad Angelum. Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? id est non cognoscere propono. Castitissima verò fuit MARIA in virginea prole, sicut Angelus testatur, qui de illa MARIA dixit in Matthæo, JOSEPH Fili David Noli timere. Ex quo MARIA Virgo de Spiritu Sancto divina prole est fœcundata, nequaquam virginitas ejus tali est prole vitiata, sed mirabiliter est in tali prole glorificata. Nam in prole approbata, in prole conservata, in prole nobilitata, in prole ditata & dotata, consignata & confirmata est tua virginitas O MARIA. Propter quod benè ait Augustinus: MARIAM Virginem veraciter prædicamus, & matrem: cujus virginitatem glorificavit vera fœcunditas, & cujus veram fœcunditatem glorificavit intemerata virginitas. Beatus quoque Bernardus ait. Longè gloriosior fuit Virginitas ex fœcunditate, & fœcunditas ex virginitate. Heu! quàm longè á gratia MARIÆ sunt, quicunquè continentes non sunt, qui castitatis inimici sunt.

S. August. lib. de Virgin. c. 4.

S. Bonavent. Specul. B. V. M. Virginis lect. 4.

Luc. 1.

Matth. 1.

S. Bern. Ser. de Mar. Vir. ex ver. Apoc. 12. B. M. in fine.

4tum. Exempla Sanctorum. I. S. JOSEPH sponsus Beatæ

tæ Virginis Mariæ, de quo Stengelius in suo Josepho ita ait. Sed & his insuper tam piè, quàm sapienter superaddunt D. Augustinus, Angelicus Doctor, & Cancellarius Parisiensis. JOSEPHUM non solùm perpetuam virginitatem coluisse, sed & eandem nuncupato voto in consortio Virginis consecrâsse, quod & docuit Abdias Babylonicus, qui tempore Apostolorum vixit, in vita SS. Simonis & Judæ. II S. Casimirus Regis Casimiri Filius ad mortem infirmatus, medicis connubium pro sanitate recuperanda svadentibus, mori maluit, quàm Virginitatis jacturam facere. III. S. Elzeario, cùm Ordinem intrare vellet, Christus ipse præcepit, ut Dalphinam uxorem acciperet; cum qua tam virgineè vixit, ut Christus ipse visus sit ad caput lectuli stare, & manus super utrumque extenderet: Ipse verò Elzearius fateretur, suam castitatem nullibi securiorem fuisse quàm cùm eodem lecto cum Dalphina dormiret. Hinc Soror hujus Dalphinæ, gravi tentatione luxuriæ pulsata, flexis genibus circa lectum ipsius cùm reptâsset, mox liberata est. IV. Constantinus Magnus summo in pretio habebat Virgines, eò quòd earum mentibus DEUM inhabitare crederet, unde eas etiam ex publico ali jussit, tantùm non adoravit. V. Cùm S. Victoria multis verbis S. Anatoliæ virgini nuptias persvadere niteretur, ipsa potiùs ab ea persvasa virginitatem vovit, quo facto mox illis Angelus apparuit, dixitquè: Virginitas est aurum, viduarum status argentum, & conjugalis castitas cuprum. VI. S. Julianus coactus ducere uxorem nomine Basilissam nobilitate, divitiis, decore, præstantissimam, dum celebrata solemnitate nuptiarum ingreditur juvenis cum virgine cubiculum, facta ab eo oratione, tali odore cella repleta est, ut videretur sibi virgo, in tali loco constituta esse, ubi vernant lilia & rosæ, & ait ad juvenem. Miram rem sentio, cùm enim hyemis tempus sit, ita mihi omnium rosarum & liliorum odor famulatur, ut his satiata jam horream thori conjunctionem. Cui Julianus. Odor, qui tibi apparet, Dominus est amator castitatis, qui integritatem corporis servantibus vitam repromisit æternam. Ait igitur illa. Quæ melior salus est, quàm integritatem custodiendo, vitam æternam acquirere?

D. August. ut habetur 27. q. 2. tit. 15, c 23.
D. Tho. 3. p. q 48. art 4.
Cronerus de gestis Polon. lib. 29.
Surius to. 5.
S. Athan. in Apol. ad filium ejus.
Petrus Lanchet p. 5. c. 8.
Simon Metaphrastes apud Lipomanum tom. 7.

re? Opto igitur, ut pariter in eo virginitatis proposito perseveremus. Tunc procidens Julianus ait: Confirma hoc DEUS quod operatus es in nobis. Quod & illa similiter fecit, & subitò fundamenta cubiculi commota sunt, & lux immensa emicuit, fitquè ibi spectaculum magnum. Nam ex una parte sedebat Rex æternus cum multitudine candidatorum, & ex altera parte multitudo virginum, quarum gloriosa Virgo tenebat principatum. A parte Regis clamabatur: *Vicisti Juliane, vicisti.* Ex parte virginum clamabatur: Beata es Basilissa, quæ salutaribus monitis consensisti. Et ostensus est Juliano liber aureis literis scriptus, ut legeret, & legit sic. Julianus qui pro amore meo mundum contempsit, deputetur in eodem numero, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Basilissa verò, quæ ei integro corde sociata est, deputetur in numero virginum, quarum Virgo MARIA tenet principatum. Et dicebant omnes: Amen. Reliquum ergo noctis in laude transigentes cœperunt spiritu non carne fructificare. VII. Tres erant Moniales in uno claustro sociæ speciales, & ex illis erant duæ virgines. Hæ autem singulæ studebant se devotas beatæ Virgini exhibere. Mortuâ verò unâ virgine, & jam viduâ in extremis agente, tertia soror superstes rogabat viduam, ut post mortem rediret, & de præmio sociæ certificaret eandem. Quod promittens (si tamen foret de beneplacito DEI) expiravit. Die autem tricesimâ, istâ ante altare in orationibus procumbente, apparuit socia vidua inæstimabili splendore fulgens nimis & dicens. Veni quia ad reditum obligâsti me; Ecce modicam partem præmii mei! sed benedicta dies, in qua nata sum. Illa verò confortata & resumpto spiritu quæsivit de statu prioris defunctæ. Cui illa dixit: Si totus mundus esset pergamenum, & mare incaustum, & omnia folia & gramina scriptores cum omnibus hominibus, qui fuerunt, & sunt, & erunt futuri, primo omnes deficerent, quàm immensitatem præmii cælestis exprimerent. Sed parumper (ait) ad præsens dicam tibi: soror nostra in infinitis claritatibus me præcellit, & meritò, quia ipsa herî choream cum Agno duxit candidam, cum multitudine candidarum puellarum, cantans canticum singulare

Collect. speculi exemp. V. P. Joannem Majorem in suo spec. lit. Virgo.

gulare

gulare solis virginibus appropriatum, & gerens sertum de divinis floribus confectum. Rogavi autem eam, ut saltèm ad unam horam mihi sertum concederet, quæ ait: non expedit tibi. Tamen de ipsis floribus dedit mihi, quos attuli tibi sociæ meæ charissimæ, ut aliqualiter virtutem eorum, quantum sensus capere poterit humanus, perpendas. Facto ergo ab ea circulari tractu in pavimento cum floribus, tam miri odoris processit fragrantiâ, quòd illa soror præ svavitate rapta fuit in extasim. Et sic vidua expleto promisso ad cælum rediit. Omnes verò qui monasterium intraverunt, per multum tempus senserunt cælestem odorem. VIII. S. Magdalena de Paz ait: Sicut in cælo omnes includuntur gratiæ, perfectiones, & virtutes: ità in statu virginali consistit omnis perfectio virtutis, quæ tantùm potest haberi in terra. Non propterea quasi virginitas debeat esse perfectio omnium virtutum, sed quòd illa sit magis aptius instrumentum ad illarum citam acquisitionem. Corpus ejusdem Sanctæ & omnia membra adhuc viventis quendam gratum & insolitum spirabant odorem, quem quidem sentiebant moniales, verùm cui illum deberent assimilare nesciebant; quo se delectando, nunquam eo satiari propter svavitatem poterant, quoniam excedebat gratissimum odorem omnium præstantissimorum florum. Imò quoties illum senserunt, toties agnoscebant in corde suo incitamentum ad desiderium immaculatæ castitatis, & ad amorem DEI; Igitur odor ille svavior, fragrantior, purior super omnia naturalia, artificialiaquè odoramenta proprium non habens nomen, vocabatur communi ab omnibus sororibus nomine *Odor puritatis*. Unde & cella, & vestimenta ejus eundem svavem gratumquè spirabant odorem. Ex amore Virginitatis in magno pretio & veneratione habebat omnes virgines. Unde quantum gustûs sensit in communitate cum castis, tantum disgustûs demonstrabat, dum occuparetur cum talibus, qui etiam occultissima immunditiei fœtebant infectione.

In vita ejus.

5tùm. Exempla profana. Virgines vestales Romæ tanto in honore habebantur; ut nec attingi quidem possent, & duobus lictoribus uterentur, ut si casu in aliquem incidissent, qui

Platus lib. 2. c. ult.

ad supplicium duceretur, is statim liberaretur. *Aliud.* Ægyptii ornabant filias suas etiam pauperes torquibus, & ab aliis pro torquibus filiæ stipem petebant. In his torquibus figuræ erant sex. *Prima* Turtur cum lemmate: *Sic sola.* *2da.* Columba cum lemmate: *Sic casta.* *3tia.* Aquila cum lemmate: *Sic prompta.* Quarta Ciconia cum lemmate: *Sic pia.* Quinta Noctua cum lemmate: *Sic vigil.* Sexta Alauda cum lemmate: *Sic sancta aut devota.*

In Praxi colendæ Virginitatis vide suprà dicta sub praxi Castitatis in universali, & hìc applica.

SUBSECTIO XI.

De Luxuria.

V. D. Tho. 2. 2. q. 153. Ibid. a. 4. LUxuria, *est vitium capitale, quo modum rationis & ordinem aliquis circa venerea excedit.* Dicitur: *vitium capitale*; quia multa peccata perpetrantur tum propter luxuriæ finem, qui est delectatio maximè appetibilis ob suam vehementiam, tum propter connaturalitatem hujusmodi concupiscentiæ. Species luxuriæ sunt sex: Fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus, vitium contra naturam.

D. Tho. 2. 2. q. 144 a. 1 S. August. super Exod. q. 71. *Motiva detestandi Luxuriam.* *Imum.* DEUS gravissimè prohibet. *Non moechaberis.* Quo præcepto 2dùm D. Augustinum prohibetur omnis illicitus usus membrorum generationis, qui fit ad procurationem libidinis, & impugnationem castitatis. Eccles. cap. 23. v. 25. *Eccles.* Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, & dicens: Quis me videt? tenebræ circumdant me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem DEI hujusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum: & non cognovit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi & hominum corda intuentes in absconditas partes. 2. S. Petrus 2. *Petrus Apostolus:* Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem judicii reservare cruciandos.

Magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant. *Et paulò post*: Hi velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias coinquinationis & maculæ, deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscùm, oculos habentes plenos adulterii & incessabilis delicti. *Apostolus*: Si quis violaverit templum Domini, disperdet illum DEUS: templum enim DEI sanctum est, quod estis vos. *Idem.* Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum DEI non consequentur. *Idem.* Hæc est enim voluntas DEI, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione & honore: non in passione desiderii, sicut & gentes quæ ignorant DEUM, & nè quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis & testificati sumus. Non enim vocavit nos DEUS in immunditiam: sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit sed DEUM. *Jacobus Apostolus* Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis.

Idem Ibidem.

1. Cor. 3.

Galat. 5.

Thes. 4. v. 3.

Jacob 5.

2*dùm. S. Remigius Rhem. Episc.* Demptis parvulis *inquit* ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur; perinde ac ejus causâ totus mundus periit diluvio; quia omnis caro corruperat viam suam. *S. Gregorius*: Jumenta in stercore suo computrescere est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. *S. Augustinus*: Sunt enim in fornicatione gradus, ut sicut gravius peccat adulter quàm fornicator, sic gravius delinquit, qui nec sua dimissa aliam ducit, eò quòd suam uxorem habens ad conjugem proximi sui accedit, quàm qui non habens uxorem, thorum alterius viduat, vel uxoratus ad solutam accedens: sed hos omnes incestuosi transcendunt: quos vincunt contra naturam delinquentes. *Idem.* Luxuria est inimica DEO, inimica virtutibus, perdit omnem substantiam & ad præsens voluptatem

S. Greg. 24. Moral.

S. Aug. lib. de adulterio: conjugiis & habetur 32. 7. 7. adulterii.

Idem de Doct. Christian.

ptatem deliniens, futuram non finit cogitare paupertatem. *Idem.* Ex voluntate perversa facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consvetudo: & dum consvetudini non resistitur, facta est necessitas. *S. Hieronymus:* O quàm acerbus fructus luxuriæ! amarior felle, crudelior gladio. *Idem.* Libido transacta semper sui relinquit pœnitudinem, & nunquam satiatur, & extincta reaccenditur, usu crescit, & deficit, nec rationi paret, quæ impetu ducitur. *Idem* O ignis infernalis luxuriæ! cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna. *S. Gregorius.* Ex quo luxuria semel mentem alicujus occupaverit, vix eum bona cogitare permittit. Sunt enim desideria viscosa, quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consvetudo, ex consvetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio. *Beda.* O extrema libidinis turpitudo! quæ non solùm mentem effœminat, sed corpus enervat, non solùm maculat animam, sed fœdat personam. Omne namque peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus suum est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Semper illam præcedunt ardor & petulantia, semper comitatur fœtor & immundities, semper sequitur dolor & pœnitentia. *S. Gregorius* super illa verba Job; aspergatur in tabernaculis ejus sulphur; inquit. Quid itaque in sulphure, nisi peccatum carnis accipimus? quod dum perversis cogitationibus, quasi quibusdam fœtoribus mentem replet, æterna incendia præparat: & dum fœtoris sui nebulam in mente dilatat, contra eam flammis subsequentibus, quasi nutrimenta subministrat. Ideò in tabernaculo impii sulphur aspergitur, quoties perversa carnis delectatio in mente ejus dominatur. *Beda.* Quis ejus multiplices species enumerare valeat? hæc enim Pentapolim cum adjacente regione subvertit: Sichem cum populo interemit: hæc filios Judæ percussit: Judæum & Madianitidem transfodit: tribum Benjamin pro uxore Levitæ delevit: filios Heli Sacerdotis in bello

S. Aug. lib. Confession.
S. Hier: in epist.
Idem Ibidem.
Idem Ibidem.
Grego. in Moral.
Beda de templ. sal.
S. Grego. in c. 18. Job.
Beda de templ. sal.

bello proſtravit: hæc Unam occidit: Ammon interfecit: plurimos lapidavit: hæc Ruben maledixit: Samſonem ſeduxit: Salomonem pervertit. Verum eſt ergo, quod legitur: propter ſpeciem mulieris multi perierunt. *D. Thomas.* Filiæ luxuriæ ſunt cæcitas mentis, inconſideratio, præcipitatio, inconſtantia, amor ſui, odium DEI, affectus præſentis ſeculi, & horror futuri. Ratio eſt, quia quando inferiores potentiæ vehementer afficiuntur ad ſua objecta, conſequens eſt, quòd ſuperiores vires impediantur & deordinentur in ſuis actibus. Per vitium autem luxuriæ maximè appetitus inferior, ſcilicet concupiſcibilis, vehementer intendit ſuo objecto, ſcilicet delectabili, propter vehementiam paſſionis & delectationis. Et ideo conſequens eſt, quòd per luxuriam maximè ſuperiores vires deordinentur, ſcilicet ratio & voluntas. Sunt autem rationis quatuor actus in agendis. *Primus* quidem, ſimplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem, ut bonum. Et hic actus impeditur per luxuriam ſecundùm illud Danie: 13. Species decepit te, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum. Et quantùm ad hoc ponitur cæcitas mentis. *Secundus* actus eſt, conſilium de his quæ ſunt agenda propter finem. Et hic etiam impeditur per concupiſcentiam luxuriæ. Unde Terent. dicit in Eunucho loquens de amore libidinoſo: Quæ res in ſe neque conſilium, neque modum habet ullum, eam conſilio regere non potes. Et quantùm ad hoc ponitur præcipitatio, quæ importat ſubtractionem conſilii. *Tertius* actus, judicium eſt de agendis. Et hic etiam impeditur per luxuriam. Dicitur enim Daniel. 13. de ſenibus luxurioſis: Averterunt ſenſum ſuum ut non recordarentur judiciorum juſtorum. Et quantùm ad hoc ponitur inconſideratio. *Quartus* autem actus eſt, præceptum rationis de agendo, qui etiam impeditur per luxuriam, inquantùm ſcilicet homo impeditur ex impetu concupiſcentiæ, nè exequatur id quod decrevit eſſe faciendum. Unde Terent. dicit in Eunucho, de quodam, qui dicebat ſe receſſurum ab amica: Hæc verba, una falſa lachrymula reſtingvet. Ex parte autem voluntatis conſequitur duplex actus inordinatus, quorum unus eſt appetitus finis. Et quantùm ad hoc ponitur amor ſui, quantùm ſcilicet ad delectationem, quam inordinatè appetit. Et per oppoſitum ponitur

V. D Tho. 2. 2. q. 153.

Ibid. D. Tho. a. 5.

Scena 1. actu 1mo parum à princip.

Scena 1ma act. 1. incipit. Quid igitur faciam, à med. illius.

odium DEI, inquantùm scilicet prohibet delectationem concupitam. Alius autem est appetitus eorum, quæ sunt ad finem. Et quantùm ad hoc ponitur affectus præsentis seculi, in quo scilicet aliquis vult frui voluptate. Et per oppositum ponitur desperatio futuri seculi, quia dum nimis detinetur carnalibus delectationibus non curat pervenire ad spirituales, sed fastidit eas. *S. Chrysostomus* non horruit dicere: Tam difficile esse luxuriosum castitati, quàm mortuum vitæ restituere. Cujus rationem reddit *S. Hieronymus*: Quia avaritia cum marsupio, superbia cum vestibus deponitur, at libido carni insita est; carnem verò quis deponet? Hinc sicut cùm sylvam ignis corripit, non opus est pabulum apponere; ita nec libidini necesse est nutrimentum, illud sufficere, cùm carnem ad manum habeat. Quam ob causam *Oseas* dixit: Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad DEUM, quia spiritus fornicationis in medio eorum est, & DEUM non cognoverunt. *Et Tertullianus* luxuriam inenatabile excussis profundum, inextricabile impactis naufragium, & irreparabile devoratis Hypobrychium vocat. *Avicennâ teste*, plus uno actu venereo debilitatur corpus, quàm si quadragesies tantum emitteret sangvinis; hinc ut *S. Chrysostomus* ait; luxuriosi resoluta circumferunt corpora, atque agmine quodam infirmitatum repleta, unde semper est eis vita cum medicis & medicamentis, sensus autem ipsis tardi, graves, obtusi, & quodammodo sepulti, (est enim ignis usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina) Etiam ipsis diabolis exosa luxuria. *S. Thomas* alicubi ait: Dicunt Magistri, aliquos esse dæmones, qui memores suæ antiquæ nobilitatis, non dignantur homines peccato luxuriæ tentare. Signum hujus est, quòd Lucifer tentans Dominum in deserto, non tentavit eum de hoc peccato.

S. Chrysost. hom. 23. ad pop. — *S. Hieron. in reg. Monach.* — *Oseæ 5. v. 4.* — *Tertul. lib. de idol. c. 24.* — *S. Chrysost. in hom. nemo læditur.* — *Job. 31. v. 12.* — *S. Thom. l. 5. de erud. Princ. c. 51.*

3tium. Exempla. 1. Refert Pr. Delrio dicens: Tres erant lurcones perditissimi in quodam Flandriæ oppido, jam in mediam noctem, cum totidem scortis erant comessati; cùm illorum unus: Heus inquit, epulatum satis, tempus monet, ut DEO gratiæ agantur. Cui alter, Ego dæmoni gratias habeo; illi enim nunc servio, & operor. Vox cum risu & cachinno excepta. Paulò pòst à mensa ad lectos cum scortis conceditur. Nondum somnus

Martinus Delrio in disquisit magicis lib. 3. p. 1. q. 7.

somnus obrēpserat; & ecce cubiculi fores magno strepitu aperiuntur; ingreditur vir procerus, venatorio habitu, & aspectu terribilis, facie atrâ, oculis scintillantibus, quem ponè duo minores cum culinæ instrumento sequebantur. Is ergo postquam ter aut quater cubiculum obambulâsset, ad sacrilegorum lectos conversus, *Ubi est*, inquit, *ille qui paulò antè mihi gratias egit? ipsi & ego gratiam repositum venio.* Nemine ex illis respondente, rectà ad blasphemi illius, jam semimortui, lectum accedit, & è strato à latere meretricis abstractum, jubet veru configi, atque assari. Nec mora, parent coculi avernales; excitatur ingens ignis; corripitur medius ganeo blasphemus, veru infigitur & assatur. Hinc acheronticus venator ad reliquos, metu prope exanimes, conversus; Et vos, ait, idem merebamini, sed exequendi supplicii potestas non est à DEO concessa mihi, nisi in istum, quem ex hoc foco ad inferorum rogos transmisi. Vos alieno periculo sapite, & vitam flagitiosam corrigite; secus redibo brevi, & pares de vobis pœnas sumam. Hoc dicto disparuit spectrum. Illi timore & horrore oppressi, tristi diem operiuntur desiderio; videntquè orto sole, sodalem suum assatum, & magna parte concrematum. 2. *S. Catharina Senensis* si aliqua à persona, luxuriæ dedita salutabatur, nihil respondit, sed tergum obvertit, dixitquè, se ex anima illorum tantum fœtorem afflantem sensisse, ut ad vomitum provocaretur. 3. *S. Pachomius* optabat ferarum dentibus laniari, eo quòd quadraginta annorum solitudine, jejuniorum, aliarumquè rerum asperitate hunc hostem expugnare non potuerit, licèt nunquam penitus ei succubuerit. 4. Luxuriâ tentatus quidam Frater, cùm audîsset, mulierem illam, cujus pulchritudine tentabatur, mortuam esse, accessit ad sepulchrum, & pallio suo fœtentem carnem mulieris extergens naribus suis applicabat dicens: Ecce habes desiderium, quod requirebas, satia te ex eo. Et sic tentationem vicit. 5. *S. Thomas Aquinas* cùm procax scortum in ejus cubiculum immissum fuisset, imprimis ad orationem confugiens dixit: Nè sinas, quæso, Domine JESU, & tu Sanctissima Virgo & Mater; ut tam immani scelere me obstringam: postea accepto titione fugavit illud, & ostio clauso, ab Angelo cingulo circa lumbos constringi in signum continentiæ

Raymundus in vita.

Pallad. c. 26.

Spec. ex dist. 2. ex 23.

Surius in vita 7. Martii.

Plutarchus in vita Demetr. nentiæ promeruit. 5. Democles Adolescens formosus, cùm lavaturus advertisset Regem Demetrium suâ formâ captum, detracto vicini aheni operculo in ferventem aquam insiliit. 6. Spurina advertens suam formam ad inhonesta illicium esse, oris decorem vulneribus confodit, maluitquè tantam elegantiæ, quàm minimam verecundiæ jacturam facere. *Drex. in V. Joseph cap. 4.*

In Praxi ad subigendam naturæ lascivientis rabiem, hæc à P. Lohner (ex Biblioth. Man. tit. Luxuria) afferuntur media. I. *Oratio.* Hoc enim genus dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem & jejunium. Hinc Salomon dixit: Scivi quia aliter non possem esse continens, nisi DEUS det. Et meritò; sicut enim militiæ dux, cui castrum aliquod commissum est, videns illud ab hostibus, quibus imparem se credit, obsidione cingendum, mox ad castri Dominum literas mittit, auxiliumquè petit: ita idem in simili hoc casu agendum, dicendumquè cùm S. Augustino: O Amor! qui semper ardes, & nunquam extingveris, Charitas DEUS meus, accende me. Continentiam jubes, da quod jubes; & jube quod vis. *Sap. 5. v. 21. S. Aug. l. 10. Confess. c. 29.*

II. *Perfecta humilitas & subjectio erga DEUM*: utpote sine qua, teste Cassiano, nullius penitùs vitii poterit triumphus acquiri; nam ut S. Gregorius ait: timens DEO subdi humiliter despicit, carnis suæ desideria dominando ac præeminendo non premit. *Cass. lib. 6. inst. c. 1. S. Greg. l. 5. in 1. Reg. c. 14.*

III. *Fuga occasionum & ipsarum tentationum.* Sic Joseph Ægypti Prorex, ut impudicam Dominam evadere posset, pallium, quo apprehensus fuerat, reliquit & fugit. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, (infert S. Augustinus) si vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Nam ut rectè Origenes dixit: ista fuga est, quæ habet salutem; ista fuga virtutis est, ista fuga beatitudinem confert. Hinc & aliqui finxerunt, Daphnidem Virginem, dum impudicum Lenonem fugit, in laurum conversam. *Gen. 39. v. 12. S. Aug. in ser. 25. Dom. post. Trinit. Orig. hom. 8.*

IV. *Sensuum accurata custodia.* Ut rectè discurrit S. Gregorius: Cùm sit invisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur; sed per quinque corporis sensus quasi per fenestras exteriora respiciens concupiscit. Hinc etenim Jeremias *S. Greg. l. 21. mor. c. 2.*

Jeremias ait: Mors aſcendit per feneſtras, ingreſſa eſt domus noſtras. Mors quippè per feneſtras aſcendit, & domum ingreditur, cùm per ſenſus corporis concupiſcentia veniens habitaculum intrat mentis. Nè ergo quædam lubrica in cogitatione verſemus, providendum nobis eſt; quia intueri non decet, quod nonlicet concupiſcere. Nam ut idem poſteà ait: Præceps anima, dum antè non providet, nè incautè videat, quod concupiſcat, cæca poſt incipit deſiderare, quod vidit. *Jer. 9. v. 21.*

V. *Otii deteſtatio.* Nam ut benè advertit S. Gregorius: cùm duas ſimul res cogitare non poſſumus, fit, ut aliquid aliud cogitemus immunda. Hinc pergit adhortari: Inter opera & labores Spirituales contra ſtimulos carnis fortes ſumus: ſed ſi quaſi feſſi à ſolitæ converſationis rigore torpeſcimus, vel remittimus, dum paulatim negligimus, aculei carnis reſurgunt, qui quaſi depoſitis Moyſis manibus Iſraëlem vincunt. Id quod aptâ ſimilitudine non nemo confirmat, dicens: Ut avis quæ otioſa in ramo ſedet, facilè jaculo configitur, ſecùs quando volat, & hinc inde ſaltat; ita idem de homine otioſo ſentiendum. Hinc *S. Hieronymus* monet: Aliquid boni operis ſemper facito, ut te diabolus inveniat occupatum. *S. Greg. lib. 6. c. 1. in lib. 1. Reg.* *Faber. con. 8. in dom. 13. poſt Pent.* *S. Hier. in epiſ. ad Ruff.*

V I. *Corporis caſtigatio.* Nam teſte S. Ambroſio, libido gravis ignis eſt, & ideò non demus illi alimenta luxuriæ. Paſcitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur. E contrario verò, abſtinentia ciborum contra vitium hoc fortisſima eſt, teſte S. Gregorio; ſicut enim Caſtellanus fame ſubactus, caſtrum tradit ad libitum impugnantis: ita luxuria per famem domita corpus ad libitum hominis & rationis tradit; quemadmodum rectè dixit S. Albertus Magnus. *S. Greg. l. 5. c. 14. in 1. Reg.* *S. Albert. ſerm. Dom. 1. Quadr.*

V I I. *Mortis, aliorumq́ extremorum recordatio.* Nam, S. Gregorio teſte, nihil ſic ad edomandum deſiderium appetituum carnalium valet, quàm ut unuſquiſque hoc, quod vivum diligit, quale mortuum ſit, penſet. Sed & *S. Iſidorus* calculo ſuo probans ait: quando impulſu dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur divini judicii metus & æterna tormenta incendii ante oculos proponantur, quia, nimirum omnis pœna gravioris ſupplicii formidine ſuperatur. Sicut enim clavum clavus *S. Gregor. lib. 26. mor. c. 29.* *S. Iſid. l. 2. de ſummo bono c. 39.*

lit, ita sæpe recordatio ardoris gehennalis ardorem excludit luxuriæ.

S. Ambr. in c. 10. Mat. VIII. *Præsentiâ DEI menti firmiter impressa*: cuius efficaciam sic ostendit S. Ambrosius. Detur mihi captus adulterinæ cupiditatis intemperatissimo æstu, qui nolit repugnare carnis suæ appetitui, incuriosu justitiæ, tamen solicitus famæ, erubescens testimonium erroris, qui ipsum non erubescit errorem. Si quem fortè spectatorem noverit facinoris sui, verecundiâ sequestrat intemperantiam, & pudore inceptum scelus deserit. Quanto magis si DEUM inspectorem cogitârit, abstinebit? Certè S. Basilius de pugnis adversus hoc vitium luxuriæ discurrens, *S. Basil. in qq. fuse expl. 20.* hæc omnia, inquit, ei facilia sunt, qui DEUM semper præsentem aspicit.

Cass. Coll. 2. c. 10. IX. *Manifestatio tentationis.* Quia ut Cassianus ait: non valebit ignorationi ejus callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes, perniciosâ verecundiâ nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobat, vel admittit. Illico namque ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, & antequam discretionis judicium proferatur, serpens deterrimus velut è tenebroso ac subterraneo specu virtute confessionis pertractus ad lucem, & traductus quodammodo ac dehonestatus discedit. Tamdiu enim suggestiones ejus noxiæ dominantur, quamdiu à nobis in corde celantur.

X. *Matura resistentia.* Nam quemadmodum miles domum ingressus facilè totam domum occupat; ita carnis tentatio haud difficulter mentem subjugat, si semel eam occupare sinatur. *S. Hier. in epis. ad Eustochium* Hinc *S. Hieronymus* monet: Nolo, sinas cogitationes libidinis crescere; nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice: Nequitia, nè Zizania crescat, in semine elidatur. Audi Psalmistam dicentem: Beatus, qui tenebit & allidet parvulos tuos ad Petram. Quia impossibile est, in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem. Ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui, ut cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad Petram, Petra autem est Christus.

Vide etiam dicta suprà tum de Castitate in generali, tum alia scilicet 1. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3. & hic convenienter applica.

SUB-

SUBSECTIO XII.

De Fornicatione

FOrnicatio, est crimen lethale, quo solutus cum soluta corrupta peccat. Dicitur; *crimen lethale*: quia est contraria dilectioni proximi, nempe prolis nasciturae, dum bono eius adversatur, quòd nimirum proles careat curâ patris, qui eam educaret, instrueret, defenderet, & in bonis tam exterioribus, quàm interioribus promoveret. Nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens, sufficienter provideat proli de educatione; quia id quod cadit sub legis determinatione (bona enim communia, quale est generatio prolis, quæ ordinatur ad bonum totius generis humani, cadunt sub determinatione legis) judicatur 2dùm id, quod communiter accidit; & non 2dùm id, quod in aliquo casu potest accidere. Dicitur; *solutus cum soluta corrupta*: id est libera à vinculo matrimonii, vel voti, vel curæ parentum: Corrupta autem intelligitur quoad signaculum virginale)) Et licèt Fornicantes subinde curent, nè proles nascatur, hæc tamen est grandis injuria generis humani; hoc enim ipso paulò pòst destitueretur mũdus hominibus, ob nimiam propẽsionem in ejusmódi corruptionem. D.Tho. 2. 2. q. 144. a. 2. & a. 6. ad 2.

Motiva execrandi Fornicationem. Prov: Fovea profunda os alienæ, cui iratus est Dominus, incidet in eam. Viæ inferi domus eius, penetrantes interiora mortis. *Ibidem*: Inclinata est ad morrem domus eius, & ad inferos semitæ eius: omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ. *Eccles.* Qui se jungit fornicariis, erit nequam, putredo & vermes hereditabunt illum, & extolletur in exemplum majus, & tolletur de numero anima eius. *Eccles.* Non des fornicariis animam tuam in ullo, nè perdas te, & hereditatem tuam. *Eccles.* Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. *Apostolus*: Fornicarii regnum DEI non possidebunt. *Idem*: Fornicatores, & adulteros judicabit DEUS. Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Et *paulò infrà*. Fugite fornicationem: Prov. c. 7. Prov. 2. Eccles. 19. Eccles. 9. Eccles. 9. 1. Cor. 6. Heb. 13. 1. Cor. 6.

nem: omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo extra corpus suum est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti, qui in vobis est, quem habetis à DEO & non estis vestri? *Apocal.* Fornicatoribus, & veneficis &c. pars illorum in stagno ardenti igne & sulphure *S Chrysost.* Fornicator, ait, nunquam est in se ipso, sed in sepulchris versatur: sepulchra sunt meretricum diversoria cum multo fœtore, multâ putredine sunt repleta.

Apoc. 21.
S. Chrys. hom. 27. ad pop.

In Praxi detestandi ac fugiendi Fornicationem vide supradicta de Luxuir.

SUBSECTIO XIII.

De Adulterio.

V. D. Thom. 2. 2. q. 168. a. 8.
V. Ibid. a. 8. ad 1.

Adulterium est, quo vir ad alterius uxorem, vel mulier ad virum alterius accedit. Ille qui habet uxorem, si ad aliam accedat, peccatum eius potest denominari, vel ex parte sua, & sic semper est adulterium, quia contra fidem matrmonii agit: vel ex parte mulieris ad quam accedit, & sic quandoque, est adulterium, puta cùm conjugatus accedat ad uxorem alterius. Quandoque autem habet rationem stupri, vel alicuius alterius, secundùm diversas conditiones mulierum ad quas accedit. Dictum est autem, quod species luxuriæ accipiuntur secundùm diversas conditiones mulierum.

A. 1. hui. q.

Busenbaum Medul. Theol. l. 1. tom. 2. c. 3. d. 6.

Adulterium supra malitiam luxuriæ addit aliam malitiam injustitiæ. Hinc Busenbaum ait: Si ligatus cum ligata adulteretur, duplex peccatum injustitiæ committitur, unum contra propriam uxorem, alterum contra maritum adulteræ. Uti etiam si quis uno actu occidat plures, sunt plura homicidia: quia in istis materia est numero diversa li. 1. t. 2. c. 10. n. 3. Sanch. Card. Lugo.

Num. 5. 21. 22.

Pro detestatione adulterii. 1mum Num. Si concubuisti in adulterio, his maledictionibus subjacebis. Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo; putre-

scere

ſcere faciat femur tuum & tumens uterus tuus dirumpatur. *Deut.* *Deut. 22. 24.*
Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur adulter & adultera, & auferes malum de terra. *Proverb.* Qui adulter eſt, *Proverb. 6. 32.* propter cordis inopiam perdet animam ſuam: turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur. *Proverb.* Qui tenet adulteram, ſtultus & inſipiens eſt. *Sap.* Filii *Proverb. 18. 22.* adulterorum in conſummatione erunt, & ab iniquo thoro ſemen exterminabitur. Et ſi quidem longæ vitæ erunt, in nihilum com- *Sap 3. 17.* putabuntur, & ſine honore erit novisſima ſenectus illorum. Et ſi celeriùs defuncti fuerint, non habebunt ſpem, nec in die agnitionis allocutionem. Nationes enim iniquæ diræ ſunt conſummationis. *Jerem:* Saturavi eos, & mœchati ſunt; & in domo meretri- *Jerem. 5. 7.* cis luxuriabantur. Equi amatores in fœminas & emiſſarii facti ſunt, unusquisque ad uxorem proximi ſui hinniebat. Nunquid ſuper his non viſitabo dicit Dominus, & in gente tali non ulciſcetur anima mea? *Ose*: Omnes adulterantes quaſi clibanus *Oſe. 7. 4.* ſuccenſus à coquente. *Apoſtolus:* Nolite errare: neque ſacrilegi, *1. Cor. 6. 9. 10.* neque idolis ſervientes, neque adulteri regnum DEI poſſidebunt. *Job.* Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum, ſcortum alterius ſit uxor mea, & ſuper illam incurventur alii. Hoc enim nefas eſt & iniquitas maxima. Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & eradicans omnia genimina. *Job. 31. 9.*

2dum. *S. Chryſoſtomus*: Adulter vel ante gehennam eſt omni- *S. Chryſoſt. in pſal. 7.* um miſerrimus, omnia ſuſpicans, vel ad umbram contremiſcens, ad nullum liberis reſpiciens oculis, ſed omnes pertimeſcens, & qui ſciunt & neſciunt; acutos videns gladios, impendentes lictores, Judicia. In dolore ſemper eſt adulter etiam in tenebris. *Idem:* *Idem de verb. Iſa. vidi Dominum hom. 3.* Quemadmodum gubernator in portu naufragium faciens, haudquaquam ullam impetraret veniam: ſic nec is, cui quum per conjugium conceſſum ſit, quo lapſum effugiat, tamen aliena ſcrutatur matrimonia; aut qui quamcunque fœminam curioſis aſpicit oculis, habere quidquam poteſt, quo ſe excuſet, nec apud homines, nec apud DEUM; etiamſi decies millies alligârit naturalem voluptatem. Imò quæ posſit illic eſſe voluptas, ubi metus, ubi diſcrimen, ubi periculum, ubi tantorum malorum expe-

ctatio, ubi tribunalia, ubi accusationes, ubi Judicis ira? Omnia pavet metuitquè umbras, parietes, lapides, famulos, vicinos, hostes, amicos, &c. Sed ponamus nulli notum esse flagitium, præterquam ipsi uni & mulieri, quam adulteràvit, quomodo feret conscientiam redarguentem, acerbam, amarulentam, accusatricem ubique secum ferens? Quemadmodum enim se ipsum nemo potest effugere: ita nec illam ejus curiæ sententiam. Hoc enim tribunal non pecuniâ corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eò quòd divinum est, & à DEO nostris mentibus impositum. Certè adulter per inopiam sensûs exilium suæ ipsius animæ conciliat. *S. Augustinus.* Interveniente divortio, non aboletur confœderatio nuptialis, ita ut sibi conjuges sint etiam separati. Cum illis autem committitur adulterium, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati.

S. Aug. de bono Conjug. & hab. 32. q. 7. Interveniente.

In lib. 7 donis & in spec. Exempl. P. Majoris tit. adulterium.

3tium. Quidam vidit adulterum cum adultera in sartagine ignea à dæmonibus comburi sine intervallo in bullienti metallo.

4tum ex Bibli. Man. Lohner. Joseph Castissimus solicitatus ab uxore Putipharis ad adulterium, fugit, pallio in manibus ejus relicto. *Aliud.* Susanna maluit cum summa ignominia mortem appetere absque peccato, quâm adulterii crimen comittendo cum senibus, nullius apud homines peccati insimulari. *Aliud.* Baldvinus Flandriæ comes, qui & Imperator Bizantinus postea fuit, tantopere ab hoc crimine abhorruit, ut quotidie per præconem edici jusserit: nemo in palatio meo pernoctato, qui alienam conjugem tetigerit.

Gen. c. 9.

Dan. 13.

Bejer. v. adult. f. 124.

5tum. Profana Exemlpa. Lycurgi temporibus tanta erat apud omnes uxores pudicitia, ut cum Geradas nobilis Spartanus rogaretur ab hospite, quas pœnas apud eos adulter daret? responderit: nullas pro hoc leges à Lycurgo præscriptas esse, quia nullus apud eos adulter daretur. Cumque hospes ulteriùs instaret: quid si autem existat? Subjecit iterum Geradas: Bovem tantùm dabit, ut porrecto ultrà Taygetum collo ex Eurota bibat. Dicente autem hospite, id fieri non posse. Geradas quoque, quo pacto ajebat, apud Spartanos adulteri esse possunt, ubi divitiæ, deliciæ, & corporis adscititius cultus probro habetur? Contrà verecundia, modestia, ac obedientiæ Magistratibus, debitæ

Plutarch. in Lacon.

bitæ observatio, decori, laudiquè dantur? *Aliud.* In Insula Pabunæ Indiæ orientalis tam sanctè servant conjugium, ut si quis adulterium commisisse deprehendatur, ad parentes per virum primarium deductus juguletur ab illis, consors verò similiter ab iisdem pugione confodiatur. *Beirl. in theat. v. adult. f. 122.*

Ad Praxim abominandi & cavendi Adulterium vide suprà dicta de Luxuria.

SUBSECTIO XIV.

De Incestu.

INcestus, *est peccatum luxuriæ inter personas consangvineas, vel affines.* Quod peccatum prohibetur. *Primò.* Quia naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus & cognatis, in tantùm quòd apud antiquos, ut Valerius Maximus refert, non erat fas filium cum parente balneari, nec se invicem nudos conspicere. *2dò.* Quia personas sangvine conjunctas necesse ad invicem simul conversari, sicquè continuò haberent occasionem luxuriæ, nimisquè emollescerent. *3tiò.* Quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum, ut docet *S. August. lib.* 15. de Civitate cap. 16. Addit. *4tum.* Aristoteles in 2. Politicor. quia cum naturaliter homo consangvineam diligat, si adderetur amor, qui est ex commistione venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentivum, quod castitati repugnat. *V. D. The. 2. 2. q. 154. a. 9.*

Contra Incestum Levitici: Omnis homo ad proximam sangvinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. *Ubi post varios incestus consangvinitatis & affinitatis enumeratos, tum alia decreta, hæc addit.* Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum, & quibus polluta est terra: cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos. *Et paulò pòst.* Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui. Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est, vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. *Apostolus:* Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes, ità ut uxorem *Levit. 18. Ibidem. Ibidem. 1. Cor. 5.*

rem patris aliquis habeat. Et vos inflati estis: Et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrûm, qui hoc opus fecit: ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri JESU Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri JESU, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri JESU Christi.)) Ruben propter incestum suum privatus benedictione Patris pro Regno & Sacerdotio. Ammon propter incestum morte punitur. Incestuosi Herodes cum Herodiade arguentem se S. Joannem Baptistam vitâ privârunt. *S. Augustinus*: Commistio sororum & fratrum quantò fuit antiquior compellente necessitate, tantò postea facta est damnabilior religione prohibente.

S. Aug. l. 15. de Civit. Dei.

Vide plura suprà dicta de Luxuria.

SUBSECTIO XV.

De Stupro.

D. Tho. 2. 2. q. 154. c. 6. Idem Ibidem.

STuprum, est illicita Virginum sub cura parentum existentium violatio. Cujus specialis deformitas peccati patet, tum ex parte puellæ, quæ ex hoc quod violatur, nullâ pactione conjugali præcedente, impeditur à legitimo matrimonio consequendo, & ponitur in via meretricandi, à qua retrahebatur, nè signaculum Virginitatis amitteret: tum etiam ex parte patris, qui ejus custodiam gerit, secundùm illud Eccles. 42. Super Filiam luxuriosam confirma custodiam, nè quando faciat te in opprobrium venire inimicis.

Eccles. 42.

Gen. 34.

Contra Stuprum, Genes. Filii Jacob, Simon & Levi ob Dinam raptam & stupratam sororem suam, Hemor & Sichem stupratorem necaverunt, & depopulati sunt urbem interfectis omnibus masculis.

SUB-

SUBSECTIO XVI.

De Raptu.

RAptus, *est violentia illata foeminæ, vel parentibus ejus, ad ipsam corrumpendam.* Quia qualitercunque violentia adsit, salvatur ratio raptûs. D. Tho. 2. 2. q. 154. a. 7.

SUBSECTIO XVII.

De Vitio contra naturam.

VItium *contra naturam, est determinata luxuriæ species, quod multiplci modo committi potest.* Ratio est: quia ibi est determinata luxuriæ species, ubi specialis ratio deformitatis occurrit, quæ facit indecentem actum venereum. Quod quidem potest esse dupliciter. Vno quidem modo, quia repugnat rationi rectæ, quod est commune in omni vitio luxuriæ. Alio modo, quia etiam super hoc repugnat ipsi ordini naturali venerei actus, qui convenit humanæ speciei, quod dicitur vitium contra naturam. Quod quidem potest pluribus modis contingere. Uno quidem modo, si absque omni concubitu causâ delectationis venereæ Pollutio procuretur, quod pertinet ad peccatum Immunditiæ, quam quidam Mollitiem vocant. Alio modo, si fiat per concubitum ad rem non ejusdem speciei, quod vocatur Bestialitas. Tertio, si fiat per concubitum ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel fœminæ ad fœminam ut Apostolus dicit ad Rom. 1. Quod dicitur Sodomiticum peccatum. Quarto, si non servetur naturalis modus concumbendi, aut quantùm ad instrumentum, aut quantùm ad alios monstruosos & bestiales concumbendi modos. V. D. Tho. 2. 2. q. 154. a. 11. C. ut clericorum de vita & honest. cle. c. de excessibus præl.

S. Thomas Angelicus: Vitium contra naturam gravissimum & turpissimum est inter luxuriæ species Siquidem per illud homo ipsius naturæ legem circa rei venereæ usum constitutam transgreditur. *S. Augustinus*: Flagitia quæ sunt contra naturam, ubique & semper repudianda atque punienda sunt, qualia sodo- Idem Ibid. a. 12. S. Aug. confess. c. 3. a. & hab. Ibid. can. flagitia.

Sodomitarum fuerunt: quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divinâ lege tenerentur: quæ non sic fecit homines, ut se illo uterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, quæ cum DEO nobis esse debet, cùm eadem natura, cuius ipse author est, libidinis perversitate polluitur.

§. Imus.
De Mollitie, seu Pollutione.

S. Bonav. in specul. animæ c. 2.

S. Bonaventura. describit pollutionem. Cum tactu ponitur corruptio carnis, quæ pollutio dicitur, quæ duobus modis contingit, aut per actum tactûs, seu imaginationem delectationis morosæ, aut per actum carnalem. Si primo modo per tactum vel imaginationem, hoc contingere potest dupliciter. Aut dormiendo, aut vigilando. Circa pollutionem in somno hoc breviter est notandum, quod talis pollutio secundùm se non habet rationem peccati, eò quòd tunc liberum arbitrium vinctum sit scilicet ad comparationem Potest autem contingere ex superfluitate cibi, vel potûs, vel ex turpi imaginatione in vigilia præcedente. Quod si causa mortalis fuit, puta quod vigilando consensit, vel actum gulæ mortalem exercuit, secundùm hoc pollutio est signum gravioris, & tunc dictæ circumstantiæ sunt in confessione notandæ vel dicendæ. Cùm autem talis pollutio illusione diaboli, vel debilitate retentivæ, vel virtute exclusivæ contingit, nec adest complacentia, non habet rationem peccati. De pollutione autem vigilando sic distingvitur, quòd si est procurata per tactum, vel imaginationem voluntariam quoquo modo, utì per auditum, visum, vel motum, omnis enim talis resolutio si sit procurata, vel si consensus interveniat est mortalis quocunque modo. Et si semen extra vas naturale voluntariè emittatur, habet rationem mortalis peccati, quod etiam contra naturam est. Si autem in tactu sit sexûs mutatio, etiam gravissimum est peccatum, & talia peccata non nominari debent, & ignominiosa dicuntur. Potest etiam hujusmodi pollutio contingere per actum carnalem, & hoc dupliciter, vel per actum Matrimonialem, vel per actum mœchiæ. In actu autem Matrimoniali potest contingere deordinatio,

in

in modo, in tempore, & in causa: in modo quidem peccatum, est, cùm modus, qui naturæ non congruit, invenitur. In tempore autem, cùm tempore menstruorum debitum exigitur, quod est contra legem, si scienter fiat, est peccatum mortale. Item, cùm tempora orationi, honestati, & festivitatibus Sanctorum deputata, non observantur, quod tamen mortale non dico. Item in causa, cùm in actu hujusmodi non prolis sed carnis delectatio quæritur, quod licèt excusetur per matrimonium, tamen posset habere rationem mortalis, si usque ad hoc inordinatio extendatur, quòd imaginando alienam mulierem cognoscat propriam, vel si eo affectu cognoscatur, quòd etiamsi uxor propria non esset, vellet nihilominus delectationem implere. *Hæc Seraphicus Doctor.*

Contra Immunditiam, seu Pollutionem, vel Mollitiem, placet afferre congesta ex *Marchantio* qui ait: Unum ex his peccatis (Luxuriæ) vocatur peccatum *Mollitiei* sive pollutionis voluntariæ, de quo dicit Apostolus. *Nolite errare, neque fornicatores, neque molles Regnum DEI possidebunt.* Propter hoc peccatum *Her* & *Onan* percussi sunt à Domino, quia semen fundebant in terram; quod quidem gravius erat, quia actu conjugii utentes, hanc rem detestabilem faciebant, nè nascerentur filii. Quapropter hæc est notabilis vindicta; insinuanda conjugibus, qui simili abusu circa conjugium peccant, nè forte prolibus onerentur, vel aliam ob causam in actu conjugii sese retrahentes. Monenda quoque & graviter reprehendenda juventus, quæ huic vitio propriæ corruptionis mirè est addicta. De qua re lamentabatur S. Christina, & incredibili ejulatu frequenter deplorabat mundum hoc peccato corruptionis plenum & obrutum, eaquè de causa iram DEI ac plagas universo prope orbi Christiano imminere, quas ut averteret, ipsa miris & horrendis pœnis se affligebat. V. *Surium* to 3. Nec mirum, DEUM ob illud peccatum pœnas infligere hoc Christiano seculo, ubi lux Evangelii & gratiæ affulget ad cognoscenda & eliminanda hæc peccata, quandoquidem antiquo tempore legis seculo adhuc rudi & inculto, similia peccata puniverit, tum in Sodomitis, tum in Her & Onan ut dixi. Imò & ab ipsis Hebræis hoc peccatum adeò grave re puta-

March Horti, pastorum. t. 4. lect. 9.

1. *Cor.* 9.

Gen. 38. 10.

Gen. 19. *de Sodomitis.*

putatum fuit, ut illum qui genituram effundit, homicidæ comparent, aut illi qui filios suos jugulat. Vocant enim mollem & se polluentem effusorem sangvinum. Et certè possumus dicere tales semen suum idolo Moloch immolare, ut loquitur scriptura, id est, dæmoni luxuriæ & immunditiæ. Nam antiqui existimant, quòd dæmon multas nequitias perpetret ex hoc semine effuso, & quòd à dæmone hasce nequitias edocti fuerint infames illi hoc in genere hæretici, vocati Gnostici, Basilidiani, Nicolaitæ, Borboriani, qui in his corruptionibus mirè exundârunt, ut pudeat recitare. Licèt verò cautè & parcè hac de re sit agendum, neque tamen omnino tacendum est, cùm illa frequenter inter corruptos juvenes vigeant nec æstimentur, cùm tamen fœtorem in cælum usque exhalent. Unde *S. August.* (vel quisquis est author) rectè dicit de his peccatis contra naturam. Confundor ego Episcopus talia loqui & enarrare, sed si tacuero mors mihi est, si prædicavero non effugiam lingvas vestras, audacter igitur damnabo & prædicabo, quia vos ea operari non erubescitis. Emendate vitam, & ego emendabo verba, quiescite agere perversè, & quiescam mala vestra mollitiei & sodomiæ (quibus prô dolor! repletur mundus) improperare. *Idem August.* eodem loco exclamat conquerendo. O quàm abominabilia vitia! O quàm detestabilia crimina! O quàm mortifera damna! Has pollutiones DEUS summo odio habet, has detestantur Sancti, odiunt beati, fugiunt illi qui regnum consequuntur æternum, has diligunt illi, qui cruciandi & maledicendi sunt cum diabolo. O pessimi peccatores coram Domino! rationis dictamen considerate, divinæ lucis claritatem honorate, DEUM timete. Quid obsecro ô miseri peccatores! quid consolationis in cordis penetralibus assecuti estis, non dico consolationis, sed remordentem animum, sed confusionem coram DEO & Angelis ejus? Redite ergo ad cor, resipiscite à diaboli laqueis, nè clamor Sodomorum & Gomorrhæorum ascendat iterum ad cælum. Clamare namque dicuntur hæc peccata, quando non solùm cogitantur, sed quando ad actum sine ullo timore perducuntur, & consvetudine intolerabili multiplicantur. *Hæc August.* vel quisquis sermonum istorum est author. Hæc corruptio est immunditia inveterata, est

S. August. serm. 47.

est unum ex signis reprobationis æternæ; nam de aliquibus reprobis Judas loquens dicit. *Et hi quidem carnem maculant:* hoc est se corrumpunt & commaculant. *Hucusque Marchantius.* Petrus Damianus narrat, quòd erant duo in deserto, qui asperrimam faciebant pœnitentiam, & unus fuit idiota, & suis peccatis exigentibus illusus est à diabolo, qui dixit, quòd peccatum pollutionis contra naturam non maius esset peccatum, quàm si homo mucilagines projiceret à naso suo: tunc ille pestifer exercuit se ad illam impudicitiam. In nocte autem portavit animam suam diabolus: miratus est alius, quòd ille, qui fuit tantarum vigiliarum & laborum, sit perditus; & adstitit Angelus Domini qui dixit, quòd totum se fœdaverat per illud peccatum. *In ser. de los præcepit sect. 6.*

Pollutio quantum sit nefas vel ipse agnovit Paganus *Martialis* in Ponticum se fœdantem hæc scribens.

Hoc nihil esse putas? scelus est mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis esse tuo.
Ipsam crede tibi Naturam dicere rerum:
Istud quod digitis Pontice perdis, homo est.

Vide quoque suprà dicta de Luxuria.

§ 2dus.
De Sodomia.

SOdomia quid sit, suprà sub Vitio contra Naturam describitur. *Subs. 17.*

Contra Sodomiam. 1mum. Sodomia est peccatum clamans in cælum, nempe vindictam gravissimam inclamans. Unde DEUS ad Abraham: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.* Pœna verò eorum describitur. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem de cælo, & subvertit civitates has, & omnem circa regionem, universos habitatores urbium, & cuncta virentia terræ. Judas Apostolus:* Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornificatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.)) In loco subversionis Sodomæ & Gomorrhæ extat nunc juxta Josephum, Burchardum & alios, Mare mortuum semper fumans & tenebro- *Gen. 18. Gen. 19. S. Judas in epist. Marchant. in horto pastor.*

nebroſum, ſicut oculis meis vidi, ita ut videatur eſſe os inferni: adeò tetrum vaporem fumat, ut vicina ad mediam dietam, ad quinque vel ſex leucas, ſterilia reddat, ut nè germen quidem producant.

S. Greg. 14. *Moral* 10. 2*dum. S. Gregorius* agens de Sodomia. In ipſa, ait, qualitate ultionis notavit maculam criminis: Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem, qui itaque ad perverſa deſideria ex carnis fœtore arſerant, dignum fuit, ut ſimul igne ac ſulphure perirent. *S. Aug. lib.* 1. *contra Jovin. & hab. can. uſus.* *S. Auguſtinus*: Uſus naturalis & licitus eſt ſicut in conjugio: & illicitus ſicut in adulterio: contra naturam verò ſuper illicitus, & procul dubio flagitioſior, atque turpior. Quem S. Apoſtolus, & in maſculis, & in fœminis arguebat, damnabiliores volens intelligi, quàm ſi in uſu naturali vel adulterando, vel fornicando peccarent. *Lact. Firm. lib.* 6. *c.* 13. *de vero cult.* *Lactantius*: Quid poteſt ſanctum eſſe iis, qui ætatem imbecillam, & præſidio indigentem, libidini ſuæ depopulandam, fœdandamquè ſubſtraverint? Non poteſt hæc res præ magnitudine ſceleris enarrari. Nihil amplius iſtos appellare poſſum, quàm impios & patricidas, quibus non ſufficiat ſexus à DEO datus, niſi & ſuum profanè ac petulanter illudant. Hæc tamen inter illos levia & quaſi honeſta ſunt. Quid dicam de iis, qui abominandam non libidinem ſed inſaniam potiùs exercent? Piget dicere. Sed quid ſi his fortè credamus, quos non piget facere? & tamen dicendum eſt quia fit. De iſtis loquor, quorum deterrima libido, & execrabilis furor nè capiti quidem parcit. Quibus hoc verbis aut quâ indignatione tantum nefas perſequar? Vincit officium lingvæ, ſceleris magnitudo. Quum igitur libido hæc edat opera, & hæc facinora deſignet: armandi adverſus eam virtute maximâ ſumus. Quiſquis affectus frænare illos non poteſt, cohibeat eos intra præſcriptum legitimi thori, & illud, quod avide expetit, aſſequatur, & tamen in peccatum non incidat. *Marchant. in horto paſtor. T.* 4. *lect.* 11. *Marchantius* ex D. Hieronymo refert: Nocte Nativitatis Domini omnes Sodomitas igne aut fulmine fuiſſe percuſſos, ad deſignandum ampliùs in humana natura non debere iſtud peccatum inveniri, quam Filius DEI dignabatur ſibi unire. Et aliqui ſcriptores dicunt, unam ex cauſis, cur tam diu diſtulerit incarnari Filius DEI, fuiſſe hanc contaminationem. Hoc quoque notant Doctores ex Apoſtolo: Illud peccatum vix permitti à

DEO,

DEO, nisi in pœnam præcedentium peccatorum, cùm jam homo excæcatur, DEUM deserens & lumen naturæ, ita ut quædam infidelitatis species videatur hoc abominabile peccatum in corde hominis præcedere, cujus ipsum sit pœna.

Media cavendi horrendum nefas Sodomiæ, sumi possunt ex suprà-dictis de Praxi evadendi scelus Luxuriæ.

§ 3tius.
De Bestialitate.

DE Bestialitate aliisquè horroribus criminum luxuriæ contra naturam, quis plura dicere poterit, cùm ipsa rei execranda fœditas vel modicè cogitata, nimiam sui abominationem mereatur? & hoc apud honestos & ingenuos, quantò magìs apud DEUM infinitam illam Puritatem. O! quàm longè ab illa, ejusmodi computrefactæ in stercoribus suis bestiæ in ima stagni illius ardentis igne & sulphure fœtido detrudentur!

§ 4tus.

INter vitia contra naturam in materia castitatis suprà enumerata est quoque, dum non servatur modus naturalis concumbendi, sed aliquis bestialis, aut monstrosus præter exigentiam & ordinem naturæ humanæ. Et hoc vitium quidem in quacunque specie fornicationis, adulterii &c. si committatur, addere novam speciem malitiæ manifestum est, ut v. g. illicitus actus talis cum aliena conjugata, non modò sit adulterium, verùm etiam vitium contra naturam: & sic de aliis. Contingere quoque idem vitium non raró in conjugio licito indubium est. Hinc S. Augustinus ait: *Multi faciliùs se abstinent ut non utantur nuptiis, quàm temperanter & benè utantur.* Aliqui enim conjuges quomodocunque se abutantur, putant sibi licere omnia. Verùm hæc opinio ut ipsorum conjugum corporibus & animabus est exitiosa, ita generi humano est damnosa. Contra quod vitium uti & alia illicita, quæ accidere possunt in abusu matrimonii præter de castitate conjugali supra dicta, hæc accipe. *S. Chrysostomus*: Præterea permissum fuit matrimonium, nè ultra proprios ter- *S. Chrysost. in psal. 43.*

minos progredereris. Vide enim quanto dignus eris supplicio: nam DEUS tuæ quieti & honori prospexit, ut & naturæ rabiem per uxorem compesceres, & hoc absque periculo faceres, & ab omni turpitudine & dedecore liberareris. Tu autem eum, qui tantam tui curam gerit, ex redundanti quadam & exuberanti copia, injuriâ afficis? *S. Augustinus*: Habent conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honestè, quia benè, quia pudicè, quia socialiter procreant, & procreatos pariter, salubriter, & instanter educant, quia thori fidem invicem servant, quia sacramentum connubii non violant. *S. Fulgentius*: Justitia utendi conjugii est hæc, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis affectu conjuges sibi misceantur congruo tempore.

S. Aug. lib. de Virgin. c. 12.

S. Fulg. Epist. de concup. delicto.

Vide plura subrà dicta de Luxuria.

SUBSECTIO XVIII.

De Sacrilegio.

V. D. Tho. 2. 2. q. 154. a. 10.

Sacrilegium, est quo Divino cultui consecrata persona violatur. Determinata luxuriæ species est ab aliis diversa. *Rat. est*: quia vitium unum ad alterius vitii finem ordinatum, illius vitii speciem assumit: & ita furtum quod propter adulterium committitur, transit in adulterii speciem. Adeoque & luxuria, 2dùm quod violat aliquod ad divinum cultum pertinens, pertinet ad speciem sacrilegii. *Dicitur esse determinata luxuriæ species*: quia etsi sacrilegium in Decret. 36. can. quæst 1. non ponatur inter alia, quæ ponuntur species luxuriæ, ob hoc non ponitur; quia ibi enumerantur illa quæ sunt species luxuriæ 2dum seipsam; Sacrilegium autem est species luxuriæ, 2dùm quod ordinatur ad alterius vitii finem, & potest concurrere cum diversis luxuriæ speciebus: si enim aliquis abutatur personâ sibi secundùm spiritualem cognationem, committit sacrilegium ad modum incestûs; si autem abutatur virgine DEO sacratâ, inquantùm est sponsa Christi, est sacrilegium per modum adulterii. Inquantùm verò est sub spiritualis partis cura constituta, erit quoddam spirituale stuprum.

V. Ibidem a. 10. ad 2.

prum. Et si violentia inferatur, erit spiritualis raptus, qui etiam secundùm leges civiles, graviùs punitur quàm alius raptus. Unde Justinianus Imperator dicit: si quis non dicam rapere, sed attentare tantummodo matrimonii conjungendi causâ, sanctissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœnâ feriatur. *In cod. li. 9. tit. 43.*

Contra Sacrilegium ex Marchantiò. *Divus Ambrosius* ad Virginem lapsam ait: Unde incipiam? Bona commemorem quæ perdidisti, an mala defleam, quæ invenisti? Eras Virgo in paradiso DEI, utique inter flores Ecclesiæ. Eras sponsa Christi, eras templum DEI, eras habitaculum Spiritus Sancti. Et cùm dico toties eras, necesse est ut toties ingemiscas, quia non es, quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est: Pennæ columbæ deargentatæ. Splendebas ut aurum, quando cum sincera perscientia procedebas. Eras tanquam stella in manu Domini, nullum ventum, nullas belli nebulas timebas. Quæ est ista subita perversio, de DEI virgine facta es corruptio satanæ, de habitaculo Spiritus S. tugurium diaboli? Quæ incedebas ut columba, nunc lates in tenebris ut stellio. Quæ nunc vilior facta es luto platearum, ut etiam hominum pedibus conculceris. Quæ fueras ut stella radians, de manu Domini, veluti de alto ruens cælo, lumen tuum extinctum est, & conversa es in carbonem. *Hæc Ambros.* Videri etiam potest Chrysostomus epist. 5. ad Theodorum lapsum. Neque mirum si apud Christianos Virginum DEO consecratarum lapsus tantæ enormitatis asseratur, cùm etiam apud Romanos Virgines vestales, si castitatem violâssent, gravissimis pœnis plecterentur. Talis enim Virgo primò verberibus à Pontifice Maximo cedebatur, & simul ac cæsa fuisset, ad portam Collinam efferebatur tanquam mortua, cum luctu propinquorum, Pontificibus aliisquè Sacerdotibus, mœsto silentio sequentibus: juxta quam locus erat subterraneus, ad quem scalis descendebatur, in eum virgo vestalis sola demittebatur, ac ablatis scalis locus undique occludebatur, & nè fame videretur enecta, panis, lactis, & olei aliquantum, incensaque lucernâ derelictam refovebant, atque eo die tristitia erat Romæ, & mœror non exiguus, præsertim quòd magnum aliquod malum, supplicium vestalis virginis, civitati & imperio portendere existimarent. *Hæc Marchantius.* Vide:

Marchant: Hort: past. S. Ambr. ad Virginem lapsam. c. 8.

Ex Dionys. hali. & Plutarch.

Vide plura de Castitate suprà dicta, tum de votis Religiosis sub virtute Justitiæ. cap. 6.

SUBSECTIO XIX.

De Impudicitiâ.

V. D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 1. ad 5. Idem. a. 5. *IMpudicitia consistit in actibus circumstantibus actum venereum, sicut sunt oscula, tactus, & alia hujusmodi.* Quæ etsi 2dùm se non sunt peccata mortalia; possunt enim hæc absque libidine fieri, vel propter consvetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, aut rationabilem causam; sunt tamen peccata mortalia per intentionem corruptam, dum scilicet aguntur ex libidine, propter delectationem veneream, consentiendo in eam.

Rom. 13. *Contra Impudicitiam. Apostolus*: Sicut in die honestè ambulemus, non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis. Apoc. 22. *Apocal*: Non admittentur ad regna siderea impudîci, unde dicitur: Foris canes, & venefici, & impudici.

§. Imus.

Eccl. 9. *Contra incautum & impudicum Aspectum.* Imò, *Eccl*: Virginem nè conspicias, nè fortè scandalizeris in decore illius. Né des fornicariis animam tuam in ullo, nè perdas te, & hereditatem tuam. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam à muliere compta, & nè circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Thren. 3. *Thren.* Oculus meus deprædatus est animam meam, in cunctis filiabus urbis meæ. Judic. 14. *Judic. Descendit Samson in Thammata, vidensquè de filiabus Philistym* mulierem, ejus amore captus est, à qua tandem proditus, interiit. 2. Reg. 11. *Reg*: David Bersabee videns lavantem se, adamavit eam, prolapsus in adulterium, & homicidium. Dan. 13. *Dan.* Senes Susannam *viderunt & exarserunt in concupiscentiam ejus, & everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos ut non viderent cælum atq; recordarentur judiciorum justorū*, qui violentiæ in castis-

simam

ſimam Suſannam deprehenſi, interfecti ſunt. *Geneſ.* Uxor Putipharis decore Joſephi decepta, ſed eo fugâ è manibus ejus elapſo, amatrix nequam in crudelem innocentis perſecutionem converſa eſt. *Chriſtus:* Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. *Geneſ. 39.* *Matth. c. 5. v. 28.*

2dò *S. Auguſtinus.* Oculi, inquit, veſtri, & ſi jaciantur in aliquam fœminarum, defigantur in nulla. *Et paulò pòſt.* Quia ſicut ſcriptum eſt, Abominatio eſt Domino defigens oculum. *Idem* Nè dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuncius. *S. Gregorius.* Oculi noſtri etſi iactantur in aliquam fœminam in nullam figantur. Nec enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini, ſed appetere, & ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. *Idem.* Intueri non licet, quod non licet concupiſcere. *S. Bernardus.* Quod non videt oculus, cor non dolet. *S. Aug. in l. 1. c. 21.* *Idem in Reg. ad ſer. DEI.* *S. Gregor. in Regeſt.* *Idem 21. Moral. 2.* *S. Bern. in Feſto omni. Sanct.*

3tiò *Exempla. S. Iob.* Pepigi ait fœdus cum oculis meis ut nè cogitarem quidem de Virgine. Cujus *Rabanus* rationem reddit: Ne prius inquit incautè aſpiceret, quod poſtmodum invitus amaret. Nam ſemel ſpecies formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu ſolvitur. Intueri non debet quod non debet concupiſci. Ut munda mens in cogitatione ſervetur, deprimendi ſunt oculi, quaſi quidam raptores ad culpam. *S. Chryſoſtomus* hanc Jobi cautionem admiratus inquit. Job diabolum quidem videns accedentem non fugit, manſit ſicut leo viribus fidens, virgine autem viſâ non ſtetit, neque moratus eſt in contuenda pulchritudine, ſed ſtatim ſeceſſit. *4tò Exempla profana.* Democritus oculos licentiores evagari, nec redire ſine fœdis cogitationibus deprehendens, ſe ipſum utroque lumine privavit, malens cæcus, quàm impudicus eſſe. *Aliud.* P. Scipio Africanus captivam virginem & formâ excellentem, ævi ſui miraculum, nè quidem videre voluit, nè à libidine vinceretur, qui tot civitates expugnaſſet. *Aliud. Baldvinus* orientis Imperator, abſente conjuge, nec aſpexit quidem ullam fœminam. Bis quavis hebdomadâ promulgari juſſit, nè quis in Palatina domo dormiret qui alienam fœminam attigiſſet. *Job. c. 31. 1.* *S. Chryſoſt. ſer. de Joſeph. patria. So. 1.* *Drexel. in v. Joſeph. c. 4.* *Gellius not. attic. c. 8.* *Drex. loco. cita:*

In Praxi

In Praxi contra incautum aspectum remedium est optimum pro utroque sexu: ut mulieres velamine obnubant facies suas, quatenus neque curiosè aspicere queant viros, nec ab ipsis aspici: cujus rei gratiæ Abimelech Saræ mille argenteos dedit:
Gen. 20. *Hoc erit* inquit *tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt.* Et A-
1. Cor. 11. postolus: *Mulier in Ecclesia habeat velamen super caput suum propter Angelos*: nempe propter sacerdotes, (qui in scriptura Angeli vocantur) nè ex facie mulierum conspecta, detur occasio concupi-
Psal. 118. scentiæ. Denique ora DEUM cum Sancto David: *Averte oculos meos nè videant vanitatem.*

§ 2dus.

Eccl. 9. *Contra Turpiloquium, & Cantum amatorium.* *Eccl.* Cum
Idem Ibid v. 11. saltatrice nè assiduus sis, nec audias illam, nè fortè pereas in efficacia illius. *Eccl.* Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit. Cum aliena muliere nè sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, & altercaris cum illa in vino, nè fortè declinet
Thess. 3. cor tuum in illam, & sangvine tuo labaris in perditionem. *Apostolus*: Deponite & vos blasphemiam, & turpem sermonem de
S. Cypr de singul. cleric. ore vestro. *S. Cyprianus*: Mulier nunc in risum dissolvitur, nunc blanditias exhibet, & quod venenosius est super cuncta psallere delectatur, cujus cantu tolerabilius est audire Basiliscum sibilan-
S. Hieron. ad Gaudent. tem. *S. Hieronymus*: Vocis dulcedines per aures animam vulnerantes fugiat.

§. 3tius.

Contra Choreas. 1*mo.* Chorea etsi actus sit ex se indifferens, quia tamen frequens & proximum in ea datur periculum Iacturæ Castitatis, aliiquè contingunt abusus, ideoque passim
Job. 21. malè audit in sacris scripturis. *Job.* Ducunt in bonis dies suos, tenent tympanum & citharam, & in puncto ad inferna descen-
Psal. 11. dunt. *Psal.* In circuitu impii ambulant. *Proverb.* Pedes eius
Proverb. 5. descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant: per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus illius, &

investi-

investigabiles. *Rex Salomon ait.* Feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum, & vidi in omnibus vanitatem. *Eccl.* Cum saltatrice nè assiduus sis, nec audias illam, nè fortè pereas in efficacia illius. *Esaias.* pro eo quòd elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt collo extento. & nutibus oculorum ibant & plaudebant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem Filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. *Ezech.* Pro eo quòd plausisti manu, & percusisti pede, & gavisa es ex toto affectu, idcirco extendam manum meam super te, & interficiam te. *Matth.* Saltatricis præmium fuit mors S. Joannis Baptistæ.

Eccl 2. *Eccl.* 9. *Esai.* 3. *Ezech.* 25. *V. Matth.* 14.

2do S. Ephrem dicit: Unde suas didicêre choreas, ecquis talia Christianos edocuit? Non Petrus, non Joannes, non alius Divino Numine afflatus, verùm ille draco antiquus suis voluminibus docuit. *S. Basilius:* Ex talibus itaque malis viri & fœminæ communes constituentes choros, maloquè dæmoni miseras tradentes animas, sese invicem libidinum telis confodiunt atque lacerant. Risus inter se histrionicos, cantus probrosos, meretricios gestus ad libidinem invitantes exercent. Rides, dic mihi & gaudes inepta, stolidaquè lætitia, quum lachrymas fundere ac dolere ob ea quæ admisisti fas erat? cantus profanos exerces, oblitus psalmorum & hymnorum quos didicisti. Moves pedes & insanus saltas, choreas ducis imprudens, cùm genua ad DEI & Domini nostri JESU Christi cultum flectere oporteat. Quas ego fleam, puellasne conjugii expertes, an viris conjunctas? Hæ quidem amissa virginitate reversæ sunt, illæ verò pudicitiam viris minimè servaverunt. Nam si quæ forsan peccatum corpore vitavêre, tamē admisêre: quæ quidem & viris, mihi simul animo dicta, monitaquè sint. Vidit ille malè, visa est illa malè. Qui mulierem ad concupiscendum viderit, jam mœchatus est in corde suo. Si fortuiti occursus iis, qui obiter mulierculam inspexerunt, tantum pariunt periculi, quanto magis fuerit, cùm de industria congrediuntur, quum dedita opera mulieres in ebrietate & convivio, omni lascivo gestu, saltatione, cantu impudico ad libidinem effrenes juvenes invitantes spectantur? Quid dicunt aut quid causantur ex his spectaculis, ubi tot mala congregantur?

S. Basilius 14. *hom. de ebrietate & luxuria.*

Nonne ob voluptatem se ac ad excitandam concupiscentiam spectare? Itaque inexcusabilis lasciviæ pœnas apud justum DEI judicium quandoque dabunt.

Nicolaus Dunclespule. P. Major. spec. Exem.

3tio Legitur in libro de septem donis. Juvenis quidam nobilis DEO dicatus in religione multum proficiens; Hic dum frequentibus orationibus incumberet, quadam vice ante crucem orans, venit in mentem, quid esset, quod magis ad peccatum alliceret, & honori divino ampliùs derogaret? prostratus itaque ante crucem hoc sibi cùm revelari deprecaretur, juvenem quendam specie intrare vidit in Ecclesiam, & cum eo chorizantium multitudinem copiosam. Circumeuntes ergo, cùm in primo circuitu juvenis ille venisset ad crucem, ictum magnum dedit super clavos crucifixi. In secundo circuitu percutiebant vulnera manuum crucifixi. In tertio arreptam crucifixi coronam pedibus conculcabant. In quarto planctum ejus deridebant. In quinto faciem consspuebant. In sexto latus ejus perforabant. In septimo ipsum blasphemabant. Cumquè juvenis in oratione constitutus, & ista considerans surgeret, ut tot Christi vituperia vindicaret, ille, qui ducebat choream apprehendit eum, dicens. Tu rogâsti DEUM ut ostenderet tibi, quid plus juventutem ad peccatum alliceret, & ipsum Dominum vituperaret, & exaudivit te DEUS, idcirco ergo ego princeps tenebrarum choreas procurans huc veni, ut omnia mala chorizationis tibi exponerem. Nam in chorea primò est motus pedum, & extensio calceamentorum, & hoc fit in vituperium clavationis pedum Christi. Secundò est extensio brachiorum, & conjunctio digitorum, & hoc fit in vituperium brachiorum Christi. Tertiò in modum coronæ circumeunt, vel coronam florum vel herbarum portant in capite, & tunc calcatur corona Christi. Quartò sunt ibi cantus in vituperium planctûs Christi. Quintò est ibi ornatus, & isti spuunt in Christum. Sextò est ibi lætitia vana in corde eorum, & isti aperiunt latus Christo. Septimò est ibi tactus impudicus & oscula, & hi blasphemant Christum. Propter hoc itaque DEUS summè in chorea vituperatur & contemnitur. Ego autem in ea utor omnibus armis meis, scilicet visu, tactu, locutione, cogitatione. Et per has vias homines in universa mala corruere facio.

4tò. Virgo quædam in honorem Christi & Beatissimæ Virginis MARIÆ ad promissam in cælo choream, tribus annis choreâ abstinens, postea læta moritur, & sine purgatorio evolat in cælum. P. Major in Specu Exemplo: ex Joan. Juniore.

§ 4tus.

Contra Oscula, & Contactus. 1mo. *Prov. Sapiens* Considero, *inquit*, vecordem juvenem, qui transit per plateam juxta angulum, & prope viam domus illius graditur in obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris & caligine: Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians, apprehensumquè deosculatur juvenem, & procaci vultu blanditur dicens: Victimas pro salute vovi, hodie reddidi vota mea, idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi. Irretivit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum: Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans quòd ad vincula stultus trahatur, donec sagitta transfigat jecur ejus; velut si avis festinet ad laqueum, & nescit quòd de periculo animæ illius agitur.)) Providens autem ejusmodi insipientibus de remedio *Sapiens* ait: Nunc ergo fili mi, audi me, & attende verbis oris mei. Nè abstrahatur in vitiis illius mens tua, neque decipiaris semitis ejus. Multos enim vulneratos dejecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea. *Proverb.* Favus distillans labia meretricis, novissima autem ejus amara quasi absynthium. *Eccl.* Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius, qui placet DEO effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa. *Proverb.* Ut custodiant te à muliere mala, & à blanda lingva extraneæ. Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nè capiaris nutibus illius, pretium enim scorti vix est unius panis; mulier autem viri pretiosam animam capit. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?

Prov. 7. v. 7.
Ibidem v. 21.
Ibid v. 24.
Prov. c. 5.
Eccl. c. 7.
Prov. c. 6. v. 24.

aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cùm tetigerit eam.

S. Basilius de Virg.

2do *S. Basilius*: Formosorum oscula cavere oportet, non secus ac venenatorum animalium morsus: diffunditur enim virus ex osculo in omne corpus. *Beda*: Qui verba vel oscula meretricis amplectitur, quasi januam jam gehennalis abyssi pulsat: citoquè mergitur, si pedem cautus non retrahit, si non membra reliqua à vicinia cohibet foveæ pœnalis, in quam nullus omnino nisi filius iræ labitur. *S. Hieronymus*. Non dicit Apostolus bonum est uxorem non habere, sed bonum est mulierem non tangere quasi & in tactu periculum, quod qui illam tetigerit non evadat; nempe quæ virorum pretiosas animas rapit, & facit evolare adolescentium corda. Alligabit quis in sinu suo ignem & non comburetur? quomodo igitur qui ignem tetigerit, statim aduritur, ita viri tactus & fœminæ sentit naturam suam, & diversitatem sensûs intelligit.

Beda apud March. Hort. past. Tuba Sacerdota. 3 Lect. 7.

S. Hier. lib. 1 contra Jovinia

S. Bonaventura. Circa tactum advertendum hoc videtur, quòd in tactibus multiplex peccatum invenitur, 2dùm quod loca, circa quæ tactus contingit, habent majorem inhonestatem, & magis possunt ad luxuriam provocare. Unde hoc circa istam materiam est tenendum, quòd libidinosi tactus, & oscula, absque etiam consensu in omne opus carnale, habent rationem peccati.)) Idquè mortalis, ut *Marchantius* dicit, oscula & amplexus, mulierisquè attactus. Unde & hæc à plerisque Theologis censentur peccata mortalia, si libidinosè fiant, hoc est intentione libidinis & voluptatis, etiam illius solùm quæ ex attactu, aut osculo, aut amplexu oritur, non intendendo ulterioris actus consummationem. Nempe, quia cùm naturâ suâ ad consummatum actum ordinentur, & disponant satis propinquè, periculum non exiguum censentur involvere, & ideo ab his deterret scriptura & SS. Patres. *Ita Marchantius.*

S. Bonaventura in speculo Cap. 3.

Marchantius Hort. Past. Tub. Sacer. Tr. 3. Sect. 7.

In Praxi contra Impudicitiam observentur suprà dicta de Pudicitia, Castitate, Virginitate, Luxuria.

SEC-

SECTIO III.

De partibus potentialibus Temperantiæ.

PArtes potentiales alicuius virtutis cardinalis triplices esse possunt, scilicet integrales, subiectivæ, & potentiales. Et dicuntur partes integrales, alicuius virtutis, conditiones, quas necesse est concurrere ad virtutem. Et 2dum hoc sunt duæ partes integrales temperantiæ scilicet verecundia, per quam aliquis refugit turpitudinem temperantiæ contrariam, & honestas, per quam scilicet aliquis amat pulchritudinem temperantiæ. Nam sicut ex dictis patet, præcipuè temperantia inter virtutes vendicat sibi quendam decorem, & vitia intemperantiæ maximè turpitudinem habent. Partes autem subjectivæ alicuius virtutis dicuntur species eius. Oportet autem diversificare species virtutum secundùm diversitatem materiæ vel obiecti. Est autem temperantia circa delectationes tactûs quæ dividuntur in duo genera. Nam quædam ordinantur ad nutrimentum. Et in his quantum ad cibum, est abstinentia, quantum autem ad potum est sobrietas. Quædam verò ordinantur ad vim generativam. Et in his quantum ad delectationem principalem ipsius coitus, est castitas: quantnm autem ad delectationes circumstantes, puta quæ sunt in osculis, tactibus, & amplexibus, attenditur pudicitia. Partes autem potentiales alicuius virtutis principalis dicuntur virtutes secundariæ, quæ modum, quem principalis virtus observat circa aliquam principalem materiam, eundem observant in quibusdam aliis materiis, in quibus non est ita difficile. Pertinet autem ad temperantiam moderari delectationes tactûs, quas difficillimum est moderari. Unde quæcunque virtus moderationem quandam operatur in aliqua materia, & refrænationem appetitûs in aliquid tendentis, poni potest pars temperantiæ, sicut virtus ei adjuncta. Quod quidem contingit tripliciter. Uno modo in interioribus motibus animi, Alio modo in exterioribus motibus & actibus corporis. Tertio modo in exterioribus rebus. Præter motum autem concupiscentiæ, quem moderatur & refrænat temperantia, tres motus inveniuntur in anima in aliquid tendentes. Pri-

D. Tho. 2. 2. q. 143. a. 1.

tes Primus quidem est motus voluntatis commotæ ex impetu passionis. Et hunc motum refrænat continentia, ex qua fit, ut licèt homo immoderatas concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincitur. Alius autem motus interior in aliquid tendens, est motus spei & audaciæ, quæ ipsam consequitur. Et hunc motum moderatur sive refrænat humilitas. Tertius autem motus est iræ tendens in vindictam, quem refrænat mansvetudo sive clementia. Circa motus autem & actus corporales moderationem & refrænationem facit modestia, quam Andronicus in tria dividit. Ad quorum primum pertinet discernere, quid sit faciendum, & quid dimittendum, & quid quo ordine agendum sit, & in hoc firmum persistere. Et quantùm ad hoc, ponit bonam ordinationem. Aliud autem est, quòd homo in eo quod agit decentiam observet. Et quantùm ad hoc ponit ornatum. Tertium autem est in colloquiis amicorum, vel quibuscunque aliis Et quantùm ad hoc ponitur austeritas. Circa exteriora verò dupliciter est moderatio adhibenda. Primò quidem ut superflua non requirantur. Et quantùm ad hoc ponitur à Macrobio parcitas: & ab Andronico per se sufficientia; Secundò verò, ut homo non nimis exquisita requirat. Et quantùm ad hoc ponit Macrob moderationem; Andronicus verò simplicitatem.)

SUBSECTIO I.
De Continentia.

V. D. Tho. 2.2. q. 155. a. 1.

CONTINENTIA, *est quædam voluntatis virtus, quâ ratio firmatur contra passiones, nè ab eis abducatur.* Dicitur *esse quædam virtus*; non tamen perfecta, quia etsi habet aliquid de ratione virtutis, inquantum scilicet ratio firmata est contra passiones nè ab eis seducatur: non tamen attingit ad perfectam rationem virtutis moralis, 2dùm quam etiam appetitus sensitivus subditur rationi sic, ut in eo non insurgant vehementes passiones rationi contrariæ. Et ideo Philosophus dicit in 4. Ethic. quòd continentia non est virtus, sed quædam mista, inquantum scilicet ha-

V. D. Thom Ibid.

L. 4. c. ult. n. 5.

tet habet aliquid de virtute, & in aliquo deficit à virtute. Differt autem continentia à temperantia per hoc, quòd continentia solùm detinet voluntatem, nè cedat vehementibus concupiscentiis, sed resistat eis: Temperantia autem edomat & moderatur concupiscentias, subiicitquè rationi. Laudabilior tamen est temperantia quàm continentia; quia plus bonum rationis in eo, qui est temperatus, in quo etiam ipse appetitus sensitivus est subiectus rationi, & quasi à ratione edomitus: quàm in eo qui est continens, in quo appetitus sensitivus vehementer resistit rationi per concupiscentias pravas. Unde continentia comparatur ad temperantiam, sicut imperfectum ad perfectum. *Dicitur; voluntatis virtus*: quia continens quamvis patiatur vehementes concupiscentias, tamen non eligit sequi eas propter rationem: sicut incontinens eligit sequi eas non obstante contradictione rationis. Et ideo oportet ut continentia sit sicut in subiecto in illa vi animæ cuius actus est electio. Dicitur; *contra passiones*: Nempe concupiscentiarum & delectationum tactûs, seu cibi, & venereorum: quia sicut temperantia propriè accipitur in eo, in quo optimum est refrænari: ita & continentia accipitur in eo, in quo est optimum & difficillimum contineri. Circa autem passiones iræ, vel cupiditatis honoris, divitiarum, Continentia dicitur *2dùm* quid, nempe cum addito, uti continens iræ, continens honoris &c.

V. Ibid. D. Tho. a. 4.

V. Ibid. D. Thom.

Idem, Ibid. a. 3.

Idem a. 2.

SUBSECTIO II.

De Incontinentia.

INcontinentia *est vitium, causativè ex anima, occasionaliter ex corpore ortum, quo aliquis recedens ab eo, quod est secundùm rationem, tradit se turpibus delectationibus tactûs*. Dicitur; *causativè ex anima, occasionaliter* &c. Quia homo differt à bestiis principaliter secundùm animam: differt autem 2dùm rationem continentiæ & incontinentiæ. Bestiæ dicuntur neque continentes neque incontinentes, ut patet per Philo. Ethic. 7. Ergo incontinentia est maximè ex parte animæ. Cæterùm incontinentia occasi-

V. D. Tho. 2. 2. q. 156.

occasionativè est ex parte corporis, quatenus ex eius indispositione insurgunt passiones vehementes in appetitu sensitivo. Et quidem impetus passionis provenire solet vel ex velocitate sicut in cholericis, vel ex vehementia sicut in melancholicis, quòd propter terrestrem complexionem vehementissimè inflammantur. E contrario Phlegmatici propter mollitiem complexionis debiliter inhærent & resistunt impetui passionum. Sicut & mulieres quæ partim propter debilitatem complexionis, partim propter carentiam Judicii rationis firmi, ut plurimum debiliter inhærent quibuscunquè inhærent. Unde dicit Philosophus lib. 7. c. 5. quòd mulieres non dicuntur continentes neque incontinentes; quia non ducuntur quasi habentes solidam rationem, sed ducuntur quasi de

V. Ibid. a. 2. facili sequentes passiones. Dicitur. *Tradit se turpibus delectationibus tactûs*: seu cibi, & venereorum, circa quæ propriè versatur incontinentia. Circa autem concupiscentias honoris, divitiarũ, & aliorum similium habet se incontinentia 2dùm quid, quatenus homo recedit ab eo, quod est 2dùm rationem, & non servat debitum modum rationis etiam in concupiscentia rerum per se appetendarum.

SUBSECTIO III.

De Mansvetudine.

D. Tho. 2. 2. q. 157. MAnsvetudo, seu Mititas, est virtus, 2dum rationem rectam moderativa affectus iræ, seu appetitus vindictæ.

Gradus Mansvetudinis.

S. Climacus c. 8. de mansvetu. SAnctus Climacus ait: Initium beatæ tolerantiæ (ac mansvetudinis) est in amaritudine & dolore animæ ignominias suscipere: medium verò eas sine mœrore tolerare: finis autem & consummatio summam illis laudem tribuere: Vidi ego, inquit ulterius idem Author, tres viros Religiosos, ex quibus unus mordebatur, & quibusdam injuriis perturbabatur: sed tamen in silentio premebat iracundiam. Alius verò gaudebat ex luctu suo, sed ejus, qui se maledictis insectatus fuerat, peccato angebatur.

Tertius

Tertius verò proximi tantùm damna secum volvens, vim ardentium lachrymarum profundebat. Eratquè suave spectaculum timoris, & mercedis, & charitatis operarios aspicere.

Motiva Mansuetudinis. 1mum. *Psal*: Exaltavit mansvetos in salutem. *Psal. 149.* *Idem*: Mansveti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. *Psal. 37.* *Prov.* Mansvetis DEUS dabit gratiam. *Prov. 3.* *Prov*: Melius est humiliari cum mitibus, quàm dividere spolia cum superbis. *Prov. 18.* *Eccl.* Fili mi per mansvetudinem gloriam animæ tuæ concilia, & eam honore, quem meretur, affice. *Eccl. 10.* *Eccl.* Fili in mansvetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. *Eccl. 3.* *Idem*: Sedes ducum superborum destruxit DEUS, & sedere fecit mites pro eis. *Idem. 10.* *Christus*: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. *Matth. 5.* *Apostolus*: Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. *2. Thess: 5.* *Idem*: Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. *Tit. 3.*

2dum. *S. Ambrosius*: Quid mihi prodest carere sceleribus, nisi fuero mitis atquè mansvetus? *S. Ambr. ad vult. sup. Luc. lib: 5.* *S. Basilius*: Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram. Cælestis Hierusalem non est bellatorum spolium, sed mansvetudine præditorum hominum sperata hereditas. *S. Basil. in Psal. 33.* *Isidorus*: Magna est virtus, si non lædas, à quo læsus es. Magna est fortitudo; si etiam læsus remittas. Magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas. *Isid. in solil. 2.* *Climacus*: Mansvetudo est adjutrix obedientiæ, irascentium expultrix, magistra gaudii, imitatrix Christi, Cælitum proprietas, vinculum & nodus dæmonum, scutum adversus amaritudinem, seu animi acerbitatem. *Climac. gradu 24.* In cordibus mansvetorum requiescet Dominus: Anima autem turbulenta nidus est diaboli. Mites hereditabunt terram, vel potiùs dominabuntur terris; furiosi autem exterminabuntur à terris suis. *S. Leo.* Terra promissa mitibus, & in possessionem danda mansvetis, caro Sanctorum est; quæ ob humilitatis meritum felici resurrectione mutabitur, & immortalitatis gloriâ vestietur, in nullo jam spiritui futura contraria, & cum voluntate animi perfectæ unitatis habitura consensum. *S. Leo. serm. in Festo Omni. Sancto.* *Et pòst nonnulla*: Possidebunt enim illam mites pace perpetuâ, & nihil unquam de eorum jure minuetur, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem,

tionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, ut periculum vertatur in prœmium, & quod fuit oneri sit honori.

Psal: 85. *3tium. Exempla mansuetudinis.* I. DEUS, de quo Psalmista: Tu Domine suavis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus

Barrius in solit. Hag. fol. 306. invocantibus te. *Alia exempla ex P Lohner Bibl. Man. tit. Mansuet.* II. Christus qui adhuc puerulus adeò mitis erat & suavis, ut à Judæis suavitas appellaretur, & ideo illi mutuò ad se dicerent: eamus ad Suavitatem, ut hilares fiamus. Postea grandior factus,

1. Pet. 2. v. 23. cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur non com-

Is. 53. v. 2. minabatur, tradebat autem se judicanti injustè. Et tanquam Agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Hinc meritò se in exemplum hujus virtutis proposuit dicens: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Et *S. Bernardus de eo dixit.* Dulcis est JESUS in voce, dulcis in facie, dulcis no-

In specul. c. 8. mine, dulcis in opere. III. De Beatissima V MARIA *S. Bonaventura* inquit: MARIA mansuetissima fuit per patientissimam lenitatem; gladius quidem cor ejus pertransiit, sed per odium

Ser. 4. Super Miss. non occidit, nec per impatientiam vulneravit. Hinc *S. Bernardus* revolve, inquit, scripturæ seriem, & si quid in MARIA asperum

L. 1. rev. c. 51. reperies, de cætero eam suspectam habeas. Et Ecclesia canit: Virgo singularis inter omnes mitis. Imò Christus ipse B. Brigittæ revelavit inter causas, ob quas Mater sua super omnes An-

Num. 12. v. 3. gelorum choros exaltata est, fuisse ejus mititatem IV. De Moyse testatur ipse DEUS in Sacra Scriptura, quòd fuerit mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra Hinc eundem propter hanc virtutem DEI apparitione & alloquio dignum effe-

Psal. 131. v. 1. ctum S. Dionysius Areopagita testatur. V. *David* adeò mansuetus erat ut hanc potissimùm pro motivo ad exaudiendas preces

Sulpitius in Vita. allegaret. Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus V I. *S. Martinum* nemo unquam iratum, nemo mœrentem vidit, sed unus idemquè semper cælestem quodammo-

Vitæ lib. 5. c. 1 do lætitiam præseferens vultu, extra naturam hominis videbatur. VII. *S. Ignatius* inter præcipuas laudes habebat mansuetudinem, quâ, licèt perfervidi esset ingenii, usque adeò seipsum subegit,

Vita lib. 4. c. 7. ut domestici & medici eum phlegmaticæ potiùs quàm cholericæ naturæ esse crederent. VIII. *S. Franciscus Borgias* in se semper rigi-

rigidus & severus, in alios blandus & facilis erat, nihil ut sibi ignosceret, aliis omnia, nihil asperè imperabat, sed blanditiis delinitos sic appellabat. Fac quæso, illud DEI causâ, & amore adductus Auderesnè illò valetudine salvâ proficisci? Valesnè ut in missionem evangelicam pergere queas? commodumnè erit tibi titulum Doctoris tueri, hujus vel illius artis? in mentem mihi venit hoc tibi munus imponere, sed animi tui sententiam explorare prius libuit. Si quis humanitus lapsus impegisset in re levi, nihil acerbius eloqui solitus, tantùm hoc dicebat; Ignoscat tibi DEUS, sic te sanctum videam frater, quomodo dictum factumvè illud abs te? sin gravius deliquisset, ad se accersitum blandè compellare, nihil tamen impunitum relinquere solebat, parentis optimi, simul & medici functus officio; itaque crimen referre, & petere, ut pœnitentiâ ductus resipiscat. Paratum se in pœnæ partem licèt culpæ affinis non esset, venire. Sed & illud identidem usurpabat, facilitate nihil esse homini melius, atque clementia. Et omnia prius consilio experiri, quàm armis, sapientem oportere. Postea verò si mores ingeniumquè mutâsset in melius, qui deliquerat, summa præteritorum erratorum oblivio erat. IX. *Alphonsi* Aragonum Regis celeberrimum erat effatum: Malo multos mansuetudine vincere, quàm paucos severitate perdere. Id quod in obsidione Cajetæ urbis ostendit: cùm enim obsessi ob commeatûs inopiam imbellem turbam emisissent ex urbe, certaquè spes potiundæ urbis affulgeret, si illam turbam repelleret in civitatem, maluit tamen obsidionem solvere, quàm consilium hoc arripere dicens: Pluris mihi est hominum incolumitas, quàm centum Cajetæ. Unde cives tantâ mansuetudine commoti, ultro urbem dederunt.

Beirl. in festo Omn. SS. them. 4.

In Praxi pro adipiscenda Mansuetudine hæc media *ex Bibl. Man. Lohner tit. Mansuetudo*, accipe: 1mum. *Exemplum Christi assiduò ob oculos habere.* Quid enim est, inquit S. Gregorius, Dominum mitem se in magisterio atque humilem dicere, nisi relictis exercendæ elationis difficultatibus, plana quædam benè vivendi itinera demonstrare? Idem medium suasit *S. Basilius*, dum dixit. Si stultus & indoctus appellaberis, reminiscere eorum, quæ à Judæis in veram Sapientiam jactata sunt. Nondum con-

S. Greg. l. 20. mor. in c. 30. Job.

S. Basil. hom. de ira.

demnatus es, nondum cruci affixus. Multa tibi toleranda, ut ad ejus imaginationem pervenias. Talia & horum similia succurrant, mentisque tuæ impetum & iram compescant. Similes namque præparationes, & animi dispositiones motus cordis & impulsus facilè delebunt, & animi cogitationes in tranquillum statum deducent. II. *Exempla aliorum Sanctorum animo objice*: Nam ut hi (inquit Chrysostomus) qui laborant oculis, colorem aliquem suavem frequenter intuendo, nonnullum morbi capiunt levamen: sic is, qui hominum mansuetorum imaginem præ oculis habet, si in ea assiduò defigat oculos, etiamsi millies obtundat ira mentis oculum perturbans, perfectam sanitatem, puramquè philosophiam, ac tranquillitatem animi assequetur.

S. Chrysost. hom. 3. de David & Saul.

III. *Propriorum vitiorum & defectuum copiam considerare.* Nam considerata infirmitas propria, mala nobis excusat aliena, teste Gregorio. Sed & S. Bernardus confirmat dicens: Ex consideratione iniquitatis propriæ, & ex dolore, qui ob culpam in DEUM commissam concipitur, oritur non solùm mansvetudo, cui draconis flatus, non noceat, sed etiam magnanimitas, quam rugitus leonis non terreat.

S. Greg. l. 5. mor. c. 31. S. Bern. ser. 13. in psal. Qui habitat.

IV. *Præcogitatione injuriarum mentem tuam munire.* Qui enim improvidus ab adversitate deprehendiur, quasi ab hoste dormiens invenitur, eumquè citiùs inimicus necat, quia non repugnantem perforat, qui verò mala imminentia per solicitudinem prænotat, hostilis incursus, quasi in insidiis vigilans expectat, & inde ad victoriam valenter accingitur unde nesciens deprehendi putabatur. Solerter animus ante actionis primordia cuncta habet adversa meditari, ut semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quidquid acciderit, providus superet, & quidquid non accesserit, lucrum putet.

S. Greg. lib. mor. c. 31.

V. *Causam iræ & impatientiæ tollere.* Nam sicut ignis non extingvitur, quamdiu materia incendii non tollitur: ita nec animus erit mitis & quietus, quamdiu causa iracundiæ in mente perstiterit.

Chromantius S. de cito tract.

VI. *Injuriam, facto, joco, eludere.* Ita enim iam olim majores nostri svaserunt, dicentes: Cùm ureris, aut tace, aut jocare. Idem Seneca svasit dicens. Alia differenda sunt, alia deridenda, alia

Drex. in ros. p. 1. b. 2. parag. 4.

da, alia donanda. Circumscribenda multis modis ira est. Pleraque in lusum jocumquè vertenda sunt.

Vide quoque suprà dicta & hìc convenienter adhibe. l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2.

Actus Mansvetudinis.

Ex Discipl. Claust. Joan. à J. M.

MAnsvetissime I E S U Christe, certissimè statuo, quoties læsus fuero, me quasi agnum coram tondente futurum.

Dulcissime Domine si pungar, & importunè tenter, dono tuo læsoribus arridebo.

Suavissime D E U S, etiamsi exspolier, & cædar ab inferiore quovis, amoris signa exhibebo.

Clementissime Domine, absit à me, ut ob ullum damnum contra amabilissimos proximos meos excandescam.

Mitissime Fili D E I, si quis me turbaverit, lætabor super illa exercitia; sicut qui invenit spolia multa.

Benignissime Domine, si quando vexatus à proximo fuero, obliviscar mei, & compatiar illi propter te.

SUBSECTIO IV.
De Clemenria.

CLementia, est virtus juxta rationem moderativa, seu remissiva vel mitigativa poenarum, ex lenitate quadam & dulcedine proprii affectus. Dicitur: *moderativa, secùndum rationem, poenarum;* non quidem in respectu ad id, quod est secùndum rectam rationem, sed in respectu ad id, quod est secùndum legem communem, quam respicit justitia legalis. Sed propter aliqua particularia considerata, clementia diminuit pœnas, quasi decernens hominem non esse magis puniendum. Vel est moderativa pœnarum, quatenus scilicet per epykiam, non secùndum verba legis infligit pœnas, sed juxta intentionem legislatoris easdem condonat, vel diminuit. V. D. Thom. 2. 2. q. 157. Idem Ibid. a: 2. ad 2.

Motiva Clementiæ. Primum. Prov. Clementia præpa- Prov. 11.

Prov. 16. rat vitam. *Prov.* In hilaritate vultus Regis vita, & clementia
Prov. 20. eius quasi imber serotinus. *Prov.* Misericordia, & veritas custodit Regem, & roboratur clementiâ thronus eius.

Epist. 53. ad Mace. to. 2. 2*dum. S. Augustinus*: Malis parce vir mitis & bone, & quantò melior es, tantò mitior esto, ut quantò es celsior potestate, tantò
Beda glossa Luc. 9. humilior fias pietate. *Beda*: Non semper in eos qui peccant est vindicandum; quia interdum amplius prodest clementia, tibi ad
Cardinal. Bona in Manuduct. adCælum c. 32. patientiam lapso ad correctionem. *Cardinalis Bona*: Ut mansuetudo iram, sic clementia punitionem moderatur. Illa ad omnes, hæc ad Principes & Superiores pertinet. Eius enim munus est, mitiorem pœnam, quàm jura exigant, irrogare, non ex timore, lucro, amicitia, aliove motivo; sed ex animi lenitate. Non opus est, latera montium abscindere, & in arduo collis vertice arces constituere; Salvum Principem in aperto clementia præstabit. Hæc est munimentum inexpugnabile, quæ tutum reddit imperium. Malus Princeps invisus est: quia timetur: & timeri vult; quia invisus est. Quem verò metuunt subditi; oderunt; & quem quisque odit, periisse cupit. Vitæ Regum Dominus est, quisquis suam contempsit. Frustra se potentia munit, qui septus suorum benevolentiâ non est. Turpia sunt Principi supplicia multa: sicut medico multa funera. Si Rex continet vim suam, si omnes injurias & offensiones supernè despicit, si quosdam alienæ iræ neminem impendit suæ, tunc verè se Regem ostendit. Magni animi est, placidum esse atque tranquillum.

3*tium motivum Exempla.* DEUS qui ex Theologorum sensu præmiat supra condignum, punit infra condignum. Christus qui pro illatis sibi maximis injuriis minimè adversarios suos punivit, cùm id ex potentia divinæ Majestatis suæ justissimè potuisset. Hinc Apostolis contra quandam civitatem Samarita-
Luc. 9. norum Christum non recipientem instigantibus: *Domine, vis dicamus ut ignis descendat de Cælo & consumat istos? Conversus increpavit illos dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas*
Joan. 8. *perdere, sed salvare.* Et mulieri in adulterio deprehensæ dixit: *Nemo te condemnavit? Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem JESUS; nec ego te condemnabo. Vade & iam amplius noli peccare.*) *Deipara*:

Cui canit Ecclesia: O clemens! O pia! O dulcis Virgo MARIA! Et S. Bernardus. Quemadmodum sol oritur super bonos & malos indifferenter. Sic MARIA præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitatibus amplissimo miseretur affectu)) Denique illa est quæ pœnas tum mundo toti, tum eius aliquibus partibus v. g. Provinciis, Civitatibus &c. tum in particulari innumeris hominibus pro suis peccatis à Divina justitia intentatas aut avertit, aut mitigat, ut ex variis patet historiis. S. Rex David quàm clemens fuerit in Semei, reum horrendi criminis in Majestatem suam, quem & maledictis & lapidibus impetebat: pepercit tamen, & pro se zelantes coarguit.

S. Bernard. in ser. super sig. Magn.

2. Reg. 16.

Vide supradicta, & hic quoque proportionatè applica.

l. 2. tra. I. c. I. sec. 4. subs. 2. § 2.

SUBSECTIO V.

De Oppositis Mansuetudinis, ubi de Ira, seu Iracundia.

IMò Opponitur *Falsa mansuetudo*, de qua S. *Chrysostomus*: Neque enim ferire absolutè atrocitatis est, nec parcere, mansuetudinis: sed mitis ille est, qui ferre potest, quæ in se ipsum peccata sunt; qui aliis factam injuriam propulsat. Qui autem id non facit, est deses, & somnolentus, & nihilo melius mortuo affectus, non autem mansuetus. Et S. *Bernardus*: Sunt quidam mites, sed quamdiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio; patebit autem quàm longè sint à vera mansuetudine si levis oriatur occasio.

S. Chrysostomus in psal. 131.

S. Bern. super cant.

2dò. Opponitur Mansuetudo *per Excessum*, qui est iræ defectus. S *Thomas* ait: Dicendum, quòd ira dupliciter potest intelligi. Uno modo, simplex motus voluntatis, quo aliquis non ex passione, sed ex judicio rationis pœnam infligit. Et sic defectus iræ sine dubio est peccatum. Et hoc modo ira accipitur in verbis Chrysostomi, qui dicit. Iracundia, quæ eum

V. D. Tho. 2. 2. q. 158. a. 8.

cum causa est, non iracundia est, sed judicium. Iracundia enim propriè intelligitur commotio passionis. Qui autem cnm causa irascitur, ira illius jam non est ex passione: ideò judicare dicitur, non irasci. Alio modo accipitur ira pro motu appetitus sensitivi, qui est cum passione & transmutatione corporali. Et hic quidem motus ex necessitate consequitur in homine ad simplicem motum voluntatis: quia naturaliter appetitus inferior sequitur motum appetitûs superioris, nisi aliquid repugnet. Et ideo non potest totaliter deficere motus iræ in appetitu sensitivo, nisi per subtractionem vel debilitatem voluntarii motus. Et ideò ex consequenti etiam defectus passionis iræ vitiosus est, sicut & defectus voluntarii motus ad puniendum 2dùm judicium rationis.

3tio. Opponitur Mansvetudini *per Defectum*: nempe *Ira seu Iracundia; quæ est vitium capitale, quo injusta appetitur vindicta.* Dicitur: *est vitium*: Quia ira propriè nominat quandam passionem. Passio autem appetitûs sensitivi intantùm est bona, inquantùm ratione regulatur. Si autem ordinem rationis excludat, est mala. Ordo autem rationis in ira potest attendi, quantùm ad duo. Primo quidem, qnantùm ad appetibile in quod tendit, qnod est vindicta. Unde si aliquis appetat, quòd secundùm ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus, & vocatur ira per secundum. Si autem aliquis appetat, quòd fiat vindicta qualitercunque contra ordinem rationis; puta, si appetat puniri eum, qui non meruit, vel ultra quàm meruit, vel etiam non 2dùm legitimum ordinē, vel non propter debitum finem, qui non est conservatio justitiæ, & correctio culpæ, erit appetitus iræ vitiosus, & nominatur ira per vitium. Alio modo attenditur ordo rationis circa iram, quantùm ad modum irascendi, ut scilicet motus iræ non immoderatè fervescat, nec interius nec exterius. Quod quidem si prætermittatur non erit ira absque peccato, etiamsi aliquis appetat justam vindictam. Dicitur; *capitale*: Quia ex ira multa & varia vitia oriuntur. Tum ratione sui objecti, nempe vindictæ sumendæ, quæ appetitur, quasi aliquid justum & honestum, quod suâ dignitate allicit. Tum ratione impetûs quo mens præcipitatur ad inordinata quæcunque agenda. Eritquè peccatum mortale ira, si sit appetitus injustus vindi-

V. D. Thom. 2. 2. q. 258.

V. Ibid. a. 2.

V. Ibid. a. 5.

vindictæ: quia id contrariatur justitiæ, & charitati. Sin verò ira præveniat judicium rationis, & vel in aliquo modico se vindicare appetit, vel si nimis ardenter irascatur interius, aut si nimis eatenus manifestet signa iræ (nisi fortè aliquis ex vehementia iræ excidat à dilectione DEI, & proximi,) erunt venialia iræ peccata. Cæterum irasci 2dùm rationem rectam, v. g. appetendo vindictam, non propter malum eius qui puniendus est; hoc enim est illicitum: Sed appetendo vindictam propter vitiorum correptionem, & propter bonum justitiæ conservandum, laudabile est. *Ibid. a. 1.*

Species irascibilitatis sunt *tres*. *Imò*, Ira *fellea*; quæ attribuitur iracundis acutis, qui nimis citò irascuntur, & ex qualibet levi causa. *2dò*, *Mania*; quæ & insania, convenitquè iracundis amaris, quorum nimis durat ex eo, quòd injuria illata nimis manet in eorum memoria. Unde ex hoc diutinam tristitiam concipiunt, & ideo sunt sibi ipsis graves & amari. *3tiò*, *Furor*: qui attribuitur iracundis vocatis difficilibus seu gravibus, qui non dimittunt iram quousque puniant. *V. Ibid. a. 5.*

Fræna Iræ. *Imum.* *Job*: Virum stultum interficit iracundia. *Job. 5.* *Ecclesi.* Ira & furor utraque execrabilia sunt, & vir peccator continens erit illorum. *Eccles. 27.* *Idem.* Zelus & iracundia minuent dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus. *Idem 30.* *Prov.* Vir iracundus provocat rixas, & qui ad indignationem facilis est, erit ad peccatum proclivior. *Prov. 15. & 29.* *Eccles.* Nè sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. *Eccles. 7.* *Idem*: Aufer iram à corde tuo, & amove malitiam à carne tua. *Idem 1.* *Idem*: Quàm bonum est arguere, quàm irasci. *Idem 20.* *Christus*: Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio. *Matth. 5.* *Apostolus*: Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. *Rom. 12.* *Idem.* Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia, tollatur è vobis cum omni malitia. *Ephes. 4.* *Idem.* Sol non occidat super iracundiam vestram: nolite locum dare diabolo. *Ibidem.*

2dum. *S. Ambrosius*: Præclarum est, motum temperare consilio: nec minoris virtutis dicitur cohibere iracundiam, indignationemquè compescere, quàm omnino non irasci: cùm plerumquè illud levius, istud fortius æstimetur. *S. Ambr. super Luc. lib. 5.* *Idem*: Qui irascitur *Idem lib. 21.*

fratri suo, reus erit judicio &c. Racha in Hebræo vox est indignantis, quæ animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit Prius ergò ira reprehenditur sine voce; postea verò ira cum voce, sed necdum pleno verbo formato: ad extremum ira cum verbo. Et notandum, quòd in ira perhibet reum esse judicio, in voce iræ, quæ Racha reum consilio, in verbo vocis reum gehennæ. Per gradus enim culpæ crescit ordo sententiæ, quia in judicio adhuc causa discutitur, in consilio autem sententia diffinitur, in gehenna verò ea, quæ de consilio

Idem l. 5. *Moral.* egreditur sententia, explicatur. *Idem*: Per iram justitia relinquitur; quia dum perturbata mens judicium sine ratione exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amittitur, quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est ut bestialiter solus vivat. Per iram concordia rumpitur. Per iram lux veritatis amittitur, quia cùm menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic DEUS radium suæ cognitionis abscondit. Per iram Spiritûs Sancti splendor excutitur, qui super humilem & quietum requiescere dicitur; quia cùm ira subtrahit quietem mentis, suam Spiritui Sancto habitationem claudit, cujus recessione animus vacuus ad apertam mox insaniam ducitur, & usque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Nam iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingva se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti. Ore quidem clamorem format, sed intus quid loquatur, ignorat. In quo itaque iste ab abreptitiis longè est, qui actionis suæ conscius non est? Unde fit plerumque, ut usque ad manus ira prosiliat, & quo ratio longiùs recedit, audacior exsurgat, seque ipsum animus re-

S. Bern. ser. 3. *Psal. Qui habitat.* tinere non valet, quia factus est potestatis alienæ, & eo furor membra foris in ictibus exercet, quo intus ipsam membrorum Dominam mentem captivam tenet. *S. Bernardus*: Væ vobis à dracone: immanis est bestia, flatu ignea, quidquid attigerit, necat, non modò bestias terræ, sed & volucres cæli. Aut alium ego draconem hunc, quàm spiritum iracundiæ reor? Quantos enim sublimes, ut videbatur, flatu hujus draconis miserè satis adustos, turpiter in hujus os ingemimus cecidisse? Quàm meliùs sibi ipsis irasci potuerant, nè peccarent? Nimirum affectio natura-

naturalis ira hominum est, sed abutentibus bono naturæ, gravis D. Tho. 2. 2. q.
perditio est, & miseranda pernities. *Angelicus Doctor* sex filias 158. a. 7.
iræ enumerat, quæ sunt, nempe rixa, tumor mentis, contumelia, V. D. Tho. 2. 2.
clamor, indignatio, blasphemia. Etenim ira potest tripliciter q. 158. a. 7.
considerari. Uno modo 2dùm quid est in corde: & sic ex ira nascuntur duo vitia. Unum quidem ex parte ejus, contra quem homo irascitur, quem reputat indignum, ut sibi tale quid fecerit. Et sic ponitur indignatio. Aliud autem vitium est ex parte sui ipsius, inquantum scilicet excogitat diversas vias vindictæ, & talibus cogitationibus animum suum replet. 2dùm illud Job. 15. Nunquid sapiens replebit ardore stomachum suum? Et sic ponitur tumor mentis. Alio modo consideratur ira secundùm quod est in ore. Et sic ex ira duplex inordinatio procedit. Una quidem secundùm hoc, quòd homo in modo loquendi iram suam demonstrat. Et sic ponitur clamor, per quem intelligitur inordinata & confusa locutio. Alia etiam est inordinatio 2dùm quod aliquis prorumpit in verba injuriosa, quæ quidem si sint contra DEUM, erit blasphemia: si autem contra proximum, contumelia. Tertio modo consideratur ira secundùm quod procedit usque ad factum. Et sic ex ira oriuntur rixæ, per quas intelliguntur omnia nocumenta, quæ facto proximis inferuntur ex ira.

3tium Exempla ex Bibliot. Man. Lohner tit. Iracundia. Cùm S. Bernardinus
S. Franciscus in loco Portiunculæ quadam vice orationi vacaret, serm. Quadrag.
vidit totum Monasterium à copioso dæmonum exercitu circumdatum, nec tamen ullum eorum intrare potuisse ob sanctitatem fratrum, donec tandem à fratre quopiam, qui vindictam aut odium adversus alterum conceperat, ostium uni diabolorum apertum est, qui tamen frater ubi ad S. Franciscum vocatus, culpamquè fassus & deprecatus est, mox iterum aufugere debuit. *Aliud:* S. Bern. s. 15.
In monte Calvariæ cùm Anno 1419. mulier quæpiam ab adolescente quopiam per nimiam multitudinem trusa levi impulsu ad terram prostrata fuisset, & illo veniam flexo poplite & junctis manibus petente pertinaciter negâsset, toto populo inspectante à dæmone abrepta & in puteum dejecta est.

4tum. Abbas Agathon dicere de se solebat: nunquam litem habens cum aliquo dormivi, sed nec permisi aliquem me-

cum litem habentem dormire, quantum ad virtutem meam pertinuit, nisi prius cum illo in pacem redirem. *Aliud.* De S. Martino scribit Severus Sulpitius: nemo unquam vidit Martinum iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem. Unus idemque semper, cælestem lætitiam vultu præferens. *Aliud.* S. *Ignatius* intantum iram suam perdomuerat, ut cum calidus naturâ, & constitutione biliosus esset; propter summam tamen lenitatem, quam in omni sermone, vitæquè consuetudine adhibebat, frigidus ipsis medicis lentusquè potius videretur. *Aliud.* Pater Paschasius Broet. cum socio Lutetiæ prope messores transiens, cùm ab eis conviciis appeteretur, baculo suo tam diu innixus perstitit, donec illi pudore & satietate abstracti, conviciari desinerent, tum enim se erigens, suavissimequè illos intuens. DEUS benignè vobis faciat filii, ac benedicat, simulquè crucis signo facto eisdem benedixit.

Surius in vita 11. Nov. — *Ribad lib. vita c. 5.* — *Hist. Socie p. 3. lib. 6. n. 75.*

5tum. Exemplum profan. Architas Terentius Philosophus ad villicum suum, qui indignationis occasionem præbuerat, dixit. O te felicem! quoniam egregiè te punirem, nisi iratus essem. Qua ratione Ausonius Poëta iram suppresserit, ipse sequenti disticho confessus est.

Senec. 3. de ira c. 12.

Irasci promptus properavi condere motum.
Atque mihi poenas pro lenitate dedi.

In Praxi Iracundiam comprimendi hæc remedia proponit *P. Lohner* citatus, quorum unum est. *Præmeditatio adversorum.* Certè inexspectata, teste Senecâ, plus aggravant, novitas addit calamitatibus pondus, ideo nihil inprovisum esse debet: in omnia præmittendus animus: cogitandumquè non quid soleat, sed quid possit accidere.

Senec. de tranquil.

II. *Dilatio iræ.* Ita iterum S. Gregorius suasit his verbis. Quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince te ipsum, differ tempus furoris. Cùm tranquilla mens fuerit, fac quod placet. Quod confirmans S. Ambrosius: resiste iræ, inquit, si potes, cede si non potes, quia scriptum est. Date locum iræ. Ergo si prævenerit mentem tuam iracundia, nè relinquas locum tuum. Locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est.

Grego. l. c. — *S. Ambr. l. 80. offic. c. 21.*

III. *Silentii usus.* Ut S. Isidorus monuit dicens. Si non potes iram vitare, tempera: si non potes furorem cavere, cohibe, tene silentium patientiæ, tacendo citius vinces. Scriptum quippe est: In silentio & spe erit fortitudo vestra. Suasit S. Basilius his verbis: si aliquid animo pateris, saltem in te conde tristitiam. In me turbatum est cor meum, inquit Propheta; hoc est, non extra turbationem ostendi, sed veluti quandam intra littus abruptum undam retinui. Turbatus sum, & non sum locutus. *S. Isido. lib. 1. solil.* *Isaja.*

IV. *Matura suppressio.* Iuxta Apostoli monitum. Sol non occidat supra iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Nam ut S. Ambrosius ait: Ira inveterascens fit odium, dum quasi justi doloris admixta dulcedo, diutiùs eam in vase detinet, donec totum acescat vasquè corrumpat. Quapropter multò melius, cùm nec justè cuiquam irascimur, quàm velut justè irascendo in alicuius odium iræ occultâ facilitate dilabimur. In recipiendis enim hospitibus ignotis ista solemus dicere; multò melius esse, malum hominem perpeti, quàm forsan per ignorantiam excludi bonum, dum cavemus nè recipiatur malus. Sed in his affectibus animi contra est, nam incomparabiler salubrius est, etiam iræ justè pulsanti non aperire penetrale cordis, quàm admittere non facilè recessuram & perventuram de festuca ad trabem. Audet enim impudenter crescere citiùs, quàm putatur, non erubescit enim in tenebris, cùm super eam sol occiderit. *Eph. 4. v. 16.* *S. Ambros. Epist. 100.*

V. *Propriæ infirmitatis consideratio.* Considerata quippe infirmitas propria, teste S. Gregorio, mala excusat aliena; patienter namque injuriam illatam tolerat, qui piè meminit, quid fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. Et quasi aquâ ignis extinguitur, cum, surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur, quia erubescit sibi peccator parcere, qui vel DEO vel proximo sæpe se recolit non parcendo peccâsse. *S. Greg. l. 5. Moral.*

VI. *Meditatio foeditatis.* Ita Seneca consuluit dicens. Quibusdam ut ait Sextius iratis profuit, aspexisse speculum; perturbavit illos tanta mutatio sui. Sic enim ut S. Gregorius Nazianzenus narrat; Dea illa cantu fistulæ delectari solita, *Seneca li. 2. de ira cap. 6.* *Grego. orat. 4.*

eiusdem usum detestata est, dum deformitatem inflatione resultantem in fonte fortè conspexit, quidni idem ab iracundo sperandum sit, si turpitud nem vitii sui consideret?

V I I. *Mansuetudo Christi, aliorumquè Sanctorum considerata.*

S.Chrysost.hom. 3. de David, & Saul. Nam ut sapienter S. Chrysostomus advertit: quemadmodum qui laborat oculis, si spongias, ac vestium cyaneo colore pannos tenentes, frequenter in ea intueantur, ex eo colore nonnullum capiunt morbi levamen; similiter & si tu Davidis (multò magis Christi) imaginem præ oculis habeas, & in hanc assiduè defigas oculos, etiamsi millies obtundat ira mentis oculos perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens, perfectam consequeris sanitatem, puramquè animi Philosophiam ac tranquillitatem.

S. Basil. ho.20. Hoc enim est, quod David ait (teste S. Basilio) Paratus sum & non sum turbatus. Oportet itaque motus animi insanos ac præcipites exemplo Sanctorum, ac beatorum præceptorum memoriâ cohibere. *Hebr. 12. v. 3.* Recogitate eum, qui talem sustinuit adversus peccatores in semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.

Ludo: Blo. c. 4. monil, spi. Christus aliquando S. Brigittam propter iræ motum leniter reprehendens eidem dixit. Ego Creator & Sponsus propter te sustinui verbera, tu verò impatiens adeò fuisti, ut verba portare non potueris. Ego stans ante judicem tacui, & non aperui os meum, sed tu acerbiùs respondendo & exprobrando, vocem tuam nimis exaltâsti. Tu debueras omnia patienter tolerare propter me, qui clavis affixus fui pro te, debueras per patientiam eum, qui erravit, ad meliora provocare. Sis ergo posthæc cautior, & ubi ab aliquo ad iram provocata fueris, non facilè loquaris, donec ira ab animo tuo recedat. Transactâ autem animi commotione, & causâ ipsius commotionis diligenter pensatâ, poteris loqui cum magnitudine. Quodsi loquendo nihil profeceris, & tacendo non peccares, melius facceres, & maius meritum acquireres, si sileres.

1. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2. & 3. *Vide etiam supradicta, & hic convenienter accommoda.*

SUB-

SUBSECTIO VI.
De Oppositis Clementiæ.

IMum Oppositum Clementiæ est *Pseudo clementia*: contra quam hæc serviunt. *Reg.* Ad Benadad regem Syriæ, ab Achab rege Jsraël victum, sui dixêre servi: Ecce audivimus quòd Reges domûs Jsrael clementes sint &c. Unde obtentâ veniâ ab Achab, dimissus est Benadad. Quam ob rem Propheta ad Achab: Hæc dicit Dominus, Quia dimisisti virum morte dignum de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. *S. Augustinus*: Molestus est, & crudelis videtur medicus furenti phrenetico, & Pater indisciplinato filio: ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potiùs falsa mansuetudo vera crudelitas est. *S. Gregorius*: Plerumque dissoluta remissio, quasi mansuetudo & pietas reputatur, & dum plus quàm decet, delinquentibus temporaliter parcitur, ad æterna supplicia crudeliter reservantur. *S. Bernardus*: Considero labores vestros, Fratres, non sine magno miserationis affectu. Quærò consolationem quam exhibere possim: & corporalis occurrit: Sed ea non prodest quidquam, magis & obesse plurimum potest: Siquidem modica sementis detractio, non modicum messis est detrimentum: & si pœnitentia vestra minuatur miseratione crudeli, paulatim gemmis corona vestra privatur.

3. Reg. 20. *S. Aug. Epist. 50. ad Bonif.* *S Greg. regi. lib. 12. ind. 4. ca. 26* *S. Bern. in Prolog. super Psal. Qui habitat.*

2dum Oppositum clementiæ *per Excessum* est *Impuritas*, de qua alibi.

3tium Oppositum clementiæ per Defectum est Crudelitatis vitium, quo aliquis excedit modum in poenis infligendis. Dicitur; *crudelitas*: à cruditate, sicut enim ea quæ sunt cocta & digesta, solent habere suavem & dulcem saporem; ita illa, quæ sunt cruda, habent horribilem & asperum saporem. Dictum est autem suprà, quòd clementia importat quandam animi lenitatem sive dulcedinem, per quam aliquis est diminutivus pœnarum. Unde directè crudelitas clementiæ opponitur. Dicitur; *quo aliquis excedit modum &c*: per quod crudelitas differt à sævitia seu feritate: quia crude-

l. 2. tra. 2. c. 3. sec. 15. § 3. & c. 6. sec. 5. subs. 13. *V. D. Thom. 2. 2. q. 159.* *V. Ibid. a. 1.*

crudelitas attendit ad culpam, in cuius pœna modum adùm rationem non servat. Sævitia verò nullâ habitâ ratione culpæ, solis pœnis delectatur, vel ex mala consvetudine, vel ex rationis corruptione, more bestiarum quæ nocentes hominibus, illorum corporibus pascuntur. Opponitur sævitia dono pietatis, quia opponitur non directè clementiæ, sed superexcellentiori virtu-
Lib. 7. Ethic. ti quam Philosoph. vocat heroicam vel divinam, quæ adùm nos videtur pertinere ad dona Spiritus Sancti.

Prov. 11. *Contra crudelitatem.* Prov: Benefaciat animæ suæ vir mi-
Prov. 12. sericors, qui autem crudelis est etiam propinquos abiicit. *Item* Novit Iustus jumentorum suorum animas; viscera autem
Zacha. c. 1. impiorum crudelia. *Zacharias:* Zelatus sum Jerusalem, & Sion zelo magno, & irâ magnâ ego irascor, super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum (*id est moderatè contra Jerusalem*) ipsi verè adiuverunt in malum)) *opprimentes excessivè à me affli-*
Esther. c. 3. *ctos.* *Esther.* Crudelitas fuit magna, quâ impetravit à Rege Assuero Aman ut omnes Judæi delerentur à puero usque ad senem, parvuli & mulieres unâ die, & bona eorum diriperentur; Sed eiusmodi sævitia soluta est ipsi Amano & suæ posteritati per
Cassiod. in Psal. 10. altissimum & ignominiosissimum patibulum. *Cassiodorus:* Quid prodest crudelibus persequi, quos vident persecutionibus sem-
S. Cyprianus per augeri. *S. Cyprianus:* O humanæ malitiæ detestanda crudelitas! Feræ parent (*Leones Danieli in lacu*) aves pascunt (*Corvi Eli-*
S. Greg. lib. 12. *am in deserto*) & homines insidiantur, & sæviunt! *S. Gregorius:*
regest. ind. 7. Valde est iniquum, ut qui te plus amaverunt, ipsi te sine causa atrociorem contra se sentiant.

1. 2. tra. 1. c. 1. se c. 4. subs. 2. §. 2. & 3. *Ad Praxim detestandæ ac cavendæ Crudelitatis applica proportionatè supradata.*

SUBSECTIO VII.

De Modestia.

V. D. Tho. 2. 2. q. 160. a. 1. Ibid. a. 1. **M**Odestia, *est virtus moderativa passionum, in superando faciliorum.* Ratio est: quia temperantia moderationem adhibet circa ea, in quibus difficillimum est moderari, scilicet, con-

cet, contra concupiscentias delectationum tactûs. Ubicunq; autem est aliqua virtus specialiter circa aliquod maximum, oportet esse aliam virtutem circa ea, circa quæ mediocriter se habeat: eò quòd oportet, quantum ad omnia, vitam hominis ꝛdùm virtutes esse regulatam: sicut suprà dictum est, quòd magnificentia est circa magnos sumptus pecuniarum, præter quam est necessaria liberalitas, quæ sit circa mediocres sumptus. Unde necessarium est, quòd sit quædam virtus moderativa in aliis mediocribus, in quibus non est ita difficilè moderari. Et hæc virtus vocatur modestia, & adjungitur temperantiæ tanquam principali. Species modestiæ sunt: Humilitas, studiositas, modestia in verbis, vel in factis, modestia circa exteriorem cultum. *Ibidem a. 2.*

Incitamenta Modestiæ. *Prov.* Finis modestiæ timor Domini, divitiæ, & gloria, & vita. Ab *Apostolo* Modestia inter fructus Spiritûs Sancti numeratur. *Idem:* Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus propè est. *S. Ambrosius.* Magna virtus Modestia, quæ cùm sit etiam sui Juris remissior, nihil sibi vendicans, & quòd modo intra suas vires contractior, dives est apud DEUM. *Idem.* In modestia maximè tranquillitas animi, studium mansuetudinis, moderationis gratia, honestatis cura, decoris consideratio spectatur & quæritur. *Idem.* Teneamus verecundiam, & eam quæ totius vitæ ornatum attollit modestiam. *Prov. 22.* *Galat. 5.* *Philip. 4.* *S. Ambros. de offic. lib. 1. 18. Tom. 4.* *Ibidem c. 43.* *S. Ambr. c. 45. Tom. 1.*

Praxis Modestiæ perficitur exercitio sequentium virtutum.

SUBSECTIO VIII.
De Humilitate.

HUmilitas, *est virtus directiva & moderativa appetitûs, nè inordinatè animus extollatur.* Dicitur; *humilitas* seu *humilis*, juxta Isido: lib. 1. quasi humi acclivis id est imis inhærens, puta cùm aliquis considerans suum defectum tenet se in infimis ꝛdùm suum modum, sicut Abraham dixit ad Dominum Gen. 18. Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis. Dicitur; *virtus;* quia circa appetitum boni ardui necessaria est duplex virtus; una *V. D. Thom. 2. 2. q. 161.* *Ibid. a. 1.*

tus; una quæ temperet, & refrænet motum spei, seu animum tendentem in rationem boni ardui, nè immoderatè tendat in excelsa, & hoc pertinet ad virtutem Humilitatis. Alia verò, quæ firmet animum contra motum desperationis, ob difficultatem consequendi boni ardui, impellatquè ad prosecutionem magnorum, 2dùm rationem rectam: & hæc est Magnanimitas. Differt autem magnanimitas ab humilitate, quòd humilitas reprimat appetitum, nè tendat in magna præter rationem rectam: Magnanimitas autem ad magna impellit 2dùm rationem rectam. Dicitur; *directiva & moderativa* &c. Quia ad humilitatem propriè pertinet ut aliquis reprimat seipsum, nè feratur in ea, quæ sunt supra se. Ad hoc autem necessarium est, ut aliquis cognoscat id, in quo deficit à proportione ejus, quod suam virtutem excedit. Et ideo cognitio proprii defectus pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiva appetitûs: sed in ipso appetitu consistit humilitas essentialiter. Et ideo dicendum est, quòd humilitas propriè est directiva & moderativa motus appetitûs.)) Dicitur; *nè inordinatè animus extollatur.* Extollitur autem animus contra DEUM, vel contra proximum. Contra DEUM 2dum quod v. g. homo tendit in aliqua majora ex propriarum virium confidentia, sine confidentia divini auxilii. Et prout August. dicit: lib. 1. de pœnit. tom. 1. Aliud est se levare ad DEUM, & aliud elevare se contra DEUM. Qui ante illum se projicit, ab illo erigitur: qui se adversus eum erigit, ab illo projicitur)) Unde extollentia hæc ut caveatur, cognoscenda est infinita excellentia DEI, tum infinita vilitas hominis, quatenus ex hoc duplici motivo humiliet sese homo abyssaliter sub potenti manu DEI. Contra proximum verò nè quis extollatur, consideranda sunt duo in homine, scilicet id quod est DEI, & quod est hominis. Hominis autem est, quidquid pertinet ad defectum. Sed DEI est, quidquid pertinet ad salutem & perfectionem: secundùm illud Oseæ. 13. Perditio tua Israel ex te est, ex me tantùm auxilium tuum. Humilitas autem propriè respicit reverentiam, quâ homo DEO subjicitur: & ideo quilibet homo 2dùm id quod suum est, debet se cuilibet proximè subjicere, quantùm ad id quod est DEI in ipso. Unde debemus non solùm revereri DEUM in seipso,

Ibid. a. 3.

Ibidem a. 2.

D. Tho. 2. 2. q. 161. a. 3.

Ibid. a. 3. ad. 1.

seipso, sed etiam id quod est ejus, debemus revereri in quolibet. Non tamen eo modo reverentiæ, quo reveremur DEUM. Et ideo per humilitatem debemus nos subjicere omnibus proximis propter DEUM juxta illud 1. Petr. 2. Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter DEUM: Latriam tamen soli DEO debemus exhibere. Neque hæc reverentia & subjectio erga proximum procedit ex aliqua falsitate, quâ opinamur alios nobis meliores, quibus juxta defectus nostros sumus viliores. Unde S. August. in lib. de Virgin. Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores.)) Ratio autem ulterior hujus est; quia homo debet esse judex sui ipsius (juxta Apostol. *Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur*) non verò judex alterius: ut idem Apostolus insinuat. *Tu quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.* (nisi id alicui ex officio suo incumbat) Porrò effectus horum Judiciorum ille esse debet, quem præfatus Doctor gentium assignat dicens. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitramini.* Appositè S. Anselmus: *Quia nonnunquam ideo extollimur quia nos aliis non rectè comparamus, videndum est nobis, quo id modo, facere debeamus. Si enim nos aliis volumus comparare, ea tantùm debemus considerare, quæ à nobis sunt in nobis, non à DEO, quasi præstita nobis. Sic namque agit, qui de bonis à DEO sibi præstitis, super alium extollitur, velut qui vestibus alienis indutus gloriatur: non ergo hæc aliorum bonis comparare debemus, sed mala tantùm nostra, quæ à nobis sunt in nobis: quod si fecerimus, mala videlicet nostra bonis aliorum ut conferamus, inferiores esse cæteris omnibus nobis ipsis videbimur.* Idem facere possumus non modò respectu omnium hominum etiam pessimorum, verùm & respectu aliarum quarumvis creaturarum physicè vel moraliter defectuosarum, etiam ipsius Luciferi & Antichristi, ut ipsis se quis viliorem & pejorem existimet: de quo mox *infrà, suprà quoque dictum* 1. 2. *tra.* 1. *cap.* 1. *sec.* 4. *subs.* 1. §. 7. *de cognitione sui.*

Ibid. a. 6. ad 1.

C. 52. parum a medio to. 6.

1. Cor. 11.

Rom. 14.

Philipp. c. 2.

D. Anselmus de similitud. c. 109.

Gradus Humilitatis.

HUmilitas inquantùm dicit respectum ad aliquid aliud, per quod humilitas major vel minor manifestatur, ejus duplex

V. in simili D. genus graduum potissimum enumeratur. *1mi generis* sunt illi *duo-*
Thom. 2. 2. q. *decim gradus*, quos S. Benedictus ascendendos proponit: Nimi-
161. a. 6. rum *1mus* humilitatis gradus est, Timor DEI, & memoria man-
Regul. c. 7. datorum ipsius. Nam timor Domini, memoriaquè mandatorum ejus, est principium humilitatis, aliarumquè virtutum, uti
Eccl. c. 1. dicitur: Initium sapientiæ timor Domini. Siquidem timor DEI, ac ejus mandatorum memoria præsupponunt cognitionem summæ excellentiæ & dominii DEI, & cognitionem humanæ defectibilitatis, ob quam etiam à DEO dependet; quam cognitionem sequitur timor DEI, timorem verò reverentia erga Deum subjectio hominis ad ipsum, quæ sunt principia humilitatis.

2dus Humilitatis gradus est: Nè quis inordinatè propriam excellentiam quærat per sequelam voluntatis propriæ.

3tius. Ut eandem voluntatem subjiciat, reguletquè per obedientiam ad arbitrium Superioris.

4tus. Ut non recedat ab eadem obedientia etiam in duris & asperis.

5tus. Ut suos defectus coram suo superiore minimè celet.

6tus. Ut omni vilitate & extremitate sit contentus, & se esse malum operarium & indignum ad omnia judicet.

7mus. Ut se omnibus inferiorem & viliorem non solùm suâ lingvâ pronunciet, sed & intimo cordis credat affectu.

8vus. Ut caveat singularitates, & communem honestæ vitæ sequatur modum.

9nus. Ut non loquatur usque ad interrogationem.

10mus. Ut non sit facilis & promptus in risu.

11mus. Ut loquatur leniter & sine risu, humiliter, cum gravitate, pauca verba & rationabilia.

12mus. Ut in omni loco, ubi ubi, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, reum se omni horâ de peccatis suis existimans, jam se tremendo judicio DEI præsentari æstimet: di-
Luc. 18. cens cum illo Evangelico Publicano: Domine, non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad cælum.

In his itaque gradibus videre est, quomodo ipsa interior humilitas dicat respectum ad aliquid aliud sui manifestativum,

uti in primo gradu ad Timorem DEI tanquam sui originem: in *2do*, *3tio*, & *4to*, ad Obedientiam tanquam humilitatis individuam comitem: *in 5to*, *6to*, *7mo*, *9no*, *10mo*, *11mo*, ad Verba internæ humilitatis insinuativa; in *6to*, & *8vo*, ad Facta ejusdem humilitatis manifestativa, in *12mo*, ad Gestus humilitatem prætendentes.

Deinde majoritas & minoritas horum graduum sumi videtur ex conditionibus virtutis, quæ eò excellentior patet, quò circa difficiliora versatur, vel in remotiora agit. Et ita virtutem exercere gestu quodam continuo, uti est ex humilitate semper esse inclinato capite, est difficilius, quàm subinde factis eandem virtutem formare, factis deinde difficilius quàm verbis circa eandem virtutem agere: similiter virtus remotiùs agit in gestus, quàm in facta, & in facta quàm in verba. Quod autem in iisdem gradibus transponuntur modò verba factis, modò facta verbis; hoc videtur evenire ex difficultate exercitii eorundem. Nam v. g. esse in gradu 9. 10 11 est multò majoris difficultatis, quàm in 8vo. Cùm 8vum etiam imperfectiores observare queant, jam vero, 9. 10. 11 est materia perfectorum virorum. *Qui enim in verbo non offendit, hic perfectus est vir.*)) Pro aliis similiter gradibus partim hæ, partim aliæ rationes serviunt, quas ut minus necessarias omittimus. *Jac. 3.*

Ad hoc genus graduum humilitatis pertinent illi quos statuit S. Anselmus dicens: *Primus humilitatis gradus est; Cognoscere contemptibilem se esse. Et quia sunt quidam, qui contemptibiles se esse agnoscunt, sed inde non dolent: 2dus est; Dolere contemptibilem se esse. Quia verò sunt alii, qui se contemptibiles dolent, sed confiteri nolunt: 3tius est; Confiteri se contemptibilem esse. At verò quia rursus sunt alii qui se contemptibiles confitentur, sed nolunt, ut ita credatur: 4tus est; Persuadere contemptibilem se esse. Sed quia quidam contemptibiles volunt credi sed hoc nolunt dici: 5tus est; Patienter pati, ut comtemptibilis dicatur. Sed quia quidem patiuntur, ut contemptibiles dicantur, sed tamen pati nolunt, ut contemptibiliter tractentur: 6tus est; Pati ut contemptibiliter tractetur. Sed quoniam & hoc quidam, sed inviti patiuntur 7mus est; Amare, ut contemptibiliter tractetur. Ubi postquam quis ascenderit, clara est in luce; id est, in perfecta sui cognitione.* *S. Anselm. de simil. c. 10. & seq.*

V. D. Thom. 2.2. q. 161. a. 6. objectione 4. 2di *Generis Gradus* humiltatis enumerantur per comparationem ad gradus hominum, qui sunt vel majores, vel minores, vel æquales; Ejusmodi gradus insinuantur à Glossa super Matth. 3. *Perfecta humilitas tres habet gradus. 1mus est; subdere se majori, & se non præferre æquali, qui est sufficiens. 2dus est; Subdere se æquali, nec præferre se minori, & hic dicitur abundans. 3tius gradus est; subesse minori, in quo est omnis justitia.*

Gradus Humilitatis ex aurea Formula Seraphici Doctoris de grad. virtut. c. 3.

Graduũ humilitatis ordo. I. *Matth. 3. d.* HUmiltatis altus gradus est, cùm aliquis sponte subiicit se majori, hæc est debita. Altior, cùm subiicit se pari; hæc abundans est. Altisimus, cùm subiicit se minori, hæc superabundans est. In hoc ultimo gradu, fuit Chrustus, cùm veniens ad Iordanem subiecit se Ioanni, dicens: Sine modò, sic enim decet nos adimplere omnem justitiam, id est, humilitatem superabundantem, ut dicit Glossa.

II. Item altus gradus est, cùm aliquis habet humilitatem in verbis. Altior cùm in factis. Altissimus, cùm habet humilitatem in corde. Ibi enim est virtus, sed non in verbis vel factis. Quandoquidem enim est, qui se nequiter humiliat, verbis, vel factis, vel gestibus, vel vestitu, vel incessu. Christus verò fuit humilis in corde, cùm diceret: Discite à me &c: Humilis in verbis, cùm diceret: Ego sum vermis, & non homo. Et mea doctrina, non est mea &c. Et verba quæ ego loquor, à me ipso non loquor. Humilis in factis, cùm se inclinavit ad pedes Apostolorum in lotura.

Matth. 11. d. Psal. 21. b. Joann 7. d. Idem 14. b.

Item altus gradus humilitatis est, humiliare se propter magnitudinem & multitudinem defectuum, juxta illud Prophetæ: Humiliatio tua in medio tui: id est materia humiliationis sit in corde tuo, scilicet defectus tui. Altior est, humiliare se propter abundantiam virtutum, & donorum Spiritualium: Sicut arbor nobilis inclinatur ex abundantia fructuum. Unde dicitur. Quanto major es, humilia te in omnibus. Altissimus, propter imitationem exempli humilitatis Christi.

Item

Item altus gradus eſt, humiliare ſe de omnibus malis commiſſis. Altior, de omnibus bonis omiſſis. Adhuc altior, de omnibus deturpatis. Altisſimus, de omnibus bonis in vacuum perceptis. Iſte ordo ſumitur ex raritate. Quantò enim gradus eſt rarior, tantò videtur altior. In nullo iſtorum fuit Chriſtus, quia nihil mali commiſit, & nihil boni omiſit, & nihil boni deturpavit, nihil in vacuum recepit. IV.

Item altus gradus eſt, tam vilem ſe reputare, ſicut verè eſt in oculis DEI. Altior, ſicut vilis eſſe potuit coram DEO, ſi Dominus non caviſſet. Alisſimus, ſicut vilis adhuc fieri poſſet, ſi Dominus à tentationibus non cuſtodierit. V.

Motiva Humilitatis. 1mum. *Pſal.* Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit preces eorum. *Idem.* Quis ſicut Dominus Deus noſter; qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? *Idem.* Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem: ut collocet eum cum Principibus. *Idem.* Cuſtodiens parvulos Dominus: humiliatus ſum & liberavit me. *Prov.*: Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. *Ibidem.* Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur. *Ibidem.* Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. *Eccl.* Humilia valde ſpiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii, ignis & vermis. *Eccl.* Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam, quoniam magna potentia DEI ſolius, & ab humilibus honoratur. *Eccl.* Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet non conſolabitur, & non diſcedet donec Altisſimus aſpiciat. *Eſa.* Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? *Chriſtus:* Qui ſe humiliaverit, exaltabitur. *Idem:* Sinite parvulos venire ad me, & nolite eos prohibere, talium enim eſt regnum cælorum. Quicunque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic major vocabitur in regno cælorum. *Apoſtolus*: Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed per humilitatem ſuperiores ſibi invicem arbitrantes. *Petrus Apoſtolus*: Humiliamini ſub potenti manu DEI, ut vos exaltet in tempore viſitationis.

Pſal. 101. *Idem* 112. *Idem* 116. *Prov.* 29. *Ibidem* 15. *Ibidem* 29. *Eccl* 7. *Idem* 3. *Idem* 35. *Eſa.* 66. *Matth.* 23. *Idem.* 18. & 19. *Philipp.* 2. 1. *Petr.* 5.

2*dum.* Excelſa eſt Patria, humilis eſt via. Ergo qui quærit pa- *S. Auguſt. ad Dioſcorum.*

rit patriam, quid recusat viam? *Idem*: Humilis si eris, tutior ambulabis, non præcipitaberis, non laberis. *S. Joannes Chrysostomus*: Velle esse super omnes, vituperabile est, sustinere autem alterum super se nimis gloriosum. *S. August.* In summo honore summa tibi sit humilitas. Honoris laus est humilitatis virtus. *S. Basilius*: Humilitas est totissimus virtutum omnium thesaurus. *S. Bernardus*: Est custos pudicitiæ, & mater patientiæ. *Cassianus*: Est totius spiritualis structuræ solidissimum fundamentum. *S. Leo*: Est tota christianæ sapientiæ disciplina. *S. Gregorius*: Qui sine humilitate virtutes congregat, in vento pulverem portat, & unde aliquid ferre cernitur, inde deterius cæcatur. *Idem*: Mens quæ divino Spiritu impletur, habet evidentissimè signa sua: virtutes scilicet & humilitatem; quæ si utraque in una mente perfectè conveniunt, liquet, quòd de præsentia S. Spiritus testimonium ferunt. *S. Bernardus*: Humilitas meretur, ut homo virtutes occupet, quia humilibus DEUS dat gratiam. Servat accepta, quia non requiescit Spiritus Sanctus, nisi super quietum & humilem. Servata conservat: nam virtus in humilitate & infirmitate perficitur. Inimicum omnis gratiæ, omnisquè peccati initium superbiam debellat. *Idem*: Recta facere, & inutilem se reputare, apud paucos invenitur. *Idem*: Virtutum stabile fundamentum est humilitas, quæ si omittitur, virtutum congregatio nonnisi ruina est. *Idem*. Valles abundabunt frumento. Audis quia ubique vallis laudatur, ubique humilitas prædicatur. Ibi plantate ubi decursus aquarum, quia ibi copia gratiæ spiritualis: & aquæ quæ super cælos sunt, laudant nomen Domini, id est cælestes benedictiones faciunt ut laudetur. Stemus in hac charissimi; & plantati stemus, ut non arescamus, non moveamur quocunquè flatu, sicut scriptum est: Si spiritus potestatem habentis super te irruerit, locum tuum nè deseras. Nulla enim tentatio in vobis prævalebit, si non in magnis & in mirabilibus super vos ambuletis, sed permaneatis radicibus firmis in humilitate radicati atque fundati. Sic fuit plantatus secus decursus aquarum sanctus iste Confessor Domini (S. Benedictus) quoniam fructum suum dedit in tempore suo. *Idem*: Magna & rara virtus est, ut magna licet operantem, magnum te

nescias

Idem super Matth. ser. 59.

Joan. Chrysost. super Matth. homil. 3.

S. Aug. to. 10, ser. 12. ad frat. in Erem.

S. Basil. const. Mon. c. 17.

S. Bern. tra. de ord. vitæ.

Cass. Coll. 19 c. 12.

S. Leo ser. 7. Epiph.

S Greg. in Evang. homil. 7.

Idem lib. 1. dial. cap. 1.

S. Bernard. in Epist.

Idem in Epist. ad Eugenium.

Idem de consid. lib. 5.

Idem ser. de S. Benedicto Abbate.

Idem serm 13. de gloria & laude.

nescias, & manifestam omnibus, tuam te solùm latere sanctitatem: Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus, mirabilius judico. Fidelis revera famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nihil tuis manibus adhærere contingat. Tunc juxta Prophetam: Projicis avaritiam ex calumnia, excutis manum tuam ab omni munere. Tunc juxta mandatum Domini: Lux tua lucet coram hominibus, ad glorificandum non te, sed Patrem qui in cælis est. Sed & imitator Pauli fideliumquè Prædicatorum non prædicantium semetipsos, æquè nec tu quæ tua sunt quæris, sed quæ JESU Christi. Quamobrem audies & tu: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. *Idem*: Humilitas in honore, honor est ipsius honoris, & dignitas dignitatis: omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignatur. Si egregi⁹ es, esto tamē de grege: si omnib⁹ præes, non dedigneris subesse. *D. Thomas*: Humilitas post Theologicas, & intellectuales, ac justitiam, aliis virtutibus potior est: quia bonum humanæ virtutis in ordine rationis consistit: qui quidem principaliter attenditur respectu finis. Unde virtutes Theologicæ quæ habent ultimum Finem pro objecto, sunt potissimæ: secundariò autem attendit, prout secundùm rationem finis ordinantur ea, quæ sunt ad finem. Et hæc quidem ordinatio essentialiter consistit in ipsa ratione ordinante: participativè autem in ipso appetitu per rationem ordinato. Quam quidem ordinationem universaliter facit justitia præsertim legalis. Ordinationi autem facit hominem benè subjectum, humilitas in universali, quantùm ad omnia: quælibet autem alia virtus quantùm ad aliquam materiā specialem: Et ideo post virtutes Theologicas & virtutes intellectuales: quæ respiciunt ipsam rationem: & post justitiam, præsertim legalem, potior cæteris est humilitas. *S. Augustinus*: Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis. *Ratio est ex D. Thoma*: Quia sicut ordinata virtutum congregatio per quandam similitudinem ædificio comparatur; ita etiam illud quod est primum in acquisitione virtutum, fundamento comparatur. quòd primum in ædificio jacitur. Virtutes autem veræ infun-

Idem ser. 34. in Cant.

V. D. Tho. 2. 2. q. 161. a. 5.

S. Aug. de verbis Domini.

V. D. Tho. 2. 2. q. 161. a. 5. ad 2.

duntur à DEO. Unde primum in acquisitione virtutum potest accipi dupliciter. Uno modo, per modum removentis prohibens. Et sic humilitas primum locum tenet, inquantùm scilicet expellit superbiam, cui DEUS resistit, & præbet hominum subditum & patulum ad suscipiendum influxum divinæ gratiæ, inquantùm evacuat inflationem superbiæ: unde dicitur Jacobi quarto quòd DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et secundùm hoc humilitas dicitur spiritualis ædificii fundamentum. *Idem*: Contemnenti terrena, promittuntur cælestia, sicut contemnentibus divitias terrenas, promittuntur cælestes thesauri: 2dùm illud Matth. 6. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed thesaurizate vobis thesauros in cælo. Et similiter contemnentibus mundi gaudia, promittuntur consolationes cælestes. 2dùm illud Matth. 5. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Et eodem modo humilitati promittitur spiritualis exaltatio: Patet id ex suprà citatis locis script. &c. non quia sola ipsam mereatur, sed quia ejus est proprium contemnere sublimitatem terrenam. Unde Aug. dicit in lib. de Pœnitentia. Nè putes eum, qui se humiliat semper jacere, cùm dictum sit, exaltabitur: & nè opineris ejus exaltationem in oculis hominum per sublimitates fieri corporales. *S. Climacus*: Quoties aliquem vel videris, vel audieris intra paucos annos altissimam tranquillitatem (quâ obtentâ perfectio obtinetur) acquisivisse, noli tunc existimare aliam, quam hanc beatam celeremquè viam humilitatis pedibus ambulâsse. Humilitas sanè est tanquam terra. *Beata Angela de Fulginio* dixit. Quanto anima magìs afflicta, & depauperata, & humiliata est interius tantò magìs aptatur & purificatur, ut allevetur magìs: quia nulla anima potest aliter ac plus elevari, nisi quantùm humiliatur & profundius in humilitate complanatur & radicatur. *Ibidem*: Quædam merita non sunt ex hoc æstimanda, si quis plures visiones aut revelationes habeat, vel peritus sit in scripturis, aut in altiori ponatur gradu, sed si verâ fuerit humilitate ac charitate repletus: si DEI honorem purè, & integrè semper quærat, si seipsum nihil reputet vel in veritate despiciat, & ab aliis etiam despici & humiliari magìs gaudeat, quàm honestari. *S. Basilius*:

V. Ibidem D. Thom. a 5. ad 5.

1. Aug. in lib. de pœnitentia medio c. 1. post medium tom. 9. Vita c. 19.

S. Basil. in ascet. dè abdic. rerum.

Anima

Animi in virtute progressus, in humilitate progressus est.)) Hinc rectè quidam: Vis esse sanctus? sis humilis: vis esse sanctior? sis humilior: vis esse sanctissimus? sis humillimus. *S. Laur*: Cùm humilitatis virtus animam repleverit, dejecerit, liquefecerit, tunc incipit dilatari dilectione, irradiari veritate, repleri lumine, elevari spiritu. *S. Leo*: Tota victoria Salvatoris, quâ & diabolum superavit & mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta. *S. Bernardus*: Humilitas magna virtus, quæ meretur, quod non docetur. *S. Isidorus*: Esto parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis DEI Tantò enim eris apud DEUM pretiosior, quanto fueris in oculis tuis despectior. *S. August*: Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. S. Abbas Antonius videns omnes laqueos inimici super universam terram explicatos: cùm suspirans, dixisset: *Quis posset hos evadere?* Vocem ad se dicentem audivit: *Humilitas sola pertransit, Antoni, quam nullo modo valent contingere.*

V. Dobrosiel. comp. Theol. S. Laur. Just. de casto connubio. S Leo s. 7. de Epiph. S. Bern. s. 85. in Cant. S. Isidor. in Synon. S. Aug. tr. 104. in Jo. Ex lib. sent. Patr. § 121.

3tium. DEUS Homo Idea & Magister humilitatis dicit: En discite à me, quia mitis sum & humilis corde. *Item*: Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, sit vester servus. Sic Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare; & dare animam suam in redemptionem pro multis. *Item*: Vos vocatis me Magister & Domine, & benè dicitis; sum etenim. Si ergo lavi pedes vestros Dominus & Magister: & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. *Apostolus*: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo JESU: qui cùm in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & DEUS exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine JESU omne genu flectatur cælestium terrestrium, & infernorum, & omnis lingva confiteatur, quia Dominus JESUS Christus in gloria est DEI Patris. *S. Augustinus* infert Christum dicentem: Discite à me, non

Matth. 11. Idem 20. Joan. 13. Philip. 2. S August de verb. Domini.

mundum fabricare, non cuncta visibilia & invisibilia creare, non in ipso mundo miracula facere, & mortuos suscitare: sed quoniam mitis sum & humilis corde. Cogitas magnam construere fabricam celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.

S. Bern. serm. 2. de Ascensione.

S. Bernardus: Dilectissimi perseverate in disciplina quam suscepistis, ut per humilitatem ad sublimitatem ascendatis, quia hæc est via, & non est alia præter ipsam. Qui aliter vadit, cadit potiùs quàm ascendit, quia sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam. Christus enim cùm per naturam Divinitatis non haberet quo cresceret vel ascenderet, quia nihil ultra DEUM est; per descensum quomodo cresceret invenit, veniens incarnari, pati, mori, nè moreremur in æternum, propter quod DEUS exaltavit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram DEI. Unde & tu fac similiter. Neque enim ascendere potes, nisi descenderis, quia ut æternâ lege fixum est: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

S. Bonavent. med. vitæ Christi c. 9.

S. Bonaventura: Sed nunquid circa humilitatem aliquid attendisti? si benè advertitur etiam humilitatis cernitur profunditas. Sunt enim qui se viles & abjectos reputant in animo suo, & in oculis suis non extolluntur, sed non sic volunt esse in oculis aliorum, nec patiuntur ab aliis vilipendi vel derideri, & suam vilitatem vel defectus nolunt aliis innotescere nè vilipendantur. Non sic fecit Puer JESUS omnium Dominus, qui & aliis & suis sua vilia patere voluit, & non plus parvis & paucis, sed magnis & multis, scilicet regibus & sociis eorum quàm pluribus, & in tali casu vel tempore, in quo multum erat timendum. Nam cùm illi (scilicet tres Reges) adorare Christum in Bethlehem venirent, ut invenirent Regem Judæorum, quem etiam DEUM esse putabant, nè talibus de ipso visis, reputantes se fatuos & illusos, recederent sine fide & devotione, sed non dimisit humilitatis amator dans nobis exemplum, nè sub specie alicujus apparentis boni recedamus ab humilitate: & quòd discamus etiam in aliorum oculis viles & abjecti velle apparere.

S. Bonav. med. vitæ Chr. c. 15.

Idem: Conspice eum sedentem inter Doctores vultu placido, sapienti & reverenti, & audiebat & interrogabat eos, quasi ignorans, quod ex humilitate faciebat, & etiam nè illi verecundarentur super mirabilibus responsis ejus.

Ibidem.

Ibidem: Magister ergo summus, aliquando docturus virtutes & viam vitæ, cœpit à juventute sua opera facere virtuosa, sed modo mirabili & incognito, & retroactis temporibus inaudito, se videlicet reddendo in conspectu hominum inutilem & abjectum, & insipientem, ut devotè sine omni temeraria assertione cogitari potest. *Ibidem*: Mirabantur cuncti cernentes juvenem tam speciosum, nîl facere, quod apparebat laude dignum. Expectabant enim quòd magnifica faceret, & opera probi viri, cùm enim puer erat, proficiebat ætate & sapientiâ coram DEO & hominibus. Sed & crescens & perveniens à duodecimo anno ad trigesimum & ultra, nulla opera faciebat prætendentia speciem aliquam probitatis & virilitatis: stupebant vehementer & irridebant eum dicentes. Iste est quidam inutilis, ipse est idiota, & homo de nihilo, & stultus, est insipiens, nec etiam literas discit, & inter gentes in proverbium venit; quòd erat grandis & captivus. Et hunc vivendi morem sic tenaciter tenebat & continuabat, quòd apud omnes communiter erat vilis, & abjectus reputabatur. Quod benè ante per Propheram dictum fuit in persona ejus: Ego sum vermis, & non homo. Vides ergo quid faciebat, nîl faciendo reddebat se vilem, ut dixi, omnibus. Sed an hoc tibi parum videtur? ipse quidem non indigebat, sed ego. Certè in operibus majus nullum reputo, nec difficilius cognosco. Ad Altissimum gradum mihi pervenisse videtur qui ad hoc pervenit, ut ex corde & animo vero non ficto ita se vincit ac dominatur animo suo, superbo supercilio carnis suæ, quòd nolit aliquid reputari, sed sperni, ut abiectus & vilis. Majus hoc est quàm vincere urbes; juxta sententiam Salomonis dicentis: Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Usquè ergo quòd pervenias ad hunc gradum, nihil tibi videaris fecisse; nam cùm in veritate omnes sumus inutiles, etiam cùm omnia benefecerimus juxta verbum Domini. Quousque in hoc abjectionis gradu non sumus, adhuc in veritate non sumus, sed in vanitate consistimus & ambulamus. Quod etiam Apostolus manifestè ostendit dicens: Qui existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Si ergo quæras quare Dominus JESUS hoc fecit? respondeo tibi: non quia indigeret, sed ut nos instrueret.

S. Bon. med. vitæ Christ. c. 15.

Idem ibid.

Psal. 21.

eret. Unde si non discimus, inexcusabiles sumus. Abominabile prorsus est si se erigit vermiculus, & vermium esca futurus, ubi sic se humilians, abjecit Dominus Majestatis

B. Angela de Fulginio vita. c. 17.

B. Angela de Fulginio supra illa verba Christi: Discite à me quia mitis sum & humilis corde ait. O Filii mei attendite & videte, & altâ & sapidâ consideratione inspicite profunditatem, & utilitatem istius doctrinæ, sublimitatem & valorem istius instructionis, ubi radicata sit, ubi fundata sit: Discite, inquit, à me, non ab Angelis, non ab Apostolis, sic à me, inquit, cuius humilitas tantò major, quantò majestas mea sublimior. Discite, inquit, à me, non jejunare, quamvis ipse ad exemplum nostrum quadraginta diebus & noctibus iejunaverit, nec dixit: Discite mundum spernere, nec, in paupertate vivere, quamvis ipse in maxima paupertate vixerit, & in ea vivere suos discipulos mandaverit: nec dixit: Discite à me, quomodo cælum feci: nec dixit: Discite à me miracula facere, quamvis ipse ex propria potentia miracula faceret, & suos Discipulos in nomine suo miracula facere voluisset: nec alia huiusmodi, sed solùm hoc. Quia mitis sum & humilis corde: quasi dicat si non facto & opere vobis humilitatis exemplum monstraverim, nolite credere mihi.

Ibidem

Et infra: O Filioli mei, in quo requiem sive pacem creatura aliqua poterit invenire, nisi in eo, in quo est summa requies, summa pax, summa pacificatio, summa tranquillitas animorum? Ad quam nulla anima pervenire poterit, nisi fundata fuerit in ista humilitate, sine qua omnes virtutes, quibus ad DEUM curritur, sunt verè nihil. Ista enim humilitas cordis quam suos habere & discere voluit DEUS Homo, est lumen quoddam mirificum atque clarum, quo intellectus animæ aperitur ad cognoscendum suam vilitatem, & nihileitatem, & divinæ bonitatis immensitatem. Cuius magnitudinem bonitatis quantò magis cognoverit, tantò magis proficiet in cognitione sui ipsius. Videndo autem & cognoscendo se nihil, & omnibus ex se bonis inopem, tunc magis assurgit ad laudandam & deprædicandam divinæ bonitatis ineffabilitatem, quam per istam humilitatem videt, & intelligit, & inde incipiunt gratiæ ad eam DEI defluere, & oriri virtutes.

Ibidem

Et infra: Complete Filii mei desiderium Regis æterni Domini nostri

nostri IESU Christi, qui vos ita obnixè rogavit, ut hanc virtutem ab eo addisceretis. In hoc fundamento stetis, & in hac profunditate cognitionis vestræ vilitatis & nihileitatis profundemini. Complete desiderium æternæ Veritatis & Sapientiæ, quæ valorem humilitatis abscondit à seculi sapientibus, & non revelavit, jam verò prædicavit, & exemplo ostendit parvulis. Hoc est desiderium meum quo vehementer sitio & famesco, ut in profunditate vestræ nihileitatis, & immensitate divinæ bonitatis abyssemini.

Eadem *B. Angela* altissimis revelationibus & illustrationibus divinis clarissima, docet, quomodo Christus Dominus vivens in terris tres, potissimum Societates sibi adjunctas habuerit, nempe voluntariam Paupertatem, Contemptum, & Dolorem. De Contemptu igitur hæc cedro & auro digna profert, dicens. Secunda societas à qua continuè IESUS DEI Filius, quàm diu vixit, associatus fuit, fuit voluntarius & perfectus contemptus, dejectio & ignominia, & verecundia, quæ voluit in hoc mundo continuè tolerare. Vixit enim sicut servus dejectus & venditus & non redemptus, & non tantùm sicut servus, sed sicut servus qui malus reputatur & iniquus. Fuit enim exulatus & opprobriatus, derisus, ligatus, verberatus, fustigatus, flagellatus, & tandem sine ratione, sine defensore, sicut vilis & miserabilis cum iniquis & latronibus deputatus, & cum eis condemnatus, & mortuus morte turpissimâ & dejectâ. Et dum viveret, si quando aliquis voluisset sibi inferre honorem temporalem, semper contradixit aut verbis, aut factis, & honorem mundi semper fugit, & verecundias semper toleravit, & libenti animo acceptavit, non dando ex parte sua occasionem nec causam. Ipsum enim Dominatorem mundi sine ratione, sine causa, sine offensa, sine injuria omnes quasi persecuti sunt, & deriserunt, & subsannaverunt. Protinus enim à falciis & à cunabulis ipsum persecuti sunt, & in terram barbarorum projecerunt. Qui cùm adultus esset, quidam eum Samaritanum, & idololatram vocabant, quidam verò dæmoniacum, & gulosum, & seductorem, & pseudoprohetam. Dicebant enim: Ecce vorator & potator vini, quoniam non est Propheta, nec Iustus, nec miracula in virtute DEI facit, sed in principe dæmoniorum eiicit dæmo-

B. Angela de Fulg. vit. c. 15

dæmones. Quidam ipsum ducebant ad montes, & præcipitia, ut ipsum præcipitarent: quidam lapides tollebant, ut ipsum lapidarent: Inter hæc erant diversi contra eum clamores; diversæ irrisiones, & subsannationes, detractiones, & iniqua consilia dicentes: Quoniam blasphemat; multas illusiones, & deceptiones in verbis & factis sibi præparantes; ipsum à locis suis repellentes, nec ipsum recipere volentes, & tandem ipsum viliter cœperunt, diversis judicibus, & judiciis, & consiliis, ipsum ligatũ exponentes, & quidam in faciem eius expuebant, alii alapas dabant, alii eum chlamyde circumdederunt, alii coronaverunt eum spinis, & procidebant, & genua flectebant illudentes ei, caput ejus virgâ percutientes, & faciem eius velantes, omnem speciem irrisionis superinducebant, alii ipsum flagellis verberabant, alii in eum, sicut canes sangvinis voratores dentibus frendebant, ipsum condemnantes, reprobantes tanquam malefactorem. Et tandem ad passionem ducebatur nudus, & omnes discipuli eum reliquerunt. Et unus quidem negavit eum, alius verò tradidit, reliqui verò aufugerunt, & solus nudus stabat in medio illarum turbarum: erat enim dies festus qui tunc omnes congregabat. Et sicut malignus in medio malignorum denudatum in altum elevantes, suspenderunt, & viliter interfecerunt. Alius eum morientem, flentem & orantem subsannabat, & irridebat dicens: Vah qui destruis &c: Alius eum contemnebat dicens: Multos alios salvos fecit, seipsum non potest &c. Alius vestem suam ludebat. Alius eum aceto & felle potabat, & offerebat morienti aquam ad bibendum humiliter postulanti. Et alius ipso mortuo latus lanceâ transfigebat, & quando de cruce depositus, nudus in terra iacebat & absque sepulchro, donec quidam quæsivit ut tolleret, & sepeliret.

Alii querelam adversus eum divulgaverunt dicentes: Recordati sumus, quoniam seductor ille dixit. Alii resurrectionem occultaverunt, alii negaverunt. Et sic in vita, & in morte, & post mortem non fuit, nisi in continuo despectu, ignominia & vilitate: & hæc quæsivit & toleravit; ut sic ad gloriam resurrectionis inquantùm homo perveniret, & nos ad summam gloriam exaltaret.

Igitur

Igitur factus est nobis forma & exemplum, & doctor & magister, gloriosus DEI Filius, ut gloriam temporalem contemneremus, & non solùm modò ipsam non quæreremus, sed etiam præsentatam & exhibitam refutaremus. Ipse enim nunquam gloriam propriam quæsivit, sed gloriam sui Patris, imò potiùs repulit & contempsit, & humiliavit se de cælo usque ad pedes discipulorum, & exinanivit se, formâ servi accipiens, & factus obediens usquè ad mortem, mortem autem non qualemcunque sed turpissimam, & despectissimam, & acerbissimâ scilicet crucis. Sed heu! prô dolor! quæ persona invenitur hodie, quæ diligat talem societatem, ut scilicet fugiat honorem, & diligat verecundiam, quæ habetur propter paupertatem, humilem statum, humile officium, & cætera humilia, & quæ velit esse annihilata, dejecta, & cōtempta, quin de bono quod habet, vel agit & facit, & loquitur, vel æstimat se habere, velit commendari & laudari, quin sequatur & applaudat adulatoribus! Veraciter unusquisque in viam suam declinavit, nec est usque ad unum, qui faciat bonum istud, & verè si quis est talis, hoc esse non potest, nisi sit conjunctus cum capite Christo per amorem verum, ut vivum membrum eius. Videndo enim quod Christus Rex suus & Magister & caput diligit, & vult talem societatem, & ipse vult similiter. *Hactenus B. Angela.*

4tum. DEIpara, Forma Humilitatis: de qua S. Bonaventura ita disserit: MARIA profundissima apud se fuit per humilitatem. Ipsa enim est MARIA, de qua dicitur in Luca: Dixit autem MARIA: Ecce Ancilla Domini. O mira & profunda humilitas MARIÆ! Ecce MARIAM Archangelus alloquitur, MARIA gratiâ plena dicitur, superventio Spiritus Sancti præmittitur, MARIA in Matrem Domini assumitur, MARIA iam omnibus creaturis anteponitur, MARIA iam Domina cæli & terræ efficiur, & pro his omnibus non extollitur, sed in his omnibus mirâ humilitate deprimitur dicens: Ecce Ancilla Domini. Propter hoc benè ait Beda sic. MARIA nequaquam se de donis cælestibus quasi à se hæc essent, extulit, sed ut magis magisquè donis apta esset Divinis, in custodia humilitatis gressum mentis fixit, Angelo respondens: Ecce Ancilla Domini

D. Bonavent. specul. c. 4.

Luc. 1. d.

Beda Hom. in off. de SS. de sola Deipa. qua in do visitavit Elisabeth.

Domini. Hoc eſt contra multos, qui in proſperis & honoribus, qui in gratiis & virtutibus non humiliantur cum MARIA & cum Chriſto, ſed intumeſcunt cum Eva & Lucifero. Sed certè MARIÆ humilitas, non ſolùm in verbo, ſed etiam in facto declaratur: non ſolùm in verbo regalis reſponſionis, ſed etiam in facto legalis purgationis: non ſolum in verbo, quo ſe humiliavit tanquam ancillam ſervitricem, ſed etiam in facto, quo ſe humiliavit, tanquam ream & peccatricem: Ipſa enim eſt MARIA: *Luc. 2. c.* de qua dicitur in Luca: Poſtquam impleti ſunt dies &c. O dura & infelix ſuperbia! ô ſuperba & infelix duritia peccatoris! Ecce MARIA absque omni peccato legem ſubiit purgationis, & tu miſer plenus peccatis non vis legem ſubire ſatisfactionis?)) Beatisſima Virgo à S. Eliſabeth* ut Mater DEI agnita & ſalutata, totum DEO tribuit. Unde quoque dixit. Magnificat anima mea Dominum &c. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum Nomen ejus. Sibi verò ſuam abjectionem adſcripſit dicens: *Quia reſpexit humilitatem.* (ex græco alii transferunt) *nihileitatem ancillæ ſuæ.* Equidem Beatisſimæ Virginis Humilitas eò poſt Chriſtum profundior, quò ipſa poſt Chriſtum ſupra omnes creaturas dignior. Magis quippe idem actus humilitatis v. g. lotio pedum pauperum in Rege & Regina pretioſior & nobilior apparet, quàm in ſervo vel ancilla. Unde ob ſummam dignitatem Chriſti & Maternitatis Deiparæ, illorum quoque humilitas fuit ſummæ perfectionis præ humilitate omnium aliarum creaturarum. Nec ulla creatura vel per imaginationem ita ſe humiliare & vilificare &c. poterit, quantùm Chriſtus ſive *S. Bern. in ſerm.* MARIA actualiter ſe humiliârunt & dejecerunt. *S. Bernardus*: MARIA quantò major erat humiliavit ſe, non modò de omnibus, ſed & præ omnibus. Meritò facta eſt novisſima prima, *S. Brigitta lib.* quæ cùm prima eſſet, omnium novisſimam ſe faciebat.)) *B. V.* *7 revel. c. 25.* *ad S. Brigittam ait*: Eadem humilitas eſt nunc in Filio meo, in potentia Deitatis ſuæ, ſicut tunc fuit, quando reclinabatur in præſepio, jacens inter duo animalia &c. Sic etiam nunc ſedens ad dexteram Patris audit omnes loquentes ad ſe cum charitate, & reſpondet per infuſiones S. Spiritûs &c. Similiter ego quæ ſum mater ejus ita humilis ſum nunc in corpore meo, quod eſt ſuper omnia, quæ

creata

creata sunt exaltatum, sicut tunc fui, quando Josepho desponsata eram. *Et infra ad calcem capitis.* Sicut ergo humilis, fui cognita soli DEO & Joseph, sic etiam nunc sum humilis, sedens in sublimissimo throno parata præsentare DEO omnium orationes.

5tum *Exempla Sanctorum. S. Bernardus de S. Josepho* Sponso Beatissimæ Virginis vidente eam gravidam antequam convenirent, & voluit dimittere eam, ita discurrit: Quare voluit dimittere eam? Accipe & in hoc non meam, sed Patrum sententiam. Propter hoc voluit Joseph dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum repellebat dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum: propter quod & centurio à domo sua illum prohibebat cùm diceret. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Ita ergo & Joseph indignum & peccatorem se reputans, dicebat intra se: A tali & à tanta non debere sibi ultra familiare præberi contubernium, cujus supra se mirabilem expavescebat dignitatem: videbat & horrebat Divinæ præsentiæ certissimum gestantem insigne, & quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expavit Petrus potentiæ magnitudinem; expavit centurio præsentiæ Majestatem, exhorruit nimirum & JOSEPH, sicut homo hujus tanti miraculi novitatem, mysterii profunditatem, & ideo occultè volebat dimittere eam. Miraris quòd Joseph prægnantis se consortio Virginis judicabat indignum, dum audias, & Sanctam Elisabeth, ejus non posse ferre præsentiam, nisi cum tremore quodam & reverentiâ? ait namque; Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? ideo itaque voluit dimittere eam. Sed quare occultè, & non palàm? nè fortè divortii causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir justus responderet populo duræ cervicis, populo non credenti & contradicenti? Si diceret, quòd sentiebat, quòd de illius puritate comprobaverat, nonne mox increduli & crudeles Judæi subsannarent illum, lapidarent illam? Quando namque veritati crederent tacenti in utero, quam postea contempserunt clamantem in templo? quid facerent, necdum apparenti, cui postmodùm impias manus injecerunt etiam miraculis coruscanti? meritò ergo vir justus, nè aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occultè dimittere eam.

S. Bern. in serm. super Missus est.

Matth. 1.

Luc. 5.

Matth. 8.

Plura exempla humilitatis Sanctorum mox infra reperies.

Praxis comparandi altissimam virtutem profundissimæ Humilitatis est.

Tract. de homil. c. 1 22. S. Bern. lib. de grad. Homil. PRimò. *Verissima suæ nihileitatis, indignitatis, ac vilitatis cognitio:* quæ adeò est necessaria ad humilitatem, ut eandem *S. Bernardus* per cognitionem sui descripserit dicens: *Humilitas est virtus, quâ homo verissimâ sui cognitione sibi ipsi vilescit.* Hanc tamen cognitionem sui Angelicus Doctor suprà in explicatione definitionis dixit esse quoddam necessarium requisitum, sicut Regulam quandam directivam appetitûs, in quo appetitu essentia-

Vitæ Patrum. l. 3. n. 121. liter humilitas consistit. Porrò in vitis Patrum rogatus senex de medio humilitatis, respondit: *si sua tantummodo & non alterius*

l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4 subs. 1. § 7. *mala consideret.* Praxis autem faciendæ & acquirendæ hujusmodi Cognitionis propriæ suprà fusè est descripta.

Joan. Bollan. IV. Januar. in vit. B. Angelæ. 2dò. *Est cognitio infinitæ DEI excellentiæ, & bonitatis in hominem profusæ* (de qua fusè traditur in tertia parte hujus Theologiæ) Hinc B. Angela de Fulginio ait: *Si in immensitate Divinæ bonitatis, & vestræ cognitionis vos affirmetis, tunc necessarium est, quod pro fundamento*

Psal. 41. *solam Humilitatem habebitis.* Hinc juxta Psal. *Abyssus* humanæ indignitatis & miseriæ, *abyssum* invocat Divinæ dignitatis, immensæ bonitatis & misericordiæ, *in voce cataractarum tuarum*, id est in affluentia gratiarum cælestium mentem ex[und]antium & implentium ad instar aquarum multarum ex magna [ab]ysso Oceani impetu apertis cataractis in abyssum subterraneam ruentium, eamquè adimplentium. Quod verò concernit Bonitatem DEI in hominem profusissimam, ut quidquid est homo boni, id totum

In tr. p. 3. c. 5. sit DEI, ita S. Franciscus Salesius dixit: *Nulla res potest tantùm humiliare ante misericordiam DEI, quantùm multitudo beneficiorum ejus.* Quid si accedat propriæ ingratitudinis æstimatio, in quantam conjiciet abyssum humilitatis?

3tio. *Consideratio solorum bonorum, & nullorum malorum seu defectuum, in omnibus creaturis.* Ita enim fiet, ut duplici motivo se quisque humiliet infra omnes creaturas 1. propter defectus quos in se homo cognoscit, & propter carentiam defectuum quos in alia creatura considerare non debet. 2. pro-

pter

pter carentiam bonorum, quæ in se homo tanquam sua non considerat, sed tanquam aliena nempe DEI, & propter bona quæ in aliis creaturis videt & veneratur. Cujus ratio suprà data est ad initium subsectionis hujus.

Quod si ex officio vel charitate incumbit tibi aliena peccata & defectus inspicere: interiùs apud te quantùm potes excusa ratione ignorantiæ, fragilitatis &c. Simul condole & defle alienam miseriam, quæ tibi potest esse communis, dicens: *Hodie illi, cras mihi.* Considera si fuisses in simili occasione, vel ita tentatus, aut non probè instructus, gravius multò ipse corruisses. Cogita te esse & isto & aliis omnibus pejorem peccatorem &c. Exteriùs tamen fac ea quæ à Sanctis & probis solent ordinariè adhiberi ad correctionem aliorum. Audi *S. Gregorium*: Solerter intuendum est, nè dum immoderatiùs custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis. Et dum Prælatus quisque plus se, quàm decet, dejicit, subditorum vitam sub disciplinæ restringere vinculo non possit. Teneant ergo Rectores exterius, quòd pro aliorum utilitate suscipiunt, servent interius, quod de sua æstimatione pertimescunt. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud se esse humiles, etiam subjecti deprehendant, quatenus in authoritate eorum, & quòd formidant, videant, & de humilitate, quod imitentur, agnoscant. *S. Greg. in Past. c. 6.*

4to. *Instantissima Oratio ad DEUM pro Humilitate.* Etenim, ut S. Theresia inquit. Quando est Spiritus DEI, opus non est, ut quis investiget res ad inveniendam humilitatem & confusionem suipsius: siquidem Dominus diversò modo dat eam ab illo quo nos eam possimus acquirere considerationculis nostris, quæ nihil sunt, si conferantur cum humilitate & luce, quam docet Dominus, quæ generat confusionem quandam, à qua anima quodammodo deficit & annihilatur. *S Laurentius Justinianus* dixit, neminem scire benè, quid sit humilitas, nisi qui à DEO accepit ut sit humilis. In nullo enim tam falli homines, quàm in vera humilitate cognoscenda. *Vita c. 5.* *Vita c. 9.*

5to. *Humiliatio, seu Exercitium internorum externorumque Actuum humilitatis.* De ejusmodi humiliatione præclarè *S. Bernardus*: Humiliatio *S. Bern. Epis. 82.*

miliatio est via ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis, nam si non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi. Hujus autem efficaciæ tres afferuntur causæ ab Ascetis. 1. Quia ut *S. Augustinus* rectè advertit; cùm ad Fratris pedes inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus. 2. Quia cùm objectum præsens magis moveat sensum, actus quoq; exterior magis movet voluntatem, quàm sola virtutis animo conceptæ desideria. 3. Quia accedente actu exteriori etiam actus interior fit intensior fortiorquè. Hinc S. Ignatius magnopere, inquit, confert devotè quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas & charitas.

S. August. tr. 58. in Jo.

Rodri. p. 2. tr. 3. c. 23.

P. 3 constit. c. 1. Paragr. 13.

Vide quoque suprà dicta, & hìc proportionatè applica.

l. 2. tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. § 2.

Actus Interni Humilitatis.

Ex via compendii Card. Bona c. 14.

1. *GEmma pretiosissima humilitas, quando te possidebo? quando tranquillitatem animorum Tibi obsequentium habebo? quando tuo splendore & pulchritudine ornatus ero?*

2. *Noverim Te, noverim me, DEUS meus: quoniam in Te sunt omnia bona mea, & ex me nihil sum.*

3. *Hoc ex corde desidero bone JESU, hoc eligo, abjectus esse, & pusillus in domo tua, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*

4. *Nolo Domine ut me homines laudent & honorent, quia omni laude & honore indignissimus sum; volo autem ad gloriam tuam despici, conculcari, & tanquam canis mortuus vilissimus reputari.*

5. *Latrones ipsi & sacrilegi, ô misericordissimè Domine, perfectius tibi famularentur, si tot beneficiis ac donis eos cumulâsses, quibus me benignissimè affecisti.*

6. *Peccavi Domine, & non sum dignus aspicere altitudinem cæli præ multitudine iniquitatum mearum.*

7. *Omnia animalia pro captu suo Tibi Domine appropinquant, solus ego infinitâ vitæ meæ turpitudine à Te recedo.*

8. *Unde mihi hæc insania DEUS meus, ut audeam gloriari tot pecca-*

peccatorum reus, ob quæ potes hoc momento mittere me in gehennam?

9. *Abjicio me Domine propter Te infra homines universos, quia vilior & contemptibilior omnibus sum, & pro tali haberi & tractari desidero.*

10. *Nihil aliud volo, nihil opto, altissime DEUS, nisi pati, & contemni pro Te, da mihi claram & veram mei notitiam.*

11. *Indignus sum Domine omnibus donis tuis ob vilitatem & ingratitudinem meam, indignus consortio hominum, propter sordes culparum mearum quasi pessimâ labe aërem ipsum inficio.*

12. *Utinam universi homines, æquissime DEUS, miseriam meam agnoscerent, & despicerent me, ac meam mihi indignitatem exprobrarent, ut spernerer propter Te.*

13. *Domine non sum dignus calcare hoc pavimentum, per quod transeunt tot servi tui, quibus comparatus vermis sum, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.*

14. *Absit à me Domine ut evelim ambulare in magnis, & in mirabilibus super me, Magna enim est abyssus fragilitatis, & nihili mei: nihil sum, nihil possum sine Te.*

15. *Fac me DEUS, tanquam pavimentum mundi, ut ab omnibus conculcer, & indignissimè tracter, quia sic exigunt peccata mea.*

Vide quoque Actus humilitatis suprà sub praxi meditationis, tum post Cognitionem suiipsius ex Nierenbergio. *l. 2, tra. 1. c. 1. sec. 4. subs. 1. §. 3.*

Actus Interni & Externi Humilitatis.

ACtus humilitatis suprà in gradibus humilitatis enumeratos aliquos in sequentibus fusiùs illustramus, aliquos eisdem adjicimus, ut adinvicem possint referri.

Prima Classis Actuum internorum, & externorum Humilitatis.

COgnoscere & judicare se ex sua parte esse Nihilum boni Metaphysicè, Physicè, & Moraliter: Et omne quod fuit, est, & erit, & potest esse boni, à DEO habere. Utque talis esse ab aliis credatur, & ut decet nihilum boni ab iis tractetur, (sicut & seipsum tractet) ex intimo cordis cupere, verbo factoquè, vel quovis alio modo procurare; DEUM, Beatissimam

Virginem

Virginem, Cælites pro hoc orare, nec non adepto hoc desiderio & fine gaudere, gratias agere DEO, hominibus aliisquè creatis.

S. August. super Psal. 84. *S. Augustinus* inquit. Fœlix est cui ostendit DEUS misericordiam suam. Ostendendo enim misericordiam suam, persvadet illi, quia quidquid boni ille homo habet, non habet nisi ab illo: quia omne bonum nostrum ipse est. Et cùm hoc viderit homo, videt quia totum, quod in se laudatur, de misericordia DEI est, non de meritis suis. Videndo ista, non superbit; non superbiendo, non extollitur: non se extollendo, non cadit: non cadendo, stat: stando inhæret: inhærendo manet: manendo, perfruitur & lætatur in Domino DEO suo.

Secunda Classis Actuum Humilitatis internorum, & externorum est.

Cognoscere & æstimare se infra omnes peccatores, infra ipsum quoque Luciferum & Antichristum pejorem peccatorem esse, sequè ut pessimum peccatorem tractare, atque, ut talis ab aliis credatur & tractetur intimo cordis affectu desiderare, verbis, & quomodo aliter potest ab extra procurare: DEUM, & B. V. Cælites pro hoc implorare: Atque ex obtento desiderio exultare, DEO gratias agere, hominibus, creaturis.

S. Greg. lib. 12. Regest. respon. &c. *S. Gregorius* inquit: Bonarum mentium est etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere ubi, culpa non est.

Doct. 2. S. Dorotheus ait. Humilitatis filia est suiipsius accusatio. Et juxta *S. Gregorium*, Hæc sunt veræ humilitatis testimonia, iniquitatem suam agnoscere, & cognitam voce confessionis aperire, & enuntiatam pœnitentiæ satisfactione delere. *Hinc alibi ait*: Summopere curandum esse, ut mala quæ fecimus & sponte fateamur, & hæc aliis arguentibus non negemus. Ipse certè de se dixit: Ab omnibus corrigi, ab omnibus emendari paratus sum, & solum mihi amicum æstimo, per cuius linguam ante districti Judicis apparitionem meæ maculas mentis tergo. Sed & latro quidam cum gravissima vitæ suæ peccata Abbati in confessione explicâsset, jussus ea coram 230. Monachis repetere, promptissimè id fecit. *B. Virgo ad S. Brigittam* dicebat: Filia fuge ad mantellum humilitatis meæ, & cogita te peccatricem super alios: quia etsi videris aliquos malos, nescis quid eis cras futurum est.

(Margin: In Psal. 3. pœnit. — lib. 22. moral. c. 14. — In Reg. — Lanciz. opusc. 8. c. 7. — Lib. 2. revel. c. 33.)

Nescis

Nescis etiam quâ intentione & qua scientiâ hoc faciunt, utrum infirmitate an industriâ. Ideo nullis te præferas, nullosquè in corde tuo debes judicare. Quid dolorosius apud mundiales, quàm injuriam suam dissimulare, & omnibus se credere & tenere indigniorem? Talis erat ô Filia humilitas mea. *Masseus S.* Francisci socius, cùm Fratres coram eo collationem de humilitatis virtute instituissent, dixissentquè extitisse quendam DEI amicum omnibus virtutibus abundantem, & tamen peccatorum se maximum æstimantem; & crevisse hac ratione in supernaturalibus donis, adeò captus est amore hujus virtutis, ut se voto obstrinxerit, quòd nunquam velit quiescere, donec illam humilitatem in animo suo sentiret adesse. Hinc perpetuò in cella manebat, gemens & inferno se dignum existimans, ut tantam acquireret humilitatem. Dum ergo per dies multos sic mansisset, fame & siti se enecans, accidit eum sylvam ingredi, & post multos clamores hæc suspiria edere: *Domine, Domine, veram humilitatnm impertire.* Tum Dominus cælitus eum sic compellavit. Frater Massee, Frater Massee; ille respondit: Domine mi: Et Dominus ad eum: Quid vis dare ad hanc gratiam possidendam? Et Frater Masseus respondit: Oculos capitis mei. Et Dominus ad eum: At ego volo, ut oculos & gratiam habeas: quo audito Masseus tantâ se humilitate & jubilo perfusum sensit, ut præ cunctis hominibus se minimum reputaret. *S Franciscus* se peccatorem maximum dixit: ob quam causam frater quidam vidit, eidem coronam in cælis maximam præparatam. *S. Clara* sæpè suis monialibus dicebat: O Sorores! si me cognosceretis, potius me abominaremini, non enim sum talis ut putatis, sed Fæmina cõfusione plena, & omnium pessima. Et Confessariis suis suadebat, ut eam haberent pro vilissima totius mundi creatura; quod cùm non posset illis persvadere, sed ab iis pro sancta prædicaretur, adeò hac re affligebatur, ut sæpiùs Confessarios eam ob causam mutaverit, optando invenire aliquem, à quo pro fœce terræ haberetur. *S. Philippus Nerius* magno affectu se maximum totius mundi peccatorem dicebat, ideoquè coram DEO protestabatur: Domine, cave à me hodie, nam Te prodam, & omnia scelera patrabo, nî me custodias. Aliàs dicebat: Vulnus lateris Christi est magnum, sed nisi me DEUS teneret majus infligerem.

Chron. p. 3. lib 1. c. 3.

S. Bonav. in vita c. 6.

Vitæ p. 2. c. 7.

Tertia Classis Actuum Humilitatis internorum, & externorum, est.

Cognoscere & sentire in veritate se esse omnibus creaturis minimum, miserrimum, vilissimum, sequè, ut talis à cæteris credatur, desiderio, dictis, factis, gestis ostendere.

Thomas Kempensis ait. Non repures te aliquid profecisse, Lib. 2. c. 2. (in humilitate) nisi omnibus inferiorem te esse sentias. Hoc ipsum suasit Servator illis verbis: Cùm vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco: ut quemadmodum S. Bernardus discurrit, solus omnium novissimus sedeas, tequè nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas. Quia non est periculum, quantumcunque te humilies, quantumcunque minorem repures, quàm sis: est autem grande malum, horrendumquè periculum, si vel uni in tua te cogitatione præferas.

Quarta Classis Actuum Humilitatis internorum, & externorum, est.

Cognoscere & judicare in veritate se esse infra omnes indignissimum omni bono naturali & supernaturali, idquè ipsum ab aliis de se credi desiderare, & verbis, factis, gestis persuadere. Atquè ipso facto bonis externis sive temporalibus quantùm licet, & est possibile, priveris, tanquam eorum indignus, exoptare & procurare apud DEUM & homines: atque ex assecutione intentionis hujus gaudere.

Hom: 7. *S. Gregorius* ait: Cum Divinis muneribus actus proprios meditare: nec dignum te judicabis eo, quo frueris, si intelliges Idem lib. moral. quod mereris. *Et iterum:* Sancti viri quò altiùs apud DEUM in virtutum dignitate proficiunt, eò subtiliùs indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in seipsis latebat, inveniunt. In Epist. *S. Ignatius Martyr ad Romanos scripsit.* Me pudet de illorum numero dici; non enim dignus sum, cùm noTympius in vissimus eorum sim, & abortivum quodpiam. *Et ad Ephesios:* Rospec. signo 107. mam vinctus abducor novissimus fidelium eorum, qui ibi sunt, n. 3. qui ad honorem DEI has gestare catenas dignus habitus sim. *S. Ephrem. Syrius* Basilium invisens, ab eoque Divina revelatione cogni-

cognitus, & sacerdos ordinatus nunquam adduci potuit ut sacrificaret. *Cælestinus V. Pontifex* post ordinem à se institutum tam sanctè vixerat, ut post totius biennii dissensionem, in illum unum & absentem Cardinalium vota conspirarent, cujus etiam consecratio plurium quam 200000 hominum concursu celebrata dicitur. Ipse tamen vix mense quinto exacto, nequicquam Carolo Rege, & populo Neapolitano deprecantibus eo honore se iterum abdicavit, pristinæquè quieti se dedit. *S. Petrus Damiani* diu Cardinalis & Episcopi Hostiensis munere functus, ad pristina se Monachorum studia recepit, & scripto egregio facti sui rationem reddidit. *S. Bernardus* à tribus opulentis civitatibus in Archiepiscopum electus nunquam adduci potuit, ut eam dignitatem admitteret. *S. Dominicus* quatuor Episcopatibus recusatis mori se malle ajebat, quàm ejusmodi onere gravari. *Alexander Philosophus* ut honores fugeret, carbonarium tam diu egit, donec Divino instinctu Comanæ civitatis Episcopus electus est. *S. Gregorius Magnus* in Pontificem electus, nec precibus nec incredibili omnium ordinum consensu moveri potuit, ad acceptandam dignitatem, cumquè exitum omnem obseptum videret, in dolio exportari se fecit in vicinum montem, & in antro latuit, sed columnæ igneæ proditus indicio, & in latebra deprehensus, dignitatem acceptare coactus est. *S Augustinus* de se ipso scripsit: Usque adeò timebam Episcopatum, & quoniam cœperat alicujus momenti esse fama mea, in quo loco non esse Episcopum sciebam, nè illò accederem, caverem. Et hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarer, nè in alto periclitarer.)) Hæc sunt Exempla Sanctorum, qui honores & bona hujus mundi tum ex aliis motivis, tum maximè ex humili de se ipsis sensu fugiebant, indignos se eis æstimantes. *S. Magdalena de Paz* Inter omnes peccatores censebat se esse pessimam dicens: Si me DEUS suâ gratiâ non sustentâsset, gravissima scelera totius mundi ego fecissem. Deinde minimum defectum, pro maxima arbitrabatur ingratitudine contra DEUM addens: quia si aliqua alia accepisset à DEO tam multa beneficia sicut illa incomparabiliter gratior esset pro illis. Insuper æstimabat se esse causam omnium defectuum qui in Claustro accidebant: imò dicebat se esse fontem omnium mundi peccatorum.

Ibidem n. 4.

Ibidem n. 5.

Sur in vit. 20. Aug.

Tympius li. c. Digni. 112.

S. Gre. Nyss. in rebus gestis.

S. Greg. Thau. Tymp. l. c. n. 23.

De Div. serm. 5. *t.* 9.

In vita ejus.

Igitur in quadam exstasi dum deflêsset malitiam peccatorum, dicebat contra se. Ego sum totius mali causa, ideò veniat super me justitia, & super illos misericordia. Deinde, cùm vidisset in revelatione animas in pœnis purgatorii, dicebat ex humilitate. O me beatam! si non profundius infra abyssum purgatorii manfero demersa! Propter eandem humilitatem fiebat, ut dum in præsentia superiorum consistere deberet, tunc omnibus membris tremebat, interrogataquè quidnam adeò metueret, respondebat: Quòd metueret tanquam indigna stare in loco tam sancto, & nè ejiceretur ex illo, putando sibi ad aurem semper hæc dici: Recede procul, abi ex loco tam sancto, recede ex casta societate sponsarum JESU; quoniam illâ es indigna. Prout etiam ita sentiebat se esse indignam communitate aliorum, ut in quolibet loco, in quo congregabantur sorores, cum tali humilitate staret, ut oculos in alias levare noluerit ex timore. Cùm verò à Matre superiore vocaretur, statim tanquam rea procidebat ad pedes ejus, expectans cum magna humilitate admonitionem & pœnitentiam pro culpa. Videns verò se non alienatam à communitate Monialium, pro magno id habebat beneficio à DEO. Igitur semel chorum cum illis ingrediens, ita ad quandam dixit Novitiam: O soror! & quid boni aliquando fecimus, vos & ego DEO pro tali ejus servitio, quod factæ simus dignæ suscipi in societatem talium Matrum & sororum, ad laudandum eum? & pro tam magno beneficio quid ipsi retribuemus?

Quinta Classis Actuum Humilitatis internorum, & externorum est.

COgnoscere & credere in veritate se esse dignissimum omni vilitate, malo, poenâ, odio, contemptu; & hoc ipsum ut cæteri quoquè de te sentiant, desiderare, ac dictis, factis, gestis, ostendere: Necnon *quantùm fas est, omni genere malorum, odii & contemptuum sese persequi; & ipso facto ut summè affligaris & deprimaris ab aliis cupidissimè exoptare, & procurare apud DEUM & homines: & dum fit hoc, de ipso lætari.*

Lanciz. opusc. 8. c. 1. *S. Magdalenæ de Pazis* judicio, humilitas nihil aliud est, quàm continua cognitio sui non esse, & continuum gaudium in omnibus,

bus illis rebus, quæ possunt inducere ad sui contemptum. *S. Bernardus* ait: Considera in his verbis (Discite à me quia mitis sum & humilis corde) quoniam humilitas duplex est, altera cognitionis, altera affectionis, quæ hìc dicitur cordis. Priore cognoscimus, quòd nihil simus, & hanc discimus à nobis ipsis, & ab infirmitate propria: posteriore calcamus gloriam mundi; & hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens: qui etiam quæsitus in regnum, fugit; quæsitus ad tanta probra, & ignominiosum crucis supplicium, sponte obtulit semetipsum. *Idem* inquit: Humilis, vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu sui, hoc solo superbus, quòd laudes contemnat. *S. Ignatius Loyola*: Quemadmodum enim, inquit, mundani homines, qui ea quæ mundi sunt sequuntur, diligunt, & quærunt magna cum diligentia honorem, famam, magni nominis æstimationem in terra, sicut mundus eos edocet: sic qui procedunt in spiritu, & seriò Christum Dominum nostrum sequuntur, amant & ardenter exoptant ea, quæ iis omnino contraria sunt, indui omnino eadem veste ac insignibus Domini sui pro ipsius amore ac reverentia adeò, ut, si sine offensione ulla Divinæ Majestatis, & absquè proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia & injurias pati, ac stulti haberi, & æstimari (nullâ tamen ad id per eos datâ occasione) eò quòd exoptent assimilari & imitari aliquo modo Dominum nostrum IESUM Christum, eiusquè vestibus & insignibus indui. Quanti autem faciendus sit hic gradus, indicavit *Bernardus Justinianus* dicens: Non est tantæ virtutis honores contemnere, quàm contemptum appetere. Plus enim est, ut malè affici negligas, quàm ut benè affici non cupias. Cæterùm, illud summæ perfectionis est, ut malè affici desideres.

S. Bernar. serm. 4. de Adventu.

Idem serm. 16. in Cant.

C. 4. Exer. paragr. 44.

In vita S. Laurent. Just.

Quoad vilitatem rerum, & officiorum, ut ea appetat humilis, audi *S. Dorotheum*. Etenim ut ait ille: Anima disponitur ab his quæ parantur in corpore, sequiturquè habitum corporis. Aliter enim v. g. disponitur anima insidentis in asino, aliter sedentis in throno, aliter optimis vestimentis induti, aliter pannosi. Verbo, humiliato corpore, humiliatur & anima. Ut autem eiusmodi officia plus æstimentur, & alacriùs assumantur, intelligendum est, inquit:

Serm. 7.

Constit. monast. c. 4. inquit S. Basilius debere pietatis cultorem viliora etiam officia, magno cum studio, magnaquè cum alacritate suscipere, scientem nihil minutum esse, quod DEI causâ fiat, sed grande & spirituale, & eiusmodi, quod cælum nobis & præmia cælestia conciliet.

Psal. 21. Isai. c. 53. *Exempla Amatorum sui contemptûs.* *Christus*: in cuius persona *Propheta* ait: Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Et *Isaias*: Non est species ei neque decor; & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum. Despectum & novissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius & despectus: unde nec reputavimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à DEO, & humiliatum. Act. 5. v. 41. *Act.* Jbant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESU contumeliam pati. Et 1. Cor. 4. v. 10. *Paulus Apostolus* ait: Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo, nos infirmi, vos autem fortes, vos nobiles nos autem ignobiles, usque in hanc horam esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus &c. tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema Vit. p. 2. c. 23. usque adhuc. *S. Clara* si audiebat, à multis se infamari, læto vultu gratias agens DEO dicebat: Laudetur DEUS, verè confiteor, malè meritò de me loqui eos; cum non reperiatur persona supra quam possint cadere omnia vituperia mundi, quàm supra me. *Aliud.* B. Joannes Crucius primus Carmelitarum excalceatorum parens, dum multis exhaustis laboribus & ærumnis, Segobiæ cum DEO familiariùs loqueretur, sequè ab eo interrogari persentisceret quod præmium pro his laboribus peteret? respondit: *Domine, pati, & contemni pro Te.*

Sexta Classis Actuum Humilitatis internorum, & externorum, in diversa materia.

I. EX *cognitione infinitæ indignitatis & vilitatis suæ infra omnem creaturam, DEO se & hominibus propter DEUM subiicere.* Hinc D. Tho-

Thomas ait: Humilitas dupliciter ſpectatur. 1*mo* Ut virtus quædam *generalis*, quatenus facit hominem verè ſubiectum ordinationi juſtitiæ præſertim legalis in univerſali quoad omnia: Quælibet autem alia virtus quantùm ad aliquam materiam ſpecialem. 2*do* Ut virtus ſpecialis, quatenus præcipuè reſpicit ſubiectionem hominis ad DEUM, propter quem etiam aliis humiliando ſe ſubiicit. *Petrus Apoſtolus* monet: Humiliamini ergo ſub potenti manu DEI. Et hic ferè primarius eſt humilitatis actus teſte S. Ambroſio, dum ait: In eo proprietatem ipſius definimus, quod per omnia DEO ſubditur. *Idem Apoſtolus*: Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter DEUM. Neque enim ut benè advertit S. Ambroſius, eſt humilitas, quòd facere debes neceſſitate; vera autem eſt, quando cedimus iis qui nobis videntur eſſe minores, & eos veneramur, qui nobis magis videntur indigni, quàm nos.

V. D. Tho. 2. 2. q. 161. a. 1. ad 5. & a 5.

2. Pet. 15. v. 6.

Lib. 10. Epiſt. 84.

Epiſt. 84. l. 10.

Porrò hæc ſubiectio vel maximè fit per ſimplicem & cæcam Obedientiam; cuius exemplar è pluribus nobiliſſimum legitur fuiſſe Beatus Paulus, dictus Simplex, diſcipulus S. Antonii. Hic ergo Paulus omne dictum S. Antonii tanquam præceptum Domini ſervare inſtituens, cuncta punctualiter exequebatur. Iuſſus enim perſiſtere in oratione, indeſinenter orabat & nuſquam penitus movebatur, ſed ſtabat in æſtu diei & rore noctis, ut nè parvo quidem loco moveretur. Iuſſus ſilere, ſilebat nec omnino aliquid loquebatur. Deinde probando eius obedientiam S. Antonius multa ei præcipere ſolebat, quæ ratio, & cauſa non poſcebat: Haurire namquè aquam aliquando eum iuſſit ex puteo, & in terram totâ die effundere; & contextas ſportellas reſolvere, ac denuo texere; & veſtimentum ſuere, atquè iterum rurſus reſolvere: & in pluribus hujuſmodi exercitiis ab eo memoratis imbutus eſt, ut in nullo prorſus etiam eorum, quæ contra rationem imperari videbantur, diſceret contradicere. Ita per hæc omnia informatus, brevi ad Perfectionem venit. Ex cuius exemplo docebat B. Antonius, quòd ſi quis velit velociter ad perfectionem venire, non ſibiipſi fieret magiſter, nec propriis voluntatibus obediret, etiamſi rectum videatur eſſe, quod velit: ſed ſecundùm mandatum Salvatoris obſervandum eſſe, ut ante omnia unusquisque abneget ſeipſum ſibi, & renuntiet pro-

Ex vitis Patrum in vita Pauli ſimplicis.

priis

Ibidem. priis voluntatibus.)) Denique idem B. Paulus Obedientiæ & simplicitatis merito ad tantum spiritualium gratiarum culmen ascendit, ut multò plura & potentiora per ipsum Dominus, quàm per S. Antonium faceret. Hinc si quos S. Antonius curare non posset, hos ad Paulum tanquam ad prolixiorem sanitatum gratiam habentem mittebat, & ab illo curabatur.

Rodriq. p. 2. tr. 3. II. Beata Virgo cuidam Monacho apparens, præcepit, ut si dæmonem vincere vellet, uteretur humilitate in victu, cibos vilissimos eligendo: in vestitu, vestes quærendo obsoletissimas: in muneribus ambiendo infima; felicem se judicando si quid ei obtingeret, à quo cæteri abhorrerent.

Vitæ p. 4. c. 33. III. B. Maria Magdalena de Pazis etsi nunquam peccatum mortale commiserit, nec alia gravia venialia, tamen communicatura timebat, nè eam terra absorberet. Existimabat enim se dæmonibus similem, indignam Virginitatis aureolâ, & quæ DEO purè serviret, indignam omni gratiâ & dono cœlesti. Omnes sorores putabat perfectas, se solam imperfectam, omnes laudabat, terramquè quam calcabant, osculabatur. Novitias etiam sibi subditas venerabatur ut obstupescerent, ita se honorari à Magistra sua. Minimum defectum tanquam ingratitudinem maximam detestabatur. Judicabat se causam esse omnium defectuum, qui in monasterio committebantur, & omnium totius mundi peccatorum, ideoquè DEUM rogabat ut illis parcendo, contra se pœnas justitiæ suæ exerceret, mirabaturquè quòd eam DEUS Angeli & sancti tolerarent, quòd terra non dehisceret, & vivam absorberet: timebat, nè Monasterio tanquam indigna ejiceretur, ideoque vix oculos elevare audebat, quando cum aliis loquebatur. Ad chorum si eundum fuerat, cum tremore ibat metuens nè ejus peccata aliorum preces DEO minus acceptas redderent, & pro magno miraculo habebat, quòd à DEO admitteretur ad laudes ei persolvendas. Morti autem proxima dicebat, se tolli à DEO, nè eius causâ si viveret, gravi aliquo supplicio mundum, ut ipsa merebatur, afficeret. *S. Thomas Cantuariensium Episcopus* quotidie tredecim pauperes convocabat, eisquè genuflectens pedes lavabat, discumbentibus ministrabat, abeuntes cum donis dimittebat. *Aliud* Gallicanus Constantini Augu-

Augusti gener, prius Romani Dux exercitus, omnibus amore Christi contemptis, in Monasterio servi officio functus est, pauperum pedes lavabat, pavimenta verrebat.

IV. S. *Hieronymus* non modo puerulos grammaticam docuit, sed etiam jam senex ad Lætam scripsit: Ipse si Paulam miseris, Magistrum me, & Nutricium spondeo, gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multò gloriosior mundi Philosopho, qui non Regem Macedonum Babylonio periturum veneno, sed Ancillam & Sponsam Christi erudiam, regnis cælestibus inferendam. Joannes Gerson Monachus Ordinis Cælestinorum, & postea magnus Parisiensis Academiæ Cancellarius, non dubitavit se ad puerilem Cathecheseos institutionem demittere, omnibusquè eam ob singularem utilitatem commendare. *In Epist. ad Lætam.* *Tymp. figu 107. n. 12.*

V. Otto Bambergensis Episcopus, cùm apud suos in magna æstimatione se esse, & à toto Clero ac populo cum hymnis & canticis solemniter in urbem receptum esse videret, desertâ Diœcesi suâ in Pomeraniam ad annunciandum illi genti Evangelium fugit, ubi licet deterrimè habebatur, & luto sordidabatur, tamen à prædicatione non cessavit, sed humilitatis & patientiæ exemplo prædura pectora tandem emolliens ad fidem traduxit. *Aliud.* S. Dominicus cùm Tolosæ multùm acceptus esset ob conciones, Carcassonam ubi potiùs eum irridebant & persequebantur Auditores, se contulit, rogatusquè cur id faceret? respondit: Quia Tolosæ multi me honorant, Carcassonæ verò multi contradicunt. *Aliud.* S. Hilarion magis expavescebat fluctus humanarum laudum, quàm ingruentes gurgites vastissimi pelagi exundantis. *Fuga laudum* *Tymp. in spec. mag. sig. 107. n. 1.* *Ibidem n. 3.* *S. Hieron. in vita.*

VI. Benedictus XI. infimo genere natus, cùm Proceres Matrem pretiosis vestibus ornatam ad ipsum duxissent, noluit eam agnoscere & recipere, donec viles vestes indueret. *Aliud.* Sixtus V. obscuris natalibus ortus, per jocum dicebat se ex illustrissima domo originem ducere: eam enim in qua ipse natus sit, per mille rimas & scissuras, solis lumine admisso totam uno momento illustrari: *Aliud* Willicundus Archiepiscopus Moguntinus, quamvis esset primus Elector, tamen quia fuit Plaustrarii Filius ob summam Principis dignitatem minimè elatus, plaustra- *Tymp. in spec. magno sig. 104. n. 1.* *Ibidem n. 3.* *Ibidem n. 4.*

riam rotam in omnibus conclavibus & mensis pingi fecit, addito symbolo: *Cogita Willicunde, quisnam fueris, & quis modo sis.* Quæ causa fuit, ut postea Henricus Claudus, Imperator permiserit, hanc rotam insignibus Archiepiscopalibus inseri.

Vitæ lib. 6. c. 8. VII. S. Franciscus Xaverius se nequissimum omnium mortalium judicabat. Proficiscens in Europam, sociorum e-

Lib. 1. Epist. 1. quos curabat, Goæ Episcopi genibus advolvebatur ipse Legatus

Epist. 5. Apostolicus. Sui Contemptor unicus, non minùs laudem & honorem, quàm alii vituperationem & dedecus horrebat. A Sociis

Vita lib. 7. c. 7. petiit ut ipsum docerent modum Ethnicos convertendi. Ibidem se vocat pulverem, cinerem, omnium perditissimum: ait etiam sibi revelatum à DEO, sociorum precibus & meritis permotum, dare ei tantam gratiam. Nè ob miracula patrata magnificeret, partim ex iis locis profugit, partim rogavit, ut miraculum tacerent, partim ipsorum ægrorum, puerorumque, quos mittebat,

Vit. lib. 6. c. 8. fidei ea adscribebat. Negabat quemquam germanum Societatis alumnum esse, ac DEO fideliter operam navare, nisi contemptorem sui, & de ipso suisquè rebus abjectè demissequè sentien-

Lib. 3. Epist. 5. tem. Ad Goanos scribens ajebat: Oro vos atque etiam obtestor, ut in objectis atque humilibus officiis dæmonem egregiè superare nitamini. Et iterum: Diligenter colite humilitatem, atque in omnibus rebus, à quibus natura abhorret, vos ipsi vincite.

VIII. Franciscus Suarez cùm ad summum literarum famæquè fastigium pervenisset, candidè fatebatur, nullâ animi elatione se moveri: quòd sciret, plurimos esse rusticos, qui doctiores evasissent, si iisdem à DEO auxiliis fuissent adjuti. Indignum se ajebat, qui infimi coqui munus obiret. Magister & oraculum cùm esset, sæpè tamen suos Discipulos consulebat, suos libros eis censendos offerebat, & si quid in illis censurâ dignum judicarent; pari facilitate mutabat. Gravissimas persecutiones, quibus apud Pontificem, ut novitatis amans, & temerarius accusabatur, tam patienter ferebat, ut nunquam vel unicum amarulentum verbum, aut vindictam redolens reponeret.

Cornel. in Epist. ad Cor. fol. 22. IX. Jacoponus vir nobilis & literatus rogatus à Christo sibi apparente, cur stultitiam sic amaret? piâ simplicitate respondit: Quia tu stultior me fuisti Domine.

X. Hu-

X. Humilis frater à deceptione diaboli, in ſpecie Gabrie- *Spec. exem.* lis apparentis liberatur, quia dixit: Vide nè ad alium miſſus ſis. 70. De Manaſſe ſic loquitur S. Climacus: Invenio Manaſſem illum *Grad.* 25. 12. inter homines cæteros amplius & perniciosius peccâſſe, templumquè DEI ac Religionem omnem profano cultu idolorum coinquinâſſe: pro quo ſi mundus totus jejunâſſet, nullam ſceleribus ejus pœnitentiam dignam inferre potuiſſet, valuit tamen humilitas inſanabilia ejus vulnera curare.

XI. Virgo quædam ſtultitiam ſimulans, cùm diu dome- *Vita PP. l. 5.* ſticis in Monaſterio ludibrio fuiſſet, tandem per Epiſcopum ma- *l. 15. n. 19.* nifeſtata, & aliis in virtutum Exemplar propoſita eſt. S. Magda- *Lanciz. opuſc.* lena de Paz vidit quondam B: Virginem tenentem vas pretioſum, *8. c. 2. n. 5.* liquore cæleſtium donorum plenum, & dicentem: Iſte liquor purus, attractivus, dulcis & delicatus datur illis, qui relinqvunt ſapientiam & prudentiam humanam: illum attrahunt illi, qui magno zelo appetunt juſtitiam & puritatem cordis, & illi, qui facti ſunt ſtulti propter Chriſtum.

Actus Humilitatis.

Selecti è Libello aureo Punctorum Humilitatis piiſſimi viri Adami Trebnic Abbatis Olivenſis S. O. Ciſtercienſis.

1. CHarisſime, qui ardes deſiderio adipiſcendæ pretioſæ & inæſtimabilis gemmæ humilitatis, quæ veræ Sanctitatis certisſimum eſt pignus: Primùm, Silentii quàm altisſimi & prorſus Anachoretici debes eſſe obſervantisſimus; ut vix præſumas medium os aperire ad exponendum res neceſſarias.

2. Humili & leni voce, quaſi timidè loquaris: credendo te indignum eſſe, qui debeas loqui: vel talem, qui neſcias quidquam ad rem proferre.

3. Cave tanquàm peſtem animæ tuæ, loqui audacter, & præſumptuosè, vel quod præſeferat aliquam elegantiam: loqui etiam graviter & imperiosè, vel quod auctoritatem redoleat: loqui exquiſitè, & altâ voce: loqui hilariter & jocosè: loqui talia, è quibus videaris pius, Sanctus, doctus, aulicus, vel magnæ familiæ, nobilis originis, vel honoratus in ſeculo aliquando; vel

 habuiſſe

habuiſſe negotia magni momenti; vel fuiſſe familiarem magnis viris; vel fuiſſe amatum à probis, aut aliâ quâvis prærogativâ eximium.

4. Vide, ut diligentisſimè exhibeas omnem honorem & reverentiam, quocunquè modo vel ſigno potes, non tantùm ſuperioribus tuis, ſed etiam coæqualibus, imò & inferioribus, ſemper magis quam teneris, te inclinando. Et in præſentia ſuperioris tui nunquam ſedere præſumas. Eligas ſemper inter alios omnium infimum & ultimum locum; & ſemper deteriorem partem omnium rerum, & commoditatum capias.

5 Nè ceſſes unquam accuſare, & acerbe reprehendere teipſum, animadvertendo & obſervando ſemper omnes actiones tuas etiam meliores quasque, quàm multis nimirum imperfectionibus ſunt permixtæ, & multis malis. Quare indeſinenter aſperrime te increpa, cum quadam ira implacabili. Hæc ſui ipſius continua accuſatio, eſt vera origo humilitatis, & totius perfectionis ſpiritualis.

6. Diligenter tibi caveas, non ſecus quàm à maximo peccato, nè alios judices ullo modo: ſed quidquid illi fecerint, aut dixerint, in meliorem partem interpreteris, ſolicitè apud temetipſum inquirendo rationem & inveniendo, quo eos excuſes, non aliter, quàm ſi eſſes ipſorum Advocatus. Quodſi id præſtare nequeas, ob rem prorſus evidenter malam, nihilominus tamen apud temetipſum eoſdem excuſes, quantùm potes; conjiciendo vel in deceptionem animæ ipſorum, vel in vehementiam tentationis, vel in malitiam diaboli, vel quid ſimile. Deniquè averte mentem tuam ab iſtorum cogitatione. Hoc præceptum eſt alter fons, quo abundè ſcaturit vera humilitas. Quàm diligenter illud obſerva.

7. Non contradicas aliis, nec in diſputationem aut controverſiam cum ullo unquam deſcendas: ſed cùm tua opinio non probatur, cedas modeſtè, ſilentium tibi imponendo.

8. Si à quopiam injuriam qualemcunquè accepiſti, non expectes ut ille agnoſcat culpam ſuam, & à te condonationem poſtulet aut deprecetur: Sed potiùs acſi tu illi intuleris injuriam, prævenias eum, tequè coram ipſo humilies, & ab eo condonationem

onem petas, eò quòd occasionem ipsi fortasſis dederis commotionis & iracundiæ, omnem causam in te conjiciendo, & illum excusando.

9. Si aliquis est qui præ reliquis omnibus tibi affectus non sit, teq; variis injuriis divexet, detractionibus aut calumniis oneret quocunque tandem modo: eum tu habe tanquam Angelum DEI, per quem misericordiam suam tibi DEUS largitur ad curandam animam tuam à vulneribus superbiæ. Ergo ipsum venerabeis tanquam singularem tuum benefactorem.

10. Sufferas benignisſimè omnes infirmitates, & defectus aliorum: è contra nullo modo desideres, ut tuæ infirmitates à quoquam supportentur.

11. Cùm continget vel existimabis te benè fecisse alicui, non expectes ut par tibi referatur: sed persvasum habe, te ad id præstandum obligatum fuisse ex officio: ille verò tibi simile quid referre, nullo modo obligatus est, propter maximam tuam indignitatem.

12. Nè os quidem aperias, quo conqueraris de homine quopiam in mundo, quidquid ille tandem tibi molestiæ intulerit; considerando, mala omnia & adversa, quæcunque adversum te fieri possunt, nihil esse respectu demeritorum tuorum.

13. Certò credas, quòd propter turpitudinem & fœditatem peccatorum tuorum es sordidisſima quædam & abominabilis congeries & acervus plenus vermium, qui horrorem pariat transeuntibus; qui, nè oculis eorum incurras, aut fœtore offendas, avertunt à te faciem, & obturant nares suas. Propria tua anima assiduè sentiat hunc fœtorem suum, propter quem est abominabilis & horrenda, non tantùm coram DEO & Angelis, verùm etiam coram omnibus viventibus, qui illam nè sufferre quidem possunt. Admirare illorum patientiam, quòd te non exterminent de communi sua so cietate, nec à se segregẽt tanquam furem. Quod si justitia de te fieri deberet, sine ullo dubio tibi oculi evellerentur, manus & pedes ac alia corporis membra truncarentur, eò quòd ipsis offendere ausus es Dominum Creatorem tuum.

14. Gestias semper & petas difficiliora & asperiora quæ-

què officia tibi imponi, etsi videantur vilia & abiecta; cogitando te esse omnium vilissimum, & tanquam asinum communitatis Quòdsi tibi demandata fuerint, amplectaris ea ardentissimè.

15 Quantùm in te est, vide nè manifestes coram aliis adversitates quas sustines, velut famem, sitim, æstum, frigus, vigilias, lassitudinem, vel dolorem aliquem, modò valetudo corporis non lædatur; aliàs nè remedia quidem quæras.

16. Nè abhorreas cibum, quantùm sit vilis, simplex, in paupertate, negligenter & parum mundè apparatus. Fac adinstar mendicantium, qui quidquid illis datur comedunt. Imò sentias te felicem, si tibi aliquid residui ex jusculo recalefacto apponitur, quod fortè remansit ex comestione subcoquorum & familiæ domesticæ. Dum verò offertur tibi communis cum aliis refectio, in cibo, potu, vel alia commoditate, æstimes te illis esse indignissimum.

17. Quoties reprehensus fueris de re aliqua etiam injustissimè, adjunge te semper parti reprehendenti, contra te ipsum, illam adjuvando, & persvadendo cordi tuo, quantùm potes ipsam reprehensionem veram esse; imò coneris eam exaggerare & amplificare, absquè ulla tui excusatione; nisi vitandum esset manifestum scandalum, & notabile proximi damnum: excusatio enim sui, & accusatio alterius, est proprius nidus omnis iniquitatis & superbiæ. Itaque tibi persvadeas, delictum tuum esse longè gravius, quàm illud reprehendens expresserit: quodquè ille condescendens infirmitati tuæ, nec nimiùm te contristare volens, tui criminis prout perspectum illud habuit, nè medietatem quidem explicaverit.

18 Magnum secretum est in via spirituali, ad acquirendam S. humilitatis virtutem; non curare, nec studere, ut nos ament homines. Cùm enim animæ cujusvis natura ea sit, ut non amet rem ullam, nisi secundùm mensuram bonitatis illius rei, seu quatenus eam æstimat bonam, manifestum est ista conjuncta esse, & inseparabilia; Amare rem aliquam, & æstimare illam bonam. Tu itaquè si serius es humilitatis studiosus & amator, nec velis æstimari bonus, sapiens, prudens, vel aliquâ aliâ dote præditus. Cavere omnino debes, nè amicitiam alicujus quæras aut affectes.

Nec

Nec quidquam pertimescas, ut propterea in te refrigescat charitas erga proximum: quin potiùs perfectiori amore & puriori affectu erga ipsum accenderis: nam ad ejus amorem, non te ducet aliquid, quod ex tui ipsius amore proficiscatur, sed solus purus respectus honoris DEI, & amoris eius sancti.

19. Quantùm per obedientiam tibi licebit, cave nè unquam desis alicui communi exercitio Communitatis, sive corporali sive Spirituali; & fugias tanquam pestem occupationes particulares, & à communibus separatas.

20. Districtissimè observa nè quidquam pro tuo judicio proprio aliquandò facias, sive in temporalibus sive in spiritualibus. Sed semper sequaris judicium alterius etiamsi minùs quàm tuum salubre esset, modò non sit cum peccato. Hinc enim adipisceris magnum thesaurum humilitatis, & pacis interioris, cujus meritum defectui judicii alieni (si forte non ita bonum fuit ac tuum) multò prævaleret, & largissimè cum compensaret.

21. Ad obediendum debes esse dispositus & armatus invincibili quadam patientiâ; ut superiori tuo, quandocunque illi placuerit, sive ex rei proposito id accidit, sive non, sine ulla sollicitudine quærendæ opportunæ occasionis, semper valeat, nec quidquam dubitet reprehendere te & acerbè excipere, contra te liberè dicendo quidquid in mente de te habeat: imò multò plura, quæ nec haberet, ut tantò magis te mortificet. Et cùm tibi dixerit: Frater N. tu nihil vales, plenus es malitiâ, es una bestia: & asperrimas ac maximè penetrantes quasquè injurias in te conferre visus fuerit: Tum si talibus naturæ tuæ infirmitatem commoveri animadvertes, vide ut velociter hosce motus in te reprimas, & nè minimam concipias contra superiorem indignationem, sed potiùs majorem ipsius amorem.

22. Inviolabiliter observa erga superiores tuos, eam, quam habere debes puram & candidam affectionem in reverendo illos quodam devotionis oculo, non secus ac si sacrum Altare respiceres. Habe perfectissimam ad ipsos confidentiam, & serva eam cordis sinceritatem erga illos, quam servare solet Rex terrenus in custodiendâ sua Coronâ. Et in veritate ita est: Corona & gloria Religiosi est, dependere à superiore tanquam à DEO:

Cave

Cave ergo nè unquam sinistrè de illis judices. Certissimum enim est, Religiosum, qui præsumit malè judicare de suo superiore, similem esse mulieri viro suo perfidæ. *Hæc è pluribus citatus Author.*

1. parte cap. 1. sec. 2 subs. 6. *Vide quoque præclaras industrias & praxes Actuum Humilitatis suprà datas.*

SUBSECTIO IX.

De Oppositis Humilitatis, & de Superbia.

IMò Opponitur *Pseudo-humilitas* Hæc illorum est, qui acediâ & tepore depressi, ad magnitudinem heroicarum virtutum non assurgunt, suam socordiam velantes falsâ specie humilitatis, quasi indigni forent & impotentes ad merita & præmia magna consequenda. Unde *Sapiens*: Noli esse humilis in sapientia tua (quæ est scientia practica æternæ salutis) nè humiliatus in stultitiam seducaris. *Item.* Pseudohumilitas est de qua *Eccl* dicit Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo: & est qui se nimium submittit à multa humilitate: & est qui inclinat faciem suam, & fingit se non videre, quod ignoratum est: etsi ab imbecillitate virium vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet. *Item.* Falsa humilitas, de qua *Hieronymus*: Multi humilitatis umbram, veritatem pauci sectantur. *Idem*: Auferantur omnia figmenta verborum, cessent simulati gestus, virum humilem patientia ostendit. Item Fucata Humilitas de qua S. Bernardus: Appetere de humilitate laudem, humilitatis non est virtus, sed subversio: quid enim perversius, quid indignius, ut inde videri velis melior, unde videris deterior?

Eccl. 13. *Eccl. 19.* *S. Hier. Epis. 27.* *S. Bernard. serm. 16. in cantica.*

2dò Opponitur Humilitas *per Excessum.* Hæc cavenda à Superioribus. *S. Gregorius*: Sic servanda est virtus humilitatis, ut non solvantur jura regiminis: Nè dum prælatus plus se quam decet, deiicit, subditorum vitam restringere sub disciplinæ vinculo non possit. Et sic servanda est disciplinæ severitas: nè dum plus quàm necesse est, zelus accenditur, mansvetudo funditus amittatur.

S. Greg. in Regest.

Item

Item cavenda in subjectis. Unde *S. Gregorius*: Admonendi sunt subditi, nè plus quàm expedit sint subjecti; nè cùm plus student, quàm necesse est hominibus subjici, compellantur vitia eorum venerari. *Greg. & habetur 2. q. 7. ad monendi.*

3tio Opponitur humilitas *per Defectum*, quæ est *Superbia*; definitur autem esse *peccatum, quo homo contra rationem rectam cupit supergredi modulum suæ conditionis.* Dicitur *peccatum*: Quia 2dùm *Dionys.* de Divi. Nomin. c. 4. Malum animæ est præter rationem esse: jam verò superbus vult supergredi id, quod est hoc autem adversatur rationi rectæ, quâ voluntas uniuscujusque fertur in id, quod est proportionatum sibi. Unde superbia est malum animæ, seu peccatum. Porrò superbia quatenus est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ est peccatum spirituale; quia habet objectum speciale, nempe suam excellentiam; quatenus verò superbia potest ordinare alia peccata ad suum finem, nempè propriam excellentiam, atque removet prohibens peccati, scilicet legem per ejus contemptum sive explicitum, sive implicitum, sic superbia est generale peccatum. *D. Tho. 2. 2. q. 162. a. 1.* *V. Ibid. a. 2.*

Estquè superbia peccatum mortale ex suo genere: quia refugit subiici DEO, 2dùm scilicet quod aliquis se extollit supra id, quòd est sibi præfixum, 2dùm Divinam Regulam vel mensuram: jam verò non subiici DEO est averti à DEO, quod ex se est lethale, nisi adsit imperfectio actûs. Est autem superbia vitium humilitati oppositum, 2dùm quod superbia subiectionem aspernatur, & importat quandam superioritatem. *V. Ibid. a. 5.* *V. Ibid a. 1. ad 3.*

Superbiæ species sunt quatuor; nempe 1ma. *Æstimare bonum à se ipso habere.* 2da. *Desuper sibi datum bonum pro suis suscepisse meritis credere.* 3tia. *Gloriari se habere, quod non habet.* 4ta. *Et cæteris despectis appetere videri singulariter habere, quod habetur.* Ratio horum est: quia superbia importat immoderatum excellentiæ appetitum: qui scilicet non est 2dùm rationem rectam. Est autem considerandum, quòd quælibet excellentia consequitur aliquod bonum habitum. Quod quidem potest tripliciter considerari. Uno modo 2dùm se. Manifestum est enim quòd quantò magis est bonum, quod quis habet, tantò per hoc excellentiam majorem consequitur; Et ideo cùm aliquis attribuit sibi *V. Ibid a. 4.*

majus bonum quàm habeat, consequens est, quòd eius appetitus tendit in excellentiam propriam ultra modum sibi convenientem. Et sic est tertia species superbiæ, cùm scilicet aliquis iactat se habere, quod non habet. Alio modo ex parte causæ, prout scilicet excellentius est, quòd aliquod bonum insit alicui à seipso, quàm quod insit ei ab alio. Et ideo cùm aliquis æstimat bonum, quod habet ab alio ac si haberet à seipso, fertur per consequens appetitus eius in propriam excellentiam supra suum modum. Est autem dupliciter aliquis causa sui boni. Uno modo efficienter. Alio modo meritoriè. Et 2dùm hoc sumuntur duæ primæ superbiæ species, scilicet cùm quis à semetipso æstimat, quod à DEO habet, vel cùm propriis meritis sibi datum desuper credit. Tertio modo, ex parte modi habendi, prout excellentior aliquis redditur ex hoc, quòd bonum aliquod excellentius cæteris possidet. Unde ex hoc etiam fertur inordinatè appetitus in propriam excellentiam. Et 2dùm hoc quarta superbiæ species, quæ est, cùm aliquis cæteris singulariter vult videri.

Adverte hic tertiam speciem superbiæ esse *Arrogantiam*. Porrò *Elatio mentis*, *&* *Tumor*, sunt proprietates superbiæ, qui se magnum esse aliquid & altitudine ferè nubes tangere, & amplitudine inflatâ penè orbem implere existimat.

Gradus Superbiæ 12. ex S. Bernardo vide infrà ad calcem huius Operis.

Psal. 30. *Motiva detestandi & fugiendi Superbiam.* *Psal.* Dominus retribue abundanter facientibus superbiam. *Prov.* Ubi
Prov. 11.
Prov. 8. fuerit superbia, ibi erit & contumelia. *Ibidem:* Arrogantiam,
Prov. 16. & superbiam, & viam pravam, & os bilingve detestor. *Ibidem:*
V. 18. Abominatio Domini est omnis arrogans. *Ibidem:* Con-
Eccl. 10. tritionem præcedit superbia: & ante ruinam exaltatur spiritus. *Eccl.* Initium omnis peccati est superbia, qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem. *Item:* Sedes ducum superborum destruxit DEUS, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit DEUS, & plantavit humiles ex ipsis gentibus. *Item:* Memoriam superborum perdidit DEUS, & reliquit memoriam hu-

milium

milium sensu. *Luc.* B. V. MARIA ait: Dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit poterites de sede, & exaltavit humiles. *Jacobus Apostolus*: DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Luc c. 1.* *Jacob. 4.*

2dum. *S. Augustinus.* Audeo dicere: superbis utile esse cadere in aliquod apertum & manifestum peccatum, unde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit. Hoc dicit sacer Psalmista: Imple facies eorum ignominiâ. *Idem*: Si vix toleratur dives superbus, pauperem superbum quis ferat? *Idem*: Humilitas homines sanctis Angelis similes facit, & superbia ex Angelis dæmones facit: & ut evidenter ostendam, ipsa est omnium peccatorum initium, & finis, & causa, quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia. *S. Hieronymus*: Multò illa deformior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim quomodo turpia sunt, cùm virtutum specie celantur. *Gregorius*: Plerumque latet superbia, & castitas innotescit, atque ideo tentata diu castitas, circa finem vitæ perditur: quia cooperta superbia usque ad finem incorrecta retinetur)) Quare juxta Ecclesiasticum: *Odibilis coram DEO est & hominibus superbia.* Colligitur ex *D. Gregorio* qui ait: Cunctis namque superbâ apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos verò alios importuna; ad ea quæ facere & debet & prævalet, ignava: ad ea autem quæ facere nec debet nec prævalet, parata. *S. Bernardus*: Quid tu igitur superbis terra & cinis? Si superbientibus Angelis DEUS non pepercit, quantò magis tibi putredo & vermis? nihil ille fecit, nihil operatus est, tantùm cogitavit superbiam, & in momento, in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus est: quia juxta Psalmistam *in veritate non stetit.* Fugite superbiam Fratres mei (quæso) multùm fugite. Initium omnis peccati superbia, quæ

S. Aug. de civit. DEI lib. 14. *S. Aug. serm. 19.* *Idem Epist.* *S. Hier. in Marcum.* *S. Greg. in mor.* *Eccl 10.* *Idem 34. mor. c. 18.* *S. Bern. serm. 1. in advent.* *Joan. 8.*

quæ tam velociter ipsum quoque syderibus cunctis clariùs micantem æternâ caligine obtenebravit Luciferum: quæ non modo Angelum, sed Angelorum primum in diabolum commutavit. *S. Bern.* Quid enim magis indignum, quid detestandum ampliùs, quid graviùs puniendum, quàm ut videns DEUM cæli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? intolerabilis impudentiæ est, ut ubi se exinanivit Majestas, vermiculus inflecur & intumescat. *Idem super Isai:* *Et ea* inquit, *quæ sub ipso erant, replebant templum.* Propterea sanè dixit: humiliare sub potenti manu DEI, ut exaltet te in tempore visitationis. Vide ut sub ipso invenjaris, alioquin non esse poteris cum ipso. Quid enim putas, indifferenter admittet homines in illud tantæ beatitudinis templum, qui nè ipsos quidem Angelos indifferenter reliquit in eo? aut non discernet inter glebas qui discrevit inter stellas? Examinabit certè argentum, qui ipsum quoque aurum probavit & reprobavit. Qualem ergo putas necesse est hominem inveniri, qui repudiati locum Angeli sortiatur? Planè immunem ab omni iniquitate, sed ab ea maximè quæ in ipso quoque Angelo, non ad levem offensam, non ad momentaneam iram inventa est, sed ad odium sempiternum. Semel turbavit superbia regnum illud, concussit muros, etiam prostravit ex parte & parte non modica. Quid ergo facile nè deinceps admittenda videtur? Nunquid non odit civitas illa, & vehementer ejusmodi pestem abominatur? Certi estote Fratres, eum qui superbis non pepercit Angelis, nec hominibus parciturum. Non est contrarius sibi ipsi, non est personarum acceptor, similia sunt judicia eius. Sola ei placet humilitas sive in Angelo, sive in homine: & qui sedet in throno solos eligit subditos, è quibus repleat templum. Scriptum quippe est Quis sicut Dominus DEUS noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? *Et Paulò infrà:* Eant superbi, insolescant magis, extollantur, inflentur, appetant semper in cumulo apparere, ut cùm venerit æquitatis linea, à plenitudine ejiciantur. Tu verò non sic, sed DEO subjecta esto anima mea, subjecta sanè ex animo, subjecta cum fervore devotionis, quia Seraphin stabunt super illud. *Idem:* Superbo certè diabolo horrenda & formi-

S. Bernard. serm. 1. de Nat. Domini.

Idem supra Isai. vidi Dominum ser. 2. Esai. 6.

S. Bern serm. 54. in Cant.

formidulosa maledictio intorquetur. *Et infrà*: Si sic est actum cum eo, quid de me fiet terra & cinere? Ille in cælo tumuit, ego in sterquilinio? quis non tolerabiliorem in divite superbiam, quàm in paupere dicat? Væ mihi si tam dure in potente illo animadversum est! quid de me fiet exiguo & misero & superbo? *Idem*: Videas plerosque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos subitò intumescere, pristinæ oblivisci abjectionis, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes. Videas & homines perniciosos ad honores quoque Ecclesiasticos pervolare, & mox sibi applaudere sanctitatem vestium mutatione, non mentium: & dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo pervenerunt, quodquè (non audeo dicere) adepti sunt nummis, attribuere meritis. *Idem*: Sed video (quod magis doleo) post spretam seculi pompam, nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisquè Magistri graviùs insolescere, & impatientes ampliùs fieri in Claustro, quàm fuissent in seculo. Quodquè magis perversum est, plerique in domo DEI non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt, ut quia videlicet, ubi à pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt, saltèm ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur. *Idem*; Væ semel! & væ iterum! pauperibus superbis. Væ inquam semel! & væ iterum! &c. portantibus crucem Christi & non sequentibus Christum: qui nimirum cujus passionibus participant, humilitatem sectari negligunt. Duplici quippe contritione conteruntur, qui hujusmodi sunt, quando & hic pro temporali gloria temporaliter se affligunt, & in futuro pro interna superbia, ad æterna supplicia pertrahuntur. Laborant cum Christo, sed cum Christo non regnant. Sequuntur Christum in paupertate, sed in gloria non sequuntur. De torrente in via bibunt, sed non exaltabunt caput in Patria. Lugent nunc, sed tunc non consolabuntur. Et meritò: Quid enim facit superbia sub pannis humilitatis JESU? nunquid non habet quo se palliet humana malitia, nisi unde involuta est infantia Salvatoris? Et quomodo intra præsepium Domini

Idem hom 4. super missus est.

Ibidem.

simulatrix arrogantia se coarctat, ac pro vagitibus innocentiæ, malum inibi detractionis immurmurat? *S. Thomas*: Superbia est impeditiva cognitionis, veritatis, & sapientiæ: Quia cognitio veritatis est duplex, una purè speculativa: & hanc superbia indirectè impedit, subtrahendo causam: Superbus enim neque DEO intellectum suum subiicit, ut ab eo veritatis cognitionem percipiat 2dùm illud Matth. 11. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, (id est, à superbis, qui sibi sapientes & prudentes videntur,) & revelâsti ea parvulis, id est, humilibus: Neque etiam ab hominibus addiscere dignatur, cùm tamen dicatur Eccles 6. Si inclinaveris aurem tuam, scilicet humiliter audiendo, excipies doctrinam. Alia autem est cognitio veritatis, scilicet affectiva. Et talem cognitionem veritatis, directè impedit superbia: quia superbi dum delectantur in propria excellentia, excellentiam veritatis fastidiunt: ut Grego. 23 Moral. quòd superbi etsi secreta quædam intelligendo percipiunt, eorum dulcedinem experiri non possunt: & si noverunt quomodo sunt, ignorant quomodo sapiunt. Unde & Proverb. 11. dicitur: ubi humilitas, ibi sapientia. *Idem*: Apostolus ad Rom. 1. dicit quòd Philosophi per elationem cordis traditi sunt in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt. Quia sicut in Syllogismis ducentibus ad impossibile, quandoque aliquis convincitur, per hoc quod ducitur ad inconveniens magis manifestum: ita etiam ad convincendum superbiam hominum, DEUS aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia; quæ etsi sint minora, tamen manifestiorem turpitudinem continent. Unde & Isidor. dicit in lib. de summo bono. Omni vitio deteriorem esse superbiam, seu propter hoc quòd à summis personis, & primis assumitur; seu quòd de opere justitiæ, & virtutis exoritur, minusquè culpa ejus sentitur. Luxuria verò carnis ideo notabilis omnibus est, quoniam statim per se turpis est; & tamen dispensante DEO superbiâ minor est. Sed qui detinetur superbiâ, & non sentit, labitur in carnis luxuriam; ut per hanc humiliatus à confusione exurgat. Ex quo etiam patet gravitas ipsius superbiæ. Sicut enim medicus sapiens in remedium majoris morbi patitur

S. Thom. 2. 2. q. 162. a. 3. ad 1.

Ibidem. 2. 2. q. 162. art. 6. ad 3.

tur infirmum etiam in leviorem morbum incidere, ita etiam peccatum superbiæ gravius esse ostenditur ex hoc ipso, quòd pro ejus remedio DEUS permittit homines ruere in alia peccata. *Idem*: Superbia est primum & principium omnium peccatorum. Quia illud quod est per se, est primum in quolibet genere. Aversio autem à DEO quæ formaliter complet rationem peccati, pertinet ad superbiam per se, ad alia autem peccata ex consequenti. Et inde est, quòd superbia habet rationem primi peccati, & est etiam principium omnium peccatorum, ut dictum est, cùm de causis peccati ageretur ex parte aversionis, quæ principalior est in peccato. *Idem*: Superbia uno modo est vitium capitale, & alio modo Regina & mater omnium vitiorum. Quia superbia dupliciter considerari potest. Uno modo secundùm se, prout scilicet est quoddam speciale peccatum. Alio modo secundùm quod habet quandam universalem influentiam in omnia peccata. Capitalia autem vitia ponuntur esse quædam specialia peccata, ex quibus multa genera peccatorum oriuntur. Et ideo quidam considerantes superbiam secundùm quod est quoddam speciale peccatum, connumeraverunt eam aliis vitiis capitalibus. Gregorius verò considerans universalem ejus influentiam, quam habet in omnia vitia, ut dictum est, non connummeravit eam aliis capitalibus vitiis, sed posuit eam Reginam omnium vitiorum & matrem. Unde Gregorius dicit in 31. Moral. Ipsa vitiorum Regina superbia, cùm devictum plenè cor cœperit, mox illud septem principalibus vitiis quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit, ex quibus vitiorum multitudines oriuntur.

Ibid. a. 7.

Ibid. art. 8.

3tiùm. David quia ex superbia quadam populum numerari jussit, gravissimâ pestilentiæ regnum suum devastantis pœnâ punitus est. *Aliud*: Nabuchodonosor propter superbiam suam de regno depositus, & bestiis assimilatus est. *Aliud*: Antiochus quia præ superbia existimabat se terram ad navigandum, pelagus ad iter agendum deducturum, à vermibus consumptus interiit. *Aliud*: Blasphemus Clericus sententiam illam: Omnis qui se exaltat humiliabitur: falsam dicens, fulmineo ense in acie transfigitur. *Aliud*: Refert doctor Jacobus de Paradiso

2. Reg. 24.

Dan. 6.

2. Mach. 9.

Spec. exemp. d. 1. ex. 91.

Collector. specul. Jacob. de Paradi.

radiso Carthusiensis: quòd quædam virgo devota ita vitam suam duxit jejunando, vigilando, orando, castigando se, quòd ab omnibus sancta reputabatur. Contigit autem eam infirmari usque ad mortem, cujus confessionem quidam devotus Sacerdos audivit, qui suam spiritualem superbiam ignoravit Cui post obitum, ipsa apparuit nigra, & valdè horribilis; Sacerdos autem expavescens, quæsivit quis esset? & fatebatur se esse illam virginem, quæ quasi sancta reputabatur, & subjunxit dicens: ego infœlix tradita sum infernalibus incendiis cum inferioribus dæmonibus, & cum infimis damnatis æternaliter cruciandа, propter meam propriam complacentiam, & spiritualem superbiam quàm habui, quòd nullam æqualem mihi reputavi, sed super omnes me extuli, & alios homines judicavi & sprevi, propterea ad profundum inferni descendi, de quo nunquam liberabor.

S.Hier. in Epist. *4tum.* S. Hieronymus de seipso fassus est: Nihil ita à pueritia vitare conatus sum, sicut tumentem animum & erectam cervicem Dei contra se odia provocantem. Novi enim Magistrum & Dominum meum in carnis humilitate dixisse: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. *Aliud*: S. Ignatius adeò de se omnem existimationem deposuerat, ut fateretur, nihil minus se, quàm superbiam timere, addideritquè, se intra viginti annos nè minimam quidem hac in materia tentationem passum fuisse. Vita lib. 5. c. 2.

Biblioth. manual tit. superbia. *In Praxi* ad deprimendam superbiam, hæc ex *P. Lohner* præstò sunt. I. *Considerare exemplum Christi*: quis enim famulorum auderet aureâ veste superbus incedere, si Regem & Dominum suum vili lacernâ indutum cerneret? Quomodo ergo servus Christi non erubescet, se super alios efferre, si Dominum suum & tantum, tantoperè humiliatum, & infra omnes homines depressum videt?

II. *Considerare Beatissimæ V. M. humilitatem.* Ut enim qui Pharmacopolium ingreditur, in vestibus etiam odorem secum aufert, sic quis prædictam humilitatem considerat, non poterit non ad eandem sectandam excitari.

III. Huc etiam conducunt non modicè noti versus.

Unde

Unde superbit homo, cujus conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori?
Post hominem vermis, post vermem foetor & horror.
Sic in non hominem, vertitur omnis homo.

Vide fusius supra de Cognitione sui ipsius.

IV. *Considerare vanitatem rerum*, de quibus oritur superbia: uti S. Chrysostomus svasit dicens: Fortis es, & altum sapis, nonne propterea magis humiliari debes? Quare sapis altum in re vilissima? nam & Leo te est audacior, & aper fortior. At pulcher es & speciosus? Cornicum ostentatio; non est pavone pulchrior, neque propter florem neque propter alas.

S. Chrysost. hom. 59.

V. Cognoscere 2dùm S. Gregorium quòd difficile in se quisque inveteratam superbiam deprehendit; quia nimirum hoc vitium, quantò magis patimur, tantò minus videmus.

S. Greg. in moral. lib. 24. c. 28.

VI. Cognoscere hoc vitium ab omnibus quidem, sed specialiter ab Asceta vitandum esse; quia teste S. Chrysostomo nihil longiùs ab amore DEI abducit, nihil tam facilè in gehennam intrudit, quàm superbiæ insania: & quia juxta Cassianum morbus superbiæ, licèt ultimus sit in conflictu vitiorum; origine tamen & tempore primus est. Sævissima & superioribus cunctis immanior bestia, perfectos maximè tentans.

VII. Agnoscere studeat radicem hujus vitii, quo faciliùs & efficaciùs illud sanare possit: Sic enim S. Gregorius monuit dicens: Vitium superbiæ ab ipsa radice secandum est, ut cùm latenter oritur, tunc vigilanter abscindatur, nè profectu vigeat, nec usu roboretur. Porrò radix hujus vitii potissima est, quòd bona, ob quæ quis effertur, ut propria aspiciat, & plus æquo æstimet: unde duo potissimùm media ad hanc radicem extirpandam adhibenda erunt: Primum est, ut certò sibi quisque persvadeat, omnia bona, quæ habemus, DEI dona esse, ac proinde non modò ob ea extolli non debere, sed graviter potiùs timere, nè quo plura sunt collata, eò gravior severiorquè à nobis ratio exigatur. Alterum est, ut pariter sibi benè persvadeat, alia esse DEI quàm hominum judicia, ut meritò S. Augustinus & Gregorius dixerint: Væ laudabili vitæ hominum! si remota pietate judicetur, quia unde ante oculos judicis se placere suspicatur, obruitur. *Hucusque Lohner.*

In vita S. Magdalenæ de Paz Collector.

VIII. Imitare S. Magdalenam de Pazzis quam versutus serpens antiquus ut adduceret ad elationem aut ad propriam sui ipsius complacentiam, & superbum sentire de seipsa, utebatur ad hoc pro medio singularibus donis & gratiis Magdalenæ à DEO concessis. Verùm & hìc victus profundâ Magdalenæ humilitate. Imò hæ suggestiones superbiæ erant ei major occasio ad se humiliandum, quò se censebat magis magisquè nullius esse frugi, cognoscendo clariùs suam miseriam & debilitatem, dum sentiret frequentiores ad elationem motus. Et ad fundamentaliorem superbiæ confusionem, ac elatæ de se opinionis, instanter petiit à superiore sua, ut illam frequenter humiliaret, & semper juxta suum mortificaret placitum. Quare superior sua, aliquando mandavit ipsi à sorore ad sororem transire, & cum humilitate remissionem mendicare, aliquando ad omnes in communi. Interdum verò talem ei assignabat pœnitentiam, ut funem imponens collo, & retro manus colligatas habens, omnium sororum oscularetur pedes, flectendo ad quamlibet sub mensa. Aliquando etiam protractam ei mandabat facere disciplinam suis aut alterius sororis manibus. Aliquando jubebat eam exire à mensa, & sedentes circumire, mendicando propter DEI amorem frustulum panis, quod postea cum lætitia posita, in medio Refectorii flectendo manducabat in terra. Cognoscens autem Mater superior, quòd ejusmodi mortificationes summoperè fuerint cum fructu & ope spirituali, tam in particulari quàm in communi exhortabatur illam verbis ad ejus humiliationem servituris. Insuper commiserat etiam nonnullis Monialibus, ut prætergrediendo Magdalenam in claustro ubicunque pro ejus majori mortificatione verba arguentia & pudorem inferentia dicerent: quod dum facerent ex obedientia, humilis subsistebat Magdalena magno cum silentio illas audiendo, & ad pedes procidendo, culpabilem se esse agnoscebat ac veniam petebat, mirabiliquè spiritûs humilitate pro hoc gratias agendo dicebat: Connumeret id vobis DEUS in merita. Et quanquam prudens Mater superior agnosceret, quòd nimia tentationum assiduarum violentia efficeret nonnunquam in innocenti Magdalena aliquas exteriùs imperfectiones contra ejus volun-

voluntatem, attamen & pro his minutissimis in præsentia sororum omnium severè illam increpabat, & publicam illi imponebat pœnitentiam. Propterea sæpe illi assignabat, ut in limine vel ad Ecclesiam vel etiam ad Refectorium in terram sese per modum crucis projiceret, ut ita à sororibus exeuntibus simul cum terra conculcaretur. Aliis verò temporibus mandabat ipsi retro ligare manus, & in tali alligare loco, quem obambulantes moniales juxta præceptum superioris Matris molesta verba illi dicerent.

S. Magdalena de Pazzis ut è suarum discipularum cordibus eradicaret omnem superbiam, & plantaret humilitatem, miris id modis efficiebat: Igitur quando reperiebat inter illas aliquam specialioribus à DEO & natura donatam talentis, id est, quòd essent acrioris judicii, majoris scientiæ, & excellentioris sapientiæ, vel quòd essent generosiores in aliis virtutibus super cæteras; tum sancta non multùm illis ad negotia utebatur: hoc insinuando quòd illas modicùm æstimaret super cæteras, humiliando ipsas semper in operibus earum. Et hoc præcipuè libenter faciebat cum illis, quas cognoscebat gloriari in actionibus suis. Porrò Magdalena ejusmodi suis discipulabus mille retegebat imperfectiones ad oculum, ut illæ quæ sapiebant vanam gloriam aut complacentiam in suo opere, post moram puderet eas, quòd cum tali imperfectione illud absolvissent. Dum verò aliquâ opus haberet ad aliquid exequendum, in quo ejus excellentia vel virtus menifestaretur, id ejusmodi recommendabat verbis, ut omnem de corde ejus pelleret tumorem. Deinde talentatas scientiâ super alias, exercebat in actionibus contemptibilibus. v. g. in refectorio jussit clarè legere alphabetum, vel Ave MARIA; aliàs verò ut publicè aliqua ex Matribus Claustri argueret, persvadebat, ut scirent se modicùm æstimari pro sapientibus. Dum verò aliquam advertit videri sibi quasi bonam & utilem Ordini, vocabat eam in medium aliarum dicebatquè. Ecce hæc filia axistimat, quòd nobis acciderit magna quædam fortuna, dum illam tenemus in Monasterio nostro: Verùm dico vobis, quòd ipsa habuerit specialem fortunam cùm Religiosæ consenserint, ut illam huc susciperent.

In vita ejus.

ſciperent. Aliquibus etiam temporibus illas virgines, quæ veniebant ad Monaſterium antequam Religioſum habitum ſuſcepiſſent, adducebat, ut in ſuis pretioſis veſtibus oſcularentur pedes Monialium, & ut menſæ humiliter inſervirent. Cuidam verò dum videretur, quòd multum argueretur, & in omnibus ſuis culpis & defectibus introſpiceretur, ut illam ſancta Mater magìs humiliaret, omnibus præcepit Noviriis, ut illam eò diligentiùs in omnibus ſuis culpis & defectibus adverterent, omniaquè ſibi inſinuarent, illa verò publicè hanc ſororem de illis arguendo, in humilitate & perfectione corrigebat. Quædam ſub tempus magiſterii Novitiatus ejusdem Sanctæ, nobilis virgo venit ad Monaſterium feruens ſpiritu: tandem dixit ſe non poſſe in illo monaſterio manere, in quo non daretur occaſio aſperius vivendi pro amore DEI. Deinde in ſua ſuſceptione habitûs nolebat videre illas (quamvis ſanctas) Ceremonias. De hoc ſecundò arguebat illam S. Mater, ut propter ſuam duritiem ſæpiùs ei dixerit: Tales ſermones ſunt illorum hominum, quos mundus opinatur habere magnum lumen & altum ſpiritum: Quibus compuncta verbis correxit ſe. Quoad verò primum dictum, ita procesſit cum illa, ut pro minima culpa illam acriter argueret: quandoque inſperatè asſignabat varias ei pœnitentias. Jusſit quoque aliis Noviriis illâ junioribus, ut de qualibet imperfectione illam arguerent, nihil dicendo quòd id ipſis à Matre Magiſtra præceptum fuiſſet. Et hoc factum eſt aliquot menſibus. Videns verò afflictam illam ſororem dixit ei ſancta. Recordamini ſoror cum quanta pertinacia elegeratis hoc Monaſterium, cenſendo quòd in illo non faciunt magnas pœnitentias? Et ſic manſit verè humiliata. Cæterum intra illud ſpatium aliquot menſium dum ità humiliaretur ac affligeretur illa ſoror, ſæpiùs illam confortabat ac conſolabatur dicens: Soror neceſſe eſt ei, qui vult ſe in DEO inſtaurare, debet primum ſe deſtruere: Deniquè his concludebat verbis: quòd in hoc fuiſſet voluntas Divina, ut talem in morem cum ipſa procederet propter ejus animæ excellentius bonum.

l. 2. tra: 1. c. 1. ſec. 4 ſubſ. 2. §. 2. & 3. *Vide quoque ſupradicta, & hìc proportionatè applica ad eradicandum peſtilens ſuperbiæ germen.*

SUB-

SUBSECTIO X.

De Studiositate.

STudiositas est virtus, quæ moderatur appetitum, ut is secundùm rationem rectam applicet vim cognoscitivam hujus, vel illius ad cognitionem sic vel aliter. Dicitur; *Virtus*: quia cùm 2dum Philosophum in Metaph. 3 tom. omnes homines naturaliter scire desiderant, eiusmodi desiderium nè vel excedat vel deficiat ob laborem in quærendo scientiam: ideo ad hoc necessaria est aliqua virtus, quæ sita in medio utrumque caveat extremum; & hæc est virtus Studiositatis. Dicitur: *ad cognitionem &c.* quia studiositas primariò, & propriè circa cognitionem versatur, etsi secundariò & minus propriè circa ea occupetur, ad quæ operanda cognitionis directione indigemus. D. Thom. 22. b 166. A. 1. & 2.

Materia circa quam versatur studiositas, seu quæ homo debet discere sunt ea, quæ quisque tenetur scire, ad rectè in suo statu vivendum, & officium obeundum juxta leges Divinas & humanas, communemquè morem & prudens dictamen rationis; Et ita homo quà Christianus, obligatur discere principia vitæ Christianæ; quà superior & curator animarum, tenetur alia scire, alia quantocyus addiscere, quæ pertinent ad exactum regimen animarum, v. g. scire ante susceptum munus Theologiam, maximè moralem & spiritualem, Rhetoricam cælestem exhortandi alios. &c. Addiscere modum salubriter gubernandi alios. Rex, princeps addiscere debet quæ spectant ad prudentiam multitudinis regitivam. Dux quæ ad prudentiam militarem: Oeconomus, quæ ad prudentiam gubernandi domum. Denique profitens aliquam artem vel scientiam, ea jam scire adeoque ante debet addiscere, quæ pertinent ad perfectionem illius artis vel scientiæ: Ex quo enim aliquis est in tali statu, officio vel exercitio debet eius munia callere, ut conservetur societas humana, bonum commune, justitia &c. ad Gloriam DEI.

Motiva Studiositatis &c. maximè ad studium sacrarum scripturarum. Imum. Monitum Christi dicentis: *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium* Joan. 5.

Rom. 5. *monium perhibent de me. Et Apostolus*: Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & conso-
2. Tim. 3. lationem scripturarum spem habeamus. *Idem*: Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo DEI ad omne bonum instructus.

S. Ambr. supra Luca lib. 1. *2dum. S. Ambrosius.* Legimus aliqua, nè negligantur; legimus nè ignoremus, legimus, non ut teneamus, sed ut repu-
Hugo lib. 6. diemus: *Hugo.* Noli contemnere minima, quia paulatim defluit, qui minima contemnit. Si primò alphabetum discere contempsisses, nunc inter Grammaticos tantum nomen non haberes. Scio quosdam esse qui statim philosophari volunt: quorum scientia formæ asini similis est, noli hujusmodi imitari. Par-
Ibidem. vis imbutus, tentabis grandia tutus. *Idem.* Prudens lector vel auditor omnes libenter audit, omnia legit, non scripturam, non personam, non doctrinam spernit, ab omnibus indifferenter, quod sibi deesse videt, quærit non quantum sciat, sed quantum ignoret considerat.)) Quod concernit studium sacrarum scriptura-
S. August. 2. Epist. ad Volusian. rum audi *S. Augustinum.* Tanta est Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte puerita usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: in quibus latet altitudo sapientiæ, ut avidissimis, acutissimis, flagrantissimisquè cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet: quum consummaverit homo, tunc
Ibidem. incipit. *Idem*: Hic Philosophia: quoniam omnes omnium naturarum causæ in DEO creatore sunt. Hic Ethica: quoniam bona vita & honesta non aliunde formatur, quàm quum ea, quæ diligenda sunt, & quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est DEUS, & proximus. Hic Logica: quoniam veritas lumenquè animæ rationalis nonnisi DEUS est. Hic etiam laudabilior reipublicæ salus: neque enim optimè custoditur civitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmæquè concordiæ, quum bonum commune diligitur, summum atque ve-
Idem lib. 2. de Trinit. rissimum DEUS est. *Idem*: Scriptura & creatura ad hoc sunt, ut ipse quæratur, ipse diligatur, qui illam inspiravit.

Idem:

Idem: Ad dignitatem ſcripturæ pertinet, ut ſub una litera multos ſenſus contineat, ut ſic diverſis intellectibus hominum conveniens, unusquisque miretur, ſe in ſcriptura divina poſſe invenire veritatem, quam mente conceperit, ac per hoc faciliùs contra infideles defenditur, dum ſi aliquid, quod quisque ex ſacra ſcriptura velit intelligere, falſum apparuerit, ad alium ſenſum recurſum posſit habere. *Idem*: Quilibet lector qui expoſiturus ſacram ſcripturam aggreditur, quum in ſacrarum voluminibus literarum aliqua velut diverſum ſonante ſententiâ ſolicitatur, certâ, inconcuſsâ fide tenere debet, nusquam deeſſe veritatem, etſi non facilè propter magnitudinem rei intellectus quærentibus occurrit. *S. Hieronymus*: De ſcripturis diſputantem non decet Ariſtotelis argumenta conquirere: nec ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus eſt rivulus; nec aures Quintiliani floſculis & ſcholari declamatione mulcendæ: ſed pedeſtris, & quotidianæ ſimilitudinis, & nullâ lucubratione redolens oratio neceſſaria eſt, quæ rem explicet, ſenſum ediſſerat, obſcura manifeſtet. *Idem*: Ille plus didicit, qui plus facit. Cæterùm, ſi quod tu ediſcis, ego facio, magìs mea opera ſcripturas tenent, quàm tuus ſermo, qui vanè reſonat. *S. Baſilius*: Quidquid vel dicimus, vel facimus, id teſtimonio divinarum literarum confirmari debet *S. Gregorius*: Scriptura ſacra mentis oculis quaſi ſpeculum quoddam opponitur, ut ibi interna facies noſtra videatur: ibi enim fœda, ibi pulchra noſtra conſpicimus, ibi ſentimus, quantum proficimus, quantumve à profectu longè diſtamus. *Idem*: Tanta ac talis eſt divinæ ſcripturæ ſublimitas, ut non ſolùm verba, quæ à ſanctis, vel ab ipſo Domino dicta referuntur, ſed etiam circumſtantiæ rerum, quæ ſimpliciter poſitæ videntur, ſpiritualibus ſint plenæ myſteriis. *Iſidorus*: Quid prodeſt in mundanis proficere doctrinis, & marceſcere in divinis? caduca ſequi figmenta, & cæleſtia faſtidire myſteria? Cavendi igitur ſunt tales libri, & propter amorem ſanctarum ſcripturarum vitandi, qui exteriùs eloquentiâ verborum nitent, & interiùs vacui virtutis ſapientiâ manent. Eloquentia autem ſacra exterius incorrupta verbis apparet, intrinſecus autem myſteriorum ſapientia fulget.

Idem de vera Relig.

Idem. de prædeſtinatione gratia in princ.

D. Hieron. ad Demetr.

Idem in pſal. 23.

S. Baſil. in mo reg. 26.

S. Gregor. in prolog. mor.

Idem in hom.

Iſidorus de libris gentil.

Hugo:

Hug. de lib. anim. *Hugo:* Nihil in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nihil ita mentem ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil ita hominem excitat & adjuvat ad omne opus, & ad omnem laborem, ac studium sacræ scripturæ. *Ibidem lib. 3.* *Idem:* In Refectorio sacræ scripturæ tres mensæ, id est, tres intellectus Divinæ scripturæ ponuntur, videlicet historialis, mysticus, & moralis. Prima mensa simplicibus, 2da Doctoribus, 3tia communis est utrisque. In prima cibus est grossior, in 2da subtilior, in 3tia dulcior. Prima continet saporem exemplorum, secunda vim mysteriorum, tertia dulcedinem morum. Prima pascit miraculis, 2da figuris, tertia verbis.

In Praxi ad Profectum in studio honesto hæc observa.

Hugo lib. 3. I. *Hugo* ait: Tria sunt studentibus necessaria: Natura, Exercitium, Disciplina In natura consideratur, ut facilè audita percipiat, & percepta retineat. In exercitio, ut labore & sedulitate naturalem sensum excolat. In disciplina, ut laudabiliter vivens, mores cum scientia componat. *Idem:* Tria sunt quæ præcipuè studiis legentium obesse solent: Negligentia, Imprudentia, Fortuna. Negligentia est, quando ea quæ discenda sunt, vel prorsus prætermittimus, vel minus studiosè discimus. Imprudentia est, quando congruum ordinem in his, quæ discimus non servamus. Fortuna est in eventu casuum, sive naturaliter contingente, quando vel paupertate, vel infirmitate, vel naturali tarditate, sive etiam Doctorum raritate, à proposito nostro retrahimur. In his autem tribus de primo, id est negligentia Lector admonendus est, de secundo verò, id est prudentia instruendus, de tertio, id est fortuna adjuvandus.

S. August. Epist. 56. ad Diosc. II. *S. Augustinus:* Non aliam ait ad capessendam & obtinendam veritatem & sacram sapientiam viam munias, quàm quæ munita est ab eo, qui gressuum nostrorum, tanquam DEUS videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas: Et quoties interrogares, hoc idem dicerem. Itaque sicut Demosthenes in eloquentia pronunciationis primas, secundas, tertias, dabo humilitati, quam Dominus noster ut doceret, humiliatus est nascens, vivens, & moriens. *S. Bern. serm. 37. in Cant.* Quare pulchrè *S. Bernardus* inquit: Necesse est

eſt, inquit, ut cognitio & ſui ipſius, præeat ſcientiam noſtram: ſeminate vobis ad juſtitiam, & metite ſpem vitæ; & tum demum illuminabit vos lumen ſcientiæ. Ad hoc ergo non rectè proditur, niſi juſtitiæ germen, præcedat ad animam, ex qua formetur granum vitæ, non palea gloriæ. Et *S. Gregorius* dicit: Divinus ſermo ſacræ ſcripturæ eſt fluvius planus, & altus, in quo & agnus ambulat, & elephas natat. *S. Gregor. lib. moral. c. 4.*

III. *Hugo*: Ad ſacræ ſcripturæ cognitionem opus eſt intimâ compunctione, potiùs quàm profundâ inveſtigatione, ſuſpiriis, quàm argumentis, crebris gemitibus, quàm copioſis argumentationibus, lachrymis quàm ſententiis, oratione quàm lectione, gratiâ lachrymarum, quàm ſcientiâ literarum, cæleſtium potiùs contemplatione, quàm terreſtrium occupatione *Hugo lib. de anim.*

IV. Studium quod non ordinatur ad ſolam DEI gloriam breve eſt ad inferos iter, non præcisè propter Studium, ſed propter ſuperbiæ, quem parit, flatum. *Theoremat. V. Fr. Joan. à S. Samſone de Stud. ſcient.*

V. Satis mirari non poſſum quosdam Sacerdotes tam regulares quàm ſeculares, qui ſibi ſtudium omne licitum putant, quantumcunquè leve, & profanum; dicentes debere ſe omnia videre & ſcire, ut ſecularium difficultates ſuper horum malitia aut rectitudine diſſolvant. Iſte ſenſus valdè rudis eſt & inconditus, & pura naturæ quæſitio, quæ ſpiritualem olfactum corruptiori exponit cælo, quòd posſit dici: Dejicere eſt ſtatum ſuum in corruptione, & non ut par eſt, ſupra Angelos extollere; Juſti & Sancti cognoſcere nolunt, niſi ut ament. *Idem ibidem.*

VI. Qui vult ſanctam ſtudiis operam dare, nunquam debet ullo in caſu, appetitûs ſui & propenſionis in DEUM ſenſum amittere; non quòd ſemper oporteat hoc ſenſu affici, ſed identidem hanc attentionem ad DEUM revocare, & non ex omni appetitu affectuquè naturali in ſtudiis effundi. *Idem Ibidem.*

VII. Modum explicandi ſacram ſcripturam in ſenſu literali, morali, allegorico, anagogico, vide in 3. p. Theol. Spirit. in 1. Hierarchiæ 2. gradu contemplantium DEUM in S. Scriptura.

SUBSECTIO XI.

De Curiositate.

Curiositas, *est inordinatus sciendi appetitus, & studium.* Dicitur; *inordinatus*: Quæ inordinatio tam circa ipsam scientiam seu cognitionem, quàm ipsum circa sciendi appetitum contingit diversimodè. Quia juxta D. Thomam, Studiositas non est directè circa ipsam cognitionem, sed circa appetitum & studium cognitionis acquirendæ. Aliter autem est judicandum de ipsa cognitione veritatis, & aliter de appetitu & studio veritatis cognoscendæ. Ipsa enim veritatis cognitio, per se loquendo, bona est: potest autem per accidens esse mala, ratione scilicet alicujus consequentis, vel in quantùm scilicet aliquis de cognitione veritatis superbit (2dùm illud primæ ad Corinth. 8. Scientia inflat) vel inquantùm homo utitur cognitione veritatis ad peccandum. Sed ipse appetitus vel studium cognoscendæ veritatis potest habere rectitudinem, vel perversitatem. Uno quidem modo, prout aliquis tendit suo studio in cognitionem veritatis, prout per accidens conjungitur ei malum, sicut illi qui student ad scientiam veritatis, ut exinde superbiant. Unde Augustinus dicit in lib. de moribus Ecclesiæ. Sunt qui desertis virtutibus, & nescientes quid sit DEUS, & quanta Majestas, semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si universam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè intensissimequè perquirant. Unde tanta etiam superbia gignitur, ut in ipso cælo, de quo sæpè disputant, sibimet habitare videantur. Similiter etiam illi, qui student addiscere aliquid ad peccandum, vitiosum studium habent, 2dùm illud Hiere. 9. Docuerunt lingvam suam loqui mendacium, ut iniquè agerent laboraverunt. Alio autem modo potest esse vitium ex ipsa inordinatione appetitûs, & studii ad discendam veritatem. Et hoc quadrupliciter. Uno modo, inquantùm per studium minus utile retrahuntur à studio, quod eis ex necessitate incumbit. Unde Hieronymus dicit: *Sacerdotes dimissis*

D. Tho. 2. 2. q. 166. a. 1.

misſis Evangeliis & Prophetis, videmus comœdias legerē; & amatoria Bucolicorum verſuum verba cantare. Alio modo, in quantùm ſtudet aliquis addiſcere ab eo à quo non licet, ſicut patet de his qui aliqua futura à dæmonibus perquirunt, quæ eſt ſuperſtitioſa curioſitas. Unde Auguſt. dicit in lib. de vera religione: Neſcio an Philoſophi impedirentur à fide vitio curioſitatis in percunctandis dæmonibus. Tertio quando homo appetit cognoſcere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, ſcilicet ad cognitionem DEI. Unde Auguſt. dicit in lib. de vera religione: Quòd in conſideratione creaturarum non eſt vana & peritura curioſitas exercenda, ſed gradus ad immortalia & ſemper permanentia faciendus. Quarto modo, inquantùm aliquis ſtudet ad cognoſcendam veritatem ſupra proprii ingenii facultatem, quia per hoc homines de facili in errores labuntur. Unde dicitur Eccli. 3. Altiora te nè quæſieris, & fortiora te nè ſcrutatus fueris, & in pluribus operibus ejus nè fueris curioſus. Et poſteà ſequitur. Multos enim ſupplantavit ſuſpicio eorum, & in vanitate detinuit ſenſus eorum. Dicitur; *ſciendi ſeu cognoſcendi* &c. Ubi cognitio ſupponitur non tantùm intellectiva, ſed etiam ſenſitiva, quæ ſcilicet per ſenſus habetur, in qua curioſitas dupliciter verſari poteſt, dum ſcilicet vel ad inanem vel ad malum finem talis cognitio ordinatur. Quia 2dùm D. Thomam: Cognitio ſenſitiva ordinatur ad duo. *Ibidem. a. 2.* Uno enim modo tam in hominibus quàm in aliis animalibus ordinatur ad corporis ſuſtentationem, quia per hujuſmodi cognitionem homines & alia animalia vitant nociva, & conquirunt ea quæ ſunt neceſſaria ad corporis ſuſtentationem. Alio modo, ſpecialiter in homine ordinatur ad cognitionem intellectivam, vel ſpeculativam, vel practicam. Apponere ergo ſtudium circa ſenſibilia cognoſcenda, dupliciter poteſt eſſe vitioſum. Uno modo, inquantùm cognitio ſenſitiva non ordinatur in aliquid utile, ſed potiùs avertit hominem ab aliqua utili conſideratione. Unde Auguſt. dicit in 10. Confeſſ. Canem poſt leporem currentem jam non ſpecto, cùm in circo fit. At verò in agro ſi caſu tranſeam, avertit me fortasſis ab aliqua magna cogitatione, atquè à ſe convertit illa venatio. Et niſi

jam mihi demonstratâ infirmitate meâ, citò admoneas, vanus hebesco. Alio modo, inquantùm cognitio sensitiva ordinatur ad aliquod noxium, sicut inspectio mulieris ordinatur ad concupiscendum, & diligens inquisitio eorum, quæ ab aliis fiunt, ordinatur ad detrahendum. Si quis autem cognitioni sensibilium intendit ordinatè propter necessitatem sustentandæ naturæ, vel propter studium intelligendæ veritatis, est virtuosa studiositas circa sensibilem cognitionem.

Prov 25. 27. *Contra Curiositatem. Prov.* Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria. *Eccle:* In supervacuis rebus noli scrutari sensum tuum multipliciter: non est tibi necessarium ea quæ sunt abscondita videre oculis his, de ea re quæ te non molestat, nè certaveris, & in pluribus operibus ejus non eris curiosus. *Christus:* Dixit autem eis (discipulis) Non est vestrûm nôsse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate)) Deinde legitur in Actis Apostolorum; quòd multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos. Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus, & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. *Apostolus:* Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & sicut DEUS divisit unicuiquè mensuram fidei, *Idem;* Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi JESUM CHRISTUM, & hunc crucifixum. *Idem:* Audivimus inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. *Idem:* Neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis, quàm ædificationem DEI, quæ est in fide. *Idem:* Simul autem & otiosæ (viduæ) discunt circuire domos, non solùm otiosæ, sed & verbosæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet.

Eccl. 3. — *Actor.* 1. — *Act.* 19. — *Rom.* 12. 3. — 1. *Cor.* 2. 2. — 2. *Thess.* 3. 11. — 1. *Tim.* 1. 4. — 1. *Tim.* 5. 13.

Aug. Epist. ad Dioscorum. 2dum. *S. Augustinus:* Humilitati saluberrimæ, quâ Dominus noster JESUS CHRISTUS, ut docet, humiliatus est, maximè adversatur quædam, ut ita dicam, imperitissima scientia, dum nos scire gaudemus quid Anaximenes, quid Anaxagoras,

goras, quid Pythagoras, quid Democritus senserint, & cæteri hujusmodi, ut docti eruditiquè videamur: cùm à doctrina & vera eruditione id longè absit. *Idem*: Compescat se humana temeritas, & id quod non est, non quærat: nè illud quod est, non inveniat. *S. Augustinus*: Pulchras formas & varias, nitidos & amœnos colores amant oculi; Non teneant hæc animam meam, teneat eam DEUS, qui fecit hæc bona valdè, sed ipse est bonum meum, non hæc. *Idem*: In consideratione creaturarum non est vana & perita curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia & semper manentia faciendus. *S. Hieronymus*: Dæmonum cibus est, carmina Poëtarum, secularis scientia, Rhetoricorum pompa verborum. Nulla ibi saturitas veritatis, nulla justitiæ refectio reperitur, studiosi earum in fame veri, & in virtutum penuria perseverant. *S. Gregorius*: Grave curiositas est vitium, quæ dum cujuslibet mentem ad investigandam vitam proximi exteriùs ducit, semper ei intima sua abscondit, ut aliena sciens se nesciens sit, & curiosus animus quantò peritus fuerit alieni meriti: tantò fiat ignarus sui. *S. Gregorius*: Dum incongrua dicentes audire non renuis, non solùm opinionem tuam, sed gravas & animam. *Idem*: Fit rectò retributionis examine, ut qui exteriori oculo negligenter utitur, interiori cordis oculo non injustè cœcetur. *S. Bernardus*: Curiosus foras egreditur, & exteriùs omnia considerat, qui sic interna despicit, præterita non respicit, præsentia non inspicit, futura non prospicit. *Idem*: Pius pulsator plerumquè invenit, quod temerarius scrutator invenire non potest. *Idem*: Parit autem curiositas experientiam mali, ut facilè, qui per multa vagatur offendat, facilè cadat in laqueum, facilè inveniat quod perniciosè delectet. *Idem*: O Dina! quid necesse est ut videas mulieres alienigenas? quâ necessitate? quâ utilitate? an solâ curiositate? & si otiosè vides, non tamen otiosè videris. *Idem*: Serva commissum, cave prohibitum, nè perdas concessum. Quid mulierem tuam, mortem tuam, intentè intueris? quid illuc tam crebrò vagantia lumina jacis? *Idem*: Nisi mens minus se curiosè servaret, tua curiositas tempus vacuum non haberet. Si culpa non est, culpæ tamen occasio est, & indi-

Idem de gen. Pont. Manich.
S. Aug. Conf. lib. 10. c. 34.
Idem lib. de vera relig.
S. Hieron. in Epist. de duobus Filiis.
S. Gregor. hom. 36. in Evang.
S. Gregor. in Registro.
Idem in moral. lib. 21. c. 6.
S. Bernard. in quodam serm.
Idem sup. Cant. ser. 24.
Idem ser. 14. in illa verba sapienti: sapiens vincit malitiam.
Idem de 12. gradu humil. grad. 1.
Ibidem.

Isidorus Pelusiota Epist. 273.

cium commissæ, & causa comittendæ. *Isidorus*: Quòd multa nobis obscura sint, atquè humano ingenio vix pervestigari queant, perspicuum est. Quòd autem demum, & quidem utiliter captum nostrum effugiant, quæ nobis ad salutem haudquaquam conducunt, id quoquè liquet. Consideremus itaquè quid nobis ad beatitudinem adjumento sit, quid secus: atquè ita, quæ dicuntur exploremus; Cælum aut sphæræ, aut dimidiæ sphæræ speciem imitari affirmare, atque item celerrimum solis cursum, ac lunæ incrementa & decrementa, syderumquè situm curiosè indagare, ac prætereà de terra quærere, cylindri an coni speciem teneat, mundiquè centrum sit: ac deniquè & solis & lunæ intervalla cognita & explorata habere, quid ad benè beatequè vivendum utilitatis afferat, equidem non vides. Quòd si quis id dicere possit, licet quidem fortasse: verùm minimè persvadebit. At verò justitiam, & fortitudinem, ac prudentiam, & temperantiam, & si quid his, affine est, scire atquè exequi, hoc verò eos, qui id callent, ad beatitudinis arcem evehit. Quocirca faciendum est, ut ab his ex quibus nihil commodi nobis oritur, abstineamus, ea autem ex quibus

Prosp. de vocation gent.

emolumentum percipitur, amplectamur. *Prosper*: Quæ DEUS occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt negligenda, nè & in illis illicitè curiosi, in his

Ibidem.

damnabiliter inveniamur ingrati. *Idem*: De altitudine discretionis DEI non turbabitur cor humilitatis nostræ: Si firmâ & stabili fide omne judicium DEI justum esse sciamus: & ubi investigari non potest, quare ita judicet, sufficiat scire, quis

Richard de S. Vict. in quodam serm.

judicet. *Richardus*: O! Quanti veritatem quærunt, non in veritate, sed in vanitate, quæsitam inveniunt, non ad veritatem sed ad vanitatem: & quòd miserrimum est, in verbis

Petr. Raven. in serm.

vitæ lucra mortis negotiantur. *Petrus Rau*: Odibilius nihil est subtilitate, ubi est sola subtilitas. Quid enim prodest in illis expendere dies, quæ nec domi, nec militiæ, nec in foro, nec in claustro, nec in curia, nec in ecclesia, nec alicubi prosunt, nisi duntaxat in scholis? Scribens Seneca ad Lucilium: Quid est, inquit, acutius aristâ, & in quo est utilis? tale est, inquit, ingenium, quod solâ subtilitate lasciviens, nullâ in se residet gravitate.

In

In Praxi curiositatem fugiendi applica convenienter hic supradata. l. 2. tra: 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.

SUBSECTIO XII.

De Modestia in externis corporis motibus.

Modestia hæc est virtus, quâ 2dùm rationem exteriores corporis actiones, motus, & gestus, ordinantur. Dicitur; *Virtus*: Quia virtus moralis consistit in hoc, quòd ea quæ sunt hominis per rationem ordinantur. Manifestum est autem, quòd exteriores motus hominis sunt per rationem ordinabiles. Ad imperium enim rationis exteriora membra moventur: Unde manifestum est, quòd circa horum motuum ordinationem virtus moralis consistir. Ordinatio autem horum motuum attenditur quantùm ad duo. Uno quidem modo, 2dùm convenientiam personæ: alio modo, 2dum, convenientiam ad exteriores personas, negotia, seu loca. Unde dicit S. Ambros. in 1. de officiis: Hoc est pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui, & personæ, reddere Et hoc pertinet ad primum. Quantùm autem ad 2dùm subditur; Hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus. Et ideò circa hujusmodi exteriores motus ponit Andronicus duo, scilicet ornatum, qui respicit convenientiam personæ, unde dicit: quòd est scientia circa decens in motu, & habitudine; & bonam ordinationem, quæ respicit convenientiam ad diversa negotia, & ea, quæ circumstant. Unde dicit quòd est experientia separationis, id est distinctionis actionum. *Dicitur; Actiones, motus, & gestus*, v. gr. Sonus vocis, risus, incessus &c. Unde S. Ambrosius dicit. Sicut molliculum & infractum aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo, ita neque agrestem aut rusticum. Naturam imitemur, effigies ejus formula disciplinæ, forma honestatis est. D. Tho. 2. 2. q. 168. a. 1. corp.

Illicia Modestiæ. *Imùm.* Externa modestia vel immodestia sunt indices interioris compositionis vel dissolutionis, seu virtutis & vitii: ita *Ecclesiasticus*: Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & ri- Eccl. c. 19.

sus

Eccl. c. 21. sus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo. *Idem:* Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitè
Philip. 4. ridebit. *Apostolus:* Gaudete in Domino semper, iterum dico
Coloss. 3. gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. *Idem:* Induite vos sicut Electi DEI, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.

S. Ambr. lib. 1. officiorum c. 18. 2dùm. *S. Ambrosius:* Est, ait, in ipso motu, gestu incessu, tenenda verecundia. Hinc homo nostri cordis absconditus aut levior, ac jactantior, aut turbidior, aut contra gravior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaquè vox quædam est animi, corporis motus. *Et inferiùs:* Est etiam probabilis, in quo etiam sit species authoritatis, gravitatisquè pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen, si studium desit atque oblectatio, sed, motus, sit purus ac simplex: nil enim fucatum placet, motum natura informet. Si quid sanè in natura vitii est, industria emendet, & si ars desit, non de-
S. Aug. Reg. 3. c. 20. sit correctio. *S. Augustinus:* In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris, nil fiat, quod cujusquam of-
S. Greg. Nazian. Epi. 193. fendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. *S. Gregorius Nazian:* Ubi Christus est, modestia quoque est. *S. Isido-*
Isidorus in fino ca. 4. *rus:* Sit in ingressu tuo simplicitas, in motu puritas, in gestu gravitas, in incessu honestas.)) Modestia summè alios ædificat.
S. Hieron. in Reg. c. 22. Unde *S. Hieronymus* de ejusmodi modestis dicit: Quòd loquacibus compunctionem ingerant, & intrandi ad societatem vestram sancta desideria incitent, & affectus ad cælestia move-
S Bern. Tract. de 12. grad. hum. antur. *S. Bernardus:* Oculi defixi in solum juvant, ut cor semper levetur in cælum. *Idem:* Singulare ornamentum to-
Ex libel. de discipl. virt. Angeli à S. Maria citantis S. Bernardum in antiquis. lib. M. S. & eadem illustrantis. tius corporis, est facies hominis; Delectatur hoc ornamento DEI oculus, quia quidquid habet bonitatis, & virtutis homo, totum ex facie prodit. Ideò præcepit Christus fidelibus suis ut facies suas lavent, id est nè aliquod offendiculum præbeant intuenti: in facie enim faciliter apparet, quidquid rectum vel devium, quidquid solidum, vel leve, quidquid bonum, vel malum continet interior domus. Hinc est, quòd illi qui cor habent compunctum, & DEO conjunctum, nunquam exhibent faciem pronam ad risum: reflexi enim super miserias sta-

tus

tûs præsentis, & imminentia vitæ æternæ pericula, nequaquam moveri possunt ad levitatem & risum. Illi ridere & cachinnos facere consueverunt, qui æternitatem raro meditantur, nec de suis peccatis pœnitent, quæ deberent in amaritudine animæ incessanter deplorare. Ad quorum numerum nè videaris pertinere, detestare omnem risum & cachinnos, præcipuè immoderatos, indue verò faciem tuam sanctâ & comptâ modestiâ, benignitate, & gravitate. Esto in vultu serenus, sed non dissolutus, multò minus turbulentus. Incessus quoquè tuus sit maturus, ita: ut in eundo nulla appareat levitas. Non geras erectum caput, sed depressum mediocriter habeas. Non sis vagus oculis, nec brachia ventiles, nec incomposito gressu incedas sed plano & humillimo, quasi à devota oratione regredereris. Sedens autem non pigrè in latus reclines te, nec crura longè extendas, nequè pedes componas, maximè præsentibus aliis. Exterior enim incompositio corporis, signum est indisciplinatæ, dissolutæ, & indevotæ mentis. *Cornelius à Lapide ait*: Modestia componit mores ubiquè, puta in cubiculo, in oratorio, in schola, in templo, in mensa. Seculares maximè notant Sacerdotes & Religiosos in mensa; quia facilè in ea exceditur cibo, potu, garrulitate. Caveant ergo sibi Religiosi ac modestiam servent, præsertim quando in secularium mensis versantur, si suum decus, nomen, & famam tueri volunt. Quocirca si sapis, sic oculos, vultum, vocem, habitum, gressum motusquè omnes compone ut deceant DEUM, ut te ornent, ut proximum ædificent: alioquin enim dedecus latens in animo, patet in voce, vultu, habitu: sciat Religiosus, atquè Sacerdos se sui Gradûs Ordinis & Monasterii decus, & dignitatem suo habitu circumferre. Sæculares enim ex uno æstimant, judicantquè cæteros, ac dicunt. Vidi unum Religiosum talis Ordinis, vel unum Sacerdotem talis Ecclesiæ, tam modestum, pium, devotum: vel tam immodestum, dissolutum, irreligiosum: ergo cæteri sunt tales. Utinam hoc singuli cogitarent, eoquè quasi fræno se cohiberent, sanè magnam de se suoquè cœtu opinionem concitarent.

Cornel. à Lap. in Epist. S. Petri.

3tiùm. Exempla, ex Biblioth. P Lobner tit. modestia. I. Christus

S. Hieron. in explanat. Psal. 44. stus quantoperè modestiam amavit & exercuit, testatur S. Hieronymus his verbis. Nulli dubium est, veritatem, & modestiam, & justitiam Christum appellari, qui dicit: Ego sum via, veritas, & vita. Et: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Et; Quia factus est nobis à DEO justitia, & redemptio, & sanctitas. Hoc idem etiam ipsemet S. Brigittæ revelavit dicens. Ego positus in humanitate, sic temperavi orationes, labores, & jejunia mea, ut nec scandalizarentur intuentes, nec absentes offenderentur, sed omnes qui voluissent, possent imitari verba mea, & opera, & exempla. Hinc S. Paulus, Corinthios obtestatur. Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem, & modestiam Christi. *B. Virgo* quàm modesta fuerit, testatur Nicephorus his verbis: Erat MARIA in omnibus honesta & gravis, pauca admodum eaquè necessaria loquens, ad audiendum facilis & perquàm affabilis, honorem suum omnibus exhibens sine risu, sine perturbatione, & sinè iracundia maximè. Erat denique fastûs omnis expers, simplex, minimequè vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens: & ut paucis dicam, in rebus ejus omnibus multa inerat gratia. Idem confirmans *S. Ambrosius*: Nihil, inquit, torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil inverecundum, non gestus fractior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species, Simulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Sed & *S. Damascenus* addit: Honestus vestitus mollitiem omnem, ac luxum fugiens, gressusquè sedatus, atquè ab omni levitate remotus, mores severi hilaritate temperati, & quod maximè mirandum, senilis in corpore juvenili prudentia. Hinc cùm Musæ Virgunculæ olim cum magno Virginum choro apparuisset, & ipsa associari illis appetiisset, respondit, eam nequaquam adhuc eâ gratiâ dignam esse, eò quòd levicula nonnihil & immodesta adhuc foret, redituram tamen post viginti dies secumquè abducturam, si mores emendâsset. Quod & factum est. *Aliud*: S. Franciscus tantæ erat modestiæ, ùt plus solo suâ aspectu moverit hominum corda, quam Concionatores sua eloquentiâ. Hinc aliquando dicens socio, se ad concionandum iturum, unâ alterave vice, modestè urbem obam-

Marginal notes: *1. Cor. 1. v. 30.* — *Nicep. l. 2. c. 23.* — *S. Ambr. l. 2. de Virg.* — *S. Damasc. Orat. 1. de nat. Virg.* — *S. Gregor. l. 4. c. 13.*

obambulavit, quærenti verò socio, cur concionatus non esset, id se jam fecisse, dum urbem solitâ modestiâ obambulâsset, hinc suos in regulis his verbis hortatus est: Consulo, moneo, & hortor Fratres meos in Christo JESU nostro Domino, ut quando vadunt per mundum, non litigent, nequè contendant verbis, aut alios judicent, sed sint mites, pacifici, & modesti, & mansueti, & humiles. *Aliud.* *S. Bernardus* cum suis Monachis Innocentio III. Pontifici, & Cardinalibus, Monasterium Claræ vallis visitantibus tanta modestiâ obviavit, ut Pontifex & Cardinales à lachrymis præ gaudio sibi temperare non possent. De ipso autem *S. Bernardo* canitur: Prima virtus Viri sancti habitus corporis sui, quod ita compositè, & uno semper modo agebat, ut nil appareret in eo, quod posset offendere intuentes. Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis, perfectionis forma. *S. Bernardinus* Senensis tantâ erat modestiâ præditus, ut ad ipsius præsentiam æquales, suæ immodestiæ puderet, & vel hac sola voce: Bernardinus adest: ad gravitatem se componerent. Lucianus M. solâ oris modestiâ etiam ferocientes homines ad cultum Religionis adducebat. Quod cùm intellexisset Maximianus, qui eum martyrio affici jusserat, non est ausus ad se vocatum aspicere, nè ejus modestiâ caperetur & Christianus fieret, sed velo interposito eum est allocutus. De *S. Ephrem* testatur S. Gregorius Nyssenus, quòd vultus ejus angelicus idoneus erat, ut solus sine ulla oratione ad commiserationem intuentes commoveret. Tanta in eo tum simplicitas, tum mansuetudo, tum probitas cernebatur. Nullus erat tam impudens, qui non intuens eum pudore suffundebatur, sequè ipso melior & modestior fiebat. S. Romanus multos aspectu suo fecit rerum divinarum amatores, & quotquot ad eum ventitabant eos & aspectu, & sermone toto vitæ suæ tempore replevit utilitate. S. Ignatius adeò modestiæ curam habebat, ùt nec manum, nec oculum, membrumvè ullum sine causa & ratione moveret; Hinc non paucos insignes viros ad in eundam secum unitatem incitârat.

Vit. l. 2. c. 1.

Surius in Vit. Collector. Breviar. Cistercien.

Apud Lanciz. Opusc. 3. c. 1. n. 322.

Ibidem.

Ibidem.

Hist. soc p. 1. l. 16. n. 107.

4tùm. Exempla profana. Romæ olim Censores constituebantur, quorum primarium erat officium ad morum emendationem attendere, erantquè inter alios Magistratus maximæ reve-

Cic. de leg.

reverentiæ & poteſtatis, cumquè illorum munus uno duntaxat anno duraverit, hoc per quinquennium durabat.

Drex. p. 2. roſ. c. 12. paragr. 3. Lycurgus Spartanorum legislator modeſtiam commendaturus imperavit, ut adoleſcentes maximè manus in via intra pallium continerent, ſilentio incederent, nusquam circumſpicerent, oculos humi defixos gererent. *Ibidem §. 5.* *Aliud:* Priſcorum metro dicebatur: Corona virtutum omnium Modeſtia.

In Praxi componendi ſe ad omnem Modeſtiam. Obſerva breviter ex *Cornel. à Lapide* ſequentia media.

Comment. in Epiſt. 5. Petri 6, 3. fol. 268. I. Cogitare ſe verſari in præſentia DEI, Angelorum, & hominum, ab eisquè ubique videri, audiri, notari. Spectaculum enim facti ſumus DEO, Angelis, & hominibus.

II. Modeſtia interna & pax animæ; ex ea enim naturaliter ſequitur modeſtia externa, ſicut ex cithara per chordas ritè in ſe compoſita ſequitur ſonus harmoniacus.

III. Habere monitores, qui mores noſtros notent, nosquè ſicubi minus compoſiti ſint, moneant. Ita S. Carolus Borromæus duos Sacerdotes ad hoc alebat, ut in actiones ſuas omnes invigilarent, ſequè ſi quid indecore faceret, liberè monerent. Hinc tota ejus vita adeò fuit compoſita, concinna, & ſancta.

IV. Reflectere crebrò in actiones ſuas, an quid immodeſtè & indecenter faciamus in Miſſâ, menſa, inceſſu, colloquio &c. idquè corrigere, ac conſtanter & fortiter correctioni incumbere per aſſiduam reflexionem, præmeditationem, orationem, donec illud planè emendaverimus, ut aſſequamur illud *S. Ambr. lib. 1. Offic. c. 22.* S. Ambr. lib. 1. Off. c. 22. Diſceptatio ſine ira, ſuavitas ſine amaritudine ſit, monitio ſine aſperitate, hortatio ſine offenſione. Et mox: Oratio ſit pura, ſimplex, dilucida, atquè manifeſta, plena gravitatis & ponderis, non affectatâ elegantiâ, ſed non intermiſſâ gratiâ.

V. Verſari cum modeſtis. Verſari cum Catonibus & Scipionibus ait Seneca. Modeſtus enim facit alios modeſtos, ſicut DEUS tranquillus tranquillat omnia: ſic qui aſpicit quietum & modeſtum, ſe componit ad quietem & modeſtiam.

l. 2. tra: c. 1. ſec. 4. ſubſ. 2. §. 2. *Vide etiam ſupradicta, & hic convenienter accommoda.*

Actus

Actus Interni Modestiæ.

Ex Discipl. Claust. P. Joan. a. J. M.

1. *Modestissime JESU Christe, firmissimè decerno me oculos à rebus minimè necessariis aversurum, propter Te.*

2. *Nolo mitissime Domine aliquid in hac mortalitate pulchrum intueri.*

3. *Profectò amantissime DEUS, quamvis ex aspectu corporum immensam voluptatem percepturus essem, illa non aspicerem propter Te.*

4. *Absit à me Domine, ut aliquid curiosè intuear.*

5. *Quin etiam optatissime DEUS, quæ videre licèt, intueri nolo, ut Te tandem videre queam.*

6. *Ex animo delibero Dulcissime Domine me nunquam (quod ego animadvertam) rem aliquam, quæ à Te animum divertat, intuiturum.*

7. *Malo Domine ut mihi oculi eruantur, quàm vel semel iis abuti.*

8. *Averte desideratissime DEUS oculos meos, nè videant vanitatem.*

SUBSECTIO XIII.

De Oppositis Modestiæ in exterioribus corporis motibus.

Imò. Modestia *per Excessum.* Talem cavebat S. Bernardus, qui etiam si totus erat intentus contemplationi, & vix sensibus nisi ad officia pietatis uteretur: in his tamen prudentiæ laude excellebat. *In vita S.*

2dò. *Per defectum*, seu *Immodestia.* Contra quam Proverb. dicitur: Homo apostatata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat: huic extemplò veniet perditio sua, & subitò conteretur, nec habebit ultra medicinam. *Isaias*: Pro eo quod elevatæ sint Filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem Filiarum Sion. *S. Basilius*: *Proverb. 6. 12.* *Isai. 3.* *S. Basil. regi in fusi. inter. 17.*

In immanes cachinnos prorumpere, & corpore contra animi voluntatem subsultare, nequaquam est ejus, qui animo composito sit, aut planè probo, & compote sui ipsius. *S. Ambrosius*: Nam de voce quid loquar, quàm simplicem, & puram esse satis arbitror? canoram autem esse naturæ est, non industriæ. Sit sanè distincta pronunciationis modo, & plena succi virilis, ut agrestem, & subrusticum fugiat sonum, non ut rithmum affectet scenicum, sed mysticum servet. *S. Hieronymus*: Speculum mentis est facies & taciti oculi, tam modesti, quàm vagabundi, mentis fatentur arcana. *S. Dorotheus*: Assvesce oculos non circumferre ad alienas & vanas res, hoc enim labores omnes monasticos deperire facit. *S. Gregorius Nazianz.*: Ex immodestia Juliani apostatæ conjiciebat nequitiam ipsius, quàm imperio potitus exercebat, ait itaque: A me autem longè ante perspecta quodammodo fuerunt, ex quo Athenis cum eo congressus sum. Nequè mihi boni quidquam significare videbantur, cervix minimè firma, humeri quos subinde agitabat, & attollebat, oculus vagus & oberrans, ac furiosum quiddam intuens, pedes instabiles & titutantes, nasus contumeliam spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus protervi & exæstuantes, nutus & renutus omni ratione carentes, sermo hærens, spirituquè intercisus, interrogationes præcipites, & imperitæ, responsiones his nihilo meliores. Quid singula describere necesse est? Talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognovi, quo si qui, ex iis, qui tum simul erant, atquè audiebant, nunc mihi præstò essent, haud ægrè testarentur: Ad quos, ùt hæc conspexi, statim his verbis usus sum: quale Romana Respubl. malum & pestem alit; præfatus licet, ac mihi ut falsus vates essem, imprecatus. Præstabilius enim id fuerat, quàm tantis malis orbem terrarum impleri, talequè monstrum existere, quale nullis ante seculis visum fuit.

S. Ambr. lib. 1. Offic. c. 23.

S. Hiero. Epist. ad Fur. vid.

S. Dorotheus ser. 21.

Refertur in Eccl. hist. p. 2. l. 4. in fine.

Actus externos Immodestiæ cavendos vide infra positos Subs. 22.

SUB-

SUBSECTIO XIV.

De Modeſtia in ludis, & jocis, ſeu de Eutrapelia.

HÆc *Modeſtia, ſeu Eutrapelia eſt virtus, quâ animus fatigatus, moderatus ludis & jocis recreatur.* D. *Thomas* ait: Sicut enim homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non poteſt continuè laborare, propter hoc quod habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur: ita etiam eſt ex parte animæ, cujus etiam eſt virtus finita ad determinatas operationes proportionata. Et ideo quando ultra modum ſuum in aliquas operationes ſe extendit, laborat, & ex hoc fatigatur, præſertim, quia in operationibus animæ ſimul etiam laborat corpus, inquantùm ſcilicet anima intellectiva utitur viribus per organa corporea operantibus. Sunt autem bona ſenſibilia connaturalia homini. Et ideo quando anima ſupra ſenſibilia elevatur operibus rationis intenta, naſcitur exinde quædam fatigatio animalis, ſive homo intendat operibus rationis practicæ, ſive ſpeculativæ. Magis tamen ſi operibus contemplationis intendat, quia per hoc magìs à ſenſibilibus elevatur, quamvis fortè in aliquibus operibus exterioribus rationis practicæ major labor corporis conſiſtat. In utriſquè tamen tantò aliquis magìs altero fatigatur, quantò vehementiùs operibus rationis intendit. Sicut autem fatigatio corporalis ſolvitur per corporis quietem, ita etiam oportet quòd fatigatio animalis ſolvatur per animæ quietem. Quies autem animæ eſt delectatio. Et ideo oportet remedium contra fatigationem animalem adhibere per aliquam delectationem, intermiſsâ intenſione ad inſiſtendum ſtudio rationis. Sicut in collationibus Patrum legitur, quòd B. Joannes Evangeliſta, cùm quidam ſcandalizarentur, quòd eum cum diſcipulis ſuis ludentem invenirent, dicitur mandâſſe uni eorum qui arcum gerebat, ut ſagittam traheret; quod cùm pluries feciſſet, quæſivit, utrùm hoc continuè facere poſſet; qui reſpondit, quòd arcus frangeretur. Unde B. Joannes ſubintulit, quòd ſimiliter animus hominis frangeretur,

D. *Thomas q.* 168. *Art.* 2. *Corp.*

geretur, si nunquam à sua intensione relaxaretur. Hujusmodi autem dicta, vel facta, in quibus non quæritur nisi delectatio animalis, vocantur ludicra vel jocosa. Et ideo necesse est, interdum talibus uti, quasi ad quandam animæ quietem. Et hoc est quod Philosophus dicit in 4. Ethic. quòd in hujus vitæ conversatione quædam requies cum ludo habetur. Et ideo oportet interdum aliquibus talibus uti. Circa quæ tamen videntur tria esse præcipuè cavenda, quorum primum & principale est, quòd prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nocivis. Unde Tullius dicit in 1. de officio: quòd unum genus jocandi est illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum. Aliud autem attendendum est, nè totaliter gravitas animi resolvatur. Unde Ambrosius dicit in primo de offic. Caveamus, nè dum animum relaxare volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum. Et Tullius in 1. de offic. dicit: Quòd sicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quæ ab honestis actionibus non sit aliena, sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Tertiò autem attendendum est, sicut & in omnibus aliis humanis actionibus, ut congruat personæ, & tempori, & loco, & adùm alias circumstantias debitè ordinetur, ut scilicet sit & tempore & homine dignus. Unde Tullius dicit ibidem. Hujusmodi ergo secundùm regulam rationis ordinantur. Habitus autem secundùm rationem operans, est virtus moralis. Et ideo circa ludos potest esse aliqua virtus, quàm Philosophus Eutrapeliam nominat. Et dicitur aliquis Eutrapelus à bona conversione, quia scilicet benè convertit aliqua dicta, vel facta, in solatium. Et inquantùm per hanc virtutem homo refrænatur ab immoderantia ludorum, sub modestia continetur.

Lib. 4. C. 8. Tom. 5. — *Lib. 1. in C. de scurrilitate & facetiis inprimo.* — *Lib. 1. C. 20. circa princ. to. 1.* — *Lib. 1. immediatè ante Cap. de scurrilitate.* — *Loco jam dicto.* — *Lib. 4. Ethic. c. 8. to. 5.*

Pro Modestia in ludis, & jocis. Imùm. Christus Dominus ad Discipulos ait. Venite seorsum in desertum locum, & quiescite pusillum. Unde *Victor Antiochenus* ait: Docet (nempe Christus) per eadem hæc etiam in verbi ministerio desudantes nonnunquam respirare, & interquiescere, seseque & corpus suum suo tempore curare & reficere debere, maximè verò post ministe-

Marc. 6. — *Victor Antiochenus in Marc. 6.*

ministerium absolutum. 2dùm. Beata Virgo MARIA ad S. Brigittam: Amici Dei quandoquè possunt consolari consolatione temporali, sicut de verbis ædificatoriis, de ludo honesto, seu de aliis operibus, in quibus nihil detractorium sit, aut inhonestum, sicut per exemplum intelligere poteris. Si enim pugnus semper tenetur clausus, aut contraherentur nervi, aut manus debilitaretur, sic est etiam in spiritualibus. 3tiùm. *Cassianus*: Sæpè accidit, non dicam novitiis & infirmis, sed etiam experientissimis atquè perfectis, ut nisi mentis eorum directio atque censura quibusdam mollita fuerit vicissitudinum laxamentis, aut in teporem spiritûs, aut certè in perniciosam corporis valetudinem collabitur. *S. Bonaventura* necessariam esse pro Religiosis aëris recreationem ex his rationibus affert. Ut infirmi refocillentur, & sani conserventur, & lapsi in spiritualibus studiis recreentur. Deinde conferens Religiosos cùm secularibus scripsit, in hunc modum: Seculares enim, qui frequenter vagantur, domi non indigent recreatione aëris: Religiosi verò, qui in cellarum reclusoriis religantur, nisi aliquam interiùs habeant aëris recreationem, citò langvescentes tabescunt, & ad studia spiritualia inhabiles efficiuntur: ita quòd nec sibi, nec aliis proficiunt in devotionis internæ profectu, in sapientiæ intellectu, in virtutum exemplis, & in doctrina salutis. Et alio in loco non minus clarè docet idem: Assiduum lucrum in studio sacræ scripturæ, in devotionis desiderio, intentationis certamine, in internæ solicitudinis vigore, ita consumit & desiccat vires corporis, ut nisi exterius quandoquè aliquatenus refocillentur, non valeant diu subsistere.

Idem 685. C. 2.
Idem 681. C. 2.
Idem. 681. C. 1.

In Praxi circa Eutrapeliam hæc servanda. Quoniam materia circa quàm Eutrapelia versatur potissimùm sunt honesta colloquia, & ludi: Igitur quantùm ad colloquia hæc debent esse vel necessaria, vel spiritualia: Ita *B. Laurentius Justinianus*: Studeant ait ergo Christi servi, cùm in unum congregantur, & invicem reperiuntur, semper de rebus necessariis, vel de animæ profectibus habere sermonem. *Ibidem*: Maximam namquè & indeficientem loquendi materiam invenient, de miseria

B. Laur. Just. c. 15. de perfect. mo. convers.

ria præsentis vitæ, de periculis hujus peregrinationis, de variis tentationum generibus, de diaboli fraudibus, de vitiorum deformitate, de virtutum ornamentis & meritis, de mortis inevitabili necessitate, de pœnis inferni, de regno, & præmio paradisi. *Ibidem:* Frequentiùs verò de DEI ineffabili charitate humano generi per Christum, & in Christo exhibita. De hujusmodi autem, tam pro DEI amore & delectatione, quàm pro audientium ædificatione, & suimet profectu, DEI servi tractare non desinant, spiritualibus spiritualia propinantes. *Idem:* Sunt multa verba, quæ in se ridiculosa & vana esse videntur, quæ interdum prudenter & opportuno dicuntur tempore, vel pro propria sublevanda fragilitate, vel proximorum amovenda tristitia.)) Hæc nempe talia ab infirmis mentibus nequaquam redarguenda sunt' quia otiosa non sunt. Plerumquè hujusmodi magis fructificant, quàm spiritualia & Divina; Non autem in consuetudinem deducenda sunt sub intentione seductoria, sed rarò suo loco, ac tempore pronuncianda. Porrò finis ejusmodi colloquiorum est, nempe exhilaratio animi, eruditio, & ædificatio. Unde *S. Basilius:* Si usus etiam inciderit aliquando, ut remittendæ aliquantulum tristitiæ causâ, sermone ad hilaritatem excitemur, enim verò danda omnino opera est, ut spirituali lepore referta sit oratio nostra, & Evangelico sale condita, ut rectè quæ interiùs sit, sapientiæ gratum foras odorem aspiret, dupliciterquè auditorem, & animi relaxatione, & intelligentiæ festivitate delectet.)) Ad quem finem obtinendum non modicâ prudentiâ opus: tum sequentes servandæ conditiones. *Ima:* Gustus & sapor rerum spiritualium quibus ille inest à natura, isquè à DEO oratione acquirendus, cùm ipse sit proprius electorum: sicut carentia ejusmodi gustûs Divinorum, signum reproborum. Hinc *S. Gregorius:* Verba sapientiæ, inquit, quæ reprobi audiunt, electi non solùm audiunt, sed etiam gustant; ut eis in corde sapiat, quod reproborum non mentibus, sed solummodo auribus sonat. Aliud namquè est nominatim cibum audire solummodo; aliud verò etiam gustare. Electi itaquè cibum sapientiæ sic audiunt, ut degustent: quia hoc quod audiunt, eis per amorem medullitus

Idem Ibidem.

S Basil. Consti. mon. c. 13.

S. Greg. lib. 11. moral. c. 4.

tus sapit. Reproborum verò scientiæ usquè ad cogitationem sonitus tenditur; ut quidem virtutes audiant, sed tamen corde frigido, qualiter sapiant, ignorent.)) Quid si verbum DEI fastidias, multò magìs te esse unum de reprobis probas? Quare Christus ad Judæos: *Qui ex DEO est, verba DEI audit, proptereà vos non auditis, quia ex DEO non estis.* *2da.* Varietatem facere tum in discursu de varia materia, prudenter tamen & spectatâ aliquâ connexione: tum varietatem personarum modò cum isto colloquendo, si ita fert rationabilis occasio: tum varietas loquentium modo cum illo spectanda, nè unus solus loquatur, permittantur & alii. Ex his enim consequetur illud vulgare: varietas delectat. *3tia* Teneantur interrogandi rèspondendiquè vices: quod etiam ipsa increata incarnataquè Sapientia fecit in medio Doctorum duodennis: mirumquè in modum promovet hilaritatem ejusmodi colloquium. Verùm nè interrogatus de minimè scitis vel oblitis, loco recreationis confundatur ob propalatam suam ignorantiam, proportionata quibusquè ab ipsis requirenda. Et ita v. g. juxta *Hugonem*: Senes loquantur de discretione consulendi; juvenes de instantia operandi; Sapientes de mysterio scripturarum; simplices de exemplis bonorum operum. Qui exteriora tractant, de solicitudine vitæ activæ; qui quietam vitam ducunt, de dulcedine vitæ contemplativæ. Prælati de dispensatione temporalium: subditi de obedientia præceptorum: *4ta.* Subinde præsertim in solennioribus recreationibus Musicus concentus vocum in pia materia maxima est exhilarationis occasio. Hinc Ecclesiasticus: *Vinum & musica lætificant cor.* Et Apostolus monet Christianos: Loquentes vobismetipsis in psalmis, in hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes DEO semper pro omnibus. Quod ipsum etiam secuti primi Christiani facere post mensam consueverunt, ut colligitur ex Patribus & Tertulliano. *Tullius*: Non ita generati à natura sumus, ut ad ludum & jocum facti esse videamur, sed ad severitatem potiùs & ad quædam studia graviora & majora. Et ad præsens observatur in quibusdam sanctis Religionibus: ita tamen ut textus spiritualis minimè applicetur tono continenti

Joan. 8.

Hugo Instit. Novit. c. 13.

Eccli. 40.
Eph. 5.

Tertul. Apol. 39.
Tullius de Offic.

profanas cantiones, nè refricetur memoria oblitarum, & seculares concentum audientes absquè textu, scandalizentur. Cæterùm musica instrumenta à recreationibus Religiosarum personarum tanquam res profanæ communiter ablegantur.

Quod attinet ludum convenientem religiosæ recreationi: primo aleæ, chartifolia, Schacchi, & similia tanquam scandalosa & Ecclesiasticis viris prohibita excluduntur. 2do. Pila ventosa, & pila minor ob plures inconvenientias similiter rejiciuntur. Trochorum ludus, vel similis decet Religiosam gravitatem, & obtinet finem exhilarationis.

Actus Modestiæ in Eutrapelia vide quoq; infra Subs. 22.

SUBSECTIO XV.

De Oppositis Eutrapeliæ.

IMo Opponitur *Excessus* per *Ineptam lætitiam*, & *Parrhesiam* in verbis, voce clamorosa, risu, ludis. Dicitur: per *ineptam lætitiam*: Etenim Eutrapelia moderatam non immoderatam requirit lætitiam. *Contra quam* pugnat, quòd ipsa sit radix omnium delictorum, abusuum, & ex illis sequentium malorum. Quia 2dùm Aristotelem omnes aliæ inordinatæ passiones ad lætitiam, & tristitiam, ordinantur. Adeoquè ex inepta lætitia sequitur *Parrhesia* seu dissolutio quædam animi, & indisciplinata compositio, quæ Parrhesia definitur esse *Licentiosa Libertas loquendi, & agendi præter decorum.* Fusiùs hanc Parrhesiam describit *B. Dorotheus* dicens: Est parrhesia multiplex, & pluribus modis fit Etenim licentiosè se quisquam gerit, verbo, tactu, & visu. Delabitur quis Parrhesiâ in otiosam & vanam locutionem, in verba secularia, in actus ridiculos. Risus enim movet hæc parrhesia, parum modestos. Est autem parrhesia, cùm quis præter necessitatem alium attrectat, manusquè suas jocandi ridendiquè studio in socium injectat, cùm impellit alium, ac protrudit, cui violenter quidquam, aut furtim

2. Ethic. c. 5.

S. Dorotheus ser. 4.

tim ab alio rapit; cùm impudentibus oculis, & parum modestè aliquid spectat. *Contra quàm* Abbas Agathon apud eundem Dorotheum ita protulit: Nihil esse hoc morbo molestius, vel gravius; quandoquidem omnium vitiorum est seminarium, & passionum progenitrix: quippe timorem DEI fugat ab anima. Dorotheus verò ex suo sensu ait: In hoc extrema pernicies est, & interitus absolutus.)) Itaquè primò in verbis contentio, pertinacia, punctorii joci, loquacitas seu garrulitas nimia, dissertationes de rebus difficillimis caveantur. Potissimùm scurrilitas (quæ secundùm Smaragdum dicuntur esse joca turpia, vel improba, vel irrisionibus digna) propulsetur. *Contra quam Apostolus*: Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent. En cum gravissimis sceleribus scurrilitatem connumerat, quam nè quidem nominari cupiat inter Christianos. *S. Basilius*: Oportere Christianum non ridere, neque aliquo modo ridiculorum sectatoribus operam dare. *Clemens Alex.* Oportet risum quoquè doceri & castigari: Et si de rebus quidem turpibus fuerit, erubescere potiùs videri, quàm subridere, nè videamur per consensum collætari. *B. Laurentius* de scurrilibus agens inquit: Per quæ mens distrahitur, compunctio dissolvitur, gratia subtrahitur, proximus malè ædificatur, oratio confunditur, confidentia amittitur, conscientia obtenebratur, atquè pretiosissimum tempus inutiliter consumitur. Joannes Carpath.: Nihil æquè virtutem profligare solet, ut scurrilitas, & ludicra atquè vitiosa verba. Ineptam lætitiam, Parrhesiam, & scurrilitatem comitari solet *Cachinnus*, qui juxta *D. Benedictum* dicitur esse *risus excussus*, cujus descriptionem & probrum accipe à *S. Gregorio Nisse*: Oris indecora dilatatio, tremorquè spiritûs & totius corporis concussio, & genarum diductio, dentiumquè & lingvæ, & palati apertio, colliquè contorsio, vocisquè præter rationem fractio, quæ simul cum fractione spiritûs intersecatur, quid hoc aliud fuerit, quàm amentia? *Proverb.* Risus dolore miscebitur & extrema gaudii luctus occupat. *Dicit glossa.* Luctus perpetuus. Et *Ecclesiastes* con-

Smar. in Ca. 6 Reg. S. Bened.
Eph. 1.
S. Basil. Ep. ad Canon.
Clemens Alex. l. 2. pæda. C. 5.
S. Laurent. lib. de discipli. &c. c. 22.
Joan. Carpath. Cent. 1. n. 19.
S Bene. Reg. C. 4.
S. Greg. Niss hom. 2. in Eccl.
Proverb. 14.
Gloss. interl. ibidem.
Eccl. c. 2.

contra risum & ineptam lætitiam ait: Risum reputavi erro-
Idem. C. 7. rem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis? *Idem:* Cor stul-
torum ubi lætitia. *Et mox.* Quia sicut sonitus spinarum ar-
dentium sub olla: Sic risus stulti, sed & hoc vanitas. Supra
Olymp. in C. 7. Eccl. quod *Olympiodorus*: Ebulliens, inquit, risus & cachinnatio spinis
videtur esse persimilis, quæ sub ollæ fundo strepitantes confla-
grant. Primò quidem, quia sicut ille fragor ardentium spi-
narum planè percipitur auditu, quanquam oculis non cernatur;
ita & immodestus cachinni sonus stultos facilè prodit. Tum
verò inde à spinarum globo fumus attollitur; hìc quoquè ca-
ligo quædam mentis ex hujusmodi risu cognoscitur. Ibi ol-
lam spinæ succendunt: hìc animum stulti risus peccati sorde
Luc. 6. non carens, igni parat æterno. *Christus* ait: Væ vobis! qui ri-
Ephrem c. 1. de non rid. detis nunc; quia lugebitis & flebitis. *S. Ephrem:* Risus Spiri-
tum sanctum contristat, animæ obest, & corpus corrumpit.
Beda in scintil. c. 54. *Beda:* Nullum habebit accessum cordis compunctio, ubi fuerit
immoderatus risus & jocus.)) Permittitur tamen Christiano
Eccles. 3. subinde temperatus risus juxta illud *Eccl.* Tempus flendi, &
S. Basilius c. 17. Reg. tempus ridendi. Et *S. Basilius:* Verùm enim modicè rictum
deducere, eoquè modo animi sui diffusionem leniter signifi-
care, non est contra decorum: quatenus illud tantùm indice-
tur, quod scriptum est: Cor gaudens, exhilarat faciem.)) Quod
concernit excessum in ludis, de his & aliis audi *Doctorem Ange-*
D. Thom. q. 168. a. 2. *licum* qui ait: Peccatum Eutrapeliæ oppositum per excessum
quandoquè mortale, quandoquè veniale est. Quia in omni
eo quod est dirigibile 2dùm rationem, superfluum dicitur
quod regulam rationis excedit. Diminutum autem dicitur ali-
quid, 2dùm quod deficit à regula rationis. Dictum est autem,
quod ludicra sive jocosa verba vel facta, sunt dirigibilia secun-
dùm rationem. Et ideo superfluum in ludo accipitur, quod
excedit regulam rationis. Quod quidem potest esse duplici-
ter. Uno modo ex ipsa specie actionum, quæ assumuntur in
Lib 1. de Offic. de scurrilitate & facetiis. ludum, quod quidem jocandi genus 2dùm Tullium dicitur
esse illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum, quando sci-
licet utitur aliquis causâ ludi turpibus verbis, vel factis, vel
etiam his, quæ vergunt in proximi nocumentum, quæ de se
sunt peccata mortalia. Et sic patet quòd excessus in ludo, est

pecca-

peccatum mortale. Alio autem modo poteſt eſſe exceſſus in ludo ſecundùm defectum debitarum circumſtantiarum, puta cùm aliqui utuntur ludo vel temporibus, vel locis indebitis, aut etiam præter convenientiam negotii, ſeu perſonæ. Et hoc quidem quandoquè poteſt eſſe peccatum mortale propter vehementiam affectûs ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis dilectioni DEI, ita quòd contra præceptum DEI vel Eccleſiæ, talibus ludis uti non refugiat. Quandoquè autem eſt peccatum veniale: puta ſi aliquis non tantùm afficitur ad ludum, quòd propter hoc velit aliquid contra DEUM committere.

Contra Exceſſum in ludis. S. *Cyrillus* ſcribens ad S. Auguſt. ait: Nepos quidam meus Rufus nomine, utroquè privatus parente, anniculus ad meas devenit manus. Quem tantâ diligentiâ, ſuo infortunio enutrivi, ut plures eum à me genitum credidiſſent. Creſcens itaquè puer ætate non ſapientiâ, ingenti pulchritudine corporis, ſed non animæ, probis moribus, elegantiâ multæ ſapientiæ decoratus, à cunctis amabatur. Is igitur decimo octavo ætatis ſuæ anno mortuus eſt, deflentibus eum cunctis. At ego nimis eum diligens, rogavi glorioſum Hieronymum, ut quid ſibi contigerit, mihi revelaret. Oranti itaquè mihi die quadam, horâ nonâ tantus fœtor adfuit, ut omnino tolerare non poſſem. Cogitans unde tantus hic fœtor, conſpicio ſupremè infelicem meum nepotem quaſi catenis igneis religatum, fornacis inſtar flammas fœdisſimas emittentem. Cùm itaque tremebundus interrogare ſæpè diſponerem, nec poſſem, reſumpto tandem ſpiritu inquiſivi tremens, ſi ipſe meus nepos eſſet. Heu! inquit ille, utinam nunquam fuiſſem, nè tam diris pœnis affligerer, nam æternis ſcias me pœnis deputatum. Poſt longam igitur collationem, inquiſivi, quæ cauſa ſuæ damnationis eſſet, cùm tamen in mundo tot virtutibus ſic polleret. Pro nulla alia (inquit) cauſa, niſi quia ludis delectabar. Quia in morte acceptâ pœnitentiâ, quaſi ex ſtulta ignorantia (ut debebam) nolui confiteri, Divinam non merui veniam adipiſci. Et hoc dicens diſparuit. Poſt quem talis fœtor remanſit, quòd nullus locum illum audebat introire.

In Epiſt. Cyrilli ad Auguſt. l. 4.

2dò.

2dò. Eutrapeliæ opponitur *per Defectum*, *Rusticitas*, quæ juxta Gersonem est vitium oppositum in minus, quo quis spernit ludere, quando, & ubi, & qualiter oportet. De hoc defectu ita S. Thomas differit dicens: *Peccatum Eutrapeliæ* per defectum oppositum est, quo aliquis nihil delectabile profert, & delectabilia ab aliis moderatè prolata rejiciens, eis molestus est. *Ratio est.* Quia omne quod est contra rationem in rebus humanis, vitiosum est. Est autem contra rationem ut aliquis aliis onerosum se exhibeat, puta dum nihil delectabile exhibet, & etiam delectationes aliorum impedit. Unde Seneca dicit: Sic te geras sapienter, ut nullus te habeat tanquam asperum, nec contemnat quasi vilem. Illi autem qui in ludo deficiunt, nec ipsi dicunt aliquod ridiculum, & dicentibus molesti sunt, quia scilicet moderatos aliorum ludos non recipiunt. Et ideo tales vitiosi sunt, & dicuntur duri, & agrestes, ut Philosophus dicit in 4to. Ethicorum. Sed quia ludus est utilis propter quietem & delectationem. Delectatio autem & quies, non propter se quæruntur in humana vita, sed propter operationem, ùt dicitur in 10. Ethicorum: Ideo defectus ludi minùs est vitiosus quàm superexcessus. Unde Philosophus dicit in 9. Ethicorum: quòd pauci amici propter delectationem sunt habendi, quia parum de delectatione sufficit ad vitam quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo.

Gerson. T. 4. L. deser. Term. C. de temp. — *V. D. Thom. 2. 2. q. 168. a. 4.* — *Lib. 4. C. 8.* — *Lib. 10. C. 6. 10. 5.* — *l. 2. tra: 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3.*

In Praxi contra Ineptam lætitiam, & Excessum in ludis, applica convenienter supradicta.

SUBSECTIO XVI.

De Modestia in verbis, & de Silentio.

M*Odestia in verbis, est virtus ad dictamen rationis directiva locutionis, vel silentii, in conversatione humana.* Dicitur: *est virtus* tum generalis, tum specialis. Generalis est, quatenus per verba exercetur actus alicujus virtutis circa ejus propriam materiam, vel etiam siletur: ut v. g. In materia castitatis dicere: Malo mori, quàm fœdari: est actus castitatis verbis

exer-

exercitus: Similiter silere à turpiloquio, est actus silentii ad virtutem castitatis spectans. Actus enim fugæ & prosecutionis circa aliquam materiam ab eodem habitu oriuntur. Quare huic Modestiæ in verbis, opponitur Maliloquium. Porrò dicta Modestia virtus specialis est, quatenus versatur circa specialem materiam, nempe rationabilem, seu necessariam, & utilem locutionem, eamquè moderatam, sicquè sileat à Vaniloquio & Multiloquio. Tum quia hæc materia est multùm difficilis ad executionem. *Unde Jacobus:* Linguam nullus hominum domare potest.)) Ergo singularem requirit virtutem, Virtus quippe à specialitate materiæ, & difficultate, & exinde resurgente honestate, in suo Esse proprio specificatur. *Jac. C. 3.*

Adverte etiam ad silentium huc revocari *Conservationem secreti*, quæ maximè necessaria est in conversatione & societate humana stabilienda.

Est autem silentium aliud *oris*, aliud *operis*: per prius, à verbis propriè dictis, per posterius ab æquivalentibus verbis.

Illicia Modestiæ in locutione, & Silentio. *Imùm.* Prov. Lætatur homo in sententia oris sui, & sermo opportunus est optimus. *Item:* Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est. *Item:* Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. *Eccl.* Verba oris sapientis gratia: & labia insipientis præcipitabunt eum. In medio insensatorum serva verbum tempori. *Idem:* Adolescens loquere in tua causa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens. In medio magnatorum non præsumas: & ubi sunt senes, non multùm loquaris. *Apostolus:* Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum. *Apostolus:* Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuiquè respondere. *De Ecclesiaste dicitur:* Quæsivit verba utilia, & conscripsit sermones rectissimos.

Prov. 15. *Prov. 17.* *Prov. 25.* *Eccl. 10. v. 12.* *Eccl. 27. v. 13.* *Ibid. 32. v. 10.* *v. 11.* *v. 12.* *v. 13.* *Jacob. 1.* *Coloss. C. 4.* *Eccle. C. 12.*

2dùm. S. Gregorius: Tempus tacendi, & tempus loquendi, discretâ vicissitudine pensanda sunt tempora, nè aut quum restringi lingva debet, per verba se inutiliter solvat: aut cùm loqui *S. Gregor. lib. 7. moral.*

Idem in Prov. 15. qui utiliter potest, semetipsam pigrè restringat. *Idem*: Sapiens non solùm quod loquitur, sed etiam opportunitatem loci, & temporis, & personæ, cùm loquitur, diligenter inquirit. *S. Hieron. in quadam Epist.* *S. Hieronymus*: Diu considera quid loquendum sit, & adhuc tacens, provide, nè quid dixisse pœniteat. Sapiens ut loquatur, multa priùs considerat: quid, aut cui, quo loco, aut tempore dicat. *Val. Episc. in quodam serm.* *Valer*: Et loqui, & tacere perfectio est, est autem utriusquè partis causa, verborum tenuisse mensuram. Aliquoties nimia taciturnitas stultitiæ adscribitur, sicut verborum nimietas ad furorem refertur, secundùm illud Sapientis: Est tacens, & non habens sensum loquelæ; & est tacens sciens tempus apti temporis: de qua re si nostri sententiam requiras arbitrii, jam malo aliquis in tacendo stultus, quàm nimium loquendo insanus judicetur.

Prov. 17. Sap. 9. Tob. 12. Isai. 39. Idem. 32. Thren. C. 3. *Pro Silentio.* *Imum. Prov.* Stultus quoquè si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua intelligens. *Sap* Gloria DEI est celare verbum. *Raphael Archangelus*: Sacramentum Regis abscondere bonum est. *Isai*: In silentio & in spe erit fortitudo vestra. *Idem*: Cultus justitiæ silentium. *Thre.* Bonum est præstolari cum silentio salutare DEI.

S. Chryso. in Matth. c. 21. *2dum. S. Chrysostomus*: Malum hominem tacendo meliùs, quàm respondendo vincere potes. *D. Hieronymus*: Ex hoc *S. Hieron. in Reg. Monach. C. 22.* enim in eremo SS. Patres edocti summa cum diligentia observant sancta silentia, tanquam sanctæ contemplationis causam. *S. Diadochus*: Præclara ergo res est silentium, nihilquè aliud *S. Diad. in Bibli. Patr. de perfect. spir. C. 20.* quàm mater sapientissimorum cogitatuum. *S. Ambrosius*: Silendi patientia, opportunitas loquendi, & contemptus divitiarum, sunt maxima fundamenta virtutum. *S. Gregorius*: Ille scit rectè dicere, qui & ordinatè novit tacere. *Idem*: Sancti viri *S. Amb. lib. 1. de Officiis.* cùm prodesse audientibus nequeunt, etiam despici tacentes volunt.

S. Grego. in moral. *3tium.* Exempla ex Bibli. Man. P. *Lohner* tit Taciturnitas. 1. De Christi silentio testatur. *S. Bernardus*: dum tractans illa *Idem in quadam homil.* verba: *Ipsum audite*; sic loquitur. Ecce Domine JESU vel jam nunc loquere. Quousquè siles? quousquè dissimulas? diu *Ser. 1. de Epiph.* tacuisti, & valdè diu, vel jam nunc habes loquendi licentiam

à Pa-

à Patre. Et *Isaias de Christo*: Non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.)) Nimirum in passione sua, in qua tota altissimum tenuit silentium, vix necessaria loquens. 2. B. Virgo teste S. Bernardo in omni textu Evangeliorum non nisi quater loquens auditur. *Imo* quidem ad Angelum, sed cùm jam semel atquè iterum allocutus fuisset. *Secundò* ad Elisabeth, quando vox salutationis ejus Joannem exultare fecit in utero, & eâ magnificante MARIAM, ipsa magìs Dominum magnificare curavit. *Tertiò* ad Filium, cùm jam esset annorum duodecim, quòd ipsa & Pater ejus dolentes quæsiissent. *Quartò* in nuptiis ad Filium & ministros! Sed & *Nicephorus*. Erat, inquit, MARIA in rebus omnibus honesta & gravis, pauca admodum, eaquè necessaria loquens: ad audiendum facilis, & perquam affabilis, honorem & venerationem omnibus exhibens. *S. Bernardinus* quoquè idem confirmans. Sapientissima virgo *ait* ornata erat discretissimâ taciturnitate; nil enim locuta, quod non præmeditata. Nunquam tamen silentii amorem magìs declaravit, quàm cùm S. Josepho dimittere eam volente, tacuit, suamquè causam & defensionem DEO commisit. 3. *S. Hieronymus* testatur se invenisse aliquot eremi Patres tam observantes silentii, ut justo septennio nec unicum quidem verbulum sibi passi sint excidere. 4. *S Gertrudis* de seipsa testata est, nunquam sibi vel ad ictum oculi subtractam per novem annos Christi præsentiam, nisi per undecim dies, ob mundialem quandam, ut ipsa loquitur, sermocinationem. 5. S. Arsenio quærenti, quâ ratione proficeret ad salutem, vox cælo delapsa dixit: *Fuge, tace, quiesce, hæc sunt principia salutis.* 6. Cum B. MARIA Oegniacensis aliquando à festo S. Crucis usquè ad Pascha Domini nè unum quidem verbum locuta esset, tam gratum DEO id fuit, ut ex Spiritûs sancti revelatione didicerit, eo vel maximè se impetrâsse, ut sine pœna purgatorii migraret ad cælum. 7. De Monasterio Claravallensi sub S. Bernardo, scribit vitæ hujus S. Author, quòd mediâ die mediæ noctis silentium à supervenientibus inveniebatur præter laborum sonitus, & si fratres in laudibus DEI occuparentur. Porrò

Isai. 53. v. 7.

S. Bern serm. in signum magnum.

Lib. 2. Hist. c. 23.

In Reg. Monachi. I.

Lib. 2. insin. l 10. c. 54.

S. Ephr. to. 12. in apophtegm.

Sur. 23.

Vit. l. I c. 7.

rò ipsius silentii ordo & fama tantam apud seculares superve-nientes sui faciebat reverentiam, ut & ipsi non dicam prava vel otiosa, sed aliquid etiam, quod ad rem non attineret, ibi loqui vererentur. 8. *Ignatius* teste Cornelio à Lapide tria dabat signa, ex quibus quis perspiceret, an in Monasterio aliquo vel Collegio bona esset disciplina claustralis; scilicet si benè ser-

In. C. 30. varetur clausura: si omnia loca essent nitida & composita: si benè servaretur silentium, non essent fabulæ, strepitus, clamores. Hinc si strepitum aut sermonem tempore silentii ipse audiret, mox delinquentem ad se vocabat & monebat.

4tùm. *Exempla profana.* Pythagoras legem dedit suis Discipulis, ut per quinque annos tacerent, sicquè loqui addiscerent; & tu inquit S. Bernardus non vis tacere, cui virtus silentii propria est? *Aliud. Plinius* de Palatio Trajani Imperatoris loquens sic ait: Magna ante te, magna post te, juxta tamen te maxima quies. Tantum ubique silentium, tam altus pudor, ut ad parvos Penates & larem angustum ex domo principis, modestiæ & tranquillitatis exempla referantur.

S. Bern. l. de ord vitæ.

In Panegyri Trajani.

In Praxi ad Comparandum silentium hæc media ex P. Lohner accipe loco citato. I. *Orationis studium.* Nam ut benè advertit Rodriquez: sicut silentium & causa sanctæ contemplationis, ita & hæc vicissim est causa silentii, quemadmodum Moyses suo exemplo testatus est, dum dixit: Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris lingvæ sum. Nec enim ut S. Laurentius Justinianus ait, potest panem seculi cupere, qui suavi gustu reficitur Salvatoris.

Exodi 4. v. 10.

In ligno vitæ tr. de Orat. c. 5.

Rodriq. p. 1. tr. 7. c. 7.

II. *Examen particulare accuratum.* Sic Frater Juniperus integrum sex mensium silentium à se impetravit, dum primo die proposuit non loqui ad honorem æterni Patris, & sic reliquis diebus ad honorem aliarum Personarum, & Sanctorum.

Rodriq. p. 2. tr. 2. c. 12.

III. *Considerare, quod os sit consecratum DEO ad laudes Ei dicendas:* Quod remedium suggessit S. Bernardus dicens: Inter seculares, nugæ, nugæ sunt: in ore Sacerdotis blasphemiæ. Consecrâsti os tuum Evangelio, talibus jam aperire, illicitum; asuefacere sacrilegium est.

Grad. 11.

IV. *Ponderare frequenter commoda silentii.* Nam studiosus silen-

silentii appropiat DEO, ipsique jugiter in abdito cordis assistens, illustratur ab eo, ut S. Climacus loquitur. Et ut Joannes de Indagene pronunciabat: per silentium prohibetur animus exire foras, & intus ire compellitur seipsum benè intueri, considerare, & spiritualibus exercitiis perficere. *Lib. 1 de perf. ord. Carthus. c. 24.*

V. *Curiositatem audiendi tollere.* Sic Joannes Abbas ex Cytico docuit dicens: Qui continere vult lingvam, obstruat aures, nè multa audiat. *10. Evirat in prat. c. 127.*

VI. *Radicem garrulitatis evellere.* Quam rectè indicavit Thomas à Kempis, dum ait: Idcirco tam libenter loquimur, quia permultas locutiones ab invicem consolari quærimus, & cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare. Et multum libenter de his, quæ multum diligimus vel cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui & cogitare. *Lib. 1. c. 10.*

Vide quoq; supradicta & hic proportionatè adhibe. *l. 2. tra: 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2.*

Actus interni silentii ex Discipl. Claust. P. Joannis à J. M.

1. *Modestissime JESU Christe pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.*

2. *Statuo mitissime Domine ab omni verbo, quod necessitas vel utilitas non exigit, abstinere.*

3. *Si oportuerit me mori propter silentii cultum à congregatione præscriptum, non te negabo.*

4. *Si exploratum mibi fuerit verbum aliquod otiosum esse, etiamsi occidar, silebo.*

5. *Absit à me clementissime Domine, ut conscientiâ renitente loquar.*

6. *Si ad loquendum invitatus fuero, ubi rationes humanæ ob personæ gravitatem, vel causas alias verba suggesserint, rationi divinæ silentii obtemperabo.*

7. *Utinam benignissime DEUS! potiùs obmutescam, quàm vel uno verbo tibi non grata abutar.*

SUBSECTIO XVII.

De Oppositis Modestiæ in verbis, & Silentii.

IMo. Opponitur *per Excessum* nempe *Multiloquium* etiam in utilibus, cùm paucioribus verbis idem possit perfici. *Contra quod Prov*: In multiloquio non deerit peccatum. Qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. *Prov*: In omni opere bono erit abundantia: ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. *Prov*: Vidisti hominem velocem ad loquendum, stultitia magìs speranda est, quàm ipsius correctio. *Eccl*: Stultus verba multiplicat. *Eccli*: Noli verbosus esse in multitudine Presbyterorum, & non iteres verbum in oratione tua. *Ibidem*: Qui multis utitur verbis, lædet animam suam.

Prov. 10. Prov. 14. Prov. 29. Eccl. 10. Eccli. 7. Eccli. 20.

Opponitur quoque *per Excessum silentium* ab utilibus & necessariis. *Contra quod Isaias* de se: Væ mihi! quia tacui. *S. Gregorius*: Sicut incauta locutio in errorem protrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore relinquit.

Isa. C. 6. S. Gregor. in pastor.

2*dò*. *Opponitur per Defectum*; id est *Maliloquium*, *& Vaniloquium*! *Contra maliloquium Apostolus*: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. *Petrus*: Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos, coërceat lingvam suam à malo, & labia ejus nè loquantur dolum. *S. Jacobus Apostolus*: Lingva modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis, quàm magnam sylvam incendit. Et lingva ignis est, universitas iniquitatis. Lingva constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat totam nativitatis nostræ inflammata à gehenna. Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana: Lingvam autem nullus hominum domare potest. Inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus DEUM & Patrem: & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem DEI facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet fratres mei hæc ita fieri.

Eph. 4. Pet. c. 3. Jacob Apost. c. 3. v. 5.

fieri. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Numquid potest fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? sic neque salsa dulcem potest facere aquam. *S. Ambrosius*: Quàmplures vidi loquendo in peccatum incidisse: vix quempiam tacendo: ideoquè tacere posse quàm loqui, difficilius est. *Idem*: Periculum est dicere non solùm falsa, sed etiam vera: si is ea non quibus oportet insinuet, quod vitium quadripartitum est; Vel adulationis, vel avaritiæ, vel jactantiæ, vel loquacitatis incautæ. *Idem*: Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter: postremò, si ubi non oportet loquaris. *S. Hieronymus*: Verba volvere, & apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Nihil tam facilè quàm vilem plebem & indoctam volubilitate lingvæ decipere, quæ quidquid non intelligit, plus miratur.

S. Ambr. 5. de Offic.
Idem in Psal. 118.
Idem lib. 1. de Virginitate.
S. Hier. ad Nepotian.

Contra Vaniloquium. Christus: Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii: Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. *S. Gregorius*: Quod supervacuis verbis mens à silentii sui censura dissipatur, quasi tot ruinis extra se ducitur, unde redire interiùs ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium exterius sparsa, vim intimæ considerationis amittit. *S. Isidorus*: Vanus sermo citò polluit mentem, & facilè agitur, quod libenter auditur. *S. Ambrosius*: Scio loqui plerosquè, cùm tacere nesciant. Rarum est tacere quenquam, cùm sibi loqui nihil prosit: Sapiens est ergo, qui novit tacere.

Matth. c. 12.
S. Greg. lib. 5. Moral.
S. Isid. in lib. soliloq.
S. Amb. lib. 1. de Offic.

3tio. Inter species Maliloquii quæ sunt varia peccata lingvæ, utì detractionis, maledictionis, blasphemiæ, &c. est quoquè *Murmur*, quod definitur esse *quædam querela cum impatientia in his, quæ homo deberet patienter ferre.* Murmur aliud est contra DEUM, aliud contra homines, maximè Superiores.

Joseph. Lang. Poliant. Tit. Murmur.

Contra Murmur est. 1. *Sap.* Quoniam auris acris & indignabunda zeli audit omnia: & tumultus murmurationum non abscondetur. *Idem*: Custodite vos à murmuratione, quæ nihil

Sap. 1.
Ibidem.

Joan. 6. 43. nihil prodest. *Christus* monet: Nolite murmurare ad invicem. *1. Cor. 10.* *Apostolus*: Nequè murmuraveritis, ficut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore. *Philip. 2. 14.* *Idem*: Omnia facite finè murmurationibus, & hæsitationibus, ut sitis finè querela, & simplices Filii DEI. *S. Aug. supra Joan.* *S. Augustinus*: De nulla re magis DEUM offendisse ille populus Judaicus dicitur, quàm contra DEUM murmurando. *S. Gregor. in Moral.* *S. Gregorius*: Qui contra suprà positam sibi potestatem murmurat, liquet, quòd illum redarguit, qui eandem homini potestatem dedit. *S. Bern. de considerat.* *S. Bernardus*: Si is qui murmurat, secundùm animam mortuus est, qui instigat, quomodo vivit? *Num. 12. 10.* Pœnæ murmurantium *ex P. Busæi Arca Medic. tit. Murmur.* *Num. 16. 31.* Moysis sororem Mariam ob murmur leprâ audi percussam. *Num. 21. 6.* Dathan & Abiron vivos terræ hiatu absorptos. Chore igni consumptum. Ignitos serpentes in populum immissos: extremam castrorum partem ab igne devoratam: ac deniquè majorem filiorum Israel partem ingressu terræ promissionis exclusam in deserto periisse. *Num. 11. 33.* *Num. 14. 30.* Apostolus quoquè Judas hæreticos, de quibus futuris vaticinatur, appellat murmuratores, querulosos, secundùm desideria sua ambulantes: *Jud. Epist.* eorumquè pœnam præmittit dicens: quibus procella tenebrarum servata est in æternum.

1. 2. tract. 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2. & 3. *In Traxi ad evellendum vitia opposita Modestiæ in loquendo, & silentio, aptificari possunt supradicta.*

SUBSECTIO XVIII.

De Solitudine.

SOlitudo, *est actus modestiæ, quo 2dùm rectam rationem separat se homo à societate & conversatione humana.* Dicitur; *Actus Modestiæ*: quia ejus officium est ponere modum in passionibus superandis circa aliqua faciliora; faciliora inquam per respectum ad alia multò difficiliora: siquidem & Modestia secundùm se spectatam materiam habet non modicè difficilem: ubi & hæc modestia in abstrahendo se à societate humana, contra naturam pugnat, cùm ex natura homo sit animal sociale.

Soli-

Solitudo alia est *externa*, dum quis corporaliter sejungit se ab aliis, sibi unus relictus. Alia *interna*, quæ etiam in mediis turbis populorum servari potest, fitquè non attendendo ad dicta & facta aliorum, vel res transitorias; verùm per eas, vel alio modo totus est DEO aut divinis homo intentus.

Allectiva Solitudinis. 1mùm. *Thren:* Sedebit solitarius & tacebit: quia levavit se super se: ponet in pulvere os suum, si fortè sit spes. *Osee:* Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. *Thren. C. 3.* *Osee. C. 2.*

2dùm. *S. Hieronymus:* Sapiens nunquam solus esse potest, habet enim secum omnes, qui sunt, & qui fuerunt boni, & animum liberum quocunquè vult, profert & transfert, & quod corpore non potest, cogitatione complectitur: & si hominum inopia fuerit, loquitur cum DEO, nunquam bonus solus erit. *Idem:* Infinita eremi vastitas te terret, sed tu paradisum mente deambula, quotiescunque cogitatione ac mente illuc conscenderis, toties in eremo non eris. *S. Gregorius:* Qui corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitatione se infert, non est in solitudine: si verò premarur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos secularium curarum tumultus in corde patiatur, non est in orbe. *Joan. Cassiod:* Solitudo sicut novit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare, & intuitu sincerissimo spiritualium Sacramentorum scientiam revelare: ita eorum qui minùs emendati sunt, vitia non solùm servare, sed etiam exaggerare consuevit. Tamdiu patiens sibi quisque videtur & humilis, donec nulli hominum commisceatur consortio: ad naturam pristinam reversurus, quum interpellaverit cujuslibet occasionis commotio. *S. Joan. Chrysost:* Sicut difficile est arborem juxta viam positam fructus usquè ad maturitatem servare: sic difficile est virum juxta hunc mundum viventem, id est, in actibus mundi, justitiam immaculatam usquè ad finem tenere. Recede ergo de via, & planta te in loco secreto, ut nec mundus tecum habeat aliquid commune, nec tu cum mundo. *Thomas Kempensis:* Maximi Sanctorum humana consortia ubi poterant vitabant, & DEO in secreto *S. Hier. contra Jovinian.* *Idem in Epist. ad Heliodor.* *S. Gregor. lib. 30. Moral.* *Joan. Cassiod. de Instituт. Monach. lib. 8.* *Joan. Chrysost. supra Matth.* *Thomas Kempen. de imitati. Christi. c. 20.*

Hebr. 11. creto vivere eligebant. Dixit quidam: Quoties inter homi-
Senec. 7. ep. nes fui, minor homo redii: Hoc sæpè experimur, quando diu confabulamur. Facilius est omnino tacere, quàm verbo non excedere. Facilius est domi latere, quàm foris posse se suffi-
Matth. 4. cienter custodire. Qui igitur intendit ad interiora & spiri-
Tho. Kemp. tualia, oportet eum cum JESU à turba declinare. Nemo dignus est cælesti consolatione, nisi diligenter se exercuerit in sancta compunctione. Si vis cordetenus compungi intra cubile tuum, & exclude tumultus mundi, sicut scriptum est: In cubilibus vestris compungimini. In cella invenies, quod deforis sæpiùs
Psal. 4. amittes. Cella continuata dulcescit, & malè custodita tædium generat. Si in principio conversionis tuæ benè eam incolueris & custodieris, erit tibi postea dilecta amica, & gratissimum solatium. In silentio & quiete proficit anima devota, & di-
Psal. 6. scit abscondita scripturarum. Ibi invenit fluenta lachrymarum, quibus singulis noctibus se lavet & mundet: ut Conditori suo tantò familiarior fiat, quantò longiùs ab omni seculari tumultu degit. Qui ergo se abstrahit à notis & amicis, appropinquabit illi DEUS cum Angelis sanctis. Melius est latere & sui curam agere, quàm se neglecto, signa facere. Laudabile est homini religioso, raro foras ire, fugere videri, nolle etiam homines videre.

Matth. 4. 3tiùm. Exempla. I. Christus in deserto loco manens solitarius jejunavit quadraginta noctibus. Idem juxta Evangeli-
Luc. 6. stam in monte solus orabat. Idem ad Discipulos suos ait: Ve-
Marci. 6. nite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillùm: quo loco *Euthymius* sic habet: Docemur hinc, oportere Ecclesiæ magistros non semper exponere se ipsos multitudini, sed cùm datur opportunitas, retrahi, ac solitarios esse, mentemquè ab
Luc. 1. exteriori distractione revocare. II. Beatissima Virgo MARIA.
S. Ambr. lib. 2. in Lucam. De qua *S. Ambrosius* super illud: *Et ingressus Angelus ad eam*, inquit: Sola in penetralibus, quam nemo virorum viderit, solus
Gen. 24. Angelus repererit: Sola sinè comite, sola sinè teste, nè quo degenere depravaretur affatu, ab Angelo salutatur. III. Egressus est Isaac ad meditandum in agro. In quem locum *Dionysius Carthusianus* inquit: Egressus est ad meditandum intentè de

DEO

DEO, & pertinentibus ad salutem, abstrahendo se ab aliorum præsentia, strepitu ac tumultu, ut solus tantò devotiùs & liberiùs insisteret meditationibus sanctis.)) S. Rex David de se ipso ait: Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. *Apostolus de Sanctis antiqui testamenti*: Circuierunt, inquit, in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ. IV. Exempla Solitariorum sub novo testamento tot habes, quot Sanctos & Beatos numerat Ecclesia DEI. Non enim tales evasissent, nisi ad minus internam solitudinem arctissimè coluissent; & quandoquè ad externam quoquè se recepissent illi, qui vitam in mediis turbis populorum agebant. Ita S. Martinus, S. Augustinus, S Fulgentius, &c. post curas pastorales ad monasteria sua pro spirituali refocillatione animi se conferebant. S. Dominicus. Primicerius Prædicatorum, inter peccatores vivens, animo semper cum DEO & Angelis loquebatur, & dies proximis impertiens, noctibus ferventissimæ contemplationi vacabat.

Psal 54.
Hebr. 11.
Theod. l. 4. c. 9

Verùm propius ad eos, qui solitariam vitam professi accedamus, horum sunt alii Cœnobitæ alii Eremitæ, illi in Communitate viventes; rariùs tamen secum, rarissimè cum externis conversantes: hi non morali tantùm, verùm & reali solitudine præcellentes: utriusquè generis solitariorum,

Rebus procul mortalibus
Mens avolabat fervida,
Divumquè juncta coetui,
Hærebat inter sidera.

Breviar. Cisterc.

Nebridius Canonicus Regul. S. Augustini scribens ait: Nullus me totius cœnobii locus ampliùs delectat, quàm quod in horto habemus Eremitorium. Etiam in gelidissima hyeme me calefacit & inflammat, dum ante ipsum consistens contemplor angelicam antiquorum Anachoretarum conversationem ac studium. Mareotis Nitria, Scithi, Marmorica, Oasis, desertum Chalcidis, & si quid simile mundo horret, cælo floret, mihi omni melle dulcius est. Unde non semel cum *S. Augustino* exclamo. Quis dabit mihi pennas, & volabo & requiescam? Et

Nebri. Antiqua Monast. Epist. 132.
S. Aug. in psal. 54.

S. Hier. Epist. ad Heliod. cum *S. Hieronymo*: O desertum Christi floribus vernans! O solitudo in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni Regis exstruitur! O eremus familiariùs DEO gaudens! Præ te mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est.)) V. *S. Gregorius* de S. Benedicto ait: Tunc ad locum dilectæ solitudinis rediit, & solus in superni Spectatoris oculis habitavit secum. &c. quia in sua semper custodia circumspectus, antè oculos Conditoris se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non divulgavit. VI. S. Bernardus adhuc puer, erat simplicissimus in secularibus, amans habitare secum, publicum fugitans, mirè cogitativus, parentibus obediens, & subditus omnibus, benignus, & gratus, domi simplex & quietus, foris rarus, & ultra quàm credi posset verecundus, nusquam multum loqui amans, DEO devotus, ut puram sibi pueritiam suam conservaret, literarum etiam studio deditus, per quas in scripturis DEUM disceret & cognosceret.

S. Greg. l. 2. dial. Vit. S. Benedict.

In vit. C. 2.

In Praxi comparandi Amorem solitudinis aliqua sunt necessaria. *1mum.* Mortificatio evagationum mentis. *2dum.* Occupatio mentis circa spiritualia, cælestia, divina. Hinc *S. Ambrosius*: Verus solitarius nec in extrema eremo solus est: nam quando justus solus est, qui cum DEO semper est? quando solitarius est, qui nunquam separatus à Christo? Nequè enim primus Scipio scivit solus non esse cùm solus esset: nec minùs negotiosus, cùm otiosus esset. Hinc *Nebridius* ex S. Juone ait: *Secreta sylvarum & cacumina montium beatum non facere hominem, si secum non habeat solitudinem mentis, Sabbatum animæ, tranquillitatem cordis, ascensiones in corde.* Sinè quibus omnem solitudinem comitantur mentis acedia, curiositas, vana gloria, periculosæ tentationum procellæ. Sed O Sabbatum! O tranquillitas! O mentis solitudo quàm paucorum es! *3tium.* *V. Joannes à S. Samsone ait*: Manualis exercitatio in aliquo bono opere, & scriptio rerum sanctarum solitudini religiosæ non adversantur, modò non noceant internæ cum DEO occupationi. *4tum.* Priùs discere virtutem in solitudine, quàm doceas in publico. Unde citatus Author inquit: Nullus est homo, qualiscunquè sit, qui non

S. Ambr. l. 3. Offic. c. 1.

S. Juo Epist. 192 Nebrid. Antiquar. Monast. Epist. 133.

Theorem. de solitudine.

Ibidem.

non sibi, suoquè bono magis debeat, quàm mundo universo: & non video vocari quenquam ad salvandum universum mundum cum præjudicio suæ perfectionis propriæ.

Vide quoquè dicta suprà, & hic proportionatè accommoda. 1. 2. tra: 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2.

SUBSECTIO XIX.

De Oppositis Solitudinis.

IMò. Opponitur *Excessus*, quo aliquis adeò amaret solitariam & contemplativam vitam, ùt charitate, justitiâ, vel obedientiâ exigente negligeret opera vitæ activæ, & conversationem cum hominibus.

2dò. Opponitur *Defectus* solitudinis, seu nimia cum hominibus societas, familiaritas, conversatio, & cura transitoriorum. Sed contra hæc jam sub aliis vitiis implicitè & sufficienter actum. Nunc breviter quæpiam accipe. *V. Joannes. à S. Samsone* ait: Solitudo infernus est iis, qui naturâ sunt turbulenti, amari, morosi, inconstantes, leves, inquieti, & subtilioris acriorisquè ingenii, sed præcipuè summè melancholicis. Hæc ille. Verùm gratia DEI implorata tollit hæc vitia naturæ, vel acquisita, quæ sunt impedimenta solitudinis adeò necessariæ, sinè qua frequentata nec initium fieri potest salutis, nec profectus, nec perfectio. Theorem. spirit. tit. solitudo.

Contra Defectum internæ solitudinis Idem inquit: Esse solitarium corpore duntaxat, est esse tanquam animal inclusum. *Idem*: Inutiliter media ad vitam spiritûs usurpantur, nisi corporis & animi solitudo, quantùm convenit observetur. Ibidem. Ibidem.

SUBSECTIO XX.

De Modestia in exteriori apparatu.

HÆc Modestia, *est virtus, quæ moderatur appetitum, ut is se rectè habeat circa exteriorem apparatum.* Dicitur *est virtus:* & quidem pertinens ad veritatem, quatenus exterior D. Tho: 2. 2. q. 169. a. 1. ad 2. & 3.

cultus indicium quoddam est conditionis humanæ, vel alicujus alterius; uti in dignitatibus constituti, vel ministri altaris pretiosioribus vestibus utuntur ad significandam excellentiam sui ministerii, vel cultûs divini; pœnitentes vilibus & squalidis vestimentis horrescunt ad indicandum interiorem luctum, sordes suorum peccatorum diluentem; tum prædicatores pœnitentiæ abjectis utuntur indumentis, ùt ita verbo & exemplo ad pœnitentiam permoveant alios, sicut fecerunt Prophetæ, de quibus Apostolus ad Hebr. 11. loquitur: Circuierunt in melotis & pellibus caprinis. Et Glos. ordin. super Matth. 3. inquit: Qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit. Et ideo excessus, & defectus, & medium in exteriori apparatu reduci possunt ad virtutem Veritatis; quàm Philos. 4. Ethic. c. 7. ponit circa facta, & dicta, quibus aliquid de statu hominis significatur. Quatenus autem Modestia est moderativa appetitûs circa exteriorem cultum, moti vel ex superbia, vel ex delectatione aliqua vitiosa, ita est virtus pertinens ad Temperantiam, quæ est refrænativa ejusmodi vitiorum. Et ita Andronicus ponit tres virtutes circa exteriorem cultum, scilicet Humilitatem, quæ excludit intentionem gloriæ. Unde dicit: quòd humilitas est habitus non superabundans in sumptibus & præparationibus. Et per se Sufficientiam, quæ excludit intentionem deliciarum. Unde dicit quod per se sufficientia est, habitus contentus quibus oportet, & determinativa eorum, quæ ad vivere conveniunt secundùm illud Apostoli 1. ad Timot. ult. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Et simplicitatem, quæ excludit superfluam solicitudinem talium. Unde dicit; quòd simplicitas est habitus contentus his, quæ contingunt.

Porrò nomine *Apparatûs* hìc intelligimus non modò vestitum, verùm etiam quidquid exteriorum rerum proximè pertinentium ad conservationem hominis, vel ejus dignitatis pertinet, ùt sunt suppellex varia domestica, domus, famuli, &c. In his enim quoquè ut in aliis rebus & actibus opus est moderatione. *Apostolus*: Mulieres in habitu ornato: cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus aut au-

1. Tim. C. 2.

 ro,

ro, aut margaritis, vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.

Motiva. Petrus Apostolus: Quarum (*id est mulierum*) non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritûs, qui est in conspectu DEI locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in DEO, ornabant se, subjectæ propriis viris. *S. Hieronymus*: Vestes pullas æquè devita, ut candidas: ornatus ut sordes pari modo fugiendi sunt, quia alterum deliciis, alterum gloriâ redolet. *Idem*: Vilis tunica contemptum seculi probat: ita duntaxat, ut animus non tumeat, nequè habitus sermoquè dissentiat. *S. Chrysostomus*: Vis ornare faciem? orna non margaritis, sed modestiâ & honestate: sicquè vir gratiorem cernet aspectum. Ille nempe ornatus & zelotypiæ suspicionem injicere sæpè solet, & inimicitias, & contentiones, & pugnas &c. Modestiæ autem ornatus omnem quidem improbam suspicionem expellit: omni autem vinculo firmius conjugium conciliat. Non enim tam decorum facit formæ natura aspectum, quàm eam spectantis affectus. Affectum verò nihil sic ut modestia & honestas inducere solet &c. Circa Margaritarum cultum, insania est, pompa satanica; Aurum enim accepisti, non ut corpus vincias, sed ut pauperes salves & enutrias. *Tertullianus*: Pudicitiæ atquè honestati Christianæ satis non est esse, verùm & videri: tanta enim debet esse plenitudo ejus, ut emanet in habitum ab animo, & eructet à conscientia in superficiem, ut foris inspiciat quasi suppellectilem suam. *Subjungit deinde*: Prodite vos jam ornamentis instructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundiâ, & os taciturnitate, inserentes in aures sermones DEI, annectentes cervicibus jugum Christi, caput maritis subjicite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plusquam in auro placebunt, vestite vos serico pubertatis, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiæ: taliter pigmentatæ DEUM habebitis amatorem. *Tridentinum Concil.* Oportet Clericos vestes, proprio congruentes

1. Pet. c. 3.

S. Hier. Epist. ad Nepot.

Idem Epist. ad Rusti.

S. Chrysost. hom. 21. ad popul.

Tertul. lib. de habitu foeminarum.

Trident. Sess. 24.

gruentes Ordini semper deferre, & per decentiam habitûs extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. *Item Synodus.* 7. Omnis jactantia & ornatura corporalis à sacrato ordine aliena est. *S. Bonaventura*: Circa pannum (id est vestimenti) ut non sit pretiositate, mollitie, & subtilitate notabilis. Vestis etiam pretiositatem mulieribus Apostolus interdixit. Porrò qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Inter divites Palatii & pauperes claustri, debet esse differentia. Mollia vestimenta animi mollitiem indicant. Molles (ait quidam) mollia quærunt. Subtilitas & nitor, reprehenditur in bysso divitis epulantis. Nimia panni subtilitas, & si non pretiosa, nihilominus tamen in proposito pœnitentiæ vitiosa. Sit curæ, pannorum pretiositatem, subtilitatem, & incongruam religioni mollitiem non curare. Vereantur & renitantur ut possunt, mutari ipsorum sanctorum de vestium vilitate censuram, & vitiosam consvetudinem induci.

Syn. 7. *S. Bonav. in specul. discip. p. 1. C. 25.* *1. Pet. 3.* *Matth. 11.*

2dùm. *Christus* de quo *S. Bernardus*: In signum sunt panni tui Domine JESU, sed in signum cui à multis, usquè hodie contradicitur. *Idem*: Porrò in lepra vestis, omnem seculi hujus pomposam intellige vanitatem. Nam ab illa nihilominus in Jordanis mersione mundaberis, inveniens Christum Dominum vilibus pannis involutum, factum opprobrium hominum & abjectionem plebis. Et *S. Bonaventura*: Audîstis in Nativitate quantam afflictionem habuit & penuriam, & inter alia hoc etiam fuit, quòd quando Mater posuit eum in præsepio, ad caput ejus posuit quendam lapidem interposito fortè fœno, ut habui à Fratre nostro, qui vidit, & adhuc lapis ille apparet ad memoriam ibidem muratus. Credo quòd libentiùs posuisset pulvinar, si habuisset, sed cùm aliud non haberet quod poneret, cum cordis amaritudine posuit illum lapidem.)) Christus in stabulo natus, cùm locum non habuerit in diversorio. Deinde de se ipso Dominus dixit: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Deniquè Asino vestibus discipulorum strato, iisquè pauperculis comitantibus triumphalem fecit ingressum Jerosolymam. Ecce Christi domus, ecce suppellex, famu-

S. Bern. ser. 4. de Nat. Domini. *S. Bern. ser. 3. tempore paschali.* *S. Bonaven. medit. vitæ Christi Cap. 8.* *Matth. 8.* *Luc. 9.*

famulitium, equitatura. Unde *S. Bernardus* loquens de Christi Jerosolymitica processione ait: In processione autem quid? parabant autem sese populi ut exirent obviam ei, nec latebat eum qui noverat, quid esset in homine. Propter quod & ipse paratus est, non in curribus, & in equis, nec in frænis argenteis, aut sellis auro tectis, sed humilis aselli tergo sedens, suppositis Apostolorum vestibus, quas ego de pretiosioribus regionis fuisse non credo. *S. Bernardus* de S. Martino ait: Pauper fuit, veste sordidus, crine incultus, facie despicabilis: quæ quidem licèt in electione ejus à quibusdam malevolis objecta fuissent, in ipso tamen Episcopatu, sicut scriptum est, penitus non mutavit. Deniquè quia verè pauper spiritu fuit Martinus, pauper & modicus meruit nominari.

S. Bern. ser. 1. Domin. Palm.

S. Bern. in festo S. Martini.

In Praxi diligendæ & servandæ Modestiæ in exteriori apparatu applica proportionatè suprà specificata.

l. 2. tra: 1. c. 1. sec. 4. subs. 2. §. 2.

SUBSECTIO XXI.

De vitiis Modestiæ Oppositis circa exteriorem Apparatum.

EJusmodi vitia contingunt tum per excessum, tum per defectum. Per *Excessum* quidem: Quia etsi in ipsis rebus exterioribus, quibus homo utitur, non sit aliquod vitium, illud tamen accidit ex parte hominis, qui immoderatè utitur eis. Quæ quidem immoderantia potest esse dupliciter. Uno quidem modo per comparationem ad consuetudinem hominum, cum quibus aliquis vivit. Unde dicit Augustinus in 3. Confess. Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis aut gentis, consvetudine vel lege firmatum, nullius civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est, suo universo non congruens. Alio modo potest esse immoderantia in usu talium rerum ex inordinato affectu utentis: ex quo quandoquè contingit, quòd homo nimis libidinosè talibus utatur,

D. Tho. 2. 2. q. 169. a. 1 Corp.

tur, sive 2dùm consvetudinem eorum cùm quibus vivit, sive etiam præter eorum consvetudinem. Unde August. dicit in tertio de Doct. Christia. In usu rerum abesse oportet libidinem, quæ non solùm ipsâ eorum inter quos vivit consvetudine nequiter abutitur, sed etiam fines ejus sæpè egressa, fœditatem suam, quæ inter claustra morum solennium latitabat, flagitiosissimâ eruptione manifestat. Contingit autem ista inordinatio affectûs tripliciter, quantùm ad superabundantiam. Uno modo per hoc, quòd aliquis ex superfluo cultu vestium, hominum gloriam quærit, prout scilicet vestes & alia hujusmodi pertinent ad quendam ornatum. Unde Gregor. dicit in quadam homilia: Sunt nonnulli, qui cultum subtilium pretiosarumquè vestium non putant esse peccatum: quod si culpa non esset, nequaquam sermo DEI, tam vigilanter exprimeret, quòd dives qui torquebatur apud inferos, bysso & purpurâ indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa (scilicet excedentia proprium statum) nisi ad inanem gloriam quærit. Alio modo, secundùm quod homo per superfluum cultum vestium quærit delicias, secundùm quod vestis ordinatur ad corporis fomentum. Tertio, secundùm quod nimiam solicitudinem apponit ad exteriorem vestium cultum, etiamsi non sit aliqua inordinatio ex parte finis. Quantùm verò ad ornatum mulierum, sunt eadem attendenda, quæ modò communiter dicta sunt, & insuper quoddam speciale, quòd scilicet muliebris cultus viros ad lasciviam provocat: secundùm illud Proverb. 7. Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas. Potest tamen mulier licitè operam dare ad hoc, quòd viro suo placeat, nè per ejus contemptum in adulterium labatur. Unde dicit 1. ad Corinth. 7. quòd mulier quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Et ideò si mulier conjugata ad hoc se ornat, ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato. Illæ autem mulieres, quæ viros non habent, nec volunt habere, & sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum: quia hoc est dare eis incentivum peccandi.

Ibidem art. 2. Corp.

Et

Et si quidem hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quandam, non semper est peccatum mortale, sed quandoquè veniale. Et eadem ratio, quantùm ad hoc est de viris. Unde Augustinus dicit in Epist. ad Possidium: Nolo ut de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque conjugati sunt, nequè conjugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant DEO. Illi autem cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant vel viri uxoribus, vel mulieres maritis. Nisi quòd capillos nudare fœminas, quas etiam caput velare Apostolus jubet, nec maritatas decet. In quo tamen casu, possent aliquæ à peccato excusari, quando hoc non fieret ex aliqua vanitate, sed propter contrariam consvetudinem, quamvis talis cousvetudo non sit laudabilis. Unde Apostolus 1. ad Timoth. 2. dicit: Mulieres in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa. Per quod datur intelligi, quòd sobrius & moderatus ornatus non prohibetur mulieribus; sed superfluus, & inverecundus & impudicus. *Ibidem S. Thomas*: Cæterùm fucis uti, quibus vel rubicundior, vel candidior appareat, non semper est cum peccato mortali, sed solùm quando talis fucatio sit propter lasciviam, vel in DEI contemptum. *Ibidem ad 2.*

Contra Excessum exterioris Apparatûs, Isaias minatur: Pro eo quòd elevatæ sint Filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant: ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & Lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra. Et erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispante crine calvitium, & pro fascia *Isai. c. 3.*

Luc. 16. pectorali cilicium.)) Deniquè dives induens se bysso & purpurâ, nunc atrocissimis circumcinctus ignibus æternùm cruciatur. Lazarus verò nudus in cælum delatus lumine sicut vestimento, & coronâ de lapide pretioso coronatur, & perenni beatitudine perfruitur. *Soror S. Bernardi* dum eum & suos Germanos visitare Claramvallem venisset cum comitatu superbo & apparatu, ille detestans & execrans eam tanquam rete diaboli ad capiendas animas, nollatenus acquievit exire ad videndum eam. Quòd audiens illa, confusa & compuncta vehementer, cùm ei nullus fratrum suorum occurrere dignaretur, cùm à fratre suo Andrea, quem ad portam invenerat Monasterii, ob vestium appatatum, stercus involutum argueretur, tota in lachrymas resoluta: Et si peccatrix sum (inquit) pro talibus Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, idcirco consilium &. colloquium bonorum requiro. Et si despicit frater meus carnem meam, nè despiciat servus DEI animam meam. Veniat, præcipiat: Quidquid præceperit, facere parata sum. Hanc ergo promissionem tenens exiit ad eam cum fratribus suis frater ejus. Et quia eam separare à viro non poterat, primo verbo omnem ei mundi gloriam in cultu vestium, & in omnibus seculi pompis, & curiositatibus interdixit, formam vitæ matris suæ in qua multo tempore vixit cum viro, ei indixit, & sic eam à se dimisit. Illa verò obedientissime parens præcepto, rediit ad propria, mutata repente secundùm omnipotentiam dexteræ Excelsi. Stupebant omnes adolescentulam nobilem delicatam subitâ mutatione in habitu & victu in medio seculi vitam ducere eremiticam, instare vigiliis, & jejuniis, & continuis orationibus, & ab omni seculo prorsus se facere alienam.

Vitæ S. Bernardi c. 6.

Per Defectum exterioris apparatûs delinquitur. Si quis eum potissimùm adhibeat ad fucatam mentis sanctitatem aucupandam. Hinc *S. Augustinus* inquit: Non in solo rerum corporearum nitore atquè pompa, sed etiam in ipsis sordibus infructuosis esse posse jactantiam, & eò periculosiorem, quò sub nomine servitutis DEI decipit. *Et paulò pòst*: Non tamen propterea ornatu superfluo debet aspectus hominum mulcere Christianus,

S. August. l. 2. de serm. D. in Mon. c. 12. to. 4.

ſtianus; quia illum parcum habitum ac neceſſarium etiam ſimulatores ſæpiùs uſurpant, ut incautos decipiant: quia & illæ oves non debent pelles ſuas deponere, ſi aliquando eis lupi ſe contegant.)) *Ariſtoteles* quoquè dicit: Quòd ſuperabundantia, & inordinatus defectus ad jactantiam pertinet Deinde juxta *D. Thomam* per defectum peccatur: Si quis ex negligentia non adhibet ſtudium vel laborem ad hoc, quòd exteriori cultu utatur ſecundùm quod oportet. Unde Philoſophus 7. Ethic. dicit: Quòd ad mollitiem pertinet, quòd aliquis trahat veſtimentum per terram, ut non laboret elevando ipſum.

L. 4. C. 7.

D. Thom. 2. 2. q. 169. a. 1.

Lib. 7. C. 1.

Ad Praxim vitandi oppoſita vitia Modeſtiæ in exteriori apparatu, accommoda ſupradicta methodo proportionatâ.

l. 2. tract. 1. c. 1. ſec. 4. ſubſ. 2. §. 2. & 3.

SUBSECTIO XXII.

Actus diverſi Honeſtatis Morum, & Modeſtiæ proſequendi, Immodeſtiæ cavendi; Selecti è Libello, dicto

SCHOLA URBANITATIS.

PRo coronide Virtutum Moralium, ponimus hic earundem diverſos Actus: Quorum pleriquè quia ſpectant ad regulas Modeſtiæ, ei hanc ſubſectionem adnectimus. Monitum autem velim probum Chriſtianum, nè mille occaſiones benè de Æternitate beata merendi in ejusmodi bonæ Politiei & Honeſtatis moribus omittat, tantummodò eos ex naturali motivo honeſti, vel alio reſpectu humano exercendo; quin potiùs ad ſupernaturale exercitium conetur aſſueſcere, & non exiguos meritorum perennis felicitatis theſauros ſibi coacervare, juxta Praxim ſuprà oſtenſam l. 2. *Tract.* I. *Cap.* I.

§. Imus.

Cultus Divinus.

EST hæc inprimis Christianæ virtuti consentanea cura, statim ut quisque somno relaxatur, atque è lecto consurgit, animum ad DEum advertere, ejus Numini actis de nocturna quiete gratiis, morigerum in servum offerre sese, non tenendæ tantùm consuetudinis causâ: sed studiosâ & attentâ pietate.

2. Inter orandum, præsertim loco publico: interquè non solennis Missæ sacrificium, (illius dico, quæ solenni cantu, & celebritate non extrahitur) nec considendum, nec ullam in partem gravi corpore est incumbendum: nisi quà forte imbecillitas gravior, aut proclinandi corporis, aut sessitandi etiam necessitatem afferret: quæ si aderit, tamen illa usurpanda erunt modestè, ac silenter, tum quamdiu tenebit res sacra, tum sacratiore curâ ipso jam tempore consecrationis. Porrò quoties pronis genibus est supplicandum utrumque in terram submittendum est.

3. Per Missam solennem standi, sedendi, de genibus orandi, qui in Ecclesia usus est, is unicuique decori lex esto. In Missa soluta cantu ac privata ad solum Evangelium statur, reliquâ omni parte genibus religiosè nitimur.

4. Ut Templum intratur, illicò silentio, atque aperto capite, Deo Optimo Maximo, summùm altare versùs, reverenter honos habendus est: tum adhibitâ sibi aquâ lustrali, adeunda orationis causâ Ara maxima, illave, ubi sanctissimo Sacramento sedes est; dehinc Altaria, sacrave signa cætera, ut piorum mos, & cujusquè religiosus ardor tulerit.

5. In templo, oculi nè temerè huc illuc circumagantur; socii nè pulsentur, stringanturve, fabulationibus nè indulgeatur; preces non sic sonorâ sic vibranti voce fundantur, ut ab aliis exaudiri possint. Suspiria nè clarè erumpant, compescantur; nihil facere libeat, quod vel offensionem, vel admirationem aliis afferat.

6. Missæ tempore concionis, & reliquorum divinorum Officiorum, inambulare in templo, irreligiosum est. Spatiari autem coram sanctissimo Sacramento, id verò nullo tempore fas, & religio patiuntur.

7. Ad mensam, cùm aut sacris precibus initiatur, aut gratiæ Deo aguntur, recto corpore, manibus quietè compositis est consistendum, nullâ corporis invenustâ adminiculatione, nullo oculorum emissitio conjectu. Ad nomen JESU, ad Doxologiæ Numinis duos illos versus &c: *Gloria Patri &c: Sit nomen Domini benedictum:* caput reverenter est submittendum.

8. Sacris divinæ Scripturæ verbis non abutendum in res profanas aut ludicras.

9. In DEum, in Sanctos nec jacienda cognomina, nec dicenda acroamata, seu joco, seu seriò.

10. Sacris nominibus JESU, & MARIÆ, vel cùm audiuntur tantùm, honorem habento, caput aperiunto, pedibus nè instrepunto. In Missa quoties pronunciari ea accidit, caput honoris causa submittunto. In concione, lectioneve publica, ad primam eorum auditionem, & quoties qui prælegit, quive concionatur, sibi pileum detrahit, caput nudanto; cæteroqui capitis submissione honorem habere satis esto. Cùm mensæ assidetur, atque interea dicit aliquis legitve, in more habento nutu capitis honorem testari. Cæterùm id temporis caput detegere nulla urbanitatis lex cogit, nisi, ut homines inter se colunt, gravi meritis, vel autoritate præcellenti cuipiam id officii necessariò est tribuendum.

11. Signo publicè dato ad Salutationem Angelicam: etsi qui circumstant salutem Virgini non dicunt, dicenda tamen, aut positis

genibus,

genibus, aut recto corporis statu, ut aliorum loco illo, & tempore exemplum fuerit. Eâ finitâ, neque, si præsens quispiam tibi antecellit, primum te exurgere, pileumve tibi imdere, decorum putes; & ubi consurrexeris, mox iis, qui astant, salutem tempori aptam dicito, faustam aut diem, aut vesperam iis comprecans,

12. Dum inter viam sanctissimo Sacramento occurritur, in genua procumbunto, adorandi causâ, dum prætervectum sit: Si nihil prohibescit, ad Templum usque deducunto. In equo aut in rheda si eris, ex scendunto.

---

§. 2dus.

Civilis vitæ genericæ, ac miscellaneæ informatio.

OMnis in aliorum conspectu suscepta actio, specimen animi honorificè eos colentis præseferat.

2. Fœtidarum rerum sensum, aut memoriam commovere, indecorum est.

3. Coram aliis serva id attentè quoad potes, nè quam ad corporis partem manum porrigas, quæ exposita oculis esse non soleat; solent autem & vultus & manus. Id consuetudine ipsâ ut teneas, assuesce huic decoro, etiam cùm solus es:

4. Quæ res stomachum nauseâ emovent, ea socio nè commonstres.

5. Tecum tu ipse nè cantites, nisi tam solus sis, nemo ut abs te alius audiat. Nec pedum autem, nec digitorum pulsu tympanotribam agito.

6. Nec dentes defrica, nec iis stride, nec quidquam aliud ita collide, ut hærenti stridore sensum molestè aliis lacessat.

7. Illiberale est, diductis brachiis corpus pandere, aut horsum illorsum conterquere.

8. Cùm tussis, cùm sternutas, si regere rem potes, nè magno & vibranti sonore inconditè instrepe. Suspiria nè ducas, quæ alii sentiant, sine gravi causâ.

9. Nè valde expira, nec ulula oscitando: Si potes, oscitatione penitus abstine, sed tum etiam diligentiùs cùm aut loqueris, aut loquentibus præsens es. Habet enim id tædii significationem, aut parum comis observantiæ in eos, quibuscum agitas. Si quin oscites, continere te non potes, saltèm nè loquere interim, nec patulo ore hisce, sed pressa illud modestè seu manu objectâ, seu sudariolo, vultu ab circumstantium oculis modicè averso,

10. Cum nares emungis, ne buccinæ in modum naso persona, nec quod elicueris in sudario respecta, neve quod pueri sordidè faciunt, mucum digitis tibi aut manicâ detergere, sed in id linteo emunctorio semper utere.

11. Obdormiscere aliis sermocinantibus, sedere dum stant, inambulare dum immoti manent, loqui dum silendi tempus est, vel audiendi, res sunt inurbanæ omnes, atque indecoræ. Ei tamen, qui cæteris antestat, sunt tempora, locaquè, quibus in cætu secum inambulare liceat, ut magistro in schola, aliisquè talibus.

12. Non decet in cubiculo cubile esse incompositum; non in aliorum oculis aut vestire se, aut despoliare; non cubiculo exire semivestitum, aut vittâ pileove nocturno redimitum; non ad pluteum, aut omnino in cubiculo stare dissoluto cinctu, habituquè. Ac tametsi tibi ad manum domi est, qui lectum sternat, tamen cùm ex eo desilis, nè inconcinnè disiectum, & detectum relinquas.

13. Dum studes, si alii tecum unà student, inurbanum est cuiquam obstrepere, aut sic clarâ voce legere, ut interpelles. Est & inscitum, ac illiberale, magistro docente, legere alia, atque agere, sociosue, quo minus attentè audiant, impedire.

14. In schola, in concione, alibi, dum audis, nè exultantiùs gestias, ut Saperda præ

cæteris, atque intelligens, non sine aliorum despectu, videaris.

15. Ad ludum atque ad focum diu expectantibus locum non dare, indecorum est.

16. Cave, nè immodicè ludo incalescas; nè ludum contentionibus, aut clamoribus misceas, nè, dum calore ardes, interbibas, seu calor è ludo existat, seu ex itineris labore, seu ex opera, causave alia. Nam omnino æstuantem bibere, insalubre, ac periculosum est.

17. Despuere in focum, manus calefaciendi causâ, proximè ad ardentes prunas admovere, flammis ingerere, ad ignem quasi humi sedeas, sedere, atque incurvari, invenustum est. Si quid ad ignem coquitur, pedem porrò supra ignem nè oppandito: honesto in cætu tergum tibi nè calefacito, nec propius quàm cæteri astent, accedito. Nam hoc utrumque prærogativa excellentiæ est, & autoritatis. Cùm usus ac necessitas non est, focum movere, ligna compulsare, inde re, demere, ejus est, qui autoritate polleat, aut cui foci cura commissa sit.

18. Sedendi lex esto, ut pactis in terram pedibus, iisquè, & cruribus æquatis sedeas, noc crus cruri, aut pedem pedi invenustè superponas.

19. Uugues nec subsecandi palam, nec verò dentibus, sunt demordendi.

20. Digiti non salivandi, non articulatim distorquendi, dispandendive, digitis nasus non perteatandus, nce convertendus aliis contuentibus.

21. Caput non quassabis, tibias non agitabis, oculos fœdè non diradiabis; supercilia inæqualiter non attolles, os non distorquebis. Quos alloqueris, eos cum verbis pytisimate, atque oris salivâ non complues. Id nè accidat, nulli te in os propiùs offeres, sed justo ex intervallo colloqueris.

22. Præsente altero nec pulices confice, nec sordida id genus animalcula. Quod si sordidum aliquid humi occursans tibi oculos lacessit, quale purulentum sputum, taleve aliud, id si commodè potes, pedum pressu confunde atque obtere. Sin ejus, cum quo agis, vestibus adhæret, oberratve, non illi, alterive putidè commonstres; sed quoad potes, sic tolle concinnè atque industriè, nè sentiat quidem; qui alius autem simile aliquid tibi decusserit, dempseritve comem, & gratum animum ei ostende.

23. Nec porrò procul quasi jaculo emisso, nec post humeros est excreandum, sed longiusculè, & in latus; non ulli, qui unà adsit ex adverso: at si lentior, crassiorquè est pituita, pede illico, si potes, est opprimenda. De fenestra in subjectam viam nè despuas, nè in focum, nè in malluvium, ad quod os, manusque colluuntur, neque alium in locum, unde lentor ille pede induci, atque aboleri non possit.

24. In congressu cum hominibus, colloquio præsertim, tergum, atque humeros eis obvertere, inconditum est. Est & importunum mensam incursare, pulpitum succutere, ubi aut legit quis, aut scribit. Est ad alterum, tanquam adminiculum, adniti; est cui loquaris, cui loqui velis, vestem ducere, est, cubito pulsare, indecorum.

25. Noli, ut bellatulus videaris, ineptè in omni sermone, vitæquè actu cæsitium aptare tibi, tibi alia adducere, reducere, ut bellè quadrent. Ungues nè sordibus oppleti, seu prælongi sunto. Dentium, ac manuum munditiam curato, sed sine delitiis, ac lautitia.

26. Putidum est, inflare genas, lingvam exertare, barbam sibi mulcere, manus confricare, labia distendere, aut mordere, pressa arctiùs aut hiulca circumferre.

27. Nè assenteris: nec verbis ductes. Nam qui alterum phaleratis dictis ducere instituit, is ostendit se disputatui eum habere, certè minus cordatum ac providum credere, quem ido-

idoneum putat, in quo sic illudat. Quem joci offendunt, ab ejus auribus eos facesse.

28. Contra decorum est, medio in familiari congressu libros, literas, id genus aliud legere, nisi in re necessaria, ac tantisper; ac tum etiam veniam præfari consentaneum est, nisi fortè cæteris, qui tecum sint, autoritate sis superior. Multò ab decoro est alieniùs, aliena scripta, libros, res generis ejusdem contrectare, applicare se ad ea propiùs, oculos in ea defigere, non annuente eo, ad quem res pertinet; laudare item ea, vel carpere, antequam de iis sententiam rogeris. Alienissimum autem, dum qui tibi vicinus est, literas taleve aliquid privatim legit, corporis appulsu, aut oculorum conjectu, ejus lectioni imminere.

29. Vultus nè imaginosus sit, & multiplex, severus, admiratione suspensus, mærore obductus, varius & inconstans; nullam denique perturbati animi significationem præ se ferat. Tranquillus sit contrà, ac serenus, nec seriis in rebus nimiâ hilaritate solutus, nec in familiari, & communi vitæ consuetudine, nimiâ subductus gravitate.

---

§. 3tius.

Congressionum prima officia, salutatio, loci cessio, similia.

ABstinendum quidem est immodicæ urbanitatis intemperanti studio: necessariæ tamen in communi vita, atque opportunæ morum elegantiæ diligenter ideo sunt adhibendæ, quòd prætermitti sine eorum injuria non possunt, quibuscum vivitur.

2. Spectatos, honestosquè viros ut Deo sacratos, ut in civili dignitate locatos, ut istorum similes, capite aperto venerare; pilei, quem honoris causâ tibi exemeris, patulâ interiore parte ad te reductâ, Venerare & nonnullo corporis flexu, pro eo ac cujusquè dignitas, & ingenuus benè educatorum mos fieri postulat. Ut insulsa autem res est caput, salutandi causâ, non aperire quibus par est; aut expectare, dum æqualis tuus, te hoc officio antevertat; Sic cùm non opus est, id usurpare, speciem habet affectatæ urbanitatis. Probrosæ demum inurbanitatis est respectare, an resaluteris Porrò in salute verbis dicenda, forma illa optima esto, quam politiorum hominum consuetudo præcipuè celebrat.

3. Peccat in rationem decori, qui majori se dicere occupat, ut caput tegat; peccat & qui id non dicit, cui æquum est, & qui præpropere caput tegit, præsertim viro gravi colloquens, & qui tegere aliquoties monitus, importunè obsequi detrectat: quare post unam, alteramve significationem, capitis tegendi omne jus esto, nisi quid aliud receptum usu uspiam sit. Et quidem in consuetudine cum æqualibus, majoribusve, qui aut Religiosi sint aut domestici, fas est æquali, minorive primum ad signum de re ista obsecundare. solent tamen ferè, qui vel pares sunt, vel parvo discrimine disiunguntur, unà æquè omnes significare inter se, unà omnes caput operire, Quæ de moderatione hìc annotata, etiam de capiendo loco, & de considendo dicta intelliguntur, Nam immodicæ officiorum deliciæ perquam importunæ, ac molestæ sunt.

4. Qui aut re, aut hominum opinione altero minor, caput obnubere æquum bonum ducit, dum qui major est, nudo interim capite esse perseverat, primùm hujus rei veniam poscat, tum impetratâ utatur; quod sine offensione tamen utrumque fiat.

5. Si sedenti tibi intervenit quispiam, colloquii causâ, assurge adventanti; præcipuè si id personæ ratio exigit, ut si quo nomine tibi antestat, si par, minorvè, tibi haud admodum est familiaris. Si sedes apud te si sedile erit, quod quemque decet, ei fac tribuas.

6, Cùm iis occurris, quibus te deferre æquum est, præter solitæ consalutationis mu-

nus, subsistendum tibi est nonnihil, aut regrediendum etiam, maximè ad januarum ingressum, aut locorum angustias, dandusquè eis locus, dum prætericrint.

7. Cum iisdem si inambulabis, honoratiorem locum eis concedes. Honoratiorem dico, qui ubi deges, talis usu, & opinione vulgò habebitur. Generatim, usu receptum videtur apud plures, ut dextera honoris sit in dex, ita scilicet, ut quem quis honorat, eum sibi ad dexteram, se ad ejus sinistram astituat. Tres cùm unà ambulant, qui inter eos est ornatissimus, medio loco accipitur; secundas honoris partes ejus dextera, tertias sinistra sibi vendicat. At in Gallia cùm ad murum inambulatur; quia muri vicinia & acclivitate superior sæpè est, & ferè rectior, ac mundior, passim mos obtinet, ut digniori illa concedatur; nominatim cùm soli duo unà iter habent.

8. Inter compares aut pene compares tuos locum ex omnibus commodissimum tibi nè delige. Ad eum invitatus nè pugnaciter resiste. Utere hoc potiùs modestè, & comiter, ut te obsequendi studio, vel contentionibus occurrendi, admittere eum ostendas, certè de eo gratias agito.

9. Qui aut ætate, aut dignitate valdè antecellet, si domi suæ, locove alio principatum loci minori deferet, ut non convenit eum, qui minor est, tali se honore dignari: ita neque illo superiorem de eo studiosiùs eum urgere, aut plus semel, iterumve ei deferre, nè precum magnitudo, & crebritas, de prudentiæ vel urbanitatis existimatione recusanti aliquid detrahat, aut quod non decet, eum facere adigat.

10. At inter æquales, par est domi quemquè familiarem æqualem suum honorificentiore loco impertire; & qui sic accipiatur, eum verò decet recusare primò, mox iterata amici petitione, morem gerere, gratiamquè habere.

11. Domestica in ambulatione similia tenento. Sat erit tamen principio, dignationis causa, sese ad amici lævam applicuisse; ut sors deinde tulerit, sic eunto, Quæ præceptio, nec in ambulatione cum majoribus reprehendi posse videatur, ac ubiquè locorum; quod plurimo in usu erit, id ratum esto.

12. Qui cum imperio, & potestate sunt, quive magistratum gerunt iis omni in congressu loco ceditur. Iidem tamen juvenes si erunt, sciant hoc à se expectari, sibi ut nobilitate pares, at longè ætate provectiores, inprimisque doctoratus gradu insignitos, etsi Rempublicam non gerant, honore colant; immò delatum ab his ornatiorem locum primùm eis remittant, tum modestè, cum gratiæ testificatione, quasi tributum ab iis beneficium capiant.

13. Perhonestum est, quibuscum res, & colloquia agitentur, eos vocis testimonio sibi anteponere, illustres præsertim viros & magnâ præ nobis accessione dignitatis; cum quibus nulla unquam est suscipienda contentio.

14. Cùm primarius sacrorum Antistes, cùm summus in Repub. Princeps, cùm simili dignitatis luce constituti obvii fuerint, est uniuscujusque benè instituti, pro eo atque ipsorum dignitas fuerit, honorifica, eos consalutatione prosequi, subsistereque etiam, dum prætcrierint.

15. Universum hoc cultioris humanitatis genus, inprimisquè illud, quod in sermone versatur, moderare debent tempus, locus, ætas, personarum dissimilitudo. Ac ferè negotiosi homines prolixis elegantiarum lautitiis perurgendi non sunt, decurtandæ illæ, & signo magis, quam verbo exprimendæ.

16. Ut opifices, atque infimæ plebis homines solicitare non debet exquisitæ urbanitatis cura: in Patricios, ac Magnates, magis id

id ſtudere eos æquum eſt, officio illos, & obſequio ut colant: ſic proprium eſt Nobilitatis, humanitatem in ipſos, facilitatemquè adhibere; fugereque omnem arrogantiæ culpam, ac ſpeciem.

17. Majorem ſeu ſalutes, ſeu viſas, quod ibi locorum his muneribus ſolenne erit, quod perſonarum varietas depoſcet, id uſurpa; ſeu manus illi oſculandæ erunt, ſeu veſtis oræ, ſeu dexteræ tuæ libato oſculo ſubmittendum corpus, & conquiniſcendum, honoris cauſa; ut quodque horum, inquam, mos patrius, perſonæ, tempus, locus requirent. Ante rem, ſi quod optimum factu ſit, incertus eris, à conſultis conſilium expete.

18. Viris gravibus colloquens, corpus tibi nè adminiculato, oculos in eorum ora nè defigito, protinus nè accedito, paſſus circiter unus interjectus eſto.

19. Ad ægrotum ubi adieris, extemplò medicinæ ignarus, Medicum nè agito.

20, Viros exiſtimatione florentes, cùm literas ad eos dabis, cùm alloqueris, ſic compellabis, honoris causâ, ut mos patrius atque ipſorum dignitas poſtulat. Scriptas jam literas relege, ut erratis perpurges; pulverem, ubi opus erit, inſperge; nec niſi literis probè deſicatis chartam complices, ut nè deformentur.

---

§. 4tus.

Compellandi, movendi, carpendi, ſalibus utendi forma, ac ratio.

QUæ ad viros illuſtres adhibendæ ſint honorificè compellationes, earum tempora, mores patrii autores ſunto; interpretes autem viri communis vitæ gnari, & experientes. Sed enim quæ in ſermone ritè adhiberi cœptæ erunt, dum cum iiſdem ſermo habebitur, variè aliis nè commutentur.

2. Non ſic ſplendidæ, ſed vulgarioris fortunæ homines cùm alloquimur, vulgari quidem ac vernaculâ linguâ (nam Latinæ ſua quædam ſeverior majeſtas atque auguſtior eſt) compellamus plurativo numero blandiuſculè. Vos, Vobis; non, Tu, Tibi, niſi puerulus fortè ſit; quo cum loquimur, multo nobis ætate inferior, feratquè hanc liberiorem compellationem, nobilium ac politiorum loquendi uſus. Patrum tamen in liberos certam ad ætatem (ac paſſim in Gallia usque dum patriâ poteſtate exierint) ſancta hæc autoritas eſt, Tu, Tibi, te illis vernaculè uſurpare ſine inurbanitatis nota liberè ut audeant posſintquè. Par ſcholæ Magiſtris in ſuos puſiones, par eſſe videtur autoritas ſimili jure aliis id genus Præſidibus. Ad intimos, & familiares quod attinet, mos patrius liberiorem illis nonnusquam Tutiſiandi inter ſe poteſtatem facit, alibi ſanctiùs prohibet.

3. Qui in rem, quod poteſt, quod decet, facit, eſto res optatis tuis non reſpondeat, tamen eum nè carpas: Laudari enim, quàm vituperari dignior eſt.

4. Moniturus, reprehenſurusve quempiam, circumſpice diligenter, clam, palàm, iſto, an commodiore alio tempore, immò & quo genere verborum fieri id par ſit; maximè ubi quis aliàs monitus, nec præteritis, nec futuris erratis remedium adhibet. Ante cætera, ſeu mones, ſeu reprehendis, abſit iracundia, vocisquè contentio impotens, contraque omnis moderatio animi adſit, & placiditas.

5. Enimverò quisquis te admonuerit, quo idcunque modo, loco, tempore faciet, amicè & cum gratia accipe. Poſt, ſi culpâ vacabis, ac neceſſariò tibi purganda videbitur, licebit ſanè ita facias, ſed cum hac cura, ut in tempore bonoquè modo, magis ut rem ei probes, ac de ea moleſtiam eximas, nominatim ſi in ejus es cura, & poteſtate, quàm ut te excuſatione defendas.

6. Nulli vitia exprobres, nè naturæ quidem,

dem, nec voluptati ducas verbis factisve quemquam pudore suffundere.

7. Nec gravi, nec probrosa in re, dictis ludito: si cavillari placet, nè morde, nè lacera ut canis. Sales sint in re nati, acuti, nulli odiosi aut acerbi. Facetiæ, nè, quod scurræ amant indignis ex rebus, ex inverecundis actionibus risum quærant. Si quid lepidè argutum, si festivum dices, risum aliis permittens, risum contine.

§. 5tus.

Vestitus, cultusquè corporis.

NE sis ut foemina comptus; cæsitium, capillum, barbam impensiùs nè cures. Unguentis te, atque odoribus nè perfundas. Galerum neque adductum altius, neque in oculos eductum depresſiùs, nec Thrasonico fastu compositum geras.

2. Præsentibus aliis nè ligulis te astringe, nè relaxa, seu ad requisita naturæ te compara. Naturæ ut servieris, si cibus de hinc contingendus est, manus elue, at si fieri potest, aliis haud præsentibus.

3. Sanitatis, unà & munditiæ interest, manè lecto solutum faciem, manusquè abluere; tum in tempore caput pectere, dum nè curiosius, & ad delicias id fiat.

4. Non sint sordidæ, laceræ, pulverulentæ, depilatæ vestes. Semel ferè in dies singulos scopulis depurgentur. Quin ubi sedeas, ubi in genua procumbas, quo corpus applices, videto, nê aut pulvere, aut quâ aliâ immunditiâ locus horreat. Pallium sub alas basilicam ad pompam nè substringito. Seu togam autem seu pallium tibi eximes, complicato ea decenter, & compositè, atque ubi deponas, etiam advertito.

5. Genus vestium id ama quod tui compares honesti, modestiquè usurpant, habitâ prudenter locorum, temporumquè ratione. Enimverò id hìc etiam age, atque opta, inter æquales tibi ut vestium cultus simplicior, ac modestior sit potiùs, quàm aut opulentus magis, aut apparatus.

§. 6tus.

Incessus sive unius secum sive unà plurium.

FAc, cùm incedis, gressû eas nec concito effusè, nec langvidè inerti, non ore diducto, hiantiquè, non promicanti, non datatim nutanti corpore, non pendulis manibus, non jactatis, succusſisquè brachiis, non pedum plantis terram validè compulsantibus, non variè immisſis, non valdè projectis pedibus, non terram convertentibus. Sunt & hujus decori partes; ubi alia pasſim in incessu haud adducere, non summis niti pedum articulis, non subsultim, tolutimve, ut in chorea, non corpore incurvo, non prono capite, non saltuatim, non calcaneis sese incursantibus ingredi, non extra templum capite aperto progredi, nisi si religio id jubet; ut cum sanctisſimum Sacramentum foras per viam est prosequendum.

2. Nè pavi instar magnificè te circumspice, pulchrè an comptus sis, calceatus commodè, tibialia, recentesve aliæ vestes benè an corpori sedeant. Pedem è cubiculo nè effer, scriptorio calamo, aut ori indito, aut auriculæ imposito. Omitte & flores, talesve amœnitatum delicias, auribus, pileo, galero præfixas circumferre. Sudariolum nè manu præferto, nec pendulum ex ore, è zona, sub axillam congestum, in humeros immisſum, sub toga abditum, loco illud habeto, unde nec aspectabile sit, & præstò expromi possit, ubi usus erit Idem nisi mundum, & prope adhuc intactum abs te, alteri nê offeras.

3. Seu solus, seu comitantibus aliis, per vias hæsitando nè incedas, præcipuè in civitatis luce publica. Nè domi quidem alieno tempore comede præsertim coram alienis hominibus.

4. Solus tecum nè ride, nè colloquere,

Non

Non sunt enim hæc sapientis. Nec solus per viam cantu te exhilara, unde alii rem percipiant. Non te offeras mirantis specie tamquam magnum aliquid animo volutes. In via ligna, lapides, res, reculasve id genus alias, ut missilia nè jactes, De industria saxa pedibus nê collidito, emoveto. Stultorum enim negotia sunt ista. Non te inferas capite arduo, non depresso abjectiùs, non contorto ineptè aut in dexteram, aut in lævam; non oculis huc illucquè hiantibus.

5. Inprimis si honori tuo consultum vis, cum bonis ambula. Si id non potes, quia aut non nôsti: aut qua alia de causa, solum te esse, atque ire, quàm cum malis, est optatius.

6. Si cum æquali tuo gradieris, in eum principatum tibi nè arroges; nè ambitiosæ antecessionis delicias secteris, seu si locus tibi pro dignitate delatus non erit, indolescas. Sin dignior est comes, dextrum tibi eum, certè honoratissimo loco statue; ac dum unà itis, cave gradu eum prævertas.

7. Domi si loco comite uno spatiaberis, atque is erit, cui honorem debeas, eum primo ambulationis ingressu ad dexteram colloca; nisi cùm substiterit, nè intersiste, prior ambulationem nê converte; ipsa in conversione vultum, non humeros ad eum adverte. Si celsâ erit, & illustri dignitate, gradum cum eo penitus nè æquato; tantillùm reductus eum prosequere, sic tamen dimensè, ac modicè, tecum ut commodè sermonem conferat. Si compar tibi est ambulationis, spatia pari cum eo nutu dimetire, prior nè semper te converte, nê in medio incessu crebrò interjunge, nisi cùm illustris necessitas rem excusabit. Res enim ista & principatum præ se fert, & modestiam creat. Qui inter stipantes medius ambulat, si fortunâ, & dignitate pares utrinque sunt, aut pene pares, alternis ambulationem convertat, hinc ad dexteram, inde ad sinistram, sin dispares sunt dignioren versùs sese plurimùm convertat. Denique, qui eum cingunt, semper ad eum & cum eo, non antê aut post se convertent, quippe ipse ambulationis metator est.

---

§. 7tus.

Congressus ipse, & colloquia.

IN hominum doctorum, graviumquè congressu levicula in sermonem nè indicuto, nec apud indoctos subtiliora, quàm ut intelligant, aut quæ difficulter inveniant. Sententias crebrò nè eloquere, præsertim apud æquales, minimequè apud eos, qui dignitate tibi antecellunt, nec tempori item, vel auditoribus aliena. Inter epulas festave tempora tristia nè commemorato, non diritates plagarum, non immunditiarum spurcitias, non mortis tædia: quin si de his sermo aliunde inductus erit, tu, si potes, industriè commutato. Somnia nisi intimis familiaribus nê referto, eaquè cùm illustrem rerum significationem dare videbuntur, cui fidem tamen nè habeto.

2. Non est hominis bene instituti, de rebus suis gestis, de ingenio, virtute, cæteris ejusmodi laudum nominibus gloriari, quinimo de sua, aut suorum nobilitate, divitiis, honoribus, nisi coactus non loquetur. Idem haud se temere tamen in sermone admodum deprimet.

3. Ubi risui locus non est, ibi cavillari & jocari velle importunum est: nè rideas effusè, nè indecorè, nè sine idonea causa tantumve ideo more tuo ut rideas. Ex aliena calamitate risum nè captes, etsi risui per se opportuna esse videatur.

4. Neminem injuriosè appelles, nequè joculo, nequè extra jocum. Neminem verbis perstringas, neminem ludifices, hominum præsertim antecellentium, tametsi ab eis causa aliqua fit.

5. Nè sis morosus, & difficilis, sed comis, & liberaliter officiosus priorquè aliis salutem

lutem dicere occupa. Sermonem accipe, & redde: nec te conde in recessum, cùm in vita communi humanè congredi, & colloqui oportet.

6. De nullo, de nullius rebus, ulla ratione detrahe. Etiam cùm laudas, modum tene.

7. Colloquiis, consiliisve nè te immìsceas, quibus gratusnè intervenias, tibi incertum sit. De rebus, si authoritate princeps non es, sententiam nisi rogatus nè dicito, præsertim non in tempore, nequè utilitatis spe allucente. Rogatus, sermonem confer in pauca, matureque ad rei caput accede.

8. Si quì ulla de re duo contendunt, neutri, nisi qui coget, accedito. Quod sentis, nè pertinaciter defende. In rebus, quæ ad sentiendum liberæ sunt, quæ pars sententiarum numero est superior, eam complectere.

9. Alienis culpis Censorem te & reprehensorem nè appone. Est enim id magistrorum, patrum, eorum, qui præsunt, proprium munus. Potes tamen alienum ab re animum præ te ferre. Potes interdum, prudenti ratione, opportuna in rem monita delinquentibus adhibere.

10. Aliorum labes, ac maculas, tametsi naturâ insint, maximè si in facie insident, curiosè nè dispicias, seu causas scisciteris, undè extiterint. Quod in aurem amico fidenter dicturus esses, præsentibus aliis silentio preme.

11. Quæ lingva tibi ignota est, aut non probè percepta, eâ nè sermocineris, nisi in re necessaria, ut animi tui sensa intelligentiùs exprimas. Patrio, ac gentili idiomate utere, non inconditè, ut fex populi, aut ut ancillare abjectum genus: sed ut politiores, atque optimates cives tui, & cultè, & eleganter. Inprimis castè loquere, ac verecundè, subturpicula ipsa nec clam alteri in aurem, nec liberiùs quasi per lusum verniliter funditans. In sermone de rebus altis & sublimibus, fac, vilia & plebeja verba tibi nè excidant.

12. Nè eloquere, nisi re prius cum animo tuo cogitata, expensaquè: quotidiano in sermone verborum circuitione nè utere, argutias, & emblemata nè quære. Volvente, aut lapsante lingvâ, verba nè involve; contra, nè loquere tam lentè & cunctanter, ut fastidium crees.

13. Dum quis alius loquitur, cave auditores tuâ causâ ab eo defluant: tu audi facilis, & attentus, non oculos aliò intorquens, non aliud agens. Si ductim quispiam, & & quasi restitans loquitur, tamen ei, velut loquenti subserviens, verba nè supple, nisi hoc te roget, aut privatim res agatur, sitquè ipse de intimis tuis & perfamiliaribus, nequè interpella eum, nequè ei responde, quoad loquendi ipse finem fecerit.

14. Dum colloquio intervenis, nè percontare, ecqua de re sermo inductus sit, habet id enim specimen autoritatis. Precare potiùs urbanè & comiter, ut qui cœptus erat, eum, qui habebant, pertendere nè graventur, si ideo conticuisse eos senties, quia tibi deferunt. Contrà, si quis colloquenti tibi intervenit, præsertim vir spectatus & gravis, est è rationibus decori sermonem habitum compendio referre, deincepsquè totum pertexere atque exequi.

15. Nihil ore, oculis, manibus faciendum indecorè, quo, res quæ dicitur, exprimatur. Nec verò tenenda brachia sunt aut in tergum reducta, aut complicata decussarave. Inest enim in his corporis gestibus plus quiddam autoritatis. Sed sustinenda ea ratione modoquè, ut manus, altera alteri adjecta, coram adversæ sint, paulò infra pectus aut ad zonam deductæ. Zona ipsa nec prælarga, nec præarcta sit; depressa immodicè, aut surrecta. Inter verba, etiam adverte quàm compositè corpus moveas. Quo in ge-

in genere nec caput motes, nec manibus mices, & firmo in vestigio consiste.

16. Sic habeto, inconcinnum esse inter loquendum pileum ori aliudve quicquam prætendere, chartam aut quæcunquè alia mansitare, capite micare, cubitos collidere, unum in pedem collocare sese, tibiarum alteram alteri transversam inducere.

17. Eum, de quo loqueris, digito nè monstra; ad ejus autem quicum loqueris nec vultum, quem vereri imprimis addecet, nec personam propiùs accede.

18. Duobus unà pluribusve inter se sermocinantibus, si quem seorsum conventum velis, paucis rem expedi; nec quod dicere habes, in aurem ei dicito; sed si arcana res erit, seduc eum ab aliis paululum. Si potes nihilquè prohibet, colloquere idiomate, quod qui circumstant probè noverint.

19. In multorum communi congressu, privatim nè uni atquè alteri arcanè colloquitor: verùm de re hujusmodi differ eum in tempus alterum, nisi tu fortè cæteris præsides.

20. Intempestivè velle adire & colloqui, perinde est atquè agendo nihil agere; aut si quid agis, eos quos sic velis, sic adeas, molestiâ & indignatione complere.

21. Hominum cum hominibus comparationes devita; ideoquè si quis rei benè gestæ aut virtutis prædicatione laudatur, tu coram eo de eadem virtute alterum nè lauda. Omnis enim comparatio odiosa est.

22. Novis de rebus dissipatos sermones sermunculosquê narrare aliis, facilè animum nè inducas. nisi veros esse certâ autoritate cognôris. Nec cùm audita refers, autorem memores, quin gratum ei id fore jure existimes. Quod secretò audis, tecum habeto, atque alteri nè dixeris.

23. Si quid narrabis, legis ratione disseres, longus nè esto, tum maximè cùm aut res ipsa parvi momenti est. aut sentis eam parum auditoribus gratam esse.

24. Noli esse in alienis rebus curiosus, & ubi qui inter se conferunt arcanò colloquuntur, eo nè accede.

25. Quod efficere atque exequi non potes, in id operam tuam nè deferas: quod spoponderis verò, id serva atque præsta.

26. Quæ legatio obeunda tibi erit, quæ relatio, quæ authoritas, ea fac tranquillè, prudenterquè defungare, sive illa tibi ad plebejos homines, sive ad optimates sustinenda erit.

27. Interea dum Præsides cùm alii verba faciunt, cave nè aut fabuleris, aut rideas, aut aurem iis, quæ inter eos dicuntur, admoveas.

28. Nè musses, nè gannias.

29. Quod nescis certò, tanquam certum nè asseveres.

30. Inter majores, maximequê eos qui cum imperio tibi præsunt, non interrogatus nè eloquere. Eloquuturus consurge, ac nudato capite paucis responde: nisi & sedendi & caput obnubendi, potestas facta tibi fuerit.

31. In concertationibus, maximè quæ in communi vita occurrunt, nè sis vincendi adeò cupidus, ut non aliis suas quoque dicendi partes liberas relinquas. Seu jure autem seu injuriâ contendas, par est acquiescere te autoritati aut plurium aut contentiosiorum, multoquè magis eorum, qui vel tibi vel disputationi præsident.

32. Lacessitus verbo, vel injuriosè appellatus, neque respondes, neque te defendas; magis rem joco elude, aut tanquam ea te modice tangat, ita te ostende; esto multi ad jus tuum defendendum te vocent; certus: *Non omni dicto, responso opus esse.*

33. Non cuivis sermoni pugnaciter resistas, contentiosè ista opponens: *Non sic res habet, ita habet uti sentio, dicoque.* Alieno judicio sta; iis potissimùm de rebus quæ sint,

fint, an non fint, haud magni intereft.

34. In communi, etiam tuorum æqualium congresfione nè blatera ut planus & circulator, fed loquere modicè & opportunè, quandiu fe aliquid dat quod tum fit ad rem de qua agitur, tum certum tibi atque exploratum. Nam de re quam non teneas, fermonem inceptare, eoquè oftenfo & incepto excufare caducam rei memoriam, quam te legiffe tamen certo fcias, frigida & invenufti exempli excufatio eft.

35. Te addecet compofitum honeftâ gravitate quid alii dicant animum attendere, fubinde nè ifta turpiter quærites: *Ecquidnam dicis? qui gefta, inquis, res eft? fugerunt me quæ dixifti*, alias id genus ineptias inculces.

36. Si quid narrare occeperit quifpiam, non obtundas narranti, id jam te fcire: ei rem non apprime rectisfimè narranti, nè abnutes, feu contradictes, aut rifu illudas. Multò minùs dici æquum eft, *Non fic res habet: falleris.*

37. Vocem nec contende ut Præco: nec tam demitte, ut quoad par eft non exaudiaris.

38. In deambulationum congresfionibus, nè temere ut fræno focium inhibe, tertio quoquè verbo eum demorans. Nec tam vicinum ei te applica, ut cubito pulfes: nec plus palmo circiter ab eo te abjunge.

39. Animum in pangendis procœmiis, in excufationum conquifitarumquè elegantiarum deliciis nè pone, quale exemplum: *Amabo, O colendum caput, ignofce fi haud fatis cultè, fatis idoneè rem dicturus fum: Obfequendi tibi ftudio plus etiam enitar, quàm efficere posfim*, aliquè ejusdem modi odiofi & infipidi præfationum circumductus. Verùm quoad rectè fieri & commodè poteft, à re ipfa ordire, exorfusquè ingenuâ animi æquitate ac fiduciâ, ac imperturbato orationis tenore fermonem contexè ad extremum. Id quod dum agis, nè longus efto, nè unum aliquem loquendi modum crebrò inculca.

40. Qui impeditiore eft lingva, is nè ambitiosè femper loquatur; is operam det, ut quod lingvæ deeft; filentio & auditione fuppleat.

---

§. 7mus.

Decorum in menfâ.

PRimùm manus tibi lava munditer; tum cum eo, qui menfæ benedicit, facras preces refponfando reciproca. Si, qui menfæ benè precetur, alius non adeft, tu ipfe benedic: fed quod fuprà dictum eft arrecto in pedes corpore, & capite aperto.

2. Menfæ accumbens, corpus nè fcalpas: pari cura à fputando, tusfiendo, mungendo, tibi quoad potes, tempera; fi quate horum necesfitas urgebit, aptè & decorè ei fervias, tum quàm minimo ftrepitu, tum vultu nonnihil fubducto atque averfo.

3. Nè ut lurco, ut helluo, fic edas.

4. Panem partire, non manu, fed cultro, nifi permodicus panis recensquè fit, quem manu partiri convivæ omnes aut pleriquè inftituant.

5. Non te immittas in menfam ad cubitos usque, neque, qua in fede refides, ei aut humeris aut brachiis ineptè incumbas.

6. Fartim nè edas, expletis ambabus malis.

7. Panem vino nè infucces, nifi aut fummâ domi autoritate fis, aut valetudo tua rem excufet.

8. Neutiquam oftendas, aut dapes, aut vinum egregiè palato tuo arrififfe. Sed fi domûs ac menfæ moderator, de his aliquid te pofcit, refponde modeftè & prudenter. Difcave etiam attentiùs nè cibos eleves, Seu alios, pluresve in menfam inferri cures.

9. Salem è falino capturus, culter nè unctus fit vide. Aut cultrum aut fufcinulam cùm detergere opus erit, aut panis frustulo, ut alicubi ufus eft, aut ut alibi mantili

tili apte id fiet; certè non ad totum panem pingui affrictu.

10. Si quem convivio excipis, ei te decet cibos honoris causâ dispartiri ac porrigere, etiam illum liberaliter iis impertiendo, qui coram eo sint. Sin te alius convivio excipit, præstat expectare te, tum epuli Dominus aut ejus nomine alius quispiam cibis te participet, quàm tu tibi manu eo præsumas; nisi aut familiaris inter candidè amicos epulatio sit, aut qui epulum dat, ultro à convivis sibi id gratiæ apponi petat, omnes ut liberè, non expectata aliena manu de mensa sumant ut domi suæ suo arbitratu. Est & prudenter ac modestè officiosi domi alienæ, ubi authoritate non valeas, Chironomi munus haud usurpare: quod tamen non usurpes audacter, sed factites cum laude, ubi in frequenti convivis mensa oculus manusve Domini impinguare omnes non potest; ideo què partem curæ suæ, tacitè aut disertè, longo in convivarum ordine illo, libens volensquè aliis transcribit.

11. Cibos nè persla; sed si calidiores erunt, expecta dum defrigescant. Jusculum quidem temperari potest modestè, sensim cochleari illud commovendo: at de scutella sorbere illud ad mensam vel combibere, non cochleari sibi in os indere, invenustum est.

12. Cibos ad mensam nè olfacito: & si quos fortè olfeceris, dehinc convivis cæteris nè apponito.

13. Panem unctis digitis adipato contactu nè perunge; eum secturus antè tibi manus deterge, si unctæ erunt. Proinde cave nè manus conspurces, aut digitos perungas; & ubi cochlearis ac fuscinulæ copia est, iis, ut decet, atque ut benè educatorum mos est, utere.

14. Si panem carnesve in embamma intingis, quod præmordes nè iterum intinge, moderatum frustum sit, quod in singulos intinctus condimento imbuis, quodquê unâ bacceâ confici totum queat.

15. Non sunt dejicienda sub mensam, non jactanda in terram ossa, putamina, vinum, alia generis ejusdem. Excipiuntur, quæ mansu dura ac nauseosa despuere necessitas cogit; nequè hæc talia tamen sine aliquo decoro ore ejectantur. Sunt eorum exceptores digiti duo, manusve sinistra compressa bellè ad excipiendum simul occludendumquè. Quod si res liquida ac fluens erit, tum despuitur in terram liberiùs, sed quod ante est annotatum, vultu, si integrum erit, subducto interim atque averso in latus.

16. Est à decore & munditiis alienum, prunorum, cerasorum ossa duratea, talem reliquam aliunde materiem in patellam inspuere. Sinistrâ, quod proximè dictum est, ori admotâ venustè primum excipiantur, tum super quadra seorsum deponantur.

17. Nè rusticè cum cultro in manu, simul eadem cibum tibi in os ingere.

18. Quæ aliis apposita sunt fercula, ea circum oculis nè perlustra. Dum bibis, dum te obescas, oculos nè sustolle.

19. Panem multum sectione una nè conscinde; nè conseca in crusta quadrasve grandes, sed in exiguas vel mediocres. Eundem æquabiliter subseca, ob eamquè rem neque ut fossis in eo lacunis, excava, neque ut exenterans, solam micam exime, aut solam crustam defringe, sed ambas unà succide. Neque autem panis bucceas semper apposito orbe aut patella concide.

20. Si quod dentibus es imbecillis, panis crustam mandere non potes, vel si ambusta illa aut prædura sit, tamen consultiùs videtur crusta singula prout ea consecas, quàm totum solidè panem crustâ defectâ distringere.

21. Insulsa res est, in offam, in pulpamenta quasi arcuato in ea corpore, inclinatum propendere; sat est conquiniscere, atquè incumbere nonnihil dum jure aut aceto

to insuccata buccea è mensa in os carpitur, nè linquente succo vestium sinus conspurcetur. Hac re provisâ caput illico surrigendum est.

22. Sunt & suis temporum intervallis referendi inter mensam à cibis, à patinis oculi: non tamen idcirco aut circumferendi vagè, aut in convivas, in mensæ ministros, in aliena fercula defigendi.

23. Fœdum apprime est, mappas dapali unguine inquinare; horridius etiam madentem sudore vultum, nasi proluviem, orbes, patinas mantelio detergere.

24. Quod delibaris, idem è manu seu vinum, seu quid aliud alteri nè porrige.

25. Manus dapum succo & liquamine perfusas pani nè affrices, toti præsertim & mole aliqua solidè integro: quod si lautiùs perunctæ erunt, possis ut quidem videtur, primùm ad panis turundam, quum mox ori ingesturus sis eas defricare, tum mantili permundare, quod iis jam detersis minus fœdetur. At si necesse ut hoc sic eveniat rariùs, sic eleganti politorum more cochleari ac furcillâ rite uteris. Diligentiùs etiam à lambendis digitis abstine, ac maximè sonoro cum stlopis eorum linctu.

26. Cùm vesceris, cùm bibis, dentibus nè concrepa; sorbendo absurdè, madendo clariùs, aut alio quovis modo.

27. Ossa suctu avido, sonoro præsertim nè suge, nè exsucca; nè carpe utraque manu sed solâ unâ ac venustè: nè canum more arrode, sed manu una prehensis ac ferè digitis duobus, carnes cultello exime; medullam nè ad panem ad lances incussis iis ossibus excute; sed ea placidè cultro, si potes, emedulla. Omnino sapientibus non placet ossa manibus tractari, ac multò minùs in os immitti.

28. Duriora quæ sunt, ut ossa carnium fructuumve, cultro nè frange, nè disseca, nè dentibus, nè alia ope comminue, sed intacta relinque,

29. Communi è ferculo, quod socio obversum ac sub manum est, id nè usurpa, id sume quod tibi adjacet, nec quam alii luculentiùs. Ac si fructus erunt, si res consimiles, eas ad delectum curiosè nè attrecta. At enim quibus commune tecum ferculum est, ii quid sumant, nè attende.

30. Buccella buccellæ succedat, in stomachum jam trajectæ. Tales buccæ sunto, quæ malas immodicè non inflent. Manu una cibum ori admove, ac ferè dextrâ.

31. Scyphum pateramve, nè sic vino corona, ut in mensam exuberet.

32. Dum in ore adhuc buccea est, nè bibe. Potum autem nè posce, nè loquere, nè vinum tibi infunde, nè bibe interea dum bibit qui tibi assidet, aut qui in mensa summus omnium est.

33. Dum bibis, aliò nè transpice.

34. Nè perlentè bibito, nè præfestinè, nè ut vinum commanducans, nè frequentiùs, nè vinum meracum. Nam hæc talia madulsarum sunt atque ebriosorum. Sub potum atque à potu labra tibi extergito; at neque à potu neque unquam aliàs, quasi anima oppressa, densum & cum strepitu expira. Est enim res factu quàm indecora.

35. Si quis pocula tibi miscet, scyphum sola manu una sustine. Haustum eundem interruptè nè ebibe; nasum cyatho inamœna bibesia penitus nè immerge; totum quod infusum erit si combibere unà non potes, depone in haustum alterum, aut si quis ministrator à tergo adest, ei in manum transde. Quare interest non plus tibi unà infundi sinas, quàm quod semel possis perbibere; maximè si per mensæ morem tibi integrum non est scyphum cum eo quod superaverit coram ad manum tibi asservare.

36. Dentes nè mappâ aut mantili, nè digito, cultro, furcillâ, nè quod putidissimum est unguibus perpurga; sed dentiscalpio. At

mensa in ipsa dentes tibi scalpere, si alii id non factitant, aut si eleganter instituti in more non habent, haudquaquam convenit.

37. Vino os nè collue, quod mox pro palàm despuendo ejectes, verùm mensâ solutus manus cum cæteris lavare unà assuesce. Certè palam os colluere, elegantiæ alienum videtur; Quare & cùm ad mensam polubro subjecto aqua manibus datur, solas lavare manus addecet.

38. Non est præstabile admodum atque hodie obsoletum videtur mensæ socios, crebrò præsertim atque importunè invitare: ut appositis epulis sese exhilarent. Nescio quo pacto enim epulandi libertas dum fieri eis videtur, magis tollitur. Minus te condecet quoties bibas aliis propinare, quod si te alii poculis invitant potes modestè rem deprecari gratiam habendo, teque victum atque imparem confitendo, aut verò referendæ gratæ vinum libare tantum; præcipuè ubi præbibendi gratiosus mos est, & nisi par gratia redhibetur, offensio nascitur.

39. Digressus è mensa, dentiscalpium neque ore contine, neque auri crede, utroque inconcinniùs facit, qui collo appensum gerit.

40. Statim à mensa nè obdormiscas: magis potu ac cibo ita te refice, necesse ut non sit curam inde omnem, seriam etiam & gravem intermittere.

41. Juvat quicunquè cibus appositus sit, de eo reliqui semper aliquid in patella relinquere: obsoniorum imprimis quæ majore copia illata fuerint. Nè alia quidem tam per edenda sunt, ut pane patina aut cochleari scutella, immundâ perediâ detergeatur convertaturquè. Quippe gulæ & voracitatis signa sunt ista. Contrà convenit, inquam, residui superesse aliquid, estquè res commendabilis, magna in ciborum varietate non qui delicatissimus sit, eum invadere, sed vulgarioribus contentum esse.

42. Simul alii edendi finem fecerint, fac & tu tibi modum; neque tum verò laxis brachiis mensæ incumbe, sed solis manibus extremam contingito.

43. Haud convenit cibum cum cibo commiscere, multoquè minùs incoctas herbas vescumve aliud de scutella eximere, quo super quadram aut in catino frigescant, vel tu tibi seorsum iis vescaris. Nimirum isthæc nauseam cernentibus inducunt.

44. Tum inter epulas, tum iis remotis, mantile, quadram, panem, cultellum, sic dispositè in rem aptabis, ut convivæ aut plures aut principes exemplo erunt, nec quod domi soles, alieno in convictu nimiopere retinebis. Apparet inolevisse jam morem, cùm mensa removenda est, panem, cultellum, fuscinulam, super orbem quadramve statuendi, mantelo desuper injecto.

45. Est principis in mensa, atque in summo accumbentis, mantile primò explicare, primò in mensam manum porrigere; cæterorum expectare quietè dum inceptet, nec manum ante quoquam admovere.

46. Vicissim esto jus, qui præsidet, tempestive occipere, providere attentè omnibus, convivas sermonibus mulcere, mensam claudere, sed tamen intra modum, ut lentissimo cuique suum sit vescendi omne tempus. Teneat se interim, si opus erit, escis leviter degustandis, aut ubi, colloquendi est usus, conferendis amoenis sermonibus, usque dum omnibus sit exempta fames atque edendi cupido.

47. Quidquid epulis intervenerit, nihil irascere; irâ incitatus, tamen eam comprime ut nè se efferat, nominatim si extranei tecum accumbunt.

48. Nè accumbas in loco principe, sed si is te decet, aut qui domi princeps est, ita omnino vult, nè tantopere obsiste toti, ut cætui molestus sis.

49. Inter mensam, si lectio, si sermocinatio erit, fac attentus sis; ac si tibi loquendum fuerit, vide ore vacuo ut id facias.

§. 9nus.

Ministerium mensæ.

POsteaquam lavandis manibus aquam affuderis, scito tibi dictam esse legem deinceps dum mensæ ministras caput non scalpendi, non excreandi, quoad tu quidem abstinere potes, non tussiendi, manusquè & mundas & exertas præferendi.

2. Ubicunquè aut sternutas, aut despuis, averte te in latus, nè aut glutias, aut in ore asserves, quod exspui opus est.

3. Dapes inferens aut efferens è mensa, cave cuipiam potanti imprimis aut brachium contingas, aut humeros impellas Cautiùs etiam id vide nè cui vestes commaculas. Quanquam autem diligenter circumspicere te oportet nè quid convivis desit, aut num quis eorum signo te aliquid moneat, non debes tamen oculis in eorum vultu habitare, perinde ut si quid edant numero adnotes.

4. Cùm poscentibus, aut pocula in manum offeres, aut aquam miscebis, præsertim præstabili dignitate cuipiam testare honorem quoties id feceris, mox, ut biberit cyathum aquâ collue.

5. Dum panem mensæ supplebis, nè manu eum comportes, sed mensario orbi impositum & terso, & nè panis subsultet, etiam æquabili, tum astitue convivis loco idoneo.

6. Lances scutulasve plures duabus, suam quaque manu, unà nè importes: ac si calebunt plus æquo, lancem alteram orbemve eis supponito. Defer autem recto libratas æquamento, ut nè quam invergas effundasve. Patinam dum de ea cibus adhuc sumitur, à vescentis oculis nè remove; expecta dum à se eam removeat, aut eam ut tollas tibi innuat.

7. Salinum, primum ad mensam statui, extremum tolli, usus ferè obtinet.

8. Scyphos relaturus, plures quàm duos tresve unâ operâ nè effer; digitos intro nè immitte, sed pede ab imo eos carpe.

9. Nè cirneas, nè ampullas ad mensam vitreas, maximè si vino servient, ad summum imple, nè vinum effundatur.

10. In eximendis patinis nè montis instar alias aliis impone, nominatim si penitus depletæ non sunt. Multo insuavius est in convivarum oculis alias in alias deplere; Nauseosum quippe & stomachosum est, sed ut se dant in mensa, ita eas exporta.

11. Remotis epulis, capaci in lance, aut eleganti & splendido in canistro analecta colliguntur munditiæ causâ: Salillo seorsum dempto, cultris, cochlearibus, fuscinulis super orbe compositis atque in canistrum immissis, mappâ denique convolutis unâ panis fragmentis si jam exempta non erunt colligitur.

12. Curantur & cùm sic usus est nitida in lance dentiscalpia, deniquè laxo lintea, desuperquè polubro mensa sternitur, aqua manibus datur primumquè ex ordine ei qui cæteris antestat; mantile adjicitur, unum ei qui præest omnibus, si unus erit, atque ei proprium; cæteris ab eo suum in commune alterum, polubrum ad eos adducendo, sic, ut duo tresve conjunctim unà manus applicare ad id possint.

13. A mensa aut ministerio mensæ, est ingenuè ac nobiliter instituti honorem habere convivis pileo sibi detracto, aut quâ optimâ ratione aliâ pro ingenio gentis, aut loci usu.

---

§. 10mus.

Nocturnus decubitus.

FAc in tempore lectum meas; enimvero non nisi DEum sincerâ fide ac pietate ante veneratus, transactæ diei ratione tecum positâ, susceptaquè melioris vitæ voluntate.

2. Vestibus ante aliorum ora nè te spolies. Has sic compone unà, ut omnes postridie manè tibi ad manum sint, quin inspice eas aliquando atque inquire in eas, utque

utque opus erit aut succussando aut scopulis depurgando, eas permunda.

3. Sic decumbe, ut compositus modestè atque undiquè opertus jaceas. Non dormias supinus pronusve, sed alterutrum in latus.

4. Dormi & indusiatus semper, hoc enim & pudor exigit, & lex decori, & casus incerti, ad quos, si qui ingruent, expeditior sic eris.

5. Castitatis causâ majoris, intervolve indusio femora tibiasve, nè nuda se contingant.

6. Ubi diluxerit, non desideas in lecto, neque restites, sed surge impigre, vestes indue, atque è cubili ocyus exscende.

CAPUT IX.

DE GRATIIS GRATIS DATIS.

HUjusmodi gratiæ enumerantur ab Apostolo dicente: *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera lingvarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.*

De quibus Gratiis actum est suprà in genere, modò agendum in specie sequentibus.

SECTIO I.

De Sermone Sapientiæ, & Scientiæ.

S*Ermo Sapientiæ, & Scientiæ, sunt Dona DEI actualia supernaturalia, quibus mens notitiâ ac recto judicio Divinorum sublimiter vel ante vel in instanti locutionis instructa, dirigitur ita de iisdem Divinis ad ponendos conceptus, ut eos ad docendum, delectandum, & movendum Auditorem vel Lectorem, lingvâ vel calamo aptè & rationabiliter, publicè vel privatim expromere valeat.* Dicitur: *Dona DEI actualia.* Tum quia Apostolus loquitur non absolutè de sapientia, & scientia; Sed de sermone sapientiæ, & sermone scientiæ, qui habent se transeunter non permanenter. Dicitur: *Supernaturalia*; id est *quoad modum:* quia etsi sapientes vel scien-

 tificos

tificos conceptus ante formatos memoriâ recolere, vel in instanti sermonis novos elicere, eosdemquè aptos ad docendam delectandam, flectendamquè mentem humanam aptè ore proferre per naturam, vel artem aliàs quis posset: dum tamen hæc fiunt operâ Spiritûs S. supernaturalia sunt: quia hic modus operæ Spiritûs S. indebitus est & sermocinanti, & sermonem percipienti. Dicitur: *Mens notitiâ, ac recto judicio Divinorum sublimiter vel ante vel in instanti locutionis instructa.* Ubi Imò Supponitur hæc notitia Divinorum per fidem. Rectum verò de Divinis judicium aut habetur per rationes Divinas, & tunc est sapientia; aut per inferioris gradus rationes, sive etiam de creaturis per altissimam Causam, & tunc est donum scientiæ. 2dò. Supponitur, antequam progrediatur sermo sapientiæ vel scientiæ, debere priùs mentem informari Fide Divinâ, & sapientiâ, sive scientiâ, vel infusâ vel acquisitâ, sive ante sive in ipso quasi instanti locutionis, per subitas & novas cælestis sapientiæ vel scientiæ corruscationes in mente humana: prout

1. Reg. 10. idem non raro in scripturis insinuatur: *V.G. Et insiliit super eum*

Matt. 10. *Spiritus Domini & prophetavit*, quod etiam de Saul dicitur. Et: *Cùm tradent vos* (scilicet ante Reges & Præsides) *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loqua-*

Luc. 21. *mini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et: *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt*

2.2. q. 45. *resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.* D. quoquè Tho-

a. 5. *mas* docet conferri quibusdam donum sapientiæ altiori gradu, id est non modò ad propriam sui informationem, sed etiam alienam. Ratio horum est: Quia cùm verba utpote signa rerum intellectarum exteriori sermone nequeant rationabiliter proferri, nisi priùs in mente concipiantur, conceptus autem veri fieri nequeunt de ignotis; sequitur quòd ante vel in instanti sermonis sapientiæ, aut scientiæ, debeatur notitia aliqua haberi, & rectum judicium Divinorum. Dicitur: *quo mens dirigitur ità de iisdem Divinis circa ponendos conceptus.* Et hoc est primum essentiale sermonis sapientiæ, & scientiæ, mentem dirigere de Divinis circa conceptus ponendos, vel jam antè formatos,

matos, in memoriam revocando, vel novos hic & nunc eliciendo in instanti proferendi ore sermonis: idque ita, *ut eosdem conceptus ad docendum, delectandum, & movendum Auditorem* &c. Hoc secundum quoque est essentiale sermonis sapientiæ & scientiæ. Quod *D. Thomas* requirere videtur. Quia Spiritus S. 2.2. q.177. provider ad utilitatem Ecclesiæ, ut non tantùm quis loquatur, a. 1. ut à diversis possit intelligi, quod pertinet ad donum lingvarum; verùm etiam ut efficaciter loquatur, quod pertinet ad gratiam sermonis. Hæc autem efficacia ex parte loquentis dependet à tribus istis; Docere, Delectare & Movere. Dicitur: *Auditorem vel, Lectorem, lingvâ vel calamo &c.* Quia scriptum verbum & lectum ferè æquivalet verbo ore prolato & audito. Unde S. Chrysostomus ait: *Gaudio exulto tubâ illâ spirituali perfruens, & excitor, ac desiderio incalesco, vocem mihi amicam agnoscens, & ferè præsentem ipsum* (S. Paulum) *intueri, & differentem audire videor.* In Præfat. in Epist. D. Pauli. Imò magis videtur opus gratiâ Spiritûs S. ad directionem calami, quàm lingvæ: quia à lingva volat irrevocabile verbum, pro uno instanti temporis, pro paucis prolatum: Scriptum autem manet perpetuitati pro innumeris legentibus. Dicitur: *Publicè, vel privatim.* Quod studiò addo: Quia sicut viris ad hunc utrumque modum docendi opus gratiâ sermonis: ita etiam ad mulieres ea gratia sermonis, quâ quis familiariter & privatim colloquendo utitur, pertinere potest. Gratia verò publicè docendi ad mulieres minimè pertinet, ut insinuat D. Thomas. 2.2. 177. q. a. 2. Et Apostolus jubet: *Mulieres in Ecclesiis taceant.* 1. Cor. 14. Et: *Docere mulieri non permitto.* 1. Tim. 1. Dicitur: *aptè & rationabiliter exprome-re valeat.* Hoc tertium etiam essentiale est gratiæ sermonis. Ita enim S. Hieronymus, *Sermo* inquit *Sapientiæ est sapienter, aptè atq; rationaliter loqui.* In Epist. 2. Cor, C. 12. Per quod excluduntur quorundam Concionatorum &c. Insulsi modi loquendi, clamores nimii & inepti, irrationales gesticulationes, membrorum contorsiones, & similes fatuitates, quibus risum potiùs quàm lachrymas in Auditoribus eliciunt. Econtra verò illi modi loquendi, vox, situs, gestus, spectatis circumstantiis ponuntur, qui serviant Auditorum ædificationi & compunctioni.

Quomodo in Praxi fiat salutaris operanti Sermo sapientiæ, & scientiæ vide supradicta de Gratiis gratis datis in genere. P. 1. c. 3. sec. 9.

SE-

SECTIO II.

De Gratia Fidei.

Vide Suarez Prologo: 3. de gratia c. 5.

FIdes quatenus est gratia gratis data, superaddita habitui vel actui fidei gratum facienti, *Est donum DEI actuale, supernaturale, quo aliis minùs apti ad publicè docendum juvantur, ut privatim & simpliciter proponant doctrinam fidei, accommodatè etiam ad captum rudiorum.* Ejusmodi enim auxilii gratuiti modus est Ecclesiæ utilis. Vel: *Est donum DEI, aliàs plenitudo fidei dictum,* non intensivè quoad assensum veracitati Divinæ: Talis enim assensus pertinet ad fidem Theologicam; sed extensivè, nempe quoad perfectiorem modum concipiendi, cum majori energia persvadendi, pleniori eruditione defendendi, fortiter & perseveranter in confessione fidei permanendi, prout de S. Stephano scribitur: *Elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu S. &c.* Quæ fides sic explicata; quàm sit necessaria Ecclesiæ ministris pro Conversione ad fidem, & defensione ejusdem, manifestum est. Porrò Spiritus S. non deest in necessariis ad Ecclesiæ utilitatem ut D. Thomas de gratiis gratis datis non semel insinuat.

Actor. 6.

P.1. c.3. Sec.9.

Quâ methodo fiat meritoria Operanti hæc gratia fidei vide suprà.

SECTIO III.

De Gratia Sanitatum, & Operationis Virtutum.

GRatiam Sanitatum & Operationem virtutum ab Apostolo suprà enumeratas sub gratia faciendi miracula comprehendunt Scholastici. Quia utrique competit generica ratio miraculi. Porrò *Miraculum dictum ab admiratione & stupore rei insolitæ supra naturæ facultatem factæ.* Item miracula dicuntur virtutes, quatenus excedunt vires naturæ. Item appellantur signa, quatenus fiunt ad manifestandum aliquid supernaturale. Item vocantur portenta, aut prodigia, seu ostenta, quasi procul aliquid ostendentia. *Miraculum verè in re est donum DEI actuale*

Vide D. Thom. 2.2. q. 178. a. 1

actuale supernaturale, quo Spiritus S. movet interiùs hominem ad volendum aliquem effectum superativum vires naturæ, utvè hanc voluntatem suam manifestet verbo, aut contactu, sive aliquo signo alio externo: DEus autem suâ solus omnipotentiâ efficit intentum ad Ecclesiæ utilitatem. Prior pars hujus descriptionis patet: Quia Christus dedit potestatem suis discipulis faciendi miracula modo suprascripto: Matt. 10. De secunda parte dicitur Psal. 71. *Benedictus Dominus DEus Israël, qui facit mirabilia solus.* Ratio verò est, cur dentur miracula: Quia ut dicta supra captum & rationem naturalem, fiant credibilia, opus est quoquè probatione supernaturali suo modo sensibili, quatenus ex notioribus ad minùs nota cognoscenda deveniatur. Quæ miracula etsi nunc in Ecclesia non ita sunt frequentia ut antè: cùm signa sint pro infidelibus, non fidelibus: Tamen in conversione infidelium ad præsens supplent vicem miraculorum alia motiva credibilitatis, quibus fides Catholica esse vera & prudenter credibilis, & non nisi imprudenter incredibilis demonstratur. Gratia autem sanitatum à Gratia operationum per hoc distinguitur: quia gratia sanitatum (ad quam referuntur liberatio à vexatione dæmonum, resuscitatio mortui & deniquè totum quod cedit proximè in bonum corporale) præter admirationem, effectus est valdè utilis recipienti, multumquè conciliat hoc ipso affectum bonum, indequè plurimùm inclinat ad credendum. Quod non præstant aliæ Operationes signorum.

Vide Suarez Prologo 3. c. 5. n. 15. & 16. de gratia.

SECTIO IV.

De Prophetia.

GRatia *Prophetiæ, est donum DEI actuale supernaturale, quo in superna mens sublevata, de occultis præteritis, vel præsentibus, vel maximè futuris instruitur, sive extrinsecâ sive intrinsecâ formarum corporalium repræsentatione, earumquè interpretatione, aut specierum intelligibilium infusione, vel externâ aut internâ Divinâ locutione. Atquè hæc esse Divinitus revelata, motivis evidentibus, aut obscuris, mens persvadetur ad assensum, qui & conciliatur:* ac de-

ac demum revelata signis externis, verbo scriptoquè manifestantur. Dicitur: *Donum DEI actuale.* Quia cùm habitibus utamur, quando volumus: constat verò in scripturis Prophetas non semper
4. Reg. 4. uti potuisse dono Prophetiæ ex ejus carentia: unde Heliseus de muliere Sunamitide dixit: *Anima ejus in amaritudine est: & Dominus*
D. Thom. 2. 2. q. 171. a. 2. *nus celavit à me, & non indicavit mihi.* Sequitur Prophetiam non esse habitum, sed donum actuale, & transiens; id est quando, & quamdiu durat actualis DEI revelatio. Potest tamen etiam cessante illustratione dici Propheta; quatenus ad id muneris à DEO deputatur juxta illud Hierem: c. 1. *Et Prophetam*
Ibidem. q. 172. a. 1. *in gentibus dedi te.* Dicitur: *Supernaturale.* Quia ea cognitio quæ solius DEI est propria, excedit facultatem naturæ, nisi ei com-
2. Pet. 1. municetur. Unde dicitur: *Non voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu S. inspirante locuti sunt Sancti DEI homines* Potest tamen homo acquirere cognitionem futurorum per viam experimentalem, non quatenus sunt futura in seipsis sed quatenus sunt futura ex concurrentia causarum secundarum. Differt tamen hæc cognitio naturalis à Prophetica. Quia hæc est cognitio omnium eventuum & infallibiliter, illa verò
D. Thom. 2. 2. q. 172. a. 5. est aliquorum effectuum, & cui potest subesse falsum ! Dæmones quoquè possunt per se, vel per homines aliqua revelare futura. Quia Prophetia supponit cognitionem aliquam procul remotam à cognitione humana, jam verò intellectus Angelorum bonorum & malorum superior humano magis potest remota nosse quàm humanus, & revelare: Divinus autem intellectus supremus omnium, omnia novit. Adeoquè ad revelationem Divinam, verè & propriè est prophetia, ad dæmonum revelationem potest dici prophetia secundùm quid: Unde in scripturis tales non dicuntur Prophetæ simpliciter, sed
L. 12. supra cum addito. v. g. Prophetæ falsi, prophetæ idolorum. Et ab
Gen. c. 19. to. 3. Augustino tales vocantur Dæmoniaci, Arreptitii. Dicitur:
D. Th. 2. 2. *quo, in divina mens sublevata.* Hoc enim primum est opus Spi-
q. 171. a. 1. ritûs prophetici per inspirationem mentem ad superna elevare: Unde dicitur Ezech: 2. *Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum. Et ingressus est in me Spiritus, & statuit me super pedes meos.* Tandem ita elevatus ad superna, percipit Divina. Unde

de ſubditur: *Et audivi loquentem ad me.* Dicitur: *de occultis, vel præſentibus, vel maximè futuris inſtruitur.* Ad Prophetiam enim pertinet revelatio præteritorum, quorum nulla memoria vel ſigna manent, quibus naturaliter cognoſcantur: Tum revelatio præſentium, ſive hæc loco diſtent, ſive alio modo ſunt occulta & imperceptibilia, v. g. Secreta cordis & cogitationes: Quarum cognitio etſi ſub generali ratione prophetiæ ponitur, ſicut & gratia ſanitatum ſub generali ratione miraculorum: tamen ob magnam vim, quàm revelatio internorum cordis habet ad commovendum & perſvadendum hominem: ponitur ſub ſpeciali Gratia diſcretionis ſpirituum juxta D. Thomam 1.2. q.111. a. 4. Unde dicitur 1. Joan. 4. *Probate Spiritus, an ex DEO ſint:* quæ probatio optimè fit per cognitionem internorum motuum cordis: eſtquè valdè utilis Eccleſiæ. Tum maximè futurorum contingentium (ab his enim quaſi per antonomaſiam prophetia dicitur) præcipuè quæ à libera DEI, vel alicujus rationalis creaturæ voluntate, dependent. Dicitur: *ſive extrinſecâ ſive intrinſecâ formarum corporalium &c.* Modus nempe hic explicatur, quo mens Prophetæ de occultis per Divinam revelationem inſtruitur, quod contingit multipliciter: 1*mò* enim hoc fit per ſigna ſenſu externo perceptibilia, & eorum, per lumen Divinum menti impreſſum, judicio, ac interpretatione, ut accidit Danieli manum in pariete ſcribentem cernenti, ejusquè ſcripturam exponenti. 2*dò* fit per imaginariam viſionem formarum; ſive omnino Divinitus de novo impreſſarum, & non ope ſenſuum acceptarum, v. g. Si cæco à nativitate, imprimerentur colorum ſimilitudines. Sive aliter Divinitus ordinatarum ex his formis, quas per ſenſus acquiſivit, ut Hieremias vidit ollam ſuccenſam à facie Aquilonis: cum intellectione ex illuſtratione Divina, de ſuccendenda Urbe Jeruſalem. Sive ab aliis imaginariè viſæ rerum formæ proponantur, & de eis dijudicandis mens Prophetæ à DEO illuſtretur· Sicut Joſeph audivit ſomnium Pharaonis de ſpicis, & illarum myſterium explicuit. 3*tiò* fit per ſpecies intelligibiles menti Divinitus impreſſas, nudè ipſam veritatem repræſentantes absquè velaminibus ſimilitudinum & imaginum; Talis fuit

Suarez in Prolog. 3. de gratia C. 5. pun. 21.

Vide D. Thom. 2.2. q.173. a.2. & q.174. a.3.

Dan. 5.

Hier. 1.

Gen. 41.

2. Reg. 23. David, in cujus prophetiæ commendationem dicitur: *Mihi locutus est fortis Israël.* Et subdit deinde: *Sicut Lux auroræ oriente sole manè absquè nubibus rutilat.* Sicut & illis contingit qui accipiunt scientiam vel sapientiam infusam, quales fuerunt Salomon, Apostoli, &c. 4to fit locutione divinâ externâ per sonum vocis & verborum, sensu externo auditûs perceptibilem: Vel internâ sensibili in imaginaria audiendo ad se loquentem aliquem: Vel denique in spiritu percipiendo verba locutionis Divinæ, seu cujusdam secretissimæ inspirationis internæ, sive cum dependentia à formis & similitudinibus imaginativæ, sive absquè illa. Dicitur: *Atquè hæc esse Divinitus revelata motivis evidentibus, aut obscuris, mens persvadetur ad assensum.* Quia illa revelatio materialis signorum, formarum, verborum de occultis, an sit verè à Deo, cùm possit esse etiam ab alio spiritu, hærebit mens Prophetæ, nisi adsit & revelatio formalis, seu lumen Divinitùs collatum, (Sive illud consistat in motivis quibusdam credibilitatis rationabiliter & intellectum & voluntatem

Prolog. 3. de Gratia C. 5. n. 22. ad assensum moventibus: quia ut Suarez bene dicit hìc: *Nemo potest judicium de re aliqua ferre, nisi illam, & rationem seu medium assentiendi illi, sufficienter apprehendat.* Sive in quadam infusione luminis manifestantis rei veritatem occultam; sicut lux corporea dissipatis tenebris, propalat ea, quæ antea manebant ignota. Ita ut sicut oculus hìc & nunc spectatis omnibus circumstantiis experimentaliter sentit se non decipi in ratione rei visæ; ita & intellectus consideratis considerandis, beneficio hujus luminis credit se non falli in visione veritatis tanquam à DEO manifestatæ, quo certificetur judicium Prophetæ de veritate rei tanquam à DEO propositæ. Tum sequitur inspiratio voluntatis, quâ inclinatur ad assensum: isquè tandem per eandem gratiam conciliatur. Cæterùm hic Propheticus assensus alius est

Ita Suarez de gratia Prolog 3 C. 5. hic n. 29. evidens, alius obscurus. Obscurus non distinguitur specie ab actu fidei; nisi tantùm quòd indigeat actuali motione gratiæ auxiliantis, & revelationis gratis datæ per infusionem, vel compositionem, aut aliam similem motionem specierum intelligibilium, per quam res sufficienter proponatur, tanquam à DEO testificata. Evidens assensus est: qui ita est certus de verita-

te tanquam à DEO revelata, quòd credat impossibile esse physicè vel metaphysicè, ut oppositum contingat. Dicitur: *Ac demum revelata &c.* Quia sinè extrinseca propalatione internæ cognitionis, Prophetia non assequitur suum finem, qui est utilitas aliorum.

Prophetia dividitur *Imò.* In Prophetiam prædestinationis, quæ est cognitio DEI de occultis, Prophetæ revelata: quatenus illa occulta spectantur in semetipsis. *2dò.* In Prophetiam præscientiæ: quæ est revelatio Prophetæ facta de occultis in seipsis quatenus à libero arbitrio hominis processuris. *3tiò.* In Prophetiam comminationis: quæ est revelatio Prophetæ facta de occultis, quatenus ad ea producenda proxima causarum dispositio spectatur, quæ dispositio potest deinde impediri, & ideo hæc Prophetia non semper impletur. *Vide D. Thom. 2.2. q.174.a.1.*

SECTIO V.

De Discretione Spirituum.

§. Imus.

Discretio Spirituum alia est ex Gratiis gratis datis: alia humano studio & experientiâ acquisita per modum Artis.

Discretio Spirituum, quatenus gratia gratis data, est Donum DEI actuale supernaturale, quo mens sancta illustratur & inspiratur ad verum judicium ferendum de motibus internis suis, vel alienis, quinam sint à Divino, vel aliquo alio spiritu. Dicitur: *Donum DEI actuale supernaturale.* Quia se habet per modum motionis mentis, & instinctûs transeuntis, ordinati ad finem supernaturalem. Dicitur: *quo mens sancta.* Quia etsi peccatori quoquè pro Spirituali ab hominibus habito, quanquam coram DEO talis non sit, maximè respectu sui muneris, vel Doctrinæ, propter utilitatem aliorum hæc gratia interdum concedatur, ordinariè tamen illis confertur, qui non qualicunquè sed eximiâ sanctitate præeminent. Et hoc fit ex suavi dispositione Spiritûs S. ut talibus tribuat hanc gratiam, qui per suam quoque experientiam *Vide Suarez de gratia hic Prologo: 3. c. 5 n. 46. Ibidem.*

perientiam in rebus spiritualibus possint de qualitate spiritûs conjecturam facere. Dicitur; *Illustratur & inspiratur*: illustratur, inquam, nempe lumine quodam desuper dato, seu medio & ratione assentiendi, ut rationabilis & non cæcus præstetur assensus & judicium. Quanquam & dum voluntas absquè prævio lumine intellectûs solùm quodam occulto instinctu & motu Divino inspiratur ad imperandum intellectui assensum de qualitate spiritus, est sufficiens ratio motiva prudenter formandi judicium: quia illa inspiratio voluntatis esse à Spiritu Sancto per certam quandam conjecturam cognoscitur. Hæc verò inspiratio à Mysticis vocatur quidam animæ sapor, dulcedo, possequè eâ Spiritus probari, ut *Gerson* inquit: Quando *per inspirationem intimam, & internum saporem, ac spiritualem dulcedinem, vel illustrationem à montibus æternis, effugantur tenebræ omnis dubietatis.* Et S. Monica teste *Augustino* dicebat se discernere nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter DEum revelantem, & animam suam somniantem. Veruntamen cùm per ejusmodi instinctum affectivæ potentiæ non possit ita discerni de alienis motionibus, sicut de propriis: ideoquè hæc discretio differt à discretione propriè dicta ùt videtur sentire Gerson citatus à Suarez ut suprà & Card. Bona. Dicitur: *ad certum judicium ferendum &c.* Certitudo autem hujus judicii quatenus provenit ex motivo formali seu ratione assentiendi non est evidens. Quia nequè est accidens in se seu in causa; cùm causa sit occulta, nequè datur visio intuitiva illius Spiritûs, cujus instinctus discernitur, aliàs referetur ad Prophetiam, expressum per assensum, evidentem. Nequè est evidens ab effectu, vel ab aliquo signo, alioquin si hoc esset, non esset gratia gratis data necessaria ad tale judicium. Deinde hæc certitudo judicii non est talis qualis est in assensu fidei, aut prophetico obscuro: quia ejusmodi assensus etsi est inevidens, certus tamen certitudine infallibili; cùm innitatur primæ Veritati revelanti; jam verò judicium de instinctibus Spirituum non innititur summæ Veritati revelanti, aut alicui medio infallibili (sed potiùs quibusdam conjecturis & regulis prudenter applicatis ad talem materiam, cum talibus circumstantiis,

Vide Suarez de gratia prol. 3. C. 5. n. 44.

1. p. tract. de pro spiritûs. Alph. 17. lit. Ret. S.

L. 6. Conf. C. 13.

Lib. de discretione Spirituum C. 2. n. 5.

Suarez de gratia prol. 3. c. 5. n. 45. & seq.

accu-

accuratè perſpectis. Differunt autem hæ regulæ, conjecturæ, & motiva, Gratiæ diſcretionis Spirituum à Spiritu S. datæ, ab illis quæ per experientiam propriam acquiruntur: quia illa conferuntur vel plura, vel clariora, quàm ſint propria. Sequitur ergò hoc judicium ex ſuo motivo formali non niſi eſſe moraliter ſeu probabiliter certum cum formidine oppoſiti. Unde dicitur: *Spiritus ubi vult ſpirat: & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quò vadat.* Joan. 3. Jam verò judicium idem quaſi materialiter ſpectatum in ſe quatenus procedit ex motione Spiritûs S. per gratiam gratis datam, ſemper eſt certum & infallibile, etſi illud ex inſtinctu Spiritûs S. proceſſiſſe nunquam omni certitudine cognoſcatur: Quia Spiritus S. dum dirigit ſpeciali motu, ſemper dirigit ad id, quod in ſe eſt verum, aut bonum, aut melius, juxta ſuavem diſpoſitionem ſuæ providentiæ. Itaquè principium motuum internorum triplex eſt. Unum intrinſecum, nempe Natura, ſeu ſpiritus humanus: duo extrinſeca, ſcilicet Spiritus Divinus per ſe, vel Angelus bonus; & ſpiritus diabolicus. Atquè hi ſunt Spiritus, quos probare monemur: quia cognito Spiritu à quo movemur, nullum dubium erit, bonusvè, malusvè ſit. Hi autem motus ſunt incognoſcitiva, ſenſitiva imaginativæ apprehenſionis, imaginariæ viſiones, apparitiones. In intellectu omnes tres operationes: In voluntate actus eliciti, & affectus: In appetitu ſenſitivo paſſiones concupiſcibilis & iraſcibilis. Sive hi motus eliciantur liberè, aut non liberè: ſive inclinentur potentiæ ad horum motuum exercitium circa materiam dubiam, aut ex motivo dubio. Unde non qualeſcunquè motus intelliguntur etiam illi, qui ad doctrinam fidei, aut morum ſpectant, ex ſuo objecto materiali aut formali in ſe certi & manifeſti; ſed qui perplexitatem & dubietatem in animo generant, an ſequendi vel non, in credendo, & agendo, in ordine ad finem ſupernaturalem.

Diſcretio Spirituum prout, per modum cujuſdam Artis ex Doctrina Eccleſiæ, & propria experientia, longo uſu acquiritur, eſt Donum DEI, quo juxta regulam fidei, & morum, aliasq; regulas Spiritualium, & propriam experientiam, ac prudentiam, (non difformia hæc ad regulam fidei, morum, & rationis,) fertur judicium certum moraliter de

motibus

motibus internis dubiis propriis vel alienis, quinam sint à Divino, vel alio Spiritu. Dicitur: *Donum DEI*, scilicet tum habituale, tum actuale: habituale est, prout per actus supernaturales fidei, sapientiæ, scientiæ, prudentiæ causantur quidam habitus naturales ad facilè & benè faciendam Discretionem Spirituum, etsi non in omnibus, saltèm in pluribus eventibus. Actuale verò prout requiritur auxilium gratiæ gratum facientis ad hanc discretionem, quæ se habet per modum Artis. Unde D. Theresia:

Vitæ suæ C. 22. *Parum*, inquit, *ex libris discitur, nisi DEUS intus doceat.* Dicitur: *Juxta regulam fidei, & morum.* Quæ regula est Ecclesia Catholica, vel Scriptura Sacra & Traditio Apostolica, ut ab Ecclesia recepta & intellecta. Dicitur: *aliasq; regulas Spiritualium*: quæ scilicet partim sunt deductæ ex universali regula fidei & morum, partim per usum aliæ adinventæ. Dicitur: *& propriam experientiam ac prudentiam.* Quia ut Richardus loquitur:

Lib. de præparat. ad Contempl. C. 67. *Multa quidem de discretione legendo, multa discimus audiendo, multa ex insito nobis rationis judicio: veruntamen nunquam de hac ad plenum erudimur sine experientiæ magisterio.* Et: *qui non est tentatus, quid scit? vir in multis expertus, cogitabit multa.*

Eccl. 34. Prudentia verò maximè necessaria est ad discretionem: quia pro varietate circumstantiarum iidem specie instinctus qui sunt in uno à Divino Spiritu, in alio sunt à maligno. Dicitur: *non difformia hæc* (scilicet Regulæ Spiritualium per rationem & usum adinventæ propriâ experientiâ & prudentiâ) *ad regulam fidei, & morum, ac rationis.* Alioquin si difformia sunt, rejicienda: quia ex ullo principio nec supernaturali nec naturali honestari possunt.

§ 2dus.

Motiva Comparandæ Discretionis Spirituum. *Imum.*

Matt. C. 7. *Christus* præcipit: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos.

I. Cor. 2. *Apostolus* dicit: *Spiritualis autem judicat omnia*, discernens vera à falsis, bona à malis, ut hæc caveat, illa assumat: unde sequitur: *Et ipse à nemine judicatur*, tanquam erroneus, & perversus, non ab hominibus levibus sed piis & prudentibus, quem vident in omni sua actione cautum, & circumspectum;

cumſpectum; non à DEO, qui facienti quod in ſe eſt homini, non denegat gratiæ auxilium & gloriæ præmium. *Apoſtolus*: Omnia autem probate: quod bonum eſt tenete. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. *Et Joannes*: Nolite omni ſpiritui credere: ſed probate Spiritus, ſi ex DEO ſint. Unde *S. Auguſtinus*: Probare vellem, ſi errare non poſſem. Certè niſi probavero Spiritus qui ex DEO ſunt, incurram, neceſſe eſt in Spiritus, qui ex DEO non ſunt.

Idem.
1. *Theſſ.* 5.
1. *Joan.* 4.
Serm. 20. *de verbis Ap.*

2dùm. Ex carentia veræ diſcretionis ſpirituum horrendi lapſus & magnorum & Sanctorum virorum evenêre, quorum juxta *Card. Bona* cum plurima proferre valeam exempla, duo tamen præ cæteris notanda ſufficient, ut diſcant fideles non altum ſapere, nec ſibi temerè Spirituum diſcretionem arrogare. Quis inter Eccleſiæ proceres ſapientior & nobilior *Origene*? cujus tanta vis ingenii, tanta doctrinæ profunditas, tanta eruditionis ac eloquentiæ ubertas, tanta vitæ Sanctimonia fuit, ut apud omnes admirationi eſſet. Et hic tantus ac talis vir, dum ingenio ſuo nimiùm indulget, dum proprio ſpiritu inflatus, veterum traditiones contemnit, in abſurdos errores lapſus eſt. *Tertulliani* quoquè par caſus fuit. Hic enim mirâ ingenii capacitate omnes Philoſophorum ſectas, omnes diſciplinas complexus, vetuſtæ fidei parum tenax, dum ſpecie deceptus caſtitatis & abſtinentiæ, falſa Montani dogmata, & inſanarum mulierum deliramenta, tanquam veras prophetias præcipiti judicio ſuſcipit, ex Eccleſiæ magiſtro, Orthodoxæ fidei hoſtis acerrimus factus eſt. Quæ cum itâ ſint, nè nobis diabolus vitrum pro margarita, falſum pro vero obtrudat, illa Domini noſtri ſententia, quam Sancti Patres ſæpè commemorant, ſequenda eſt, ut ſimus probabiles Trapeſitæ probos nummos ab adulterinis ſubtilisſimè diſcernentes.

De Diſcret. Spir. C. 1. *n.* 4.
Clem. Alex. Lib. 1. *Stro.*
Epiph. hær. 44.
Hier. Ep. ad Min. Caſſian. Coll. 1. *C.* 20.

3tiùm. *De DEO* dicitur *Prov*: *Spirituum ponderator eſt Dominus.* Et Apoſtolus: *Vivus eſt enim ſermo DEI & efficax, &c. diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.*

Prov. 16.
Hebr. 4.

§ 3tius.

Circa *Praxim* diſcretionis Spirituum hæc adverte. Quanquam ſumma ſit difficultas diſcretionis Spirituum ex hoc proveniens,

veniens,

veniens, quòd ſicut morbus corporis interior per ſua externa ſigna ambigua fallit nonnunquam & peritisſimum medicum, ut minùs convenientem morbo præſcribat medicinam, adeoquè accelleret mortem, quàm vitam promoveat: ità & inſcrutabilis humani cordis receſſus & motus, ſub ſignis dubiis veri & falſi, mali ac boni apparentes quis facilè diſcernet? Quare benè Anſelmus ait: Diſcretio difficillima eſt. Et Auguſtinus ſuprà citatus addit: *Quid agam? quomodo obſervem? O ſi ſanctus Joannes quomodo nobis dixit*: Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex DEO ſint, *dicere dignaretur, quomodo probentur ſpiritus, qui ex DEO ſunt?* Attamen & in re hac adeò ardua ſvavis diſpoſitio Divina providit duplicem modum, de tenebris lumen ſplendeſcere, unum per Regulas gratiæ gratis datæ diſcretionis ſpirituum, alium per regulas probatas ſacræ ſcripturæ, ſanctorumquè Patrum, & ſpiritualium magiſtrorum. Quarum hic magìs neceſſarias, aliaquè, propono *ex aureo libro de diſcretione ſpirituum piisſimi pariter & eruditisſimi Cardinalis Bona*, ipſius quidem ſtylo & ſpiritu, quanquam non eodem ordine ac methodo ſed alio accommodavi ad faciliorem memoriam, uſum, & praxim legentium.

Serm. 30. de Verb. Ap.

PUNCTUM I.

De Conditionibus, quas habere debet Probator & perfectus Diſcretor ſpiritûs ſui & aliorum.

Lib. de diſcret. ſpirit. c. 5. n. 7.

I*Ma Conditio eſt, Mortificatio pasſionum. Hinc Cardinalis Bona ait:* Pravis affectibus carere debet, Deumquè ſolùm, non ſuum commodum, ſuamquè inclinationem reſpicere, qui cupit cogitationes & inſtinctus absquè errore diſcernere. Nequè enim poteſt rectum judicium facere, qui ſuis ſenſibus & cupiditatibus adhæret. Audiendus hac de re optimus Præceptor Gregorius Magnus. Hac ſapientiâ, inquit, non turbulenta atquè confuſa, ſed tranquilla corda replentur. Benè ergò de ea dicitur, quia abyſſus dicit, non eſt in me: & mare loquitur, non eſt mecum. Ac ſi apertè diceretur, perturbatæ mentes eo ipſo clamant, quoniam à vera ſapientia longè diviſæ ſunt, quo quietæ non ſunt. *Supercecidit ignis*, ait Propheta, pasſio-

Lib. 18. mor. c. 25.

Pſal. 57.

passionum scilicet animum incendentium, *& non viderunt solem*; mens etenim cupiditatibus cæcata, præsentem lucem veritatis non intuetur.

2da Conditio, Experientia instinctuum spirituum, & Praxis omnium virtutum. Ità Cardinalis Bona docet: Considerare attento animo oportet, quid fiat in proprio corde, ut ea illo aliorum cordium motus utcunquè cognoscantur, sicut scriptum est. *Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso.* Nam sicut *Gerson* præclarè scribit; Probare spiritus per modum artis & doctrinæ nemo perfectè potest per solam sacræ scripturæ eruditionem, qui non etiam expertus sit in semetipso variam affectionum spiritualium pugnam, tanquam ascenderit nunc in cælos, nunc descenderit in abyssos & viderit mirabilia DEI in profundo. Nam qui navigant mare hoc mysticum diversarum affectionum quasi collidentium se fluctuum, enarrant mirabilia ejus. Inexpertus autem talium, quid novit eorum? „ Hæc Gersonis consideratio prudentissima est; cùm enim sacra scriptura, & SS. Patres singulares eventus non attingant, experientia rerum magistra certiùs docebit, qua ratione regulæ generales casibus particularibus sint applicandæ.

Lib. de discret. spirit. c. 5. n. 3. & 4.

Eccl. 31. 18.

Ad hanc experientiam accedere necessariò debet omnium virtutum usus & praxis, sine quibus nemo potest ad discretionis perfectionem pervenire. Quid enim facto opus sit in quolibet instinctu, nemo meliùs scire potest, quàm qui ex his discit, quæ passus est experientiam. Hujus regulæ auctor est *Richardus Victorinus*. Priùs, inquit, nos oportet in singulis virtutibus exerceri, & quid in unaquaquè possimus, experiri, quàm possimus de omnibus plenam scientiam percipere, & de singulis sufficienter judicare. Multa quidem de discretione legendo, multa discimus audiendo, multa ex insito nobis rationis judicio; veruntamen nunquam ad plenum erudimur sinè experientiæ magisterio. Post omnes sequi oportet, qui de omnibus judicare debet. Primùm ergò est, ut satagamus singulis virtutibus studium frequens impendere, quod dum facimus, necesse est nos sæpius cadere: oportet ergo nos sæpè resurgere, & per frequentem lapsum addi-

De præpar. ad Contempl. c. 67.

„ addiscere, quâ vigilantiâ, quâ cautelâ oporteat virtutum bo-
„ na acquirere, vel custodire. Sic, sic, dùm longo usu virtu-
„ tum disciplina addiscitur, quandoquè mens diu exercitata ad
„ plenam morum discretionem perducitur.

PUNCTUM II.

Quæ facienda ante examen & probationem Spirituum.

Card. Bona lib. de discretione, c. 5. n. 1.

ORatio *præmittenda*. Quia omne bonum desursum est & sine DEI gratia omnes conatus nostri inutiles sunt, ipsius auxilium humili prece ante omnia implorare oportet, ut mittat desuper Spiritum sapientiæ & intellectûs, qui depulsâ caligine mentem illustret, æternæquè Veritati faciat semper inhærere, quæ nec fallere, nec falli potest.

PUNCTUM III.

Quid faciendum sub examine & probatione Spirituum.

I.

UTendum est per prudentiam quibusdam regulis, juxta quas examinandus instinctus spiritûs, an sit illis regulis conformis, vel difformis, vel nequè conformis nequè difformis. Unde *Card. Bona* ait: quamvis singulæ Regulæ traditæ pro discernendis spiritibus peculiarem institutionem contineant, singulæ tamen per se non sufficiunt, nisi aliæ simul adhibeantur. Notavit hoc Gerson dicens; *Fallit unum signum vel pauca, si non in unum plura conglobaverimus. Ità enim tradit Tullius, ità Boëtius, ità Aristoteles in conjecturali causa faciendum.* Omnium quoquè circumstantiarum connexio attendenda, ex qua rerum exacta cognitio plurimùm pendet.

Lib. de discret. spirit. c. 5. n. 10.

2. Modus autem utendi istis Regulis fit per discursum, inferendo ex universalibus propositionibus particularem in conclusione vel consequentia de illo instinctu, qui dijudicatur
„ in propositione Sic *Suarez* inquit: Nunquam fit discretio
„ spirituum sinè discursu, ex generalibus principiis fidei appli-
„ catis magnâ diligentiâ, & circumspectione omnium circum-
„ stantiarum, simul etiam invocatâ Spiritûs S. directione, &

Prolog. 3. c. 5. n. 44. de gratia.

impulsu

impulsu ut constat ex usu, & ex his, quæ de hac probatio- „ ne spirituum viri experti, & eruditi tradiderunt. „

3. Sciendum est, quia pro ambiguitate majori vel minori instinctûs & materiæ utendum est pluribus vel paucioribus Regulis, idquè non nimis extortè & scrupulosè, sed placidè & suaviter, nè dum casum prævet, ipsâ nimiâ cautelâ cadat. Deniquè audi *Card. Bona*: Simplicitas rectè discernere cupienti necessaria est, & ut abhorreat à multis & superfluis considerationibus, objectionibus, ratiocinationibus: solaquè Regula æternæ Veritatis sit mensura judicii sui, non proprium institutum, non principia naturalia, non aliorum exempla; alioquin semper confusus & perplexus erit, & novæ semper emergent difficultates. *Nibil pejus*, inquit Chrysostomus, *quàm humanis rationibus spiritualia subjicere*. Et alius quidam dixit: *Non regnat Spiritus Christi, ubi dominatur spiritus Aristotelis.* *Lib. de discret. spirit. c. 5. n. 8.* *Hom. 24. in Joan.* *Absalon Abb. ser. 4. de Advent.*

4. Judicium quo fit discretio non est certum & infallibile nisi adsit expressa Revelatio. Quod *Card. Bona* fusiùs probat inquiens: Dicendum est hoc judicium non esse evidens per evidentiam rei in se, sive in causa, quia causa est occulta, & non conceditur judicanti visio perspicua, & intuitiva illius spiritus, cujus instinctum dijudicat, sive bonus sive malus ille sit: nequè per evidentiam ab effectu; quia si posset ab effectibus evidenter cognosci, non esset ad tale judicium, gratia specialis necessaria. Asserendum item est, non esse propriè & formaliter certum, quia esset assensus fidei, cui proprium est, certitudinem habere cum inevidentia; vel esset assensus propheticus per expressam revelationem, de cujus ratione est Divinæ auctoritati & veritati inniti. At hoc judicium fit per instinctum Spiritûs S. sinè expressa revelatione, & qui hoc modo discernit spiritus, non est certus DEUM esse, qui ipsum movet ad ità judicandum, nec id alteri proponit, ut de fide credendum: ex quo fit, ut judicium certum non proferat, atquè interdum decipi possit, quod aliquando prophetis contigisse magnus *Gregorius* testatur. Quia verò Spiritus S. non movet speciali instinctu, nisi ad id quod re ipsa verum & certum est, potest hoc judicium infallibile dici ex parte principii moventis, *Lib. de discret. spir. l. 5. n. 12.* *Hom. 1. in Ezec.*

ac proinde materialiter certum: quamvis in eo qui judicat nulla ſit certitudo, quia prorſus ignorat, aut ſaltèm dubitat, an illud judicium ex motione & directione Spiritûs S. procedat.

Quod ſi adſit expreſſa revelatio cogitationum cordis, cujuscunquè modi illa ſit, aderit procul dubio certitudo, firmus ſcilicet aſſenſus & firma adhæſio intellectûs ad objectum; ut enim docet Angelicus Doctor agens de prophetia, duplici modo mens prophetæ à DEO inſtruitur, vel per expreſſam revelationem, vel per occultum inſtinctum, quem interdum humanæ mentes etiam neſcientes patiuntur, ut ſcribit Auguſtinus: & in hoc nulla eſt certitudo. Quæ verò expreſsè revelata ſunt, maximam habent certitudinem, & quoad revelata, & quoad ad ipſam revelationem. Hinc Abraham paratus fuit ad filium ſuum unigenitum immolandum, quod nullatenus feciſſet, niſi certè & evidenter cognoviſſet, id ſibi à DEO revelatum & imperatum fuiſſe. Adde, in Seraphica ac verè Theodidacta Virgine Thereſia tanta erat certitudo, quod ejus revelationes à DEO eſſent, ut in relatione ſuæ conſcientiæ Confeſſario ſuo ſcripſerit: Diebus quibus quieta ſum & mente in DEUM fixa, quamvis in unum coirent quotquot ſunt literati & Sancti, mequè omni tormentorum genere afficerent, nunquam induci potero, ut credam dæmonem auctorem revelationum mearum eſſe, nequè poſſem hoc credere etſi maximè id vellem. *Subdit poſthæc:* Tametſi certò credam hujusmodi viſiones à DEO eſſe, nihil, tamen omnino agerem, niſi eorum juſſu, qui mei curam habent. Omitto plura his ſimilia, quæ in geſtis Sanctorum adeò frequenter occurrunt, ut ex iis prolixus liber confici poſſit.

2. 2. q. 171. a. 5.

Lib. 2. de Gen. ad lit. c. 17.

Gen. 22.

Ribera vitæ ejus lib. 4. c. 26.

Si autem diſcretio fiat permodum doctrinæ, ex regulis & conjecturis prudenter applicatis, atquè omnibus circumſtantiis accuratè perpenſis, cùm ſignis & præceptionibus innitatur non excedentibus probabilitatem, hinc manifeſtè infertur ſemper judicium fieri cum formidine & incertitudine. Porrò ſi regulis & ſignis, quæ per diſcurſum ad ferendum judicium abhibentur, judicantis peritia, rerumquè uſus, & longa experientia acceſſerint, haberi profectò poterit moralis quædam

certitudo; sed non adeò firma, ut omnem excludat dubitationem.

REGULÆ

Probandi Spiritus ex parte Spiritûs agentis, seu moventis hominem per instinctum.

TRiplex est spiritus, quo homo potest moveri ad aliquid. 1mò. DIVINUS, quo refertur etiam *Angelicus*, qui uterquè etiam *Gratiæ spiritus* appellatur. 2dò. *Humanus*, seu *Naturæ*. 3tiò. *Diabolicus*, ad quem *Carnalis*, & *Mundanus* contrahitur. Unde *Card. Bona* inquit: Sive spiritus ipsos afflatus & motus animi, sive principia eorum significet, sex illos esse auctor est Bernardus in eos sermone, qui de septem spiritibus titulum præfert, cùm de sex inscribi debeat. Primus est DIVINUS de quo Psalmista ait: *Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS.* 2dus Angelicus quem Zacharias Propheta commemorat dicens: *Angelus qui loquebatur in me.* 3tius. diabolicus, *immissiones* scilicet *per Angelos malos*; ut in psalmo scriptum est. 4tus est spiritus carnis, cujus meminit Apostolus, cùm Colossensibus scribens quosdam *spiritu carnis suæ inflatos* esse testatur. 5tus est spiritus hujus mundi; quem idem negat Apostolos accepisse, sed Spiritum qui ex DEO est. 6tus est spiritus humanus de quo ibidem legimus. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso?* Ex his spiritibus tres semper mali & falsi sunt, diabolicus, carnalis, & mundanus: duo semper boni & veraces, Divinus & Angelicus: unus indifferens & medius, nempe humanus, qui tam bono quàm malo indifferenter adhæret & servit. Rectè Hugo in Miscellaneis: *Spiritus DEI & spiritus diaboli immobiles sunt, alter in bono, alter in malo. Spiritus hominis nunc huc, nunc illuc flectitur.* Possunt igitur omnes spiritus ternario numero comprehendi, & ad Divinum, diabolicum, & humanum contrahi, si Angelicum Divino, carnalem & mundanum diabolico conjungamus. Angelus enim bonus ex semetipso non loquitur. Carnis verò & mundi spiritus satellites sunt magni principis tenebrarum, & quæ ex parte

Lib. de discret. spir. c. 3. n. 5.

Psal. 84.

Zach. 1. 14.

Psal. 77.

Coloss. 2. 18.

2. Cor. 2. 12.

Ibidem v. 11.

Lib. 1. tit. 130.

Card. Bona c. 4. n. 8. parte illius sunt, suggerunt nobis.)) Initia bonorum semper à DEO esse, malorum autem instinctus vel à diaboli suggestione in nobis oriri, vel ad ipsa naturæ ad malum inclinatione absquè opera extrinseci impulsoris.

I. REGULÆ

Bonorum & malorum motuum, quinam à principio intrinseco, seu spiritu Humano; & à principio extrinseco, seu diabolico oriuntur.

I.

Card. Bona lib. de discret. spirit. c. 4. n. 3. 4. 6. ILla ad quæ movemur à principio intrinseco, liberè inchoamus, prosequimur, perficimus, liberè intermittimus & abjicimus; & cùm status præsens exigit, ad ea nos excitari experimur. Illorum verò, quæ ab extrinseco adveniunt, nec initium est in nostra potestate, nec facilè possumus progressum impedire: animum etiam ex improviso plerumquè præoccupant, nullâ præsenti causâ præexistente. Idcirco quæ ab intrinseco sunt, certis notis & indiciis à Philosophis moralibus traditis dignosci queunt: quæ autem ab extrinseco procedunt, nullam certam rationem, nullam regulam nobis notam habent. Etenim si bona sunt, à DEO pendent, cujus Spiritus ubi vult spirat, & nescimus unde veniat aut quò vadat: Si mala, à dæmone suggeruntur, cujus perversa voluntas, & mille nocendi artes nulli mortalium satis perspectæ.

2. Principio extrinseco tribuendi sunt motus, qui vires naturales superant: quia natura seipsam non excedit. Illi quoquè forinsecus immitti censentur, quos impetu quodam quasi aliunde immissos patimur: nam motus naturæ placidiores esse solent. A foris item sunt, cùm nulla in nobis dispositio, nulla præcedens occasio, nullus humorum excessus, nulla perturbatio inveniri potest, cui adscribantur.

3. Hoc item observandum, sæpè multa diabolo tribui, quæ depravatæ ac perturbatæ naturæ germina sunt. Corporum enim constitutio, & humorum, præsertim melancholici exuperantia; pravæquè consvetudines, ac subitaneæ perturbationes gravissimas efficiunt commotiones, adeò ut multi à ma-

lo

lo ſpiritu obſeſſi & poſſeſſi perperam exiſtimentur, qui non niſi naturali morbo exagitantur. Idem accidit in bonis motibus. Nam fervor ætatis & complexionis, ingenii acumen, & vehemens apprehenſio varios affectus aliquando excitant, lachrymas & ſuſpiria, altisſimos animi ſenſus & cogitationes, ecſtaſes quoquè & alienationes, quæ cùm à cauſis naturalibus oriantur, ab ignaris tamen Divino Spiritui adſcribuntur.

4. Inſtinctus gratiæ ab inſtinctu naturæ his notis dignoſcitur, quas auctor libelli de imitatione Chriſti fuſiùs proſequitur, & quia liber vulgatisſimus eſt, hìc prætermitto. Illud autem maximè notandum, quòd fervor procedens ex naturali temperamento, gravi aliqua difficultate ſuperveniente, ſtatim langvet & evaneſcit: at qui ex DEO provenit, ſuperato omni impedimento, ex periculis vires, & ex adverſitatibus incrementum ſumit; illa enim virtute roboratur, de qua ſcriptum eſt: *Aquæ multæ non potuerunt extingvere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Lib. 3. c. 54.

Cant. 8. 7.

5. Quando internæ motiones à nobis ipſis oriuntur, ſvaviter ut plurimùm ac leniter exurgunt, motumquè ac vires naturæ ferè ſequuntur. At cum veniunt ab extrinſeco, duplex modus obſervatur. Unus eſt, cùm placidè incipientes ità ſe naturæ accommodant, ut omninò naturales exiſtimentur: alter, cùm violentiùs irruunt, nosquè adeò vehementer concitant, ut agi potiùs, quàm agere, videamur. Manet tamen in his motibus illæſa ſemper & inconcuſſa humana libertas: nam diabolus, licèt impellat, non niſi conſentientes, & non reſiſtentes evertit. DEUS verò cùm ad bonum nos incitat, dat ſimul velle & conſentire; & tunc verè liberi ſumus, cùm nos liberat à ſervitute peccati, & transfert in libertatem filiorum DEI.

6. Triplex locutionis ſpiritualis modus eſt. *Primus* eſt per verba externa corporeis auribus ab homine vigilante percepta, Angelorum miniſterio ut plurimùm formata, quibus audientis intellectus illuſtratur. Sic Moyſi & Prophetis loquutus eſt DEUS. Sic baptizato Chriſto, & in monte transfigurato audita eſt vox; *Hic eſt Filius meus dilectus.* Sic eodem orante vox è cælis inſonuit: *Et clarificavi & iterum clarificabo.* Sic ſæpius

Card. Bona lib. de diſcr. ſpir. c. 8.

Matt. 3. 17.
Ibidem 17. 5.
Joan. 12. 28.

piùs legimus ex ſtatuis, & imaginibus Chriſti Domini, & Sanctorum, voces prodiiſſe viris ſanctis ante ipſas orantibus. *Secundus* modus eſt per verba interna, non aure corporis, ſed imaginatione perceptâ, ſicut ſomniantibus ſolet accidere. Hæc autem verba aliquando è ſupernis deſcendere, aliquando juxta audientem, aliquando è loco remotiori proferri videntur. Interdum perſona loquens, ut Chriſtus, aut B. Virgo, ſe manifeſtat, propriâ figurâ phantaſiæ impreſsâ; ità ut audiens nullatenus dubitare posſit quis loquatur: Interdum vox ſola auditur, perſona loquens ignoratur. Solet frequentiùs hæc myſtica DEI loquela in ſomno audiri, quia tunc anima nullo tumul-
Num. 12. 6. tu, nullis curis exterioribus, diſtrahitur. Hinc DEUS ad Aaron dixit: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione appare-*
Job. 33. 15. *bo ei, vel per ſomnium loquar ad illum.* Et Job ait: *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplinâ. Tertius* modus ſublimior eſt, cùm vox DEI loquentis in ſilentio ad cor Hieruſalem non aure, non imaginatione, ſed ſolo intellectu ſpiritualiter percipitur. Loquitur enim DEUS in apice mentis uno ſimplicisſimo mentis intuitu. Sicut Angelis & Beatis loquitur, non aliquâ voce ſenſibili; ſed imprimendo ipſorum intellectui veritatem, quam illis manifeſtare decrevit: ità in parte ſuperiori animæ verba ſua profert clarisſimâ quadam luce infusâ, in qua ſinè labore & faſtidio, imò cum admirabili quiete & ſvavitate multò plura brevisſimo tempore docetur anima, quàm poſſet proprio ſtudio multis annis ediſcere.

7. Verba primo & 2do modo probata, & DEI, & dæmonis, & propriæ imaginationis, eſſe poſſunt. Facilè autem cognoſcuntur, quæ à DEO non ſunt; quia ariditatem & inquietudinem poſt ſe relinquunt. Quodſi aliquando fervidum quendam affectum, & falſam humilitatem inſtillant, & lachrymas excitant, hoſtis dolus eſt ſub hac larva latentis, ut tandem animam in vanitatem & ſui æſtimationem præcipitet. Hujus verò mali remedium eſt: hujusmodi alloquia, etiamſi à DEO ſint, non magni facere, ſequè illis indignum judicare, ac ſolidis virtutibus incumbere.

8. Lo-

9. Loquutio DEI efficacissima est, statimquè effectum suum operatur in anima: *Vivus est enim sermo DEI*, inquit Apostolus, *& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usq; ad divisionem animæ & spiritûs, compagum quoq; & medullarum.* Quapropter eodem momento & loquitur & operatur, statimquè efficit in anima, quod enunciat. Ut si afflictæ & anxiæ dicat; *Noli timere*; omnis protinus mæstitia, omnis perturbatio sedatur. Narrat Franciscus Ribera in vita S. Theresiæ, quòd cùm initio suæ conversionis à sæcularium amicitiis difficilè se expediret, orans aliquando audivit in intimo animæ suæ hæc verba: *Jam nolo ampliùs te cum hominibus conversari, sed cum Angelis.* Quibus verbis ita repentè mutata est, ut deinceps non potuerit amicitiam habere & consolationem, nisi cum servis & amicis DEI, & cum iis qui de oratione tractabant. *Lib. I. c. 9.*

9. Cùm verba à DEO sunt, clariùs intelliguntur, quàm si auribus exciperentur; & si quis ea audire recuset, & obluctetur, non tamen potest impedire, quin ipsâ mente percipiat, & animam impellant, quò DEUS vult. S. Theresia integro ferè biennio his internis loquutionibus, omni qua potuit contentione, restitit; sed irrito semper conatu. Cùm DEUS mandat aliquid fieri, dat etiam robur & vires adversus impedimenta & contradictiones. Cavendum nihilominus est, nè statim hujusmodi mandata executioni mandentur, sed prudentis directoris adhibendum consilium, qui statuere possit quid agendum sit. Facilè diaboli se laqueis implicat, qui suo se arbitrio regens, quidquid mente percipit, temerè aggreditur. *Vitæ c. 25.*

10. Proprii intellectûs, seu phantasiæ loquutiones his signis discernuntur à Divinis; quia cùm potentiæ nostræ loquuntur, ipsæ ea, quæ dicunt, ordinant, & disponunt, situmquè est in nostra potestate ab iis, cùm libuerit, divertere. Cùm verò DEUS loquitur, potentiæ nostræ silent & audiunt, nec cogitationem ab auditis avertere, aut rejicere possunt. Deinde quæ à DEO dicuntur, procul ab humana intelligentia remota sunt, brevissimoquè temporis spatio adeò multa audiuntur, ut nullo modo potuerint ab humano ingenio tam citò excogitari.

11. Indicia sunt divinæ loquutionis: si verba audita memoriâ non excidant, si nulla de iis præcessit cogitatio; si audiens non solùm sententiæ, sed singulorum etiam verborum postea meminerit; si consona sacræ scripturæ & Ecclesiæ doctrinæ sint; si animam illuminent, corroborent, & ad perfectionem impellant.

Card. Bona de discr. spir. c. 11. n. 15.

12. Quia diabolus carnis & mundi satellitio uti solet, ut suggestionibus suis hominem ad malum impellat, pauca hìc de spiritu carnali & mundano, adnectenda sunt. Caro domesticus hostis, quo carere non possumus, semper concupiscit adversus spiritum: mundus in quo vivere nos oportet, nos undiquè obsidet, suisquè principiis, quæ ex parte diaboli sunt, nos imbuere non cessat. Caro semper suggerit mollia, mundus vana. Sapientia carnis DEO inimica nihil sapit nisi delitias: prudentia mundi in quærendis divitiis & honoribus incessanter occupatur. Carnis desideria sunt infinita; mundi superbia immensa est. Spiritus carnis cogitationes suggerit de potu, de cibo, de somno, de sensuum voluptatibus; Spiritus mundi de arrogantia, de jactantia, de opibus, de ambitione, de dignitatibus. Carnalis spiritus decipit interdum viros spirituales, carnalem in eis amorem erga aliquam personam excitans sub specie pietatis & spiritualium institutionum. Hoc visco captæ animæ sanctæ, quæ jam libero volatu per alta cælorum discurrebant, in laqueum perditionis pudendo lapsu ceciderunt, quod sæpe vidimus cum multorum scandalo, & ipsarum deplorabili ruina. Facilè autem cernitur carnalis amor, nequè enim ignis abscondi potest, lumine qui semper proditur ipse suo. Et primò quidem indicium est carnalis amoris, pauca de DEO loqui, plura de se, & de mutua dilectione: se mutuò laudare, invicem adulari, vitia & defectus excusare. Sequitur in alterius absentia inquietudo, & ex ea molestæ cogitationes, ubi sit, quid agat, quando veniet, an alteri impendat affectum. His accedunt carnis blanditiæ, gestuum insolentia, solitarii secessus, occulta colloquia, atquè alia ejusdem generis, quæ scribere superfluum est. Sanctus verò & spiritualis amor nihil horum novit, pudicus est, modestiam servat, nugas

nugas odit, oculos continet & manus, angulos non quærit, pacem sectatur, arguit quos amat, orat pro amico, ipsumquè in DEO diligit sive præsens, sive absens sit, & se studet in omnibus irreprehensibilem exhibere. Spiritus verò hujus mundi ex suis etiam operibus manifestum se facit: nam ut ait Augustinus, *spiritus hujus mundi facit superbos, spiritus hujus mundi facit inflatos, spiritus hujus mundi facit ut putet se quisq; aliquid esse, cùm nihil sit.* *Lib. 50. hom. 14.*

II. REGULÆ

Bonorum motuum, qui à DIVINO, vel diabolico spiritu principium sumunt.

I.

DEUS paulatim ab imo ad summum, ab imperfecto ad perfectum perducit: soletquè ætatis & personarum habere rationem, atquè aliam seni, aliam adolescenti, aliam incipientibus, aliam perfectis sapientiam infundit. Dæmon è diverso nullum ordinem servat, intempestivos fervores immittit, statimquè suggerit mentis excessus, miracula, prophetias, ut hac fraude illaqueatas, rerumquè novarum studio illectas animas in superbiæ barathrum secum præcipitet. His quoquè suadet nimiâ abstinentiâ ac immoderatis vigiliis, aliisquè cruciatibus corpus penè conficere; & quia modum non habent, onera sibi imponunt, quæ ferre non possunt. Viribus autem fractis mentisquè vigore enervato, in tantam postea relaxationem labuntur, ut meritò de illis propheticum illud usurpari possit: *Ascendunt usq; ad cælos, & descendunt usq; ad abyssos.* *Psal. 106.*

2. Solet DEUS initio conversionis lacte consolationis animam reficere, ut gustans quàm svavis est Dominus, eo crescat in salutem: Cùm verò jam adulta fuerit, solidiorem porrigit cibum: quam normam sequutus est Apostolus Corinthiis lac potum dedit tanquam parvulis in Christo, non escam, quia solidi cibi nondum erant capaces. Diabolus verò difficillima quæquè initio proponit, DEI severitatem exaggerat, judiciorum ejus abyssum cum horrore ingerit, ut in foveam desperationis inducat. Ille laboranti in comparandis virtutibus pa-

ternâ pietate tranquillitatem immittit: hic hostili nequitiâ molestias infert, & anxietates.

3. Spiritu DEI agi creditur, qui cælestes susurros internâ cordis aure excipere sibi videtur. Vocem verò quasi de foris venientem & strepitum quendam audire, indicium est maligni spiritûs. Proprium est enim DEI in animum intimè illabi, diaboli extrinsecùs advenire.

4. Qui à DEO movetur, si quid in se ipso mirabile & præter consvetum ordinem accidit, non id pro certo habet, sed timet, se donis DEI indignum æstimat, & nè diaboli insidiis decipiatur, quicquid illud est superiori revelat. Qui verò proclivis est ad complacentiam in hujusmodi rebus, qui sinè delectu fidem illis præstare solet, ab eo spiritu agi videtur, qui per superbiam primum hominem seduxit. Sancta Virgo Theresia, cùm DEUS inciperet mirabilia in ea operari, hostis illusiones formidans, multis lacrhymis à DEO petiit, ut eam ad perfectionem viâ consvetâ perduceret, tum examini diversorum se subjecit, qui tunc doctrinæ & sanctitatis laude in Hispania florebant; & cum his libentiùs tractabat, qui magis timebant. Hanc qui sequitur, falli non potest.

Ribera vitæ ejus lib. 4. c. 7.

5. Signum notabile Divini spiritûs est misericordia, & pietas erga proximum, eo etiam tempore quo justitia in illum exercenda est: quia teste Gregorio; *Vera justitia compassionem habet, falsa dedignationem. Justi siquidem etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem servant. Præponunt sibi in animo ipsos plerumq́, quos corrigunt, meliores existimant eos quoq́, quos judicant. Quod videlicet agentes, & per disciplinam subditos, & per humilitatem custodiunt semetipsos.* Malus verò spiritus semper ad iram, & impatientiam, ad amaritudinem animi provocat, semperquè ferociam ingenerat. Proprium quoquè est Spiritûs boni, ad tegenda & excusanda, quantùm fieri potest, aliorum vitia impellere. At qui illis irascitur, qui ea extollit, qui de illis passim loquitur, à spiritu superbiæ incitatur, propriam enim virtutem ostentare convincitur, dum publicat aliorum defectus.

Lib. 34. in Evang.

6. Instinctus ad bonum, in quo nihil mali appareat, nec

quod

quod majus bonum impediat, aut agenti ejusquè statui non conveniat, bonus est. Sed subtilissimum examen hic necessarium est; quia bonum est ex integra causa, nec facilè comprehendere possumus, quæ sit exacta & perfecta operis rectitudo. Deinde motus ab initio boni, in ipso progressu, vel naturæ corruptæ vitio, vel dæmonis impulsu, in malos sæpè degenerant. Videndum igitur an principium, medium, & finis, eodem tenore procedant; an omnes circumstantiæ in ipsum bonum consentiant.

Spiritum bonum semper comitatur discretio, & si aliquem introducit in cellam vinariam, statim ordinat in eo charitatem. *Omninò necessariè*, ait Bernardus: quia ubi fervidior „ *Ser. 49. in*
& vehementior est spiritus, profusiorquè charitas, eò vigi- „ *Cant.*
lantiori opus scientiâ est, quæ spiritum temperet, ordinet „ charitatem. Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit, or- „ do modum tribuit, & decorem, etiam & perpetuitatem. „ Est ergò discretio non tam virtus, quàm quædam modera- „ trix & auriga virtutum, ordinatrixquè affectuum, & morum „ doctrix. Tolle hanc & virtus vitium erit, ipsaquè affectio „ naturalis in perturbationem magis convertetur, extermi- „ niumquè naturæ. Omnia ligat charitas, & contemperat in „ unitatem spiritûs, si tamen ipsa fuerit discretione ordinata. Nam qui modum non servat in affectibus suis, qui ad excessum impellitur, ab eo utiquè spiritu incitatur, in quo nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat. Dicebat quædam de- *De Simplif.*
vota mulier apud Gersonem: *Nihil magis mihi suspectum quàm* *cordis not. 19.*
amor, etiam erga DEUM. Quò enim amor vehementior est, eò faciliùs præcipitat, & difficiliùs regitur: solentquè amantes impetu potiùs quàm rationis judicio ferri in objectum amatum, nisi fræno discretionis coërceantur. Et quia ex amore svavitas quædam & dulcedo promanat, solicitè cavendum est, nè amor qui à spiritu incepit, in carnem desinat; sicut sæpiùs contingit etiam in personis probatæ sanctitatis, quos in præceps dejecit impetus, & defectus circumspectionis in moderandis affectibus. Nulla quippe virtus esse potest, ubi vehementia & ardor spiritûs dominatur.

7. Im-

7. Impulsus DEI, cùm ad opera grandia & mirabilia movet, à spiritu interno incipit, replendo illum præclaris donis, quæ deinde posito solidæ humilitatis fundamento, extra prodeunt ad aliorum ædificationem. Suggestio autem diabolica ad res tantùm externas impellit, quæ videantur ab hominibus, interna reformatione neglectâ.

8. Bonus Spiritus bonos svaviter, malos asperè movet; malus autem spiritus malos fovet, bonos terret. Ideo observanda est hominis & spiritûs similitudo, vel dissimilitudo: agunt enim contrario modo cum his, qui sibi contrarii sunt. Dæmon peccatoribus illecebras seculi proponit, & sensuum delectationes: inanem spem Divinæ misericordiæ ingerit; ut differatur pœnitentia, & peccatorum cumulus augeatur. Justos verò tanquam dissimiles scrupulis divexat, vanoquè metu, & variis angoribus cruciat, ut cum tædio, quæ DEI sunt, operentur. At DEI Spiritus malos, quia dissimiles, duriùs pulsat, conscientiæ stimulis pungit, & mortis ac inferni timore concutit, nullamquè sinit in rebus seculi habere quietem: bonos autem mulcet, adjuvat, exhilarat. Huc respexit Augu-

Lib. 2. c. 9. stinus, cùm in suis confessionibus dicebat DEO; *Quid est illud, quod interlucet mihi, & percutit cor meum sinè læsione & inhorresco, & inardesco? inhorresco inquantum dissimilis ei sum, inardesco, in quantum similis ei sum.*

9. Securior cæteris est ille instinctus, quo voluntas movetur, nullâ præcedente imaginationis vel intellectûs operatione. Id autem fit, quando intellectum eo ipso in puncto DEUS illuminat, quo voluntatem intus impellit. Movere autem, & immutare ab interiori voluntatem solius DEI est, qui potest eam efficaciter inclinare quocunquè voluerit, ùt do-

1. p. q. 111. a. 2. cet S. Thomas: ab exteriori verò & inefficaciter moveri potest ab Angelo, vel proponendo objectum, vel concitando passiones. Non dico voluntatem moveri posse sinè ulla prorsus intellectûs operatione, sed tantùm sinè ea, quæ modo naturali & consveto fieri solet. An verò possit in sublimiori raptu, aut voluntas sinè præviâ cognitione actum amoris exercere, aut intellectus sinè ulla conversione ad phantasmata in obje-

objectum suum ferri, quæstio celebris est; quæ ad hunc tractatum non pertinet.

10. Aliquando contingit, ut gratiæ & consolationes spirituales ad corpus & sensus redundent, sicut scriptum est: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in DEUM vivum.* Sicut enim tabescit corpus, cùm tristatur anima: ità etiam interiori dulcedine per redundantiam sensus afficiuntur, hoc DEO concedente iis præsertim, qui imperfectiores sunt, ut eâ dulcedine perfusi à terrenis delectationibus abstrahantur. Sunt tamen subjectæ hujusmodi suavitates illusionibus, & seductionibus malignorum spirituum. Atquè hinc sordes Illuminatorum, hinc Begardorum turpitudines prodierunt. Docet Seraphicus Doctor; *Quòd quidam decepti à seductoriis spiritibus, vel propriis falsis opinionibus, putant sibi apparere Christum, vel ejus Gloriosam Genitricem, & non solùm amplexibus & osculis, sed etiam aliis indecentioribus gestibus & actibus, ab eis demulceri: ut sicut spiritus ipsorum interiùs ab ipsis consolatur spiritualiter, ita & caro exteriùs sibi congruo oblectationis sensu consoletur; quod non solùm est falsum, sed etiam blasphemia gravis esse comprobatur.* Tum subdit. *De his verò, qui cùm aliquando dulcedinem spiritualem sentiunt, continuò etiam carnalis delectationis pruritu illecti foedantur, nescio quid judicem, nisi quòd poetius eligo illis carere floribus, quos de luti sordibus legere deberem. Et sicut illos damnare non audeo, quin inviti quandoq; in hujusmodi spiritualibus affectionibus carnalis fluxûs liquore maculantur; itá excusare eos nescio, qui tali fluxu ex consensu delectantur qualiscunquè eorum intentio videatur.* Hactenus Bonaventura.

Psal. 83.

De processu Relig. tr. 7. c. 18.

11 Ingens argumentum divini Spiritûs & non exigua pars spiritualis prudentiæ est, ea exercitia & opera communiter complecti, quæ huic ætati, in qua degimus, sunt peculiariter accommodata. Nullum verò temporum delectum habere, fraus est, & deceptio maligni spiritus. Manifestum est, diversam à DEO in diversis ætatibus observatam esse rationem perducendi homines ad salutem. In mundi primordiis lumen naturale plurimum momenti habebat: secuta est Circumcisio & ætas ceremoniarum: tum affulsit lux Evangelii, & sub ea aliarum quasi minorum ætatum discrimina. Cùm primùm Ec-

clesia fundata est, palam fidelibus Spiritus S. è cælo mittebatur: postea hoc visibili munere subtracto Martyrium successit: tum Doctorum hæreses confutantium, & scripturas exponentium eluxit ingenium: floruit deinde innumerabilis Monachorum multitudo, qui se omni genere asperitatis afflixerunt: alia deniquè tempora inter se nexa, præsentia induxerunt, quorum conditio senescente jam mundo exigere videtur, ut à miris & insolitis abhorreamus, vitæquè internæ operam demus: ut arctiùs cum DEO jungamur. Quòd verò aliqui scribunt, debiliora nunc tempora esse, nec ferre posse victûs & vitæ asperitatem, qualem in actis Sanctorum legimus, id seraphica Virgo Theresia intellexit, è contrario asserens; eo magis nunc oportere ea imitari, quæ Christus & S. Martyres, ac Confessores, passi sunt; quo major est mundi improbitas, & ad carnis desideria perficienda effrænis licentia.

Vitæ suæ c. 27.

12. Indicium quoquè est Divini Spiritûs, propriæ vocationi insistere, nec ad alia instituta divagari. Dicit enim Apostolus, debere unumquemquè in ea vocatione manere, in qua vocatus est. Et Ephrem ait: *In quo vocatus es opere, firma anchoras & funes, nè in pelagus tua navis impellatur.* Rursus Apostolus, *Obsecro vos,* inquit, *ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, soliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Quod si quisquè suo feratur impetu ad ea quibus subinde afficitur, non planè unitas erit, sed confusio. Spiritus Sanctus cuiquè statui suos limites præscripsit, quos transilire nefas est: Et Christus Dominus ad sua sequenda vestigia invitans ait; *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam:* Suam *inquit*, non alienam: secularis suam, religiosus suam; suam Princepis, suam item subditus; suam robustus, infirmus suam. Sicut quæquè arbor non alienum fructum, sed suum profert: ità clericus clericum agere debet, monachus monachum, nec unquam à proprio instituto deflectere, nisi fortè Spiritus S ad altiorem perfectionem aliquem vocet. Hæc autem motio subtiliter examinanda est, nè sub prætextu majoris boni per diversa temerè vagantes, omni vento circumferantur.

1. Cor. 7. 20.
Adhort. 4 to. 2.
Ephes. 4. l.

13. Pax & tranquillitas animi, pacisquè comes lætitia, & interna jucunditas, signa sunt Divini instinctus. Ubi tenebræ, ubi confusio & perturbatio, ibi DEUS non est, *quia factus est in pace locus ejus.* Veniens in mundum Salvator noster pacem nobis per Angelos nuntiavit; discessurus è mundo eandem nobis velut testamento reliquit dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Fructus Spiritûs ait Apostolus, *Gaudium, Charitas, Pax.* David quoquè canit: *Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS, quoniam loquetur pacem.* *Psal. 75.* *Joan. 17.* *Gal. 5.* *Psal. 85.*

III. REGULÆ

Bonorum motuum, à DEO, vel Natura.

I.

QUidquid naturam sapit, tametsi bonum in se sit, suspectum est. Cùm ergò impellimur ad aliquod bonum, si pars inferior illud appetit, ejus impetum coërcere debemus, eoquè cohibito ipsum bonum prius actibus intellectûs vel voluntatis aggredi gratiâ præcedente, & cominante. Nam si aliquo naturæ sensu bonum à DEO inspiratum permiscetur, puræ virtutis claritas eâ complacentiâ tanquam cæno coinquinatur. *Card. Bona de discr spir. c. 7.*

2. Nonnulli memores peccatorum suorum, vel acerbissimæ Christi passionis imbre, lachrymarum perfusi repente compungi solent, adeò ut etiam in semetipsos flagellis animadvertant: nonnulli etiam supernæ patriæ felicitatem considerantes subitâ quadam jucunditate affecti extra se rapiuntur: quæ omnia non DEI Spiritus, sed amor sui & propriæ mentis acumen, ac præceps quædam naturæ commotio operatur. Quod facilè ex hoc dignoscitur, quia cessante illâ commotione, impetuquè sedato frigidi remanent & aridi, ac in solita vitia relabuntur. Spiritûs autem Divini motio non est otiosa, sed magna operatur, ubi est. Unde sequitur, ex hac parte difficillimam esse spirituum cognitionem: multa enim quæ sunt naturalis instinctûs sæpe Divino, sæpe etiam diabolico tribuuntur. Debet ergo unusquisquè sedulò perscrutari cor suum, nè à proprio spiritu decipiatur, quem spiritum elationis Gregorius vocat. *Ibidem. C. 12.* *Lib. 7. mor. c. 3.*

vocat. Hoc autem consequi nemo potest, nisi superbiâ è corde expulsâ, sedem DEO in se præparet sui diffidentiâ & humilitate. *Neque enim receptaculum Spiritûs DEI quisquam efficitur*, ut idem Gregorius ait, *nisi spiritu suo primitùs evacuetur: nec requiescit Spiritus DEI, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones DEI.*

In Psal. ult. poenit.

3. Contingit aliquando, ut opus aliquod quis incipiat verè propter DEUM, ejusquè gloriam & honorem; sed quia natura seipsam semper occultè quærit, sensim & non advertenter Divini beneplaciti in progressu obliviscitur, suumquè commodum & delectationem quærit. Quod manifestè vel ex hoc apparet, quia si DEUS successum operis infirmitate, vel alio casu impediat, statim in anima perturbatio, turbidiquè motus excitantur adeò, ut ægrè Divinæ voluntati acquiescat. Pauci sunt qui perspectam omnino habeant malitiam naturalis instinctûs in subtilissima & occultissima sui quæsitione. Cùm enim omne bonum appetitui consonum sit, facilè ad nosipsos incurvamur, adeò ut etiam in intentionibus, quæ rectæ & divinæ nobis videntur, nos ipsos quæramus: quandoquidem id, quod placidum & commodum nobis est, magis allicit & afficit sensus & cor nostrum, idquè potiùs respicimus in cunctis operationibus nostris, quàm quod DEI est. Idem quoquè accidit in ipso studio mortificationis, cùm præsertim nimis anxium est: nam plerique sensus coërcent, affectus cohibent, carnem castigant, ab omni voluptate abstinent, specie quidem virtutis, sed revera ut videantur ab hominibus, vel ut quadam spirituali delectatione perfruantur. Qui gratiæ instinctu movetur, latere cupit: natura se prodit. Nec ipsi quidem ab hoc malo immunes sunt, qui lumine supernaturali abundant, ob frequentes considerationes, quibus ad seipsos insensibiliter convertuntur.

4. Ad orandum, ad bona opera exercenda sicut oportet, certissimum est nos indigere gratiâ DEI; sed certum quoquè est, posse nos sinè gratia actus virtutum exercere motivo humano, sive ex proprio amore, aut ex timore servili. Estquè in nobis tam exiguum lumen, ut certò distingvere non possi-

possimus ex quo principio operemur, Divinonè an humano, ex charitate an ex cupiditate? Optamus quidem sursum elevare cor nostrum, & ab omni conversione ad nos ipsos emundare; sed hoc ipsum desiderium interdum provenit ex aliquo nostro subtiliori & secretiori emolumento. Possumus enim desiderare ab omni nostro privato amore exui ob alium proprium amorem, possumus propter superbiam amare & optare humilitatem. Fit nimirum in nostris interius actionibus circulus imperceptibilis à nobis ad nos ipsos, semperquè manet subtilissima quædam nobisquè ignota radix philauciæ in corde, ità ut nonnunquam tunc maximè à Divinis rationibus remoti simus, cùm nos illis propiores arbitramur. Eliu Buzites apud *Job.* 23. Job à Spiritu S. se incitari credidit ad increpandum ipsum & amicos ejus, cùm tamen à solo impetu proprii cordis moveretur. Quare reprehensus à DEO fuit, cujus causam agere videbatur, his verbis: *Quis est iste involvens sententias sermonibus* *Job.* 38. 2. *imperitis?* Porrò huic similes multi sunt, qui credunt se obsequium præstare DEO, cùm eorum amor nihil aliud sit, quàm concupiscentia, privatiquè commodi studium. Si homo spiritualis, ut interdum contingit, aliquo sublimi lumine imbuatur, non facilè credendum est ab infusione gratiæ ipsum oriri, potest enim procedere vel ex naturali mentis acumine, vel ex usu meditandi, vel ex nuda rerum supernaturalium speculatione, jejunâ & arida manente voluntate, & omni rore gratiæ destitutâ. Sicut arbor non ex ramis & floribus, sed ex fructibus æstimatur; ità lumen ex operibus pensari debet, si hæc cum illo consentiunt. Tum solerter indagandum, an quidpiam lumini immisceatur obscurum, impertinens, & à principiis Christianæ perfectionis alienum. Nam ùt docet Richardus: *Cùm* *In Cant. Cap.* *aliquis ad aliquod bonum movetur, facilè & cum aliqua cordis levita-* 17. *te, timendum est, quòd hujusmodi levitas sit à carnalitate, maximè si aliquid ibi annexum sit, quod delectare humanitatem possit. Item suspecta est cordis alacritas, quando impellitur ad aliquid homo cum quadam vehementia & impatientia dilationis, quia Spiritus S. modestus est, & tranquillus, & temperati sunt motus ejus.* Rarus & difficilis est purus & verus amicitiæ amor erga DEUM absquè ulla sui

 conside-

consideratione. Si possent homines abscondi ab oculis DEI & mundi, pauci bonum operarentur, pauci abstinerent à malo.

5. Post lapsum turbari, contristari, & quasi desperare se posse proficere, ex occulta superbia, suique confidentia procedit. Humilis enim non miratur se labi, novit enim quòd sinè DEO nihil potest mortalis infirmitas, & ideo gratiæ ejus auxilium petens culpam suam corde contrito & tranquillo detestatur, & velociùs surgens cursum suum majori fervore prosequitur. Signum quoquè est humani spiritûs, cùm quis ita suis exercitiis, officiis, ministeriis tametsi bonis & sanctis adhæret, ut, si inde avocetur, & aliis à superioribus applicetur, in querelas & gemitus erumpat, dequè sua perfectione actum putet, ac si mediis ad eam requisitis privetur. Non quia revera ea magis idonea & efficacia ad ejus consecutionem sint, sed quia in his vitioso affectu quiescebat, in his seipsum oblectabat, privatum suum commodum non DEI gloriam intendens. Amat natura quæ pulchra, bona & perfecta sunt, sibiquè complacet in illis, atquè inde fit, ut in rebus, studiis & operationibus suis, etiam spiritualibus, omnem defectum oderit. Quodsi hujusmodi defectus animam cruciat & torquet, (excessivè) evidens est rei pulchræ & bonæ amorem ex natura procedere.

6. Movet humanus spiritus homines doctos cupidosquè scientiarum ad res Divinas & supernaturales discendas & investigandas, ut super alios emineant, & seipsos prædicent, ut curiositati satisfaciant. Hinc oriuntur verba magnifica, rara, & subtilia à multis prolata, & scripta, quorum fructus est pruritus aurium, non salus aut conversio proximorum. Hinc libri Philosophorum stylo sublimi de virtute compositi, utpote spiritu & vitâ destituti, mentem distrahunt & spargunt per multa phantasmata; nec voluntatem accendere possunt ad pietatem, ad charitatem, & unionem cum DEO. Sermo enim procedens ex instinctu naturæ, quamvis in se multa bona contineat, fructu tamen exiguus est, similis æri sonanti, & cymbalo tinnienti. Verba autem DEI Spiritu animata, licèt in se exigua & simplicissima sint, uberes fructus parturiunt. Solet etiam humanus spiritus facilè distrahi & effundi ad exteriora,

& bonarum cogitationum multitudine ac varietate delectari; atquè ita avertitur ab unitate, quæ summoperè expetenda & sola necessaria est.

IV. REGULÆ
Bonorum motuum à DEO.

I.

UBi Spiritus DEI, ibi libertas spiritûs à S. Francisco Salesio tantopere commendata reperitur. Hæc est autem libertas filiorum DEI, avulsio affectûs à cunctis rebus, quatenus mens libera & expedita DEI voluntatem in omnibus sequi semper parata sit. Homo præditus hac libertate non adhæret consolationibus, afflictiones autem eâ animi tranquillitate suffert, quam permittit mortalis infirmitas. Spiritualibus exercitiis non ità cor affigit; quin ea possit absquè mœstitia & anxietate liberè intermittere, justâ causâ necessitatis, charitatis, vel obedientiæ interveniente. Gaudio suo interno nunquam privatur: nam cor avulsum ab omni creatura, nullius rei privatione tristatur, sicut dicit scriptura: *Non contristabit justum, quicquid acciderit ei.* Recipit quidem spirituales consolationes, amat suas exercitationes: sed illis non servit, non hæret. Contristatur etiam aliquando sed ad modicum tempus; nam statim se intro recipit, ubi omnia pacata sunt.

Card. Bona de discret. spir. c. 8.
Lib. 1. Epist. 1.
Prov. 12. 21.

2. Gratia DEI ex se non destruit aut debilitat naturam, imò potiùs eam munit, confortat, & perficit: idem enim DEUS auctor naturæ est, & dator gratiæ. Quando igitur ægritudo aliqua aut lassitudo provenit ex his, quæ homo instinctu Divino operatur, non gratiæ effectus est, sed naturæ debilitas: quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam: nequè ideo putandum est, motionem illam non esse à Spiritu Sancto. Legimus enim, Danielem post visionem Angeli omni vigore destitutum fuisse. *Et non remansit*, ait ille, *in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium.* Nam ut observat Gregorius: *Cùm mens humana ultra se ad videndum ducitur, necesse est, ut hoc carneum vasculum, quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur.* Idquè non solum

Dan. 10. 8.
3. Dial. c. 24.

lum in visionibus beatorum Spirituum, sed etiam in divinis consolationibus contingit, quas interdum viri Sancti, cùm ex carnis infirmitate ferre non possent, clamabant: *Satis est Domine, satìs est.*

Card. Bona de discret. spir. c. 9.

Serm. 57. in Cant.

3. Satis jam de indiciis, quibus divinus Spiritus cognosci potest. Sed quo luculentior fiat iste tractatus, libet hìc cum S. Bernardo subtiliùs indagare, quâ solertiâ & quàm vigili oculo fidelis anima tempus observet visitationis suæ, per singula momenta diligenter explorans adventum Sponsi, ut cùm venerit & pulsaverit, confestim aperiat ei. Felix anima, quam veniens Dominus invenerit vigilantem. Visitabitur frequenter, audietquè ab eo vocem pacis, & salutis, vocem amoris & exultationis. Signa autem adventûs ejus, quæ mellifluus Pater tum proprio tum alieno experimento se didicisse fatetur, ista sunt.

1. *Primum est, suggestio bona.* Ait enim: Si admonitus fuero, „ vel foris ab homine vel intus à Spiritu de tuenda justitia & „ servanda æquitate, istiusmodi salutaris svasio erit mihi profe- „ ctò prænuntia imminentis adventus Sponsi, & præparatio „ quædam ad dignè suscipiendum supernum visitatorem, Pro- „ pheta id mihi indicante dicendo, quia *justitia ante eum ambu-* „ *labit*: & item loquitur DEO sic: *Justitia & judicium præpa-* „ *ratio sedis tuæ.* Nihilominus verò spes eadem arridebit, si ser- „ mo insonuerit de humilitate, vel patientia, seu etiam de fra- „ terna charitate, & obedientia deferenda Prælatis: maximè au- „ tem de sectanda sanctimonia, & pace, & cordis puritate „ quærenda, quoniam quidem scriptura ait: *Domum Domini de-* „ *cet sanctitudo*: & ; *Factus est in pace locus ejus*: & ; *Mundi corde* „ *DEUM videbunt* Quicquid itaquè sive de his, sive de aliis „ quibuslibet virtutibus suggestum animo fuerit, significatio „ erit mihi, visitationem Domini virtutum imminere animæ „ meæ.

2dum, *Correptio est*, nam sequitur. Sed etsi corripuerit me „ justus in misericordia, & increpaverit me, id ipsum sentiam, „ sciens quia æmulatio justi, & benevolentia iter faciunt ei qui „ ascendit super occasum. Bonus occasus, cùm ad correptionem

nem justi stat homo, & corruit vitium, & Dominus ascendit ,, super illud, conculcans hoc pedibus, & conterens nè resurgat. ,, Non ergo contemnenda increpatio justi, quæ ruina peccati, ,, cordis sanitas est, nec non & DEI via ad animam ,,

3. *Exhortatio.* Nec ullus omninò sermo qui ædificat ad ,, pietatem, ad virtutes, ad mores optimos, negligenter est au- ,, diendus, quoniam & illic iter quo ostenditur salutare DEI. ,, Quodsi sermo gratus venit & placidus, quatenùs pulso fasti- ,, dio cum desiderio audiatur: jam non modò venire Sponsus, ,, sed & accelerare, id est cum desiderio venire credendus est. ,, Illius namque desiderium tuum creat, & quod tu ejus pro- ,, peras sermonem admittere, inde est quod ipse festinat intrare; ,, non enim nos eum, *sed ipse prior dilexit nos.*

4. *Compunctio.* Si etiam ignitum eloquium sentis, atque ,, ex eo conscientiam uri in recordatione peccati, recordare tunc ,, de quo scriptura dicit, quia *ignis ante ipsum præcedet*, & ipsum ,, propè esse non dubites. Denique *juxta est Dominus his, qui tri-* ,, *bulato sunt corde.*

5. *Conversio.* Si verò non solùm compungeris in sermo- ,, ne illo, sed & converteris totus ad Dominum, jurans & statu- ,, ens custodire judicia justitiæ ejus: etiam adesse ipsum jam no- ,, veris, præsertim si te inardescere sentias amore ejus. Etenim ,, utrumque de illo legis; & ignem videlicet ante ipsum præce- ,, dere, & ipsum nihilominus ignem esse: Moyses siquidem de ,, illo dicit, quia ignis consumens est. Differunt autem, quòd ,, is qui præmittitur, ignis ardorem habet, sed non amorem. ,, Tantùm ad excitandum præmittitur & præparandum, simul- ,, que ad commovendum quid ex te sis, quò dulciùs sapiat post- ,, modum quod ex DEO mox eris. At verò ignis qui DEUS ,, est, ardet suaviter, desolatur feliciter. Ergò in virtute quâ ,, immutaris, & in amore quo inflammaris, Dominum præsen ,, tem intellige. ,,

6. *Dilatatio & illuminatio mentis.* Hoc igne consumptâ ,, omni labe peccati, & rubigine vitiorum, si jam emundatâ & ,, serenatâ conscientiâ, sequatur subita quædam atque insolita ,, latitudo mentis, & infusio luminis illuminantis intellectum, vel ,,

„ ad ſcientiam ſcripturarum, vel ad myſteriorum notitiam, „ quorum alterum propter nos oblectandos, alterum propter „ ædificandos proximos reor dari: oculus reſpicientis procul „ dubio eſt iſte quaſi lumen juſtitiam tuam, & judicium tuum „ tanquam meridiem, juxta illud Iſaiæ, *orietur tanquam ſol lux tua.*

7. *Inſinuatio divinæ voluntatis.* Poſt hunc tantæ dignatio- „ nis ac miſerationis reſpectum ſequitur mox blandè & leniter „ divinam inſinuans voluntatem, quæ non eſt aliud quàm ipſe „ amor, qui otioſus eſſe non poteſt, de his quæ DEI ſunt ſoli- „ citans & ſuadens. Denique audit ſponſa ut ſurgat, & prope- „ ret haud dubium quin ad animarum lucra. Hoc ſiquidem „ vera & caſta contemplatio habet, ut mentem quam divino „ igne vehementer ſuccenderit, tanto interdum repleat zelo & „ deſiderio acquirendi DEO, qui eum ſimiliter diligant, ut „ otium contemplationis pro ſtudio prædicationis libentiſſimè „ intermittat: & rurſum potita votis, aliquatenus in hac parte „ tantò ardentius redeat in idipſum, quantò ſe fructuoſiùs in- „ termiſiſſe meminerit; & item ſumpto contemplationis guſtu, „ valentiùs ad conquirenda lucra ſolitâ alacritate recurrat. *Hæc S. Bernardus*: qui deinceps deſcribit amantis animæ angorem inter actionis & contemplationis viciſſitudinem æſtuantis.

V. REGULÆ

Bonorum motuum ab Angelo.

Card. Bona de diſcr. ſpir. c. 10. INſtinctus Angelicus initio terrorem, in fine adfert conſolationem, initio Angelus abſcondit ſe, in fine ſe oſtendit & prodit. Patent hæc in hiſtoria Tobiæ, & in congreſſu Gabrielis cum beatiſſima Virgine MARIA. Nam Raphael ſe in fine rerum geſtarum Tobiæ manifeſtavit: & B. Virgo primùm turbata eſt in ſermone Angeli, deinde confortata reſpondit. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* De Angelica motione

Homil. 61. optimè Antiochus. *Juſtitiæ Angelus verecundiæ atque intemerati pudoris cupientiſſimus, manſuetus inſuper eſt & tranquillus. Hic ubi primùm ad cor hominis aſcenderit, cum eo mox ſermonem texit familiariter de juſtitia, de munditia, & caſtitate, de probitate morum, de frugalitate, ſive*

sive parsimonia victûs, de operatione quæ justa sit, denique de omni virtute gloriæ cælestis conciliatrice. Simul atque hæc cuncta ad cor hominis ascenderint, perspicuè sentitur præsentia Angeli justitiæ. Cùm igitur Angeli boni semper ad bonum excitent, eorum instinctus iisdem signis dignoscitur, quibus Divinum discerni ostensum est suprà. Observat autem S. Thomas, eum qui illuminatur, cognoscere quidem suam illuminationem ex parte rei quæ sibi manifestatur, sed non semper cognoscere se ab Angelo illuminari. Multa enim beneficia quæ occulta sunt, conferunt nobis Angeli sancti, illi præsertim, quorum tutelæ commissi sumus.

VI. REGULÆ
Bonorum Motuum à Natura.

HAbet humanus instinctus, in his quæ pertinent ad virtutem, comitem individuam prudentiam carnis; atque ideò plerique hominum vitæ mediocritate contenti ad gradum heroicum non aspirant, omnia enim seipsis metiuntur non potentiâ & efficaciâ divinæ gratiæ; & quia pati, dejici & contemni timent, divitias, honores, corporis incolumitatem, cunctaquè bona temporalia impensiùs amant, atque huc dirigunt quicquid agunt, quicquid loquuntur, quicquid meditantur. Se videlicet frui optant tanquam ultimo fine, & se statuentes tanquam idolum sui, intentionem à DEO ad seipsos deflectunt, quibusdam quasi præstigiis è sede mentis emoti, ut suis commodis obsequantur. Sicut charitas non quærit quæ sua sunt, ita noxius sui amor semper quærit quod suum est. Hic adeò pravæ ac penetrabilis potentiæ est, ut non solùm terrenis & temporalibus, sed cælestibus etiam & spiritualibus, se immisceat, veneno suo inficiens studium orationis, usum Sacramentorum, exercitationes virtutum: in quibus homines vel auram popularem captant, vel sanctitatis opinionem aucupantur, vel lumina à DEO obtinere, mollesquè spiritûs delitias atque animi jucunditatem intendunt. Ad ipsa quoque pœnitentiæ opera permanat hoc virus, nam sæpè post lapsum intimè dolet peccator & vindice pœnâ carnem castigat, non propter DEI offensam utì par esset, sed ob notam infamiæ, vel ob jacturam existimationis,

Card. Bona de discr. spir. c. 12.

mationis, quam apud homines subire formidat: vel quia saltèm coram se ipso vult innocens apparere: cùm autem in rebus caducis nulla requies inveniatur, tanta est in homine sui amante inconstantia, ut subinde studia & oblectamenta permutans, nec ipse quidem sciat quid velit, aut quid agat. Nunc in spem temerè erigitur, mox labitur in desperationem: nunc futili lætitiâ diffluit, mox mœrore conficitur. Modum scilicet non habet, nec medium tenet, semper in extremis. Similis est navi quæ vago cursu huc & illuc agitata sæpiùs ad saxa alliditur, ac tandem miserabili naufragio perit. Id enim docuit nos Dominus: *Qui amat animam suam, perdet eam.* Ad hunc unum perniciosissimum sui amorem dirigenda sunt, quæcunquè de humano instinctu dici possunt, quia ab illo omnis humana motio excitatur: quare ipsi eradicando omnis industria adhibenda, ut sint homines docibiles DEO, atque omnes humani affectus à DEI instinctu ad bonum impellantur.

VII. REGULÆ
Malorum motuum à Natura, vel Dæmone.

Card. Bona de disc. spir. c. 4.

Cum malæ cogitationes excitantur in mente, hinc agnoscere possumus unde trahant originem. Si enim incipiunt in imaginatione ex turpium rerum repræsentatione, postquam in carne pravus motus exurgat, ejus solet esse suggestio, cujus halitus prunas ardere facit. Si verò motus primitus excitatur in carne, & inde turpes subsequuntur cogitationes, mali initium à pravitate naturæ est, & à concupiscentia quæ regnat in mortali corpore. Hoc indicio vir sanctus & sanctorum prudentiâ plenus Philippus Nerius, non à carne, sed à diabolo emanâsse cognovit impuram quandam tentationem, quæ in ipso exorta est ad aspectum cujusdam pauperis, quem nudo corpore obvium habuit Romæ prope Amphitheatrum: erat enim malignus hostis, qui hominis specie se illi objecerat, ut refert Gallonius in ejus vita. Quia verò in omni tentatione potentissima orationis arma arripere oportet, quibus sathan vincitur & in fugam vertitur: si post longam & ferventem orationem pravi motus perseverant, non à dæmone eos esse, sed à natura probabile est.

VIII. REGULÆ
Malorum motuum à Dæmone.

Diabolici spiritûs nomine ille notatur instinctus, quo menti nostræ suggeritur, quod malum & vitiosum est, quod virtuti contrarium, quod alienum ab exemplis & doctrina Christi; cùm videlicet mens nostra à concupiscentia abstracta & illecta ad inobedientiam & prævaricationem Divinæ legis excitatur. Ideo timet Apostolus, *nè sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur sensus nostri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo:* nè videlicet ab illo decipiantur, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Hujus fraude mors introivit in orbem terrarum; è cælo enim in gehennam propter superbiam justè depulsus, cùm ad illas sedes beatas, quæ sibi suisquè sociis paratæ fuerant, destinatos homines vidit, hanc illis gloriam invidit, blandisquè suasionibus primos parentes nostros ad esum vetiti cibi inducens, in corporis & animæ interitum cum omni futura sobole præcipitavit: tum nos paternæ labis heredes non cessat quotidie occultis inspirationibus à virtutis semita avertere, & ad omne flagitium impellere, quo tandem incautos ad æternam secum pernitiem perducat. *Studiosiùs igitur,* inquit Bernardus, *consideremus quonam modo malignorum illorum spirituum suggestiones audire: imò quantâ indignatione abjicere debeamus, avertentes aures nostras, nè audiamus sangvinem, & sapientiam, quam revelat caro & sangvis: Parvulos quoque Babylonis, cogitatus scilicet mundanos, ab ipso initio tenentes & allidentes ad petram: ipsum etiam malignum cum tentationibus suis à conspectu cordis nostri abjicientes & deducentes ad nihilum.* Cùm autem sathanæ spiritus Divino contrarius sit, facilè ex his, quæ de hoc dicta sunt, dignosci posset, est enim, ut ait Plato, optimi & pessimi eadem ratio: sed quia vaferrimi ac fallacissimi hostis tot sunt astutiæ, & stratagemata, quibus nos decipere & supplantare conatur, ut vix possint enumerari, de his per se agendum est, ut quantùm fieri potest ab omnibus deprehendi & evitari queant. Gravissimum sane hoc onus est, mearumquè virium mensuram excedens; sed vires ac

Card. Bona de discret. spir. c. 11.

2. Corinth. 11.

Serm. de discret. spirit.

In Phædone.

fiduciam debili & ignaro præbuerunt Sancti Patres, qui sathanæ astutias non ignorantes ad ejus laqueos discernendos sequentia nobis documenta reliquerunt.

1. Non semper diabolus apertè aggreditur hominem, aut docens falsum, aut instigans ad malum: aliquando enim occultè insidiatur transfigurans se in Angelum lucis, & ad vitium sub specie boni fraudulenter impellit. Et ipsum quidem agnoscere, cùm nos palàm aggreditur, non est difficile; cuique enim vel imperito manifestæ se produnt falsæ atque iniquæ suggestiones. At ejus detegere imposturas, cùm sub specie boni insidias struit, cùm vitium pro virtute, malum pro bono dolosè ingerit: tunc enim vero difficillimum est. Multa & luctuosa quorundam exempla legimus, qui hoc astu miserrimè decepti

Cass. coll. 2. cap. 5. 7. & 8. sunt. Heroni Monacho persuasit, ut se in puteum præcipitem daret, affirmans eum pro merito virtutum & laborum suorum nulli posse discrimini subjacere. Alium induxit ad filium interficiendum, ut Abrahæ obedientiam æmularetur. Alius quoque ità diabolicis technis delusus est, ut ad Judaismum & circumcisionem lapsu miserabili fuerit devolutus. Valentem Eremitam crebris apparitionibus tantâ inflavit superbiâ, ut crederet se cum Angelis versari, ipsumquè sathanam sub Christi figura adoraverit. His autem malis nullum oportunius remedium, quàm quod præscribit Cassianus, & sæpè à nobis repetitum est: Ut videlicet, universa non solùm quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reserventur examini, ut nihil quis suo judicio credens illorum per omnia definitionibus acquiescat, & quid bonum, vel malum debeat judicare, eorum traditione cognoscat. Quæ institutio non solùm per veram discretionis viam recto tramite docebit incedere, verùm etiam à cunctis fraudibus & insidiis inimici servabit illæsum. Illico namque ut patefacta fuerit cogitatio maligna marcescit, & antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus velut è tenebroso ac subterraneo specu protractus ad lucem, & traductus quodammodo ac dehonestatus abscedit.

Pallad. c. 31. *Coll. 2. cap. 10.*

2. Viros spirituales sic solet sathan à studio virtutis avertere. Persuadet illis ut minima negligant, atquè ita paulatim decidant

decidant: tum variis occupationibus propriæ vocationi haud consentaneis incautos opprimit, & quasi à seipsis exules sensim ad aliena perducit. Deinde animam undique circuit & perlustrat, ejusquè propensiones observat, ut quâ parte debilior est, eam oppugnet. Rectè in hanc sententiam Leo Magnus: Non „ Non „ *Ser. 7. de Nativitat.* desinit hostis antiquus deceptionum laqueos ubique prætendere. Novit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ „ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus „ invidiæ. Novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, „ quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium „ discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus: & „ ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosiùs occupari.)) Sicut hostis, qui civitatem obsidet, minùs firmam murorum partem aggreditur, sic ille animam, qua parte debilior est fraudulentus invadit.

3. Instinctus diaboli initio securitatem affert, in fine diffidentiam Divini auxilii & desperationem. Quare oportet dolos ejus initio suggestionis deprehendere, & primis ejus conatibus forti animo resistere, nè socordiâ nostrâ audacior factus vincat & expugnet nos. Cùm sint autem duo genera hominum bonorum & malorum: bonis ea ingerit, quæ molestiam & scrupulos afferant; malis ea, quæ desinant in sensuum delectationem. Ad illos asperè & turbulenter ingreditur: ad hos placidè suaviter ac benignè. Ratio autem diversitatis ex diversa animæ dispositione colligitur. Animæ enim sibi contrariæ advenit spiritus cum strepitu, qui facilè cognosci potest:, ad eam verò, quàm sibi conformem reperit, placidè accedit, tanquam in propriam & apertam domum. Et hæc quidem initia pravarum suggestionum sunt, in progressu autem etiam iniquos, ad quos blandè ingressus est, turbat versutus hostis, ac veluti offusâ caligine obscurat, neque enim tranquillitas esse potest, ubi DEUS non est. Sic Judam proditorem ad Christi venditionem impulit, tum patrato immani flagitio ad extremam salutis desperationem, ac tandem ad restim adegit. Principiis igitur obstandum est, ut docet Augustinus. *Venit tibi in mentem nescio* *In ps. 103. Conc. 4.* *quid illicitum, noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire, hoc quod venit in*

nit in mentem, caput serpentis est, caput calca & evades cæteros motus. Quid est caput calca? Ipsam suggestionem contemne. Sed lucrum suggessit. Magnum ibi lucrum est, magnum ibi aurum est. Si hanc fraudem feceris, dives eris. Caput serpentis est, calca. Quid est calca? contemne quod suggessit. Sed magnum aurum suggessit. Et quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? *Pereat mundi lucrum, nè fiat animæ damnum. Hæc dicens observâsti caput serpentis & calcâsti. Ille autem diabolus calcaneum tuum observat. Quid est observat calcaneum tuum? Quando laberis à via DEI. Tu observas primam suggestionem, ille observat lapsum tuum. Si enim lapsus fueris, cades: si cecideris, possidebit. Ut autem non cadas, noli exire de via. Angustam tibi semitam stravit DEUS, quidquid extra illam est, lubricum est. Propterea lumen est Christus, & via est Christus. Si ab illo recesseris, nec in lumine eris, nec in via.*))

Job. 41. 12. 4. De diabolo sermonem habens B. Job. sub nomine Leviathan, ait. *Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus*
Lib. 33. moral. cap. ult. ,, *egreditur.* Quæ verba Gregorius magnus sic interpretatur, ,, Toties Leviathan prunas accendit, quoties ejus occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit. ,, Alios namque superbiæ, alios invidiæ, alios luxuriæ, alios avaritiæ facibus inflammat. Superbiæ quippe facem menti Evæ ,, supposuit, cùm hanc ad contemnenda verba Dominicæ jussionis instigavit; Invidiæ flammâ Cain animum succendit, cùm ,, de accepto fratris sacrificio doluit, & per hoc usque ad fratricidii facinus pervenit. Luxuriæ facibus cor Salomonis exussit, quem tanto mulieribus amore subdidit; ut usque ad idolorum venerationem deductus, dum carnis delectationem ,, sequeretur, Conditoris reverentiæ oblivisceretur. Avaritiæ ,, igne Achab animum concremavit, cùm eum ad appetendam ,, alienam vineam impatientibus desideriis impulit, & per hoc ,, usque ad reatum homicidii pertraxit.)) *Et flamma de ore ejus* ,, *egreditur.* Flamma oris ejus est ipsa instigatio occultæ locutionis: quia ardet in desideriis animus, cùm ejus suggestionibus instigatur. Concludit demum Gregorius, ut qui oris ejus flammâ affici non vult, ad orationis opem confugiat. Nam flammam suggestionum illius extinguit citiùs unda lachrymarum.

5. Dia-

5. Diabolus Rex ſuperborum cùm Chriſti hoſtis & adverſarius ſit, ad ea ſemper inſtigat, quæ Chriſti exemplis & doctrinæ contraria ſunt. Chriſtus enim ut Gregorius ait, *per Prophetam dicit*: Vita mea inferno appropinquavit: *diabolus dicit*: Super aſtra cæli exaltabo ſolium meum. *Chriſtus*, cùm in forma DEI eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem DEO, ſed ſeipſum exinanivit formam ſervi accipiens: *diabolus ait*: Aſcendam ſuper altitudinem nubium ſimilis ero Altisſimo. *Chriſtus ad ſputa, ad palmas, ad colaphos, ad ſpineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem veniens, membra ſua admonet dicens*: Si quis mihi miniſtrat me ſequatur.)) *diabolus verò nihil aliud mentes ſibi ſubditas docet, quàm celſitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore tranſcendere, ſocietatem omnium hominum altâ elatione tranſire, ac ſeſe contra potentiam Conditoris erigere, ſicut de eisdem apud Pſalmiſtam dicit.* Cogitaverunt & locuti ſunt nequitias, iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Hinc fit ut qui hujusmodi ſuggeſtionibus aures præbent, procaces ſint & tumidi, ſocios ſpernant, reprehenſiones ægrè ferant, mala ſua non videant, curationem reſpuant, & facilè cum omnibus rixentur.

Lib 34. moral. cap. ult. *Pſal. 87.* *Iſa. 14. 13.* *Phil. 2. 6.* *Iſa. 14. 14.* *Joan. 12. 26.* *Pſal. 72.*

6. Aliquando ſathan aliquem ad virtutem hortatur, ſed eum mox importunis ſuggeſtionibus adverſus illam excitat, multas difficultates objiciens, ut abjecta omni ſpe ejus conſequendæ otio ſe tradat, ſuæquè ſaluti diffidat. Sic ſæpè evenit B. Catharinæ Bononienſi, cui multoties in forma Chriſti crucifixi, & B. Virginis hoſtis apparuit, promptam & cœcam obedientiam valde commendans; tum plurima judicia contra præceptum ſuperioris, variaſquè tricas & nodos ſuggerens ſub ſpecie majoris boni. Illa autem à ſpiritu bono hæc eſſe, verasquè viſiones credens, in multos errores incidiſſet, niſi ſui diffidentiâ & humilitate, ſuiſquè cogitationibus ſuperiori ſemper patefactis periculum evaſiſſet. Hæc ipſamet de ſe narrat, *lib. de ſeptem armis.* Hanc diaboli fraudem ſic deſcribit Richardus. Dæmones interdum mala ſub ſpecie boni occultant, & ad quædam bona incitant, ut ad malum perducant. Falſa etiam devotione decipiunt, quia quasdam orationes & meditationes, dulcem affectum & lachrymas in anima producunt, ut vel mentem in er- *In Cont. c. 17.*

„ rorem vel elationem, vel corpus perducant ad debilitatem.
„ Malè quosdam de salute aliorum solicitant, quos incitant, &
„ accendunt ad conversionem, vel ædificationem aliorum longè
„ positorum, quatenus à quiete mentis & utilitate propria
„ eos dejiciant. Cùm itaquè aliquid nobis suggerit agendum,
„ perpendere debemus, utrùm aliqua sui parte indiscretio se
„ misceat, vel dolus inimici sese ingerat, si cum debito timore
„ & cautela fiat, si humana laus & ostentatio, si vanitas vel levi-
„ tas aliqua impellat.))

7. Hunc morem servat spiritus malignus, ut cognitis animæ bonis, sanctisquè desideriis, eis assentire, piasquè cogitationes fovere videatur: sed mox hominem occultè aggreditur, suisquè fallaciis miserrimè decipit. Nam sensim venenum infundit, & quem falso lumine imbuerat, tandem in tenebras horribiles conjicit. Diadochi sententia est, dæmonem interdum lumine quodam falso & apparenti animam afficere: *quæ quidem res* inquit, *multos fefellit.* Si quæ enim suavitas ex illo oritur sensus non excedit, mentemquè elevat in superbiam & sui æstimationem. Simili modo multa quandoquè vera suggerit, ut unum saltèm mendacium, quo decipiat, intermisceat. Hac arte Hæretici decepti sunt, & alios deceperunt teste Athanasio. *Hæretici* inquit, *sicut diabolus ipsorum pater, transformationem vultus ad speciem Angeli conformant, eamquè verborum indolem præseferunt, ut rectum sensum habere videantur, eumquè ubi persuaserint, eò miseros deducunt, ut diversa & aliena à Scripturis sentiant.*)) Plurimùm ergò juva-

Disput. 1. adv. Arianos.

„ bit ex fine, ad quem tendit, pravam ejus suggestionem de-
„ prehendere. Nam quando sensus corporis fallit, *ut docet Au-*
„ *gustinus*, mentem verò non movet à vera rectaquè sententia,
„ quâ quisque vitam fidelem gerit, nullum est in religione pe-
„ riculum. Vel cum se bonum fingens ea facit, quæ bonis An-
„ gelis congruunt, etiamsi credatur bonus, non est error Chri-
„ stianæ fidei periculosus aut morbidus. Cùm verò per hæc
„ aliena ad sua incipit ducere, tunc eum dignoscere, nec ire post
„ eum, magna & necessaria vigilantia est.

Enchir. ad Laur. cap. 60.

8. Qui spiritu malo aguntur leves sunt, inconstantes, turbidi, inquieti, vehementes, sinè maturitate, sinè circumspe-

ctione, nullius consilium admittunt, proprium judicium veterum Patrum institutis præponunt: diligunt laudantes se, increpantes odio habent, peccantibus indignantur, eosquè corrigunt cum impatientia & contumeliis, in rem sibi propositam impetu quodam præcipites ruunt, & in omnibus seipsos quærunt. De propriis defectibus interdum gloriantur quasi à DEO missis ad custodiam humilitatis, negligentes interim eorum emendationem. Post peccatum vel sibi blandiuntur, quia humanum est peccare: vel sibi irascuntur & miserè contabescunt, opem DEI non implorantes.

9. Videns dæmon voluntatem servientium DEO fortem esse & constantem in bono, intellectum aggreditur, sublimes cogitationes, altosquè sensus, & curiosos suggerens, ut iis occupati, falsò existiment se ad apicem perfectionis pervenisse, & in superbiam elati, cordis puritatem, atque studium mortificationis negligant, propriæquè sapientiæ velut idolum sibi colendum proponant, in cujus consideratione se suis cogitationibus adeò involvunt, ut aliorum consilia spernant, se illis non indigere judicantes. Hi difficillimè curari possunt, nam si oculus animæ cæcus est, totus homo tenebrosus erit. Debet itaquè si quis sibi sapiens videtur esse; stultus fieri ut sapiens sit. Et quia diabolus mentem sensim inficit à minimis incipiens, & ad majora progrediens, solerter curandum est, nè vel minima rimula illi pateat, per quam ad animam accedere possit.

10. Impugnare non cessat hostis & ad vitia incitare quovis tempore & occasione: sed si pravas suggestiones animo proficientis ingerere nequit, eas saltèm, quæ à DEO sunt, depravare conatur inanem gloriam & complacentiam excitando. Sæpè etiam commotis humoribus figuras horribiles excitat in imaginatione, & ad turpes actus inspiciendos compellit; sicut legimus contigisse S. Catharinæ Senensi: cui fœdos hominum mulierumquè congressus spectandos objiciebat. Accidit item aliquibus, ut ad execranda blasphemiæ verba ipsis invitis lingvam moveret, eosque quodam violento impetu ad desperationem provocaret. Aliquando autem à piis hominibus tentandis diu cessare consuevit, vel majus lucrum sperans ex tepiditate & ignavia,

quam intermissâ pugnæ exercitatione contrahunt: vel ut in otio securos & imparatos faciliùs aggrediatur & vincat. *Sicut docet Gregorius Magnus*: Sæpè inquit antiquus hostis, postquam „ menti nostræ tentationum certamen inflixerit: ab ipso suo „ certamine ad tempus recedit, non ut illatæ malitiæ finem præ„ beat, sed ut corda, quæ per quietem secura reddiderit, repen„ te rediens faciliùs inopinatus irrumpat.))

Lib. 3. moral. c. 16.

11. Cùm callidus hostis animam subvertere aliâ ratione non potest, eam saltèm conatur variis illusionibus decipere, sub specie virtutis & sanctitatis. Nam quia rebus spiritualibus honor, commodum, & delectatio annexa sunt, quosdam ita subvertit, ut per gratiæ motus quærant quæ sua sunt, non quæ JESU Christi. Alios metu laborum eò adducit, ut opera parvi faciant, satis esse dicentes promptum ac paratum animum habere; DEUM non opus sed voluntatem respicere, cùm revera vix languidum virtutis desiderium in illis sit. Alios è contrario in exterioribus exercitiis totos occupat, cum levi admodum studio interioris culturæ. Quosdam, quos nequit à virtutibus avocare, à præcipuis saltèm tanquam minùs necessariis avertit; vel certè contendit, ut in his perfunctoriè exerceantur. Excitat etiam in aliquibus imoderati ac indiscreti fervoris æstum, ita ut nec consilium requirant, nec ferant: quæ perversitas in illis perniciosior est, qui alterius obedientiæ ac directioni subditi sunt. Harum autem illusionum remedium est, singulos motus examinare, num quid lateat fraudis: tum omnes gratiæ instinctus in authorem DEUM statim referre, antequam proprii amoris labe inquinentur: sublimes demum elevationes, insolita lumina, intimas suavitates, nec petere nec desiderare; his enim aditus diabolicis fraudibus aperitur.

12. In his, qui DEO servire incipiunt, excitat dæmon ardens & indiscretum desiderium omnes ad DEUM convertendi, quam tentationem communem esse, multisquè causam irreparabilis ruinæ & experientia evincit, & docet S. Theresia. Nam cùm par esset ut eadem magistra monet, eos posthabitâ aliorum curâ sibi duntaxat incumbere, & sedulò attendere, quomodo oporteat ambulare & placere DEO: ipsi potiùs aliorum saluti procu-

Vitæ cap. 33.

procurandæ dant operam: cùm vix posſint in via virtutis greſsùs figere, per difficiles ſemitas ignari viarum alios ducere audent; eoſquè in altum tollere, cùm vix in imò conſiſtant. Certum quidem eſt, non eſſe malum errantium converſionem deſiderare, ſed illi incumbere & inſiſtere, poteſt eſſe malum, & ut plurimùm malum eſt, niſi magna cautio adhibeatur. *Stultus* ait Prov. c. 29. 11.
ſapiens, *profert totum ſpiritum ſuum, ſapiens differt & reſervat in poſterum.* Doctrina Bernardi eſt. *Nullum ad ſalutem pietatis gradum* Serm. 18. in
illi gradui anteponendum, quem ſapiens poſuit dicens. Miſerere animæ Cant.
tuæ placens DEO. *Quid ſi non habeo inquit, niſi parumper olei quo* Eccl. 30. 24.
ungar, putas tibi debeo dare & remanere inanis? Servo illud mihi & omnino niſi ad Prophetæ juſſionem non profero: ſi inſtiterint rogitantes reſpondebitur eis. Nè fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis. Et paucis interjectis ait. *Cæterum tu frater, cui firma ſatìs propria ſalus nondum eſt, cui charitas adhuc, aut nulla eſt, aut adeò tenera atque arundinea, quatenus omni flatui cedat, omni credat ſpiritui, omni vento circumferatur; tu inquam in propriis te ipſum ſentiens, quanam dementiâ, quæſo aliena curare aut ambis, aut acquieſcis?* Hæc & alia plura in hanc ſententiam ſanctus Doctor exhortans incipientem, nè feſtinet effundere nondum plenus, ſed exſpectet donec impleatur, & ſic communicet ſinè ſuo damno, quod ſibi ſuperabundat, charitas enim ſi plena non eſt, perfecta non eſt. Alia fraude non minùs pernitioſa quoſdam diabolus decipit, qui vix ingresſi viam perfectionis, ſcientes eos, qui ad apicem pervenerunt, inexplicabili ſuavitate perfrui, ea illecti repentino & temerario ſaltu ad altiora præſumunt aſcendere, nondum eradicatis pravis habitibus, nondum in virtute probati. Ajunt ad intimam cum DEO unionem aſpirandum eſſe, ſequè omnia peregiſſe arbitrantur, cùm de rebus ſublimioribus, grandiloquo ſermone diſſerunt, ac ſi in verbis, non in operibus perfectio ſita eſſet. Quid ſi repentè quidpiam moleſtum eis accidit, tunc ſerò cognoſcunt quàm remoti ſint à ſoliditate virtutis, ad quam nondum purgati irrumpere auſi ſunt, præſcriptos à ſanctis Patribus gradus tranſilientes.

13. Alii jam diu probati in ſpiritualibus exercitationibus, cùm cœperint guſtare quàm dulcis ſit Dominus, vanâ ſui confi-

dentiâ ac ſubtilisſimâ diaboli illuſione miſerrimè decepti, ſe periculis temerè exponunt, & cum ſpiritu cœperint neglectâ ſenſuum cuſtodiâ in carnem deſinunt dicentes: ſe omnia in DEO peragere, nec quicquam in rebus niſi DEUM reſpicere, ſed ad omnia indifferentes eſſe, ſe nihil diſcernere; ſe Divinâ diſpenſatione ab omni lege immunes eſſe: & ſic præcipites ruunt in nefandos ac turpisſimos errores Adamitarum, Gnoſticorum, & Illuminatorum. Atque utinam hoc ſeculum ſimilibus careret exemplis. Oritur hoc malum ex occulta ſuperbia, quâ inflati quidam ac velut ebrii ad primum gratiæ ſenſibilis guſtum in ſenſus impingunt & dilatantur, nec ſe continent intra limites ab Eccleſia & à legibus præſcriptos, ipſaquè jura naturæ transgresſi in peccata abominanda labuntur, eò etiam dementiæ fraude diabolicâ perducti, ut tegendis turpisſimis flagitiis Divinæ revelationis velamen obtendant. Juſti autem in ſpiritu humilitatis ambulantes, ac fidei lumine imbuti, intra terminos legis ac honeſtatis ſe continent, omni cuſtodiâ ſervantes cor ſuum, juſtaquè trutinâ probantes ſpiritus utrùm ex DEO ſunt.

14. Non ſolùm diabolicus ſolertisſimus & verſutisſimus humani generis hoſtis, hominum mentes ad malum incitat occultis ſuggeſtionibus, ſed etiam interdum corpus eorum obſidet, & ingreditur, ac in illis operatur; quos propterea Energumenos, Arreptitios, dæmoniacos, ſive obſeſſos, aut poſſeſſos à dæmone nuncupamus. Fit autem Energema ſive operatio dæmonis in homine dupliciter, ſpiritualiter vel corporaliter. Energema ſpirituale tunc fit, cùm mentem & cor hominis diabolus posſidet & in illis operatur, ut, cùm dicitur in Evangelio, intrâſſe in cor Judæ, ſuggerens illi ut Chriſtum traderet. Corporale autem vel fit extrinſecus per vexationes & moleſtias, quæ homini forinſecus inferuntur, vel fit intrinſecus, quando hominem invadit, intusquè vexat & exagitat. Ut ergo aliquis verè dicatur Energumenus, ſive Arreptitius, non ſatis eſt ut vexetur extrinſecus ſicut Job, & Antonius Abbas atque alii Sancti: ſed requiritur ut diabolus ſit in illo intimè præſens, ſicut motor in mobili, & in eo aliquid operetur. Eſſe autem revera quoſdam poſſeſſos à dæmone præter ſacras Literas & Eccleſiaſticam hi-

ſtoriam omnium Doctorum conſenſus, ac ipſa experientia evincit. Signa verò indicantia dæmonem in aliquo habitare, ex operationibus deſumuntur; Subſtantiæ enim ſpirituales, ut Theologi docent, in eo loco eſſe cenſentur, in quo operantur. Agreſtes ac ferini mores, vultus truculentus, clamores & ululatus, ſtupor membrorum, privatio vitalium operationum, inquietudo, & alia ejuſdem generis, ſunt ſigna æquivoca inhabitantis dæmonis, quæ levem tantùm generant ſuſpicionem. Vehementior oritur ex quibuſdam inſolitis actionibus, ut cùm quis in ignem dejicitur, vel in aquam, cum laqueo vel præcipitio vitam ſibi adimere tentat, cùm catenas præduras frangit, aut onera vires excedentia portat, cùm blaſphemias profert, ſacrarumquè rerum contactum horret. Signa autem univoca ac ferè certa ſunt, cùm quis linguâ peregrinâ loquitur quam nunquam didicit: cùm literarum atque artium ignarus legit, ſcribit, pingit, & ex arte cantat; aut de rebus altisſimis diſſerit, qui nunquam ſtuduit: cùm occulta revelat adeò ignota, ut nullâ induſtriâ vel ingenio humano ſciri posſint, ſive præterita ſint, ſive præſentia, ſive futura: cùm eodem temporis momento quo fiunt enuntiat, quæ facta ſunt in remotisſimis regionibus. Cùm juſſus recitare ſymbolum Apoſtolorum, vel petere veniam peccatorum, omninò renuit: cùm ceſſante vexatione, eorum, quæ dixit, non recordatur, aut de his interrogatus neſcit reſpondere. Plura de his alii: hæc pro meo inſtituto ſatìs ſunt.

15. Quia diabolus carnis & mundi ſatellitio uti ſolet, ut ſuggeſtionibus ſuis hominem ad malum impellat, pauca huic capiti de ſpiritu carnali & mundano adnectenda ſunt. Caro domeſticus hoſtis, quo carere non poſſumus, ſemper concupiſcit adverſus ſpiritum; mundus in quo vivere nos oportet, nos undiquè obſidet, ſuiſquè principiis, quæ ex parte diaboli ſunt, nos imbuere non ceſſat. Caro ſemper ſuggerit mollia, mundus vana; ſapientia carnis DEO inimica, nihil ſapit niſi delicias; prudentia mundi in quærendis divitiis & honoribus inceſſanter occupatur. Carnis deſideria ſunt infinita: mundi ſuperbia immenſa eſt. Spiritus carnis cogitationes ſuggerit de potu, de cibo, de ſomno, de ſenſuum voluptatibus. Spiritus mundi de arrogantia, de

tia, de jactantia, de opibus, de ambitione, de dignitatibus. Carnalis spiritus decipit interdum viros spirituales, carnalem in eis amorem erga aliquam personam excitans sub specie pietatis, & spiritualium institutionum. Hoc visco captæ animæ sanctæ, quæ jam libero volatu, per alta cælorum discurrebant, in laqueum perditionis pudendo lapsu ceciderunt, quod sæpè vidimus cum multorum scandalo, & ipsarum deplorabili ruina. Facilè autem discernitur carnalis amor, neque enim ignis abscondi potest, lumine qui semper proditur ipse suo. Et primò quidem indicium est carnalis amoris, pauca de DEO loqui, plura de se, & de mutua dilectione: seu mutuò laudare, invicem adulari, vitia & defectus excusare. Sequitur in alterius absentia inquietudo, & ex ea molestæ cogitationes: Ubi sit, quid agat, quando veniet, an alteri impendat affectum. His accedunt carnis blanditiæ, gestuum insolentia, solitarii secessus, occulta colloquia, atque alia ejusdem generis quæ scribere superfluum est. Sanctus verò & spiritualis amor nihil horum novit, pudicus est, modestiam servat, nugas odit, oculos continet & manus, angulos non quærit, pacem sectatur, arguit quos amat, orat pro amico, ipsumquè in DEO diligit, sive præsens sive absens sit, & se studet in omnibus irreprehensibilem exhibere. Spiritus verò hujus mundi, ex suis etiam operibus manifestum se facit. Nam ut Augustinus ait, *Lib. 50. homil. hom. 14.* Spiritus hujus mundi facit superbos, spiritus hujus mundi facit inflatos, spiritus hujus mundi facit ut putet se quisquè aliquid esse, cùm nihil sit.

REGULÆ

Probandi Spiritus ex parte Hominis, motum seu instinctum patientis.

PRima Regula est: Si quis prudentiam observet in suis actionibus, seu rationem habeat sexûs, ætatis, valetudinis, virium corporalium, complexionis, statûs, officii, circumstantiarum, loci, temporis, siquidem ordinariè loquendo aliqua competunt dona & gratiæ DEI viris, quæ non conveniunt mulieribus,

lieribus, ut v. g. prædicatio publica verbi DEI, adminiſtratio Sacramentorum &c. Ampliùs laboris, in virtute robuſtior ætas, valetudo ferre poteſt, quàm infirmior. Igitur illi ſunt inſtinctus divini, qui commenſurantur ſexui, ætati, viribus &c. Illi verò motus ſuſpecti, qui ſentiuntur extra vel ſupra ſphæram propriæ activitatis, niſi fortè quidpiam extraordinariè ordinaverit DEUS. Deinde Card. Bona inquit. Cùm quis ad aliquid operandum intus movetur, non ſolùm examinandæ ſunt actiones illæ ad quas incitatur, utrùm ſint bonæ & conformes mandatis DEI & Eccleſiæ; ſed etiam utrùm conveniant ſtatui ipſius & ordini, in quo poſitus eſt à DEO: an aliquam redoleant ſingularitatem, ſuperſtitionem, vel levitatem. Spiritus enim DEI ſolidus eſt, ejuſquè operatio lumini & gratiæ commenſuratur, quibus anima prædita eſt. Qui hunc ordinem temerè transgreditur, infinitis ſe periculis exponit. *Lib. de diſcr. ſpir. c. 7.*

Secunda Regula, eſt conformitas ad lumen & gratiam DEI ſibi datam. Non enim ſolùm reſpicere ſedulò oportet, an actiones ad quas homo impellitur ſint in ſe bonæ & conformes præceptis DEI & Eccleſiæ, ſed etiam an ſint conformes gratiæ & lumini, aliisquè divinis perceptionibus, quibus ille à Spiritu S. agitur & pertrahitur. An ordinem Divinæ circa ſe providentiæ viamquè ſibi præfixam conſtanter ac fideliter ſequatur, ſinè ullo reſpectu ad ſeipſum. An gratiæ à DEO acceptæ, atque ejuſdem efficaciæ actiones ejus conſentiant, ſitquè ſtabilis & immobilis in ſua vocatione. Diverſæ enim ſunt viæ, per quas DEUS non tam ducit, quàm trahit animas ad ſe. Si quis verò à ſemita ſua aberrat, in infinitos errores incidit. Perverſi ſpiritus indicium eſt, cùm mens infirma & invalida ad ardua, & excelſa DEO non trahente conſcendere nititur, cùm vix in imo conſiſtat. Ideo Apoſtolus ad Corinthios ſcribit; *Unusquisquè in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* Et ad Epheſios: *Obſecro vos ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, & patientia.* Quod ſi quis ad ſtatum ſublimiorem vocari ſeſe ſentiat, non deſit gratiæ DEI, ſed caveat illuſiones. *Card Bona de diſcr. ſpir. c. 5.* *1. Cor. 7. 20.* *Eph. 4. 1.*

Regula 3tia, eſt conveniens motivum ſeu intentio finis. Quippe actiones & verba non ſeipſis conſideranda ſunt, nec *Card. Bona de diſcr. ſpir. c. 7.*

referenda ad Sanctorum exempla, sed ad principium seu motivum, propter quod sic operatur & loquitur. Nam S. Martinus morti proximus dixit: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*: At hæc eadem verba proferre noluerunt sancti viri: Philippus Nerius, & Franciscus Salesius: ille motus charitate, isti humilitate. S. Francilcus stultum aliquando se finxit ut sperneretur: aliquando vestem osculandam porrexit, ut honoraretur, non ipse quidem sed DEus in ipso. S. Hilarion munditiem in cilicio non requirebat, quam S. Bernardus optavit & commendavit. Ut igitur rectum judicium feratur, disquirere oportet, quo spiritu quisque ducatur, cui principio innitatur, quodnam verborum & actionum proximum ac proprium motivum sit.

Card. Bona de disc. spir. c. 5. *Regula 4ta*, est fructus bonorum operum. Quia latentes cogitationes cordisquè secreta scrutari non possumus certius ac præcipuum internæ motionis principium ab operibus desumendum est, dicente Domino: *A fructibus eorum cognoscetis eos*. (Matth. 7.) Cujus dicti rationem reddens ait: *Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.* Igitur ex fructibus arbor, ex operibus homo cognoscitur. *Indicium mentis* inquit Chrysostomus, *operatio est hominis, quoniam factis ostenditur, quidquid cordis secreto concipitur.* (Homil. 2. in varia loca Matt.)

Card. Bona de disc. spir. c. 5. *Regula 5ta*, Humilitas, Simplicitas, Veritas, Sinceritas. Humilitas enim necessaria est, nè quis decipiatur, & ut omnia ad prudentem directorem deferantur. Ideo Christus admonuit nos, ut caveamus nè lumen quod in nobis est tenebræ fiant: hoc est, nè mens quæ obedientiâ & humilitate comitantibus pro lumine nobis est, superbiæ, propriiquè judicii tenebris, velut caligine offundatur. Monitum quoque Sapientis. *Nè innitaris prudentiæ tuæ.* (Prov. 3. 5.) Cassianus vitæ Spiritualis Magister eximius: *Nullo* inquit *alio vitio tam præcipitem diabolus Monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cùm neglectis consiliis Seniorum in suo judicio persuaserit ac definitione doctrinave confidere.* (Collat. 2.) Hoc documentum exactissimè observabat S. Abbas Dorotheus, qui de seipso sic scribit. „ Quando eram in cœnobio exponebam omnia seni Abbati „ Joanni. Nunquam enim præsumebam facere quidpiam abs- „ que illius sententia. Accidit aliquando ut cogitatio mea mihi

sugge-

ſuggereret: Nunquid tibi hoc dicturus eſt ſenex? Quid vis ipſi „ moleſtus eſſe? Et reponebam cogitationi, Anathema tibi, & „ judicio tuo & intelligentiæ tuæ, & prudentiæ tuæ, & ſcientiæ „ tuæ, quia id quod nôſti à dæmonibus nôſti. Abibam igitur „ & ſenem interrogabam, acciditquè nonnunquam, ut id ipſum „ mihi quod cogitaveram, reſponderet. Tum mihi mea ſug- „ gerebat cogitatio. Quid ergo? Ecce id ipſum eſt quod dixi. „ Et reponebam iſti cogitationi: ſed nunc bonum eſt, nunc à Spi- „ ritu Sancto eſt. Nam quod tuum eſt, id malum eſt, à dæmo- „ nibus eſt, à ſtatu pasſionibus obnoxio eſt. S. Tereſia, ut Luiſius Legionenſis in præfatione operum ejus teſtatur, timida & maximè circumſpecta in ſuis revelationibus eſſe ſolebat, vitamquè ſuam non ex his ſolis, ſed ex directione ſuperiorum, nè deciperetur, inſtituebat. *Et meritò* ut mellifluus Doctor ad Ogerium ſcribit, *quia qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit.* *Bern. Epiſt.* 87.

Signum eſt evidens Divini Spiritûs eas potisſimùm virtutes diligere & exercere, quæ Chriſti ſectatoribus maximè conveniunt, quales ſunt ſimplicitas, humilitas, veritas, atque ſinceritas; quæ mundi amatoribus incognitæ ſunt. Ego ſum Veritas dicit Dominus: & cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Quia ut exponit Gregorius: *De ſupernis myſteriis illorum mentes radio ſuæ viſitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obſcurat.* Ideò ſcriptum eſt. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelâſti ea parvulis.* Sunt hæc virtutes quaſi lapis Lydius, ad quem reliquæ probandæ ſunt. Quacunque enim prærogativâ patientiæ, continentiæ, manſuetudinis, modeſtiæ, pietatis, quiſpiam videtur excellere: ſi non eſt in eo veritas, & ſimplicitas, ſi ſe profert, ſi ſua extollit, ſi ſuo judicio pertinaciter inhæret, ſi quæ in verbis & factis ejus apparet duplicitas; reliquæ virtutes ſimulationes ſunt & illuſiones. Optimè iterum Gregorius: *Sapientia juſtorum eſt nîl per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera ut ſunt diligere, falſa devitare, bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare quàm facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam, lucrum putare. Sed hæc juſtorum ſimplicitas deridetur, quia ab hujus mundi ſapientibus fatuitas æſtimatur.* Si quis igitur erit, qui in omnibus juſtificationibus DEI corde ſimpliciter incedat, qui non ambulet

Card. Bona de diſc. ſpir. c. 8.

Paſto. p. 3. *adm.* 12.

Matt. 11. 25.

Lib. 10. *moral. c.* 16.

bulet in magnis neque in mirabilibus super se, neque sequatur adinventiones suas, hinc difficile est diabolicis illusionibus falli. Sicut enim rebellibus angelis, & primis parentibus nostris causa lapsûs fuit superbia; ità humilitas & simplicitas tutissima ad DEUM via est, divinique instinctûs certa probatio, quæ si in omni motione & operatione invenirentur, frustra ut ait

De dist. visionum signo 4. Gerson, alia signa multiplicarentur. Hac notâ Dominicus Bannez, insignis Theologus Spiritum S. Teresiæ agnovit, &

Initio operum S. Teresiæ. approbavit. *Ego* inquit *per multos annos ejus confessiones excepi, eamquè sæpiùs examinavi, semper me erga illam valde asperum & rigidum præbens: quò magis autem illam humiliabam & despiciebam, eò magis ipsa ad meum consilium petendum animabatur, ità se existimans tutiùs incedere. In nulla autem persona majorem animi sinceritatem, simplicitatem, & humilitatem observavi.*

Lib. de discr. spir. c. 4. *Regula 6ta,* est Obedientia. Hinc Card. Bona inquit. Cæterum nulla regula excogitari potest, quæ in aliquo singulari casu, aut non fallat, aut fallere non possit; præter eam quæ de sursum est, à Patre luminum descendens. Sed neque certâ demonstratione constare nobis potest, quòd S. Spiritûs magisterio

Joan. 3. 8. edocti bonum à malo, proprium ab alieno discernamus; quia *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut*

Job. 4. 12. *quo vadat.* Et Job ait. *Quasi furtivè suscepit auris mea venas susurrii*

Idem 9. 11. *ejus.* Et iterum: *Si venerit ad me, non videbo eum; si abjerit non in-*

1. Thess. 5. 19. *telligam.* Servanda itaquè præscripta ab Apostolo documenta. *Spiritum nolite extinguere: prophetiam nolite spernere: omnia autem probate, quod autem bonum est, tenete.* Hæc autem probatio tunc legitima esse censetur, cùm sedulum de re proposita examen instituitur; atque omnis motio ad superiorum & peritiorum

Gen. 37. judicium refertur. Sic cùm Joseph narrâsset patri somnia sua,

3. Reg. 19. increpavit eum pater, sed rem tacitus considerabat. Sic Helias non in turbine adesse Dominum, non in commotione, non in igne, sed in sibilo auræ tenuis, rem seriò examinans cognovit.

Luc. 1. Sic B. Virgo ab Angelo salutata, cogitabat qualis esset ista salu-

1. Reg. 3. tatio. Sic Samuel voce Domini audita ad Heli protinus cucurrit, ejusquè monitis obedivit. Sunt qui dicunt se alieno judicio non credere; quia de suo certi sunt, per occultam DEI reve-

latio-

lationem. Sed his respondendum est: Posse hominem decipi, cùm sibi credit; si autem credit superiori, aut consulit peritiores, errare non potest. Respicit enim DEUS animam humilem, & si revelatio vera est, nunquam permittet ut alterius judicio elidatur.

Licèt discretio in ferendo judicio de his, quæ in alio fiunt minùs certa videatur, quàm de his quæ judicans in seipso experitur; quia tamen affectus ad res proprias mentem à recto facilè abducit, tutiùs est ab alio potiùs, quàm à se ipso probari spiritus, omnemquè instinctum ad prudentem directorem referre. *Card. Bona de discr. spir. c. 5.*

Instinctus DEI animam docilem facit, aliorumquè sententiæ & consiliis seniorum præsertim & superiorum acquiescentem: sicut legimus apud Isaiam: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii.* In qua sententia juxta Bernardi expositionem, voluntariæ habemus obediētiæ formam, & longanimitatis exemplum. Qui enim non contradicit spontaneus est; & qui retro non abit, perseverat. Neque obstat, quòd qui docent & dirigunt, aliquando minùs docti & inprudentes sint; nam ut ait Climacus: *DEUS non est iniquus, ut animas quæ per fidem & simplicitatem alterius se consilio & judicio humiliter subiiciunt, decipi patiatur.* *Idem de discr. spir. c. 8.* *Isaiæ 50. 5.* *Serm. 28. in Cant.* *Gradu 26.*

Accidit aliquando ut Sanctis & Divinis inspirationibus, vel vitio naturæ vel fraude dæmonis errores, & vitia immisceantur, sicut ratio sub veris principiis efformat nonnunquam falsas assumptiones. Hujus rei exemplum habemus in sacris literis: Fidem enim & devotionem Jephte, ex impulsu Spiritûs Sancti fuisse asserit Augustinus; non autem votum de filiæ immolatione. Veram quoque fuisse Eliphas Temanitis revelationem, Gregorius papa & alii testantur, sed eâ abusus est adversus Job arguens eum iniquitatis. Multorum quoque deplorandos casus narrat Cassianus, qui post longam & laboriosam eremi exercitationem, ob fervorem indiscretum miserrimè lapsi sunt. Ex quibus sapientissimè infert, cunctas animi cogitationes seniorum examini atque judicio subiiciendas esse, illorumquè definitionibus acquiescendum. *Card. Bona de discr. spir. c. 8.* *Judic. 11.* *Qu. 49. in Judic.* *Job. 4. 12.* *Collat. 2.*

REGULÆ

Probandi Spiritus ex parte materiæ, circa quam fit instinctus vel motus.

AD dignoscendos spiritus duplicis classis Regulæ proponuntur, propter duplicis generis materiam, quæ alia est *certa, alia dubia.*

REGULÆ

Motuum Spiritûs circa certam materiam.

PRimò. *Regulæ sunt.* Divinum esse Spiritum adeoque sequendum, quando materia circa quam fit instinctus manifestè apparet esse bona, qualia sunt: Præcepta DEI & Ecclesiæ, imitatio Christi. Unde Card. Bona citato S. Bernardo ait: Est igitur teste Bernardo prima & infallibilis regula, quòd omnis bona cogitatio, omnis ad bonum instinctus à DEO est, nam ut ait Augustinus: Quidquid bonum est, non nisi ab illo nobis est qui summè & incommutabiliter bonus est. Rationem affert Prosper dicens: *Quia cùm nemo sit bonus nisi solus DEUS, quale erit bonum quod authorem non habet bonum?* Ex nobis vero teste Apostolo, non sumus sufficientes aliquid cogitare tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est, qui omnem boni sufficientiam benignè nobis subministrat.

De discr. spir. c. 4.

Lib. 2 ad Bonif. c. 9.

Adv. Collat. c. 26.

2. Corint. 3. 5.

Divini instinctus signum est excitatio animæ ad pœnitentiam, & ad veram contritionem, quando anima repente succenditur, atque adeò mutatur ut dici possit. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Quando inquam torpor, pusillanimitas, perplexitas, subitò repelluntur, & alacritas & promptitudo & jucunditas oriuntur. Hæc enim omnia non nisi à sancto Spiritu esse possunt, Appositè Bernardus. *Quæ Spiritus S. operatur in nobis, testimonium perhibent de eo. Initium revertendi ad Deum poenitentia est, quam sinè dubio Spiritus operatur, non noster sed DEI: idque & certa ratio docet, & confirmat authoritas. Quis enim cùm ad ignem venerit algens & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne venisse calorem, quem habere non poterat*

Card. Bona de discr. spir. c. 6.

Ser. 1. Pent.

sine

finè illo? Sic ergò qui prius erat iniquitate frigidus, si postmodum fervore quo cum poenitentiæ accendatur, alium sibi Spiritum, qui suum arguit & dijudicat, non dubitet advenisse.

Cùm ex peccato originali ad sensuum delectationem proni simus; ille bonus censetur instinctus, qui à voluptatibus retrahit, & ad laborem ad crucem trahit. Vox Apostolica est perfecti Christi amatoris; *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis, pro Christo. Grata ignominia crucis ei, qui Crucifixo ingratus non est,* inquit Bernardus. *Card. Bona de discr. spir. c. 6.* *2. Cor. 12. 20.* *Serm. 25. in Cant.*

Nulla certior nota Divini Spiritus quàm dilectio, ut rectè docet Augustinus: *Cognoscimus* inquit *quia habitat in nobis. Et hoc ipsum unde cognoscimus? quia de Spiritù Sancto dedit nobis? Unde scimus quia de Spiritù suo dedit nobis? Interroga viscera tua. Si plena sunt charitate, habes Spiritum DEI.* Idem alibi. *Qui non diligunt, si linguas hominum loquantur & Angelorum, fiunt æramentum sonans & cymbalum tinniens. Et si habuerint prophetiam, & scierint omnia Sacramenta & omnem scientiam, & habuerint omnem fidem ut montes transferant, nihil sunt. Et si distribuerint omnem substantiam suam, & tradiderint corpus suum, & ardeant, nihil eis prodest. Dilectio Sanctos discernit à mundo.* *Tract. 8. in Epist. 1. Joan.* *Tract. 76. in Joan.* *1. Cor. 13.*

Spiritus DEI ad Christi sequelam excitat & ad virtutum ejus imitationem. Cùm enim Christus non solùm Redemptor noster sed & doctor ac dux sit, vita ejus & virtutes propositæ, nobis sunt velut exemplar & idea totius perfectionis & sanctitatis. *Discite à me,* ait ille, *quia mitis sum & humilis corde.* Et iterum: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Ipse est via veritas & vita: & qui dicit se in illo manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare.* Non ergò dubitandum est, quin à Divino Spiritu excitetur, qui ad sectanda Christi vestigia impellitur. *Card Bona de disc. spir. c. 8.* *Matt. 11. 29.* *Joan. 13. 15.* *Joan. 14. 6.*

Quia patientia opus perfectum habet, & nos Christo qui pro nobis crucem sustinuit, similes efficit: boni instinctus indicium est cupiditas multa patiendi, animusquè paratus ad quæcunque mala fortiter toleranda. Hic impulsus nec à diabolo, nec à propria natura esse potest. Acutè ut solet Tertulianus: Patientia ita proposita DEI rebus est, ut nullum præceptum „ obire quis, nullum opus Domino complacitum perpetrare ex- „ *Card. Bona. de discr. spir. c. 8.* *Lib. de patien. c. 1. & 3.*

traneus

„ traneus à patientia possit. *Et infrà.* Christus saginari vo-
„ luptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verbera-
„ tur, deridetur, Fœdis vestitur, Fœdioribus coronatur. Mira
„ æquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat la-
„ tere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel ma-
„ ximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis. Patientiam
„ hujusmodi nemo hominum perpetraret.

Card. Bona de discr. spir. c. 8. Argumenta Divini Spiritûs sunt: Nihil à DEO nominatim petere, nisi ejus impulsu ad illud petendum moveamur. Hoc autem postulare oportet, ut doceat nos petere, quæ ipsi grata & nobis salubria sunt, voluntatem nostram Divinæ subiicientes, quoniam ipsi cura est de nobis. Deinde in proposito virtutis constanter perseverare, propriam infirmitatem suspectam semper habere, & propter labendi periculum cum ingenti erga DEUM fiducia continuo timore percelli. *Eccl. 9. 1.* *Nescit enim homo utrùm amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* Nullam item habere opinionem, quæ sacræ scripturæ consentanea non sit, ipsa siquidem est regula certa Divinorum instinctuum, & à placitis Sanctorum Patrum, atque à communi Doctorum Orthodoxorum sensu nusquam discedere, nam super illos extolli intolerabilis superbiæ foret. *Hom. 120.* S. Abbas Antiochus: Argumentum, inquit, evidens est quòd quis Spiritum Sanctum habeat, si mansuetus & quietus sit, si de se quàm modestissimè sentiat, si sibi temperet ab omni vana cupiditate hujus seculi, sequè ipsum cæteris hominibus multò æstimet interiorem. Denique sapienter Tertulianus scribit: *De præscrip. c. 43.* Ubi DEUS est, ibi metus in DEUM, qui est initium sapientiæ. Ubi metus in DEUm, ibi gravitas honesta, & diligentia attonita, & cura solicita, & dilectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio devota, & processio modesta, & Ecclesia unita, & DEI omnia.

2do. Regulæ sunt. Instinctum à maligno spiritu oriri qui versatur circa materiam moraliter malam, eaquè ut talis certò apparet. Unde ad instar ignis in sinum cadentis ejusmodi instinctus mox est excutiendus, nec disquirendum an ab humano vel diabolico veniat spiritu. *Card. Bona de discr. spir. c. 5.* Hinc Card. Bona ait: Mala co-

gitatio

gitatio ex nobis est, sed non semper. Est enim aliquod malum, quod corde quidem sentitur, non tamen exit de corde, sicut nostra cogitatio, sed immittitur à contrariis potestatibus, quale fuit quod Diabolus in cor Iudæ misisse legitur, ut traderet Dominum, clandestinis avaritiæ facibus miserum accendendo. Quamvis autem immissiones istas per Angelos malos à cogitationibus sinè affectionibus, quæ ex nobis oriuntur, indubitanter discernere non valeamus, ut ex allata Bernardi sententia constat, non desunt probabilia quædam signa & conjecturæ, quibus illæ ab istis secernuntur.

Si motus pravus est nihil prorsus refert discutere & scire, sitnè à proprio vel à maligno Spiritu: vigilandum potiùs & orandum, nè consensum illi præbeamus, undecunque proveniat. Bono autem instinctui, qui DEI solius est, obedire statim oportet satagendo, nè in vacuum gratiam DEI recipiamus. *Card. Bona de discr. spir. c. 4.*

Cùm aliqua suggestio mentem perturbat, labor inutilis est, in ea discutienda tunc immorari, multis enim & inextricabilibus difficultatibus involutus animus vix se poterit ab earum molestia expedire. *Idem. c. 5.*

Diabolici Spiritûs nomine ille notatur instinctus, quo menti nostræ suggeritur quod malum & vitiosum est, quòd virtuti contrarium, quod alienum ab exemplis & Doctrina Christi, cùm videlicet mens nostra à concupiscentia abstracta, & illecta ad inobedientiam, & prævaricationem divinæ legis excitatur. Ideo timet Apostolus: *Nè sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ, itâ corrumpantur sensus nostri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.* Nè videlicet ab illo decipiamur, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Cùm autem sathanæ spiritus Divino contrarius sit, facilè ex his, quæ de hoc dicta sunt dignosci posset, est enim, ut ait Plato: Optimi & pessimi eadem ratio. *Idem c. 11.* *2. Cor. 11. 3.* *Idem ibidem.* *In Phædone.*

REGULÆ
Motuum Spiritús in dubia materia,

PRimò, *Regulæ quoad Regimen animarum* à Card. Bona hæ proponuntur: Anceps est omnis impulsus & non nisi cum ti- *Card. Bona de discr. spir. c. 7.*

more & tremore admittendus, quo quis ad regimen incitatur. Ut verò periculum evadat, & introitus ad dignitates securus sit, acceptandæ illæ non sunt, nisi ex speciali DEI revelatione, aut ex obedientia, cui resisti non possit, aut ex consilio viri sancti & prudentis, cui benè perspecta sint illius status discrimina.

Ibidem c. 7. 2do. *Regulæ circa vitam singularem & insolitam* à Card Bona sic proponuntur. Suspectus est impulsus, quo quis movetur ad vitam singularem, & ad actiones insolitas, & inusitatas. Nihil enim frequentiùs damnant sancti Patres, in his præsertim, qui vitam religiosam profitentur, quàm singularitatem. Pater Monachorum octavum humilitatis gradum in hoc constituit: *si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla.* Antiquorum item Monachorum unanimi consensu apud Cassianum sancitum fuit. Vitam singularem noxiam esse, magisquè speciem vanitatis quàm virtutis ostentare. Ratio autem desumitur primò à suavitate Divinæ providentiæ, quæ viam communem instituit, pro salute omnium, quos salvare decrevit, ducitquè omnes, ut plurimùm per iter planum, rectum, & usitatum. Secundò à malitia diaboli, quæ ad res novas, curiosas, & inusitatas instigat, quæ admirationem afferant, sanctitatis opinionem concilient, facitquè transgredi terminos quos posuerunt sancti Patres nostri, ut à solidis virtutibus removeat, & inducat in vanitatem. Tertiò ex pravitate naturæ nostræ, quæ peculiaribus exercitiis, supra reliquos appetit apparere, & non esse sicut cæteri hominum. Quartò ex conditione ipsarum rerum singularium, quæ cùm raræ sint, minùs cognoscuntur, & illusionibus ac deceptionibus subjectæ sunt. Sed quia ex sacris literis & experientia constat, Spiritum DEI movere nonnunquam ad hujusmodi res mirabiles, quæ communem operandi rationem excedunt, non statim talis instinctus damnandus est. Sic præcepit Abrahæ ut filium immolaret: Isaiæ ut nudus per vicos, per plateas civitatis ambularet: Eliæ inspiravit, ut ignem è cælo peteret, quo quinquaginta viri consumpti sunt. Quosdam Martyres impulit, ut pro fide tuenda se in ardentem rogum conjicerent. Danielem & Simeonem stylites ad vitam in columna degendam, & alios multos ad singularia

S. Bened. Reg. c. 7.

ib. l. instit. c. 3.

laria quædam patranda incitavit, quæ admirari oportet, non imitari. Talem verò impulſum ad opera mirabilia & non conſueta, tunc eſſe à DEO cognoſcemus, ſi vocatus ad illa excellenti ſanctitate emineat: ſemper enim tendit hujusmodi motio ad raram ſanctitatem efficiendam, & ad virtutes internas in gradu heroico. Si omnia adverſa patientisſimè toleret: quia in patientia & tolerantia verus chriſtianitatis ſpiritus conſiſtit, & præcipuus ejus actus eſt veterem hominem crucifigere, & ad nihilum redigere. Modus item examinandus eſt, quo quis impellitur ad opera grandia, & excelſa: eſt enim aliquando ita vehemens & efficax; ut cor & mentem fortiter trahat & rapiat, cujus rei luculentum extat exemplum, in Apoſtoli Pauli converſione. Deinde cùm impulſus à DEO eſt, pacem & tranquillitatem cordis conſervat: quia factus eſt in pace locus ejus. Nemini autem ad hæc opera eximia & inuſitata aſpirare licet, niſi in ſe teſtimonium Spiritûs Sancti vocantis, & trahentis, atque intus docentis, quòd à DEO certisſimè incitetur, habeat. Ut tandem de anima ſic mota rectum feratur judicium, cognoſcere oportet, ubi habitet lux gratiæ, ut ait Job, & per quam viam ſpargitur: *Job. 38.* quod ſinè Spiritu DEI fieri nequit, quem nemo habet, niſi qui DEUM posſideat, & à DEO posſideatur. Quia verò hoc donum in paucis reperitur, cavendum eſt, nè quis temerè ſententiam proferat, de via peculiari, per quam ſpiritus aliquem ſingulariter dilectum trahit ad ſe. Adoranda potiùs judicia DEI, quorum abyſſus immenſa eſt: ſummisquè precibus ab eo petendum, ut det Spiritum bonum, nam Spiritus omnia ſcrutatur etiam profunda DEI. Rectè Gregorius; „Lux in hac vita ſpargitur, quia ad omnis rei intelligentiam continua non habetur. „ *Lib. 29. moral. c. 12.* Dum enim aliud ſicut eſt deprehendimus, & aliud ignoramus, „ quaſi ſparſa luce, & ex parte cernimus, & in obſcuritate ex „ parte remanemus. Tunc verò lux nobis ſparſa jam non erit, „ quando mens noſtra ad DEUM funditus rapta fulgeſcet. „

Qui DEI Spiritu aguntur, quoddam habent experimentum Divinæ erga ſe providentiæ, ſibiquè à DEO tantum imponi pondus intelligunt, quantum eſt virium ad perferendum. *Ibidem.* At qui ſpem collocant in ſuis viribus, quod procul dubio vel à

proprio vel à maligno ſpiritu procedit, majorem viribus con-
1. Cor. 10. 13. flictum experiuntur. Fidelis ſiquidem DEUS eſt, qui non patitur nos tentari ultra id, quod poſſumus, ſed facit cum tentatione proventum, ut poſſimus ſuſtinere. Explicat hoc aptisſi-
Tract. de patient. tom. I. „ mâ ſimilitudine S. Ephrem: Si homines exiguo intellectu ac „ mente prædiri probare ac diſcernere nôrunt, quantum pondus „ atquè onus ſingula ferre queant animalia, velut mulus & ca- „ melus, tantumquè addunt oneris, quantùm vires tolerant: „ quantò magis DEUS, qui incomprehenſibilis atque ineffabi- „ lis ſcientiâ & intellectu, totusquè ſapientiâ plenus, novit quan- „ tis probationibus & tentationibus indigeant animæ ipſi placere volentes? Qui verò nimis in ſe confidunt, cadere, & vinci permituntur ut diſcant non altùm ſapere, ſed timere.

Card. Bona. de diſcr. ſpir. c. 8. 3tiò. *Regulæ in caſtigando corpore* juxta Card. Bona ante omnia tenendæ. *Nè quid nimis.* Nam DEI Spiritus modum ſervat, & diſcretionis metas non excedit. *Sapientia eſt DEUS* ait
Ser. 20. in Cant. Bernardus, *& vult ſe amari non ſolùm dulciter, ſed & ſapienter.* Unde Apoſtolus *Rationabile*, inquit, *obſequium veſtrum: alioquin facillimè zelo tuo ſpiritus illudet erroris, ſi ſcientiam negligas.* Eandem moderationem commendat Gregorius dicens: *Sic neceſſe eſt, ut artem quisque continentiæ teneat, quatenus non carnem, ſed vitia carnis occidat: Nam plerumque dum plus juſto caro reſtringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoque vel prædicationem non ſufficiat; dum incentiva vitiorum in ſe funditùs ſuffocare feſtinat. Adjutorem quippe habemus intentionis internæ hunc hominem quem exteriùs geſtamus, & ipſi inſunt motus laſciviæ, ipſi affectus ſuppetunt operationis bonæ. Sæpe verò dum in illo hoſtem inſequimur etiam civem quem diligimus, trucidamus: & ſæpe dum concivi, parcimus, ad prœlium hoſtem nutrimus.*

Card. Bona de diſcr. ſpir. c. 7. 4tò. *Regulæ ſunt circa lachrymas,* quas affert Card. Bona dicens: Cùm varia ſint genera lachrymarum, variiquè fontes un-
Collat. 9. c. 28. de promuntur, ſicut Casſianus, & Climacus aliiquè Patres aſſe-
ſerm. 7. verant: non exigua pars prudentiæ Spiritualis eſt ſcire & diſcernere quodnam ſit earum principium, quis finis & à quo excitentur. Primò enim ex tenera & molli natura profluere poſſunt, quæ cùm facilè moveatur ad commiſerationem ſtatim in-

lacrymas

lachrymas ſolvitur, quoties ſibi triſte aut miſerabile occurit. Naſci poſſunt 2do aſtu dæmonis, qui commovet humores & cor eorum emollit; qui teneræ complexionis ſunt, tametſi peccatores ſint, ut ſpecie ſanctitatis alios decipiant, & ipſi decipiantur; licèt eorum fletum non ſcelerum deteſtatio, ſed damna temporalia, & ignominia, quæ ex iis oriuntur, extorqueant. Talis fuit planctus & ejulatus Eſau. De quo ait Apoſtolus: quòd non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisîſſet eam: non enim flebat peccata ſua, qui necem Fratri ſuo moliebatur, ſed quia jus progenitorum ignominiosâ venditione prodegerat, nec potuit recuperare. Tertiò movet ad lachrymas Spiritus Sanctus, qui poſtulare nos facit gemitibus inenarrabilibus, & hoc eſt donum lachrymarum à ſanctis Patribus tantopere commendatum: quod à DEO petendum eſt, ut virgâ virtutis ſuæ percutiat ſilicem cordis noſtri, & educat ex eo aquas, quibus mergantur delicta noſtra. Hujus fletus ſalutaris Gregorius Magnus duo tantùm genera ſtatuit, unum ex timore, alterum ex amore procedens. At Bernardus tria genera recenſet, devotionis, pœnitentiæ, & fraternæ compasſionis. Lachrymarum, quæ à natura procedunt, ratio nulla habenda eſt, nam ut plurimùm ſteriles ſunt & citò areſcunt. Quæ verò à dæmone excitantur eò tendunt, ut hypocriſim & ſuperbiam ac tandem ad extremam pernitiem inducant. Peccatoribus autem flendi facilitate illudunt, ut inde noxio errore inferant, non defuturam ſibi in poſtrema vitæ clauſula contritionem. Vidi aliquando hominem in malo obduratum, è cujus oculis copioſisſimæ lachrymæ effluebant, cùm de imminente ſibi æternæ damnationis periculo diſſerentem audiret ob apprehenſionem videlicet ſui pesſimi ſtatûs, in quo tamen nullum erat propoſitum abſtinendi à malis, quæ deflebat. Cavendum igitur eſt, nè plus momenti in ipſis lachrymis ponatur, quàm in eorum motivo, quod præcipuè attendi debet. Etſi quidem DEUS hoc irriguum alicui dederit, ſegregans pluviam voluntariam hereditati ſuæ, utatur ſanè DEI dono cum gratiarum actione; ſed meminerit omne ſacrificium ſale diſcretionis condiendum eſſe, viteтquè duo extrema, alterum complacentiæ, & arrogantiæ, nè ſibi in lachrymis nimis complaceat, aut extollatur, nevè illis ſanctitatem ſuam, & profe-

Hebr. 12. 17.

Lib. 3. Dialog. c. 34.

Serm. 3. de Epiph.

profectum Spiritualem metiatur: alterum pusillanimitatis & diffidentiæ, nè fortè putet actum esse de salute sua & perfectione sua, si illæ desint. Ubertas lachrymarum neminem sanctum facit, nec inopia peccatorem.

Card. Bona de discr. spir. c. 7. 5to. *Regulæ de Unione cum DEO habenda*, apud Card. Bona, qui ait: Divinæ operationes in anima, & interna jucunditas ex illis procedens diuturnæ non sunt: quia mens luminis claritate reverberata ad semetipsam revocatur, & ad infirmitatis suæ tenebras fracta relabitur. Idcirco suspectus est illorum spiritus, qui actualem DEI unionem se semper habere gloriantur. Legimus in Apocalypsi; Factum esse silentium in Cælo quasi mediâ horâ: per quod Haymo & Ausbertus significari ajunt brevitatem quietis in rerum cælestium contemplatione, quam DEUS Sanctis in hac vita concedit. Sic docet Gregorius in illa verba Job. *Et cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Non stat* inquit, *sed transit spiritus, quia supernam lucem, nostra nobis contemplatio & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abscondit. In hac siquidem vita quantàlibet virtute quis profecerit, adhuc tamen corruptionis suæ sentit stimulum.* Legimus quidem, fuisse nonnullos eximiæ sanctitatis viros, qui per plures horas, aut etiam dies, ex speciali DEI gratia, intimam cum ipso unionem habuere, sed hoc rarissimum est, & paucissimis concessum. Alii quoque reperiuntur, qui quoties intrò se vertunt, facillimè cum DEO uniuntur; at hoc differt à continua unione: sicut diversum est, posse Principem alloqui quoties libuerit, & re ipsa cum eo loqui.

Apoc. 8. 1.

Job. 4. 15.

Lib. 5. Moral. c. 23.

Card. Bona de disc. spir. c. 13. 6to. *Regulæ ad Consolationes, & Desolationes discernendas*, hæ attendendæ sunt juxta. Card. Bona ita differentem: Triplex est consolatio, vel enim in solo sensu, vel in sola mente, vel in utroque percipitur. Primum genus aliquando à DEO, aliquando à dæmone, vel à natura procedit: ab effectibus autem ejus origo discernitur. Cùm à DEO est, mentem illustrat, patientiam corroborat, fiduciam erigit, voluntatem accendit, evagationem excludit, sensus reficit, & à rebus terrenis avellit, ac tandem desinit in veram ac solidam secundi vel tertii generis consolationem.

Quo

Quæ verò à dæmone provenit, tenebras & caliginem ingerit menti, facitquè hominem superbum, pervicacem, impatientem, indocilem, ac tandem in carnis illecebras impellit: nihil enim jucundi nobis obiicit callidus hostis, nisi ut venenum melle illitum incautis propinet. Ejus dolos his verbis detegit Richardus. *Fit aliquoties affectus iste dulcis à malo spiritu, ut dum nimis ei creditur, eiquè dum valde delectat inhæretur, ad debilitatem cordis homo perducatur. Item, ut per illius occupationem ab utiliori opere revocetur, & ut abundantiâ ejus fretus se perfectum credat, & ad profectum minùs exerceatur.* Natura autem cùm in omnibus sua commoda quærat, se semper pro fine habet, & in ipsa quiescit. Ideo tutissimum est hanc sensibilem consolationem nunquam desiderare; nam vita Christiani est benè facere, & mala pati. Sæpe etiam decipimur, eam à DEO esse existmantes, cùm à natura vel à dæmone sit. *O quàm frequenter* exclamat idem Richardus *imperfecti & ignari gratiæ, moventur carnali gaudio, & naturali alacritate, & moveri se arbitrantur spirituali consolatione!* Undecumque verò procedat, non debet homo ex nihilo suo exire, neque ei adhærere sed soli DEO, ut semper ei vertatur in bonum. Secundum genus non nisi à DEO esse potest, qui solus humanæ menti illabitur; ejus autem derivatio ad partem inferiorem, tametsi naturaliter fieri possit, Divinæ tamen ut plurimùm largitati tribuitur, quæ nostram imbecillitatem dulcedine illâ allicit & confortat. Tunc verò à DEO esse evidens erit, si illa præsente non extollimur, illâ abeunte non affligimur, sed cum humilitate & gratiarum actione eâdem utimur, tanquam conditurâ, quâ inferior appetitus ad solidum cibum edendum excitetur. Primum genus incipientium, reliqua proficientium & perfectorum sunt. Consolatio perfecta quasi cælum serenum nullâ nube obductum, nullo vento perturbatum, eâ pace & tranquillitate animam replet, quam mundus dare non potest. Pignus est felicitatis æternæ, mentem à sensibus abstractam in DEUM transferens, omni gaudio terreno procul expulso. Non enim datur cælestis consolatio admittentibus alienam, nec simul esse possunt deliciæ spirituales cum gaudio iniquitatis & vanitatis.

Ibidem paulò infra.

In Cant. c. 6.

In Cant. . 33.

Alii hac ubertate sensibilis consolationis repleti, adeò indi-

indiscretè se gerunt, ut nimiùm indulgentes affectui, vel seipsos ultra vires externis pœnitentiæ operibus excruciantes, saluti corporali plurimùm noceant. Alii æstu illo perciti multa temere statuunt, & ad ea vota se obligant, quibus postea natura succumbit, & illo impetu sedati, omnino servari non possunt. Hi modum non habent, nec affluentiâ gratiæ uti sciunt, putantes sibi licere, quidquid vehemens & immoderata devotio suggerit. Seraphicus Doctor optimum istis consilium præbet, ut se interdum ab hujusmodi vehementia subtrahant, nec se totos illi immergant, sicut scriptum est: *Mel invenisti, comede quantum sufficit. Utilius enim est*, ait ille, *ad horam habere temperantiùs gratiam devotionis, quàm omnino exhaustis viribus, & destructa virtute naturali, totaliter eam perdere, & irrecuperabiliter eâ carere; quia sic destructi postea nimis incipiunt sibimet compati, & ut recuperent vires amissas per indiscretionem, non solùm delicatius, sed etiam dissolutius se habere.* Sunt etiam alia sensibiles oblectationes, quas aliquando Imperfectis largitur DEUS, quales sunt, teste eodem Bonaventura: *Mirabilis fragrantia odoris, ineffabilis suavitas saporis, & hymnidicæ melodiæ vocum & sonorum, & actu perceptibiles experientiæ indicibilium suavitatum, quæ cùm veræ sint, & à DEO, possumus existimare, quòd aut dentur quibusdam novis, & rudibus, qui spiritualia nondum intelligunt, ut saltèm per sensibilia consolentur in Domino, qui veritatem purè spiritualium non cognoscunt: aut quod ideo dentur etiam perfectioribus propter redundantiam interioris dulcedinis, ut sicut anima communicat suo corpori quasi comiti & socio viæ p[…]ssiones suas, ita & communicet consolationes.* Magnam tamen cautelam in his percipiendis adhibendam esse docet idem Sanctus; quia multi seducuntur in eis, *putantes esse à DEO, quod fortè est phantastica deceptio, & aliqui putant esse aliquid magni, quod in se nullius est meriti. Et aliqui extolluntur de talibus apud se, & jactant se quasi de singulari gratia sanctitatis.* Illi verò qui carnalibus delectationibus assueti, & nondum bene purgati sunt, solicitè cavere debent, nè abundantia cælitus immissæ consolationis, ad corpus emanans in carnalem delectationem, ad quam propensi sunt turpiter desinat: quod nonnunquam incipientibus DEO permittente contingere; & Bonaventura testatur, & experientia demonstrat. Cœterum spirituales consolationes quæ in sola mente

De pro: Rel. prog. c. 21.

Prov. 15. 16.

Ibidem c. 20.

Ibidem 18.

mente percipiuntur, solidiores sunt, & jam adultæ virtutis comites, atque charitati dant incrementum. Has viri sancti cùm desunt, non optant, cùm adsunt, diligentissimè custodiunt, cùm auferuntur, patienter ferunt, DEUM solùm, non ejus dona quærentes, semperquè parati illis carere. Docet Bernardus: *In Cant. serm. 50.* Nihil efficacius esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram DEO inveniamur, non altum sapere, sed timere. *Time* inquit *cùm arriserit gratia, time cùm abierit, time cùm denuo revertetur.* Cùm adest, timendum nè non dignè operemur ex ea: cùm recesserit, multò magìs timendum, quia ubi deficit nobis gratia & nos deficimus, quia reliquit nos custodia nostra.

Solius DEI est ex suo instinctu consolationem in anima relinquere nullâ præcedente consolationis causâ, ut S. Ignatius observat in libello exercitiorum, proprium est enim Creatoris suam ingredi creaturam, & illam in amorem sui totam convertere, trahere, & mutare. *Card. Bona. de discr. spir. c. 8.* Nullam verò causam præcedere tunc dicimus; quando nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostræ quidpiam objectum est, quod hujusmodi consolationem ex se causare possit. Inter justos autem & peccatores hoc interest, quòd justis tanquam similibus placidè illabitur, statimquè discusso timore sequitur consolatio. Peccatores verò tepidos, & minùs spirituales graviùs conturbat, quia sibi dissimiles reperit, ut suprà notatum est, terrore autem concussos gratia compunctionis recreat, quâ eos excitat ad propriam cognitionem, & ad desiderium perfectionis. *Primum quidem* ait Bernardus, *sonans in auribus animæ vox Divina conturbat, terret, dijudicatquè; sed continuò, si benè adverteris, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat.* *Serm. de util. verb. DEI.* Hinc agnoscimus verissimam esse magni Antonii apud Athanasium sententiam; non esse difficilem beatorum spirituum malorumquè discretionem. *Si enim,* inquit, *post timorem successerit gaudium, à Domino venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ præsentis Majestatis indicium est. Si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur.* *In vita S. Antonii.* Refert & laudat hanc sententiam Angelicus Doctor, quæ licèt de visionibus & apparitionibus à S. Antonio prolata sit, in occultis tamen instincti- *3. p. q. 30. art. 3. ad 3.*

bus locum etiam habet. Ratio autem est: *quia ex hoc ipso quòd homo supra se ipsum elevatur, pars ejus inferior debilitatur, ex quo provenit perturbatio: sicut etiam calore naturali, ad interiora reducto, exteriora tremunt.* Sic Daniel consternatus est initio visionis. Sic B. Virgo ad Angeli salutationem turbata est. Sic commotus est Zacharias viso Angelo, & timor irruit super eum. Sic Joannes initio revelationum cecidit tanquam mortuus, ex ingenti pavore velut exanimatus. Sic Apostoli in transfiguratione Domini, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.

Card. Bona de discr. spir. c. 7. Non videtur illorum spiritus à DEO esse, qui se jugiter in deliciis spiritualibus versari autumant; ista enim non interrupta gaudiorum fruitio patriæ est non exilii. Quapropter in eorum mores & vitam diligentiùs inquirendum est, an diu fuerint variis tribulationibus, quasi aurum in fornace probati: num illæ deliciæ eò referantur, ut magis earum ope in virtute proficiant: num altiùs exinde in humilitatis studio firmentur. Quod si ex illis nullus aut exiguus percipitur fructus, procul dubio suspicione non carent. Ille item suspectus est, qui sibi revelari ait alterius statum, nisi sit probatæ virtutis, atque ipsa notitia sterilis non sit, sed ad proximi salutem Deiquè gloriam tendit.

Card. Bona de disc. spir. c. 13. *Quoad Desolationes*, hæc accipe ab eodem Authore. Omnia dura & amara, quæ DEO agente vel permittente patitur fidelis anima desolationes nuncupari solent, quarum notitia licèt ex his, quæ de consolationibus dicta sunt, haberi possit, majoris tamen claritatis gratiâ de illis seorsum agendum est.

Et primò quidem observandum est, duplicem esse desolationem, sensibilem unam, alteram substantialem; illa manet in sola parte inferiori, hæc ità afficit sensus, ut etiam in voluntatem tristitiam derivet, eamquè frangat & dejiciat, ut non nisi ægrè & cum maxima difficultate spirituales exercitationes aggrediatur. Illa enim aliud est nihil, quàm tædium, angor & ægritudo partis inferioris, nullum ex rebus spiritualibus gaudium, sive consolationem sensibilem percipientis: hæc mentis obtenebratio, & voluntatis ægritudo est, adeò terribiliter excrucians animam, ut pœnis inferni similis esse videatur. Quæ sensi-

ſenſibilis tantùm eſt, & à DEO, & dæmone eſſe poteſt, à quo autem ſit, effectus oſtendunt. Poteſt etiam à natura provenire, quæ cùm ſeipſam in omnibus quærat, deficiente ſolatio contriſtatur, & ab operibus ſanctis abhorret, fucata gaudia quærens in creaturis. Cùm à dæmone procedit, fit homo impatiens, tepidus, inconſtans, plenus diffidentiâ & deſperatione. Cùm audit mentionem fieri crucis, patientiæ, humilitatis, tædium & horrorem oſtendit, & à propoſito virtutis reſiliens, ad inſana mundi carniſquè ſolatia convertitur. Cùm autem à DEO eſt, ad creaturas non divertit, nec ullam in illis reperit conſolationem, nullam obſcuritatem, nullum virtutis horrorem ſentit, ſed fixus in DEO manens in piis exercitationibus perſeverat, & quò gravior eſt deſolatio, eò magìs in illo creſcit ſubſtantialis conſolatio, atque ampliùs lætatur, quòd DEO ſerviat propter ipſum ſolum nullâ exiſtente in ſenſibus ſuavitate, & nullo ſibi propoſito gaudio, niſi æterno. Sicut ægrotus, cui cibus omnis faſtidio eſt, ſi crederet ſtomacho ad cujuſcunquè rei comeſtibilis aſpectum nauſeanti, nullum prorſus alimentum ſumeret, niſi optimè nôſſet, neminem ſine cibo vivere poſſe, ac propterea ſeipſum impellit ad comedendum, non obſtante appetitûs repugnantia: ità deſolatus, ſpiritualibus exercitiis licèt cum triſtitia & difficultate incumbit, non ſenſibili dulcedine illectus, ſed eorum neceſſitate convictus.

Obſervandum ſecundò eſt, ſenſibilem deſolationem, cùm ſola eſt & mentem non afficit, à viris probis & ſpiritualibus facilè tolerari, cùm præſertim experientiâ didicerint, auferri quidem ad tempus gaudium ſenſibile, ſed cumulatiùs reſtitui, cùm quis ejus ſubtractionem excelſo animo ferens Divino beneplacito generosè acquieſcit. Hujus viciſſitudinis multæ ſunt cauſæ: nam DEUS homini conſolationem largitur, nè deficiat, deſolationem, nè ſuperbiat: illa excitat ſpem, hæc audaciam reprimit: illa erigit puſillanimitatem, hæc parit humilitatem. Sive autem accedat, ſive recedat gratiæ dulcedo, diligenti DEUM cooperatur in bonum. Tribuit eam cui vult, & quando vult, eamquè ſubtrahit tempore opportuno, nè magnitudo conſolationis extollat, nè quaſi jure hereditario poſſideatur, ut ſciat hoc

donum non esse volentis, neque currentis, sed DEI miserentis, ut profundiùs se ipsum cognoscat, ut propriam fragilitatem vereatur, ut semper humilis perseveret, ut habitam gratiam diligentiùs custodiat, ut amissam ardentiùs quærat, ut aliorum afflictionibus compati discat, ut patientiæ exhibitione pro peccatis satisfaciat, nè caro deficiat, quæ dulcedinem spiritûs diu sustinere non posset, ut nimia affectio ad DEI dona tollatur, ut gratis serviat DEO, nec sit velut *amicus socius mensæ*, qui *non permanebit in die tribulationis*: ut probetur virtus sicut scriptum est; *quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te*: ut ex momentanea hujus vitæ desolatione conjiciatur, quàm malum & amarum futurum sit, à facie DEI, in æternum separari. Præcipua autem ejus subtractionis causa, si S. Bernardo credimus, superbia est, scilicet sive existens, sive non existat, ut in Apostolo patuit, nè videlicet hunc magnitudo revelationum extolleret, datus est ei stimulus carnis, qui eum colaphisaret. Non excludit alias causas S. Bernardus, sed hæc potissima est, cui probatio & purgatio animæ ab omni adhæsione ad se suaquè commoda proximè accedit, ut ab omnibus deliciis etiam spiritualibus avulsa, ad intimam cum DEO unionem disponatur.

Eccl. 6. 10. — *Tobiæ 12. 13.* — *Serm. 54. in Cant.*

Percipitur hæc purgatio miris & acerbissimis modis; nam in parte interiori privatur homo omni sensibili dulcedine, lachrymæ devotionis arescunt, fontes gratiarum exsiccantur. Vertitur æstas in hyemem, & qui potabatur fonte voluptatis, repletur amaritudine, dicēs cum Tobia: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo & lumen cæli non video?* Et cum Isaia: *Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* Quandoquidem etiam terrenis facultatibus spoliatur, deseritur ab amicis, traducitur per ora omnium tanquam illusus, despicitur tanquam insanus, vita moresquè ejus ubique infamantur, gravibus morbis corripitur, à dæmonibus vexatur, & quocunque se vertit, nihil ei occurrit, nisi afflictiones, irrisiones, persecutiones, & plurima mortis imago. In parte verò superiore densissima caligine mens obscuratur, languet voluntas nusquam inveniens consolationem, nec in DEO, nec in creaturis; omnis æstus amoris refrigescit, & quod gravissimum est, tot tentationibus premitur ut sibi sæpiùs videatur diffi-

Card. Bona de disc. spir. c. 14. — *Tobiæ 5. 12.* — *Isai. 15. 6.*

diffidentiæ, blasphemiis, ac desperationi consensum præbuisse. Hoc horribile tormentum pœnis inferni assimilant, qui experti sunt: ejus autem mirabile exemplum habemus in vita B. Angelæ de Fulgineo, quæ maluisset omne genus martyrii subire, quàm talem desolationem pati, ut ipsa de se scribit. Simili modo probata fuit per totum quinquennium in camino tribulationis, S. Magdalena de Pazzis arida, desolata, ab omnibus derelicta, à dæmonibus flagellata, blasphemiæ tentationibus vexata, ac usu rationis ferè destituta. Alia exempla prætermitto, & ad remedia accedo, quorum primum est, causam desolationis accuratè investigare; nam si procedit ex culpa & negligentia nostra, ea deleri per pœnitentiam & emendari debet. Si ex diaboli impugnatione, illi obsistendum est. Si ex Divina dispositione, fortiter ferenda ejus animadversio; & patienter expectandum, donec discutiat caliginem, & suam iterum infundat suavitatem. Deinde fateri oportet, quòd nemo aliquid ex se habet, præter vitia & defectus: atque ideo bonum est præstolari salutare DEI cum patientia: nec deserendum aut minuendum est orationis studium, sed potiùs augendum exemplo Christi, qui factus in agone prolixiùs orabat. Sicut autem ille non petiit à Patre, ut à cruce liberaretur, sed ut fieret voluntas ejus: itá nos in omni pressura Divino beneplacito nos offerre & subdere debemus, eiquè gratias agere dicentes cum S. Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Tunc cogitandum est à DEO immitti vel permitti desolationes ad illud ipsum emolumentum, propter quod vir probus consolationes expetit, ad mentis scilicet illustrationem, ad ampliorem rerum Divinarum cognitionem, ad humilitatem, ad fortitudinem, ad ardentissimam charitatem consequendam. Neque omittendæ tempore desolationis consvetæ exercitationes, neque mutanda quæ alio tempore constituta sunt: non enim potest sibi benè consulere animus æger. Nobis deniquè persvasissimum esse debet, desolationes munera singularia Divinæ providentiæ, experimenta solidæ virtutis, & maximi erga nos amoris indicia esse, quæ non nisi per fidem percipi possunt. Ideo in omni tribulatione vitam pacatam & [Vitæ c. 2.] [Job. 2. 21.]

Haba. 2. 4. quietam degere & conservare par est: *Justus* enim *ex fide vivit*
Rom. 1. 17. ut ait Propheta. Et confirmat Apostolus. Vivit nimirum vita spirituali, quæ ex principiis fidei nata, iisdem regitur & roboratur. Fides autem docet probari justos afflictionibus, sicut aurum in fornace, momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus in nobis operari,, DEUM nobiscum esse in omni angustia, ejus nutu cuncta disponi, tristitiam tandem in
Psal. 90. „ gaudium mutari, sicut dicit psalmus. Cum ipso sum in tri-
„ bulatione, eripiam eum & glorificabo eum, & ostendam illi sa-
Serm. 17. in „ lutare meum, *quæ verba exponens Bernardus sic loquitur.* Cum
hunc. psalm. „ ipso sum in tribulatione, ait DEUS, & ego aliud interim re-
„ quiram quàm tribulationem? Mihi adhærere DEO bonum
„ est, non solum autem, sed & ponere in Domino spem me-
„ am: quia eripiam eum, inquit, & glorificabo eum. Bonum
„ mihi Domine tribulari, dummodo ipse sis mecum, quàm re-
„ gnare sinè te, epulari sinè te, sinè te gloriari. Bonum mihi
„ Domine in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sinè te vel in cælo.

Card. Bona de 7timo. *Regulæ circa Ecstases & Raptus* istæ dantur. (Ubi
disc. spir. c. 14. primo aliunde sciendum, quid Ecstasis, Raptus, quotuplex, quomodò fiat) Nimirum debet vir prudens, qui animas re-
Vide hic 1. 2. gendas suscepit, cùm quis ecstases patitur sedulò perpendere,
tra. 1. cap. 1. an ejus anima tantæ gratiæ capax sit, an omnem affectum erga
sec. 4. subs. 1. creaturas exuerit, ad quem gradum Divini amoris pervenerit,
§ 4. Punct. 3. quâ puritate niteat, qua humilitate prædita sit. Deinde observandum, an sicut in mente, ità etiam in moribus ecstasim habeat; an videlicet vitâ vivat supermundanâ, & in DEUM elevatâ per omnimodam abnegationem, cujus enim vita donis hujusmodi non consentit, eius raptus maximo periculo expositi sunt, nec veri raptus censentur, sed diaboli potiùs illusiones. Non dico quòd omni inperfectione carere debeat, qûia elevatio in DEUM neminem eximit à conditione nostræ mortalitatis quotidianis defectibus obnoxiæ, sed hoc solùm cavendum, nè sanctitas ex his æstimetur: ex quo etiam fit, ut hæc dona parvi pendenda sint, nisi contingant personis probatæ sanctitatis, qui ex illis proficiant, & in virtutibus solidentur, ita ut evidens sit quòd

quod à dæmone non decipiantur. Consilium item saluberrimum est, tam incipientibus quam provectis illa respuere, & quantum fieri potest impedire exemplo Sanctorum.

Eidem gratiæ sæpiùs resistebat S. Teresia, præsertim cùm in præsentia sororum versabatur; de se enim humiliter sentiunt servi DEI, sequè indignos eâ gratiâ reputant, & illis molestissimum est, in conspectu hominum apparere. *Card. Bona de disc. spir. c. 14.* Par quoque est, ut sapiens director, cùm videt animam ad sublimiorem sanctitatis gradum pervenisse, id nequaquam illi significet, sed eam sinat in simplicitate cordis sui & status sui ignoratione DEUM trahentem sequi. Hæc enim est certa tuitio donorum DEI, & custodia humilitatis. Quòd ecstasis à malo spiritu, vel ab aliqua causa naturali proveniat, signum est vel saltèm suspicio, cùm quis jactet se rapi, quandocunquè voluerit, nemini enim datur raptus per modum habitûs, sed Divina gratia ad se animam trahit, quando vult, & quomodo vult. Cùm pro arbitrio suo cessat ab ecstasi, vel ad certam vocem revocatur ad sensus, quia virtus Divina non est verbis alligata, nisi sit vox superioris ex obedientia vocantis, quod tamen signum non est infallibile, nisi cætera consentiant. Cùm rapta mens multitudine cogitationum & speciebus creaturarum occupatur, aut distortis phantasmatibus perturbatur: nam in verò raptu in uno DEO defixa mens, & in ipso mirabiliter subsistens omnium obliviscitur, quæ extra se ipsam sunt, ut nec quidem pro amicis orare possit, aut aliquid velle, nisi quòd ipse vult. Si quis etiam per plures dies sinè cibo & potu in ecstasi permaneat miraculo adscribi solet, sed non semper hoc evincit ecstasim esse supernaturalem, multas enim multorum historias referunt medici, qui citra miraculum absque cibo & potu diu incolumes permanserunt. Plures in quæstionibus medicolegalibus congerit Zachias. *Lib. 4. tit. 1. q. 7.* Illorum quoquè falsæ sunt ecstases, qui gestibus & motibus indecoris rapiuntur, qui in ipso raptu verba proferunt inutilia, confusa, inepta, indiscreta; qui ipsas suas ecstases ostentant, sibiquè factas revelationes de rebus vanis, inutilibus, & curiosis: qui non student meliores fieri, & se in humiltate custodire. Optimè Cajetanus: „ Oportet advertere in hujusmodi alienationibus, si intervenit aliquid indecens secun- „ *2. 2. q. 173. art. 3.*

dùm

„ dùm motus intrinsecos & extrinsecos, sive sit indecentia naturæ, sive indecentia moris: quoniam tunc non est alienatio prophetica, sed infirmitatis vel fictionis vel illusionis diabolicæ, aut naturaliter animalis ex nimia meditatione alicujus. Idem addit ibidem. Alienatos in ipsa alienatione loquentes, qui postmodum nescientes quid dixerint, qui ad ea se referunt, quæ in ecstasi dixerint, itemquè eos qui velint, nolint, quæcunque vident, quasi acti ab alio enunciant, non esse veros prophetas. *Et hinc patet* inquit *quòd personæ in ecstasi positæ loquentes in persona Christi vel alterius sancti, quasi actæ ab illo, & non ex proprio sensu, aut seducuntur, aut seducunt. Et tamen mundus stultus miratur, stupet, adorat hujusmodi verba, hujusmodi actus, hujusmodi personas.* Non
1. Cor. 14 32. enim advertunt, quòd sicut docet Apostolus: *Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt*, mente scilicet quieta loquuntur, neque impetu aguntur velut fanatici, sed possunt tacere cùm volunt, & sermonem in tempus opportunum differre.

Ibidem Card. Bona. Ecstasis Divina plena est timoris atque formidinis, quia licèt anima propensionem ad DEUM maximam habeat, tanquam ad finem & centrum suum, ille tamen modus tendendi ad ipsum sinè sensuum ministerio, utpote alienus à naturali conditione horrendum illi timorem incutit: qualis homini accideret, qui cùm cæpisset in altissimam turrim per scalæ gradum paulatim ascendere, repentè raptus per aëra in apice turris poneretur. Hæc autē formido summam parit humilitatem, tum propter periculum gravioris lapsus à loco sublimiori; tum quia anima ad lucem inaccessibilem elevata videt in ea minimos quosque defectus suos, clarèque cognoscens quantum distet à puritate & perfectione, quæ sibi necessaria est, ut tantis DEI donis digna sit, timore & confusione repletur.

Ibidem. Cùm homo exterior eodem ferè modo, tam in vero, quàm in falso raptu se habet, ut unum ab altero internoscatur, inquirenda primùm est ejus origo & occasio, tum omnes circumstantiæ & effectus examinandi. An videlicet ex intenta alicuius obiect meditatione, an ex magnitudine amoris processerit. An ecstasi repentinâ absorptus fuerit, an data aliqua occasione, & quæ illa sit. An ex aliqua visione, & in ea quid senserit,
tam

tam in anima, quàm in corpore. An positus in ecstasi aliquid intelligat, & si quæ fuerint aliarum potentiarum operationes. An audierit aliqua verba, & quæ sint illa, & an viderit ea proferentem; an sint admonitiones & consilia, & ad quid tendant, an pronuntient aliquid futurum, & tunc eventus veritatem ostendet: an defectus vel peccata alicujus manifestent, & cui bono: an alicui infamiæ nota inuratur. An ecstasis in locis publicis & ubi major hominum frequentia sæpiùs contingat: an illi conetur resistere, an quærat se abscondere. An meminerit post raptum eorum, quæ vidit & dixit: an mente firmiter hæreant etiam post longum tempus: nam si omnium obliviscitur, morbus potiùs quàm ecstasis censeri debet. An de raptu, ejusquè veritate dubitet; nam qui verè raptus, nullatenus dubitare potest, quin in DEO fuerit, & DEUS in illo. An remaneat in corpore langvor, macies, debilitas, sicut ait Daniel propheta. *Vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcuit, nec habui quidquam virium*: quia vi mentis in rerum Divinarum contemplatione defixa, calore quoque vitali ad mentis functionem contracto, & vehementia amoris in partem sensitivam redundante, necesse est obtundi vires vitæ corporali servientes, & frigescere corpus & pallescere & infirmari. Hac itaque de causa solet raptus modico tempore durare propter violentiam quæ sensibus & corpori infertur. Nec obstat, quòd prolixiores raptus, quibusdam viris sanctis interdum accidisse legamus: nam vel aliqua intermissio, vel minùs perfecta alienatio erat; præterquam quòd in nonnullis nimia virium imbecillitas deliquium, & quandam à sensibus alienationem operatur, quod ex hoc evidens fit, quia si nimia eorum jejunia impediantur, si deperditæ vires restaurentur, protinus cessant in eis raptus; quo remedio usam fuisse S. Teresiam erga quandam Monialem constat.

Dan. 10. 8.

In fundat c. 6.

8tavo Regulæ in visionibus & apparitionibus, quæ quid sint, quotduplices, aut quomodo fiant alibi visum, porriguntur & quidem quoad contingentes per somnia:

Card. Bona de disc. spir. c. 16.

1. Somniorum naturalium alia sunt temerè & fortuito &

& quæ nihil prorsus significant, nec ullam cum futuris connexionem habent, & hæc omnia reiicienda, atque spernenda sunt. Alia statum seu constitutionem, sive temperamentum somniantis indicant; & ex his solent Medici morborum causas investigare. Nulla autem sunt, quæ naturaliter futura contingentia præsagiant.

2. Somnia, quæ inutilia, superstitiosa, & vana suggerunt: quæ tetra, horribilia, aut obscœna repræsentant, vel ad malum quocunquè modo provocant: seu quibus occulta manifestantur ad solam curiositatem, vel ad inanem scientiæ ostentationem spectantia: aut futura prædicuntur, quæ postea ex eventu falsa dignoscuntur; à dæmone, vel à natura oriri evidens est.

3. Si somnia accidant incomposita, turbulenta, ridicula, monstrosa, & quæ statim evanescunt ac dissipantur, non sunt à DEO: ipse enim omnia facit in numero, pondere, & mensura, nec est aliquid inordinatum, vel inutile in operibus ejus. Ipse somnia immittit, ut signa sint alicujus rei, quam vult eo modo manifestari, ac proinde semper aliquid significant.

4. Divinorum indicia sunt res ipsæ, quæ per somnium innotescunt, si ejus generis sint, & nonnisi à DEO revelari queant, qualia sunt arcana cordium, intimæ cogitationes, abdita fidei mysteria, futura contingentia, quæ pendent à libero arbitrio, & quæcunquè hominum cognitionem excedunt: nisi fortè talia fuerint, ut ea diabolus ex conjecturis vel aliunde scire possit. Solet etiam DEUS, cùm somnia immittit, miro quodam fulgore mentem illustrare, & voluntatem sic afficere, ut illis firmiter hæreat, & certò sciat à DEO esse, nec ullo unquam tempore eorum obliviscatur.

5. Ex modo quo contingunt, cùm multa in eo diversitas sit, certa ipsarum discretio haberi non potest. Nam Divina aliquando placidissimè, aliquando cum ingenti corporis & animi commotione atque horrore efficiuntur. Aliquando datum est alicui somnium, sed non ejus intelligentia, sicut Pharaoni & Nabuchodonosor: aliquando utrumquè, sicut Prophetis. Alia ut diximus, clarè & apertè quod DEUS vult manifestant: alia obscurè & per varias similitudines, atquè ænigmata. Alia re-

spondent

spondent præcedentibus in vigilia cogitationibus; ut somnium Joseph priùs cogitantis dimittere conjugem, postea in somniis admoniti ut acciperet: alia de rebus fiunt ab omni prævia meditatione remotissimis. Tutiora igitur & certiora indicia sunt, quæ ex ipsis rebus in somnio ostensis desumuntur; quibus & illa adjungi debent, quæ suprà allata sunt, cùm de spiritibus discernendis actum est.

Quoad Apparitionem & Visionem extra somnia intellectualem dicit sæpè laudatus author: Omnes in hoc conveniunt, quòd hæc Visio ab illusionibus immunis est. Potest quidem dæmon aliquid effingere, quod visioni intellectuali simile sit, idquè animæ inexpertæ & minùs cautæ obtrudere: verùm ficta ab hoste visio multùm à vera differt, & ab effectibus facilè dignoscitur. Veræ siquidem effectus sunt, gaudium, pax, & tranquillitas animæ, puritas & illuminatio mentis, augmentum fidei & charitatis, humilitas, & elevatio Spiritûs in DEUM. Falsa verò superbiam, sui æstimationem, animi perturbationem, atque ariditatem producit. Illa diu permanet, & nunquam ferè à memoria excidit; hæc citò desinit, & sicut fumus evanescit. Nullum autem certius indicium veræ visionis, quàm humilitas: cùm enim DEO comparati nihil simus, quò magìs ad illum accedimus, eò clariùs cognoscimus nos nihil esse. *Card. Bona de disc. spir. c. 18.*

Dæmonem spectra his indiciis discernuntur, si is qui apparet falsam vel malam apparitionis causam prætexit; si curiosa & minimè necessaria revelat, aut quæ nescire expediret: si res sacras, & sacramentalia detestatur; si ad Crucis signum & ad nomen JESU horrescit, vel minus reverenter se habet: si mendax, aut de mendacio suspectus est: si formam corporis indecentem, & gestus parum modestos exhibet: si animum turbatum ostendit: si vultu tetrico, deformi, irato se spectandum præbet: si voce stridula, confusâ, obscurâ, ignotâ loquitur: si hominem vexat & terret, atquè molestus & importunus est. Forma quoque apparentis attendi debet, humana omnibus spectris communis est, sed si atra, deformis, mutila, inusitata sit, malum sub ea spiritum latere demonstrat. Suspecta quoque habenda quælibet apparitio sub specie mulieris, nisi Beatæ Vir- *Ibidem Card. Bona cap. 19.*

ginis & Sanctarum sit. Forma bruti vel monstri nonnisi diabolo convenit; animæ enim separatæ, tametsi damnatorum, cùm DEO permittente viventibus apparent, eam formam assumunt, ex qua possint cognosci. Rugitus, grunnitus, stridores, clamores, tumultus, voces inarticulatæ, blasphemiæ, imprecationes, convitia, vel dæmonum, vel damnatorum sunt. Obsequia viventibus præstita possunt quidem probabiliter, cùm honesta & humilia sunt, nihilquè habent admixtum levitatis, à bono spiritu esse; cautè nihilominus admittenda; nam subtilissimæ sunt dæmonis artes, quibus illudit humano generi. Malum quoque à bono spiritu non distinguunt exhortationes ad virtutem, & peccantium redargutiones: diabolus enim minus bonum aliquando persuadet, ut majus impediat: & ad aliquem actum virtutis hortatur, ut faciliùs incautos decipiat, & successu temporis ad horribiles lapsus sensim inducat. Stigmata Christi, quæ in corpore Sancti Francisci impressa fuerunt, aliis item Divinitùs inusta, fide digna monumenta commemorant: sed in his etiam sathanæ fraudes locum habere satis superquè probant portentosa figmenta Christiano orbi notissima Monialis Ulissiponensis, & Magdalenæ Cordubensis, quæ ambulantes in magnis & in mirabilibus super se, hostis ludibrio expositæ, stigmata in manibus, pedibus, & latere artificiosè ficta ostentabant, plebe admirante, & magnis etiam viris in errorem inductis, donec tandem vesana earum consilia & commentitiæ plagæ, ac diaboli potestatem in eas exercentis fallacissimæ imposturæ detectæ sunt: ex quibus liquet quanta in his cautela adhibenda sit. Animæ damnatorum, si DEUS permiserit eas apparere, iisdem signis deprehendi possunt, quibus diabolicæ apparitiones dignoscuntur: nullum siquidem video inter illas discrimen esse. Quæ in purgatorio sunt, nonnisi ut suffragia petant, ad nos mitti solent; quibus obtentis non redeunt, nisi fortè ut gratias agant: quod si aliquid restitui mandent, certasquè preces & sacrificia postulent, atque iis peractis adhuc molestæ sunt, mali spiritûs indicium est. Mala viventibus illata, aliquando à reprobis spiritibus tanquam ministris Divinæ justitiæ, aliquando à bonis DEO imperante infliguntur: nec facilè poterunt internosci,

noſci, niſi ſedulò examinentur ſingulæ rerum, locorum, temporum, & perſonarum circumſtantiæ. Heliodoro templum expilanti *apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloriâ, ſpecioſiquè amictu, qui circumſteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant ſinè intermiſſione multis plagis verberantes.* Ex quibus verbis perſpicuum eſt, impium hominem â bonis Angelis caſtigatum fuiſſe. Multa ejusdem generis occurrunt in Eccleſiaſtica hiſtoria, quæ brevitatis gratiâ prætermitto. *2. Mac. 3.*

Denique Sancti Patres optimum eſſe indicium bonæ apparitionis docent, ſi ad primum aſpectum ejus qui apparet perturbetur homo, & terrore ac horrore quodam concutiatur; poſtmodum verò ab omni anxietate ac timore liber internâ quadam dulcedine perfundatur, quæ charitatem, & humilitatem augeat, & altisſimæ perfectionis deſiderium excitet. Quod ſi initio lætitia quædam oriatur in mente, quæ poſtmodum in horrorem & mœrorem convertatur: aut horror initio conceptus diu perſeveret; ſigna hæc ſunt, quòd ille qui apparuit ſpiritus nequam eſt. Hunc verò terrorem initio apparitionis non credo eſſe ſignum univerſè verum: in his enim qui Angelicis ſanctisquè viſionibus aſſveti ſunt, ceſſare videtur hujusmodi terror, ipsâ aſſvetudine terrorem tollente. Cùm igitur non ignoremus ſathanæ aſtutias, non omni apparitioni credendum eſt, nec apparenti ſub Chriſti effigie cultus ſtatim exhibendus eſt: etenim conſiderare oportet, poſſe ibi latere dæmonem, & periculum imminere, nè illum adorans in crimen idololatriæ labatur. Præclarè Bonaventura propoſitâ hac quæſtione: An qui adoraret diabolum putans illum Chriſtum peccaret; *ſic reſpondet.* „ Dicendum, quòd honor latriæ poteſt exhiberi ad„ verſario Chriſti dupliciter. Aut ſimpliciter, aut ſub condi-„ tione. Si ſimpliciter, dico quòd non poteſt eſſe ſinè pecca-„ to: nec excuſatur ratione ignorantiæ. Habet enim triplex„ adjutorium, per quod poteſt errorem evitare. Primum eſt„ remedium præmonitionis ſacræ ſcripturæ, quæ multoties di-„ cit, quòd multi in nomine Chriſti venturi ſunt mendaces. „ Secundum eſt remedium orationis internæ, quâ ad DEUM„ debet homo recurrere, ut cor ejus illuminetur. Tertium eſt„

Ibidem Card. Bona cap. 19.

3. ſent. de. 9. a. q. 6.

 ſuſpen-

„ suspensio credulitatis, non enim debet homo omni spiritui „ credere, sed probare qui ex DEO sunt. Qui enim citò cre- „ dit talibus, levis est corde: & fortassis etiam inflatus est cor „ de, dum ad tales visiones & revelationes idoneum se esse exi- „ stimat. Unde tales visiones vel apparitiones potiùs sunt for- „ midandæ, quàm desiderandæ. Narratur enim de quodam „ S. Patre, quòd, cùm ei diabolus in specie Christi appareret, „ ille clausis oculis dixit, se in hac vita nolle Christum videre; „ & diabolus humilitate ejus confusus statim evanuit. Ideo si „ quis simpliciter adorat Christi adversarium; non excusatur „ à peccato, etiamsi credit ipsum esse Christum. Si autem „ adoret sub conditione, hoc potest esse dupliciter. Aut quia „ est illa conditio habitudinaliter, aut actualiter considerata si- „ ve apposita. Si actualiter, non adorat ipsum Luciferum, sed „ magis Christum; quia non stat adoratio, nisi stante conditi- „ one, & ad eum refertur adoratio, ad quem refertur adoratio- „ nis implicatio. Si autem illa conditio sit sub consideratione „ habitudinali, non sufficit ad vitandum peccatum idololatriæ. Quod si aliquis habens discretionem spirituum, vel speciali lumine à DEO imbutus certò sciat, nullam in apparitione illusionem subesse, is apparenti debitum cultum sinè culpa præbere poterit; tutiùs tamen est, hujusmodi apparitiones reiicere, seque illis indignum fateri; atque omnia ad Confessarium vel superiorem referre, eique exactè & humiliter obedire exemplo S.
Fundat. c. 8. Theresiæ, quæ tametsi evidenter cognosceret Divino Spiritu edocta apparitiones à DEO esse, nihilominus Confessario existimanti illusiones diabolicas esse, morem gerere, & personas sibi apparentes jussu ipsius spernere, & exsibilare non verebatur; donec à viro docto intellexit, id fieri non debere, quia imagini Redemptoris nostri, etiam à dæmone efformatæ, par est reverentiam & honorem exhibere.

9no. *Regulæ* in discernendis Revelationibus (quarum definitio, divisio, modus aliunde patet) hæc proponuntur. Quanquam difficillima hæc res est, quam ut clarè & methodicè, quantum fieri potest, expediamus, quæcunque ad eam pertinent, ad tria capita revocanda sunt; ad personam scilicet cui facta est re-

velatio

velatio, ad ipsam revelationem, & ad ejus circumstantias. De singulis autem quædam veluti leges tradendæ, quæ ad rectè & prudenter de re proposita judicandum necessariæ sunt.

Ordior à persona, cui facta revelatio perhibetur. Ejus in primis examinanda fides, an sit verè Catholica, quia *finè fide impossibile est placere DEO.* Quod si in fide nulla sit labes, adhuc observandum est, an mores fidei consentiant, quia *fides finè operibus mortua est.* Ideo non credendum superbis, pervicacibus, avaris, carnalibus, iracundis, impatientibus, hypocritis: illis etiam qui præcipites, indiscreti, & inconstantes in spiritualibus exercitiis sunt: qui finè legitima missione in officia pastoralia se ingerunt; qui mulierculas peccatis onustas, ut olim Montanus & alii Hæresiarchæ, circumducunt: qui nova & singularia pietatis & pœnitentiæ exercitia à superioribus non approbata disseminant: qui affectatæ sanctitatis indicia præbent; qui discordias & dissidia serunt; qui adhuc imperfecti & incipientes se temerè jactant ad fastigium perfectionis pervenisse: qui aliorum spernentes consilia, & superiorum examen subterfugientes, se de omnibus à Spiritu Sancto doceri gloriantur: qui se ab aliis contemni ægrè ferentes, eos odio prosequuntur, qui vitam & mores ipsorum non probant: qui in ipsis revelationibus sibi complacent, &, cùm illis carent, impatientes & tristes fiunt.

Heb. 11. 6.
Jacob. 2. 26.

Attendendum, an solidâ & profundâ humilitate prædita sit. Vera enim revelatio humanæ miseriæ & imbecillitatis agnitionem parit, & ut S. Macarius Ægyptius ait; *Anima, quæ verè DEUM ac Christum diligit, licèt mille justitiæ opera ediderit; licèt dona spiritûs varia, aut etiam revelationes cælestes consequi digna habeatur, ita se gerit, ac si nihil haberet propter immensam & insatiabilem dilectionem.* Hinc Isaias, cùm vidit DEUM sedentem in solio excelso, protinus se virum pollutum labiis professus est. Jeremias quoque, cùm se à Domino sanctificatum percepisset, se infantem & elingvem prædicavit. Apostoli auditâ voce DEI Patris dicentis; *Hic est filius meus dilectus*, ceciderunt in faciem suam & timuerunt valde. Paulus, ut observat Ambrosius, in infirmitatibus sibi placuit, non in revelationibus. Ante annos quatuordecim revelationem se habuisse scribit, & tamen eam apud se

Hom. 10.
Isai. 6. 5.
Jer. 1. 6.
Matth. 17. 6.
In Psal. 36. 20.
2. Cor. 12.

tam diu tenuit & repressit; nec dixisset nisi utile nobis judicâsset ut diceret; *nè nos revelationibus extolleremur. Si enim in tanta gratia non est gloriatus Paulus, nec nos gloriari oportet.* Si quis ergò ex revelatione in superbiam elatus se aliis præfert, si aliquod præbet indicium propriæ æstimationis, non veram revelationem, sed illusionem habuisse censendus est. Humilitas siquidem teste Hieronymo, prima virtus Christianorum est, omniumquè virtutum fundamentum, ut docet Angelicus Doctor, removens superbiam cui Deus resistit: *ut sciamus*, inquit Apostolus, *quæ à DEO donata sunt nobis*: neque enim homo, idoneus est ad Divinos influxus percipiendos, nisi cognoscat, quòd ex se nihil potest, sed DEUS qui operatur omnia in nobis: *& hoc ipsum est sapientiæ scire cujus hoc donum sit.* Aliud est autem superbiam ex revelatione oriri, aliud post revelationem ad eam diabolicâ tentatione moveri, nam primum falsæ revelationis signum est, alterum nequaquam, cùm illæ præsertim, qui ad elationem excitatur, fortiter hosti reluctatur.

Epist. 27. c. 7.
2.2. q. 161. art. 5. ad 2.
Sap. 8. 21.

Considerandа corporis constitutio, ex qua plerumquè animi mores pendent. Etenim facilè decipi possunt, qui parum firma valetudine utuntur: qui turbidæ ac vehementis imaginationis sunt: qui atrâ bili abundant, quæ depravare phantasiam solet, variasquè imagines turbatis sensibus imprimere, adeò ut vigilantes sibi somnia fingant, atque ea se videre & audire existiment, quæ nec visu nec auditu percipiunt. Ex longa item inedia, crebrisquè jejuniis ac immoderatis vigiliis exsiccato cerebro, dissipatisquè spiritibus inania phantasmata repræsentantur: quibus illusa mens tanquam Divinis revelationibus pertinaciter adhæret. Plurimùm quoque refert, disquirere & cognoscere qualis sit & fuerit is, qui habet revelationes, an studio virtutum & orationis sedulo incumbat: an vivat proprio arbitrio, vel sub obedientia discreti, experti, & maturi præceptoris: an integer animi sit, ac bonæ indolis: an moderatus in sermone, sive de rebus Divinis, sive de indifferentibus instituatur: quà patientiâ toleret adversitates & contradictiones: an suas revelationes passim evulget & quò fine: quomodo & à quibus instructus fuerit; cum quibus converletur: quibus exercitationibus

nibus asſveverit, quibus ſtudiis delectetur: ſitnè pauper an dives; nam in pauperibus fictio, in divitibus ambitio timenda eſt: ſitnè ſenex, an puer; nam ſenes exhauſtis viribus ſæpiùs delirant; pueri autem, qui cerebro humidiori ſunt, facilè commoventur, & falſa pro veris apprehendunt. Fraus etiam vel deceptio incipientibus metuenda eſt; citò enim fallitur novitius fervor, præcipuè in adoleſcentibus, quorum ardor nimius eſt, motus inconſtantes, impetus præceps & effrænis. Nec omittenda eſt aliarum revelationum, ſi quæ præceſſerunt, conſideratio, an veræ fuerint, an à peritis approbatæ; an unquam diabolus eos deceperit, vel decipere conatus ſit.

Major cautio erga fœminas adhibenda, quarum ſexus eò ſuſpectior eſt, quò imbecillior. Naturæ ſunt humidioris, & ex vehementia cogitationum & affectuum putant ſe videre quæ cupiunt, & quod ab animi perturbationibus naſcitur, quæ in ipſis acerrimæ ſunt, à veritate oriri credunt: cùmque ratione minùs polleant, non eſt difficile diabolo earum nativâ imbecillitate uti, ut eas primùm variis illuſionibus decipiat, & per easdem alios in errores inducat. Notabile eſt, quod de ſanctisſima Matre ſua ſcribit Auguſtinus: nam cùm maximè optaret è libidinis cœno filium educere, de futuro ejus matrimonio jugiter cogitabat, optans aliquid de illo ſibi per viſum oſtendi. *Lib. 6. Confeſſ. c. 13.*
„Et videbat quædam vana & phantaſtica, quò cogebat impetus
„de hac re ſatagentis humani ſpiritus, & narrabat mihi *ait Auguſtinus*, non cum fiducia quâ ſolebat, cùm tu demonſtrabas ei, ſed contemnens ea. Et hæc quidem decepta non fuit, quia gratiâ diſcretionis prædita ſciebat, quid intereſſet inter DEUM revelantem, & animam ſuam ſomniantem. Sed quia non omnibus hoc datum eſt, debent Prælati & Rectores animarum mulierum revelationibus obſiſtere, & eas ſpernere, & increpare, quòd ambulare audeant in mirabilibus ſuper ſe. Tum in earum mores ſtudiosè inquirendum, an ſint vagæ, garrulæ, ſuperbæ, avaræ, criminatrices: an aliquam vel minimam impudicitiæ ſuſpicionem præbeant: ac contra præceptum Apoſtoli in officiũ docendi & prædicandi ſe ingerant: an cum ſuis Confeſſariis, & Inſtructoribus modeſtè ſe gerant, nam ſi prætextu confesſionũ vel inſtructionum continuis collocutionibus diem terant, ſintquè

què totæ in narrandis visionibus & revelationibus, nulla pestis perniciosior est, nullum venenum insanabilius. Hinc doctissimorum virorum lapsus orti sunt, hinc plures Ecclesiæ columnas corruisse ex Ecclesiastica Historia didicimus, & deploramus. Omnes hæreses mulierculárum ope aut inventas aut disseminatas præclarè Hieronymus docet ad Cresiphontem ita scribens:

Adv. Pelagium.

„ Simon Magus hæresim condidit Helenæ meretricis adjutus „ auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum „ repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit „ mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles „ Philomenen suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritûs prædicator, multas Ecclesias per Priscam & „ Maximillam nobis opulentas fœminas primùm auro corrupit, „ deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. „ Arius ut orbem deciperet, sororem Principis ante decepit. Donatus per Africam, ut infelices quosque fœtentibus pollueret „ aquis, Lucillæ opibus adjutus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cœcum cœca duxit in foveam, successoremquè sui Priscillianum habuit Zoroastris magi studiosissimum, & ex mago Episcopum: cui juncta Galla, non gente, „ sed nomine, germanam huc illucquè currentem alterius & „ vicinæ hereseos reliquit hæredem. Possem & alia multa attexere sequentium seculorum exempla, sed hæc abundè sufficiunt ad eorum instructionem & cautelam, qui animas regendas susceperunt, nè facilè credant mulierum revelationibus, illis exceptis, quas longâ experientiâ & diligenti examine probaverint à DEO esse.

Sic ab hominibus humanâ & Divinâ sapientiâ præditis S. Theresiæ visiones & revelationes approbatæ fuerunt variis indiciis & argumentis, quæ operæ pretium est hic summatim referre, ut ad hæc veluti ad lydium lapidem oblatas revelationes examinare, bonumquè spiritum à malo discernere valeant, quicunquè huic curæ incumbunt. Spiritum igitur Theresiæ bonum esse, & veras revelationes hæc signa demonstrârunt. Semper timebat diabolicas illusiones, ac propterea nunquam visiones petiit aut desideravit: imò potiùs DEUM exorabat,

ut eam duceret per viam consvetam, hoc solùm optans, ut fieret in ea Divina voluntas. Cùm soleat dæmon præcipere, ut quæ revelat nemini dicantur; illa semper à spiritu sibi apparente audiebat, ut communicaret cum viris doctis, nè fortè tacens deciperetur: ideò se virorum illustrium examini subjecit, qui tunc doctrinæ & sanctitatis laude in Hispania florebant, quales fuerunt Petrus de Alcantara, Franciscus Borgias, Joannes Abulensis, Balthasar Alvarez, Dominicus Bannes, & alii. Suis directoribus exactissimè obediebat, & post visiones magis in charitate & humilitate proficiebat. Libentiùs cum illis agebat, qui minùs creduli & magis timidi erant; eosquè magis amabat, à quibus persecutiones patiebatur. In ejus mente summa tranquillitas & jucunditas erat, exuperans omnes mundi consolationes: ardentissimus in ea zelus animarum, purissimæ cogitationes, magnus candor, fervens desiderium perfectionis. Si quæ in illa imperfectio, si quis defectus erat, de illo semper reprehendi ab eo solebat, qui intus illi loquebatur. Dictum est ei, ut, si quæ justa sunt à DEO peteret, ea indubitanter obtineret: multa autem petiit & semper obtinuit. Quicunquè cum illa versabantur, nisi prava dispositio obstaret, ad modestiam, ad pietatem, ad amorem DEI ex ejus consvetudine excitabantur. Visiones ut plurimùm ei contingebant post longam & ferventem orationem, sive post communionem: & in illa accendebant ardentissimum desiderium pro DEO patiendi. Carnem suam jejuniis, flagellis, ciliciis castigabat; & gaudebat in tribulationibus, murmurationibus, & infirmitatibus. Solitudinem amabat abhorrens ab hominum conversatione, & ab omni rerum terrenarum affectu prorsus avulsa. Tam in prosperis, quàm in adversis eundem semper tenorem, eandem animi tranquillitatem servabat. Nihil unquam in ipsius revelationibus, earumquè adjunctis viri docti observârunt, quod à regulis fidei & Christianæ perfectionis alienum esset: nec erat in illis quod posset reprehendi. Hæc signa si in aliquo deprehensa fuerint, nullatenus dubitandum, quin ejus revelationes à DEO sint. Hoc etiam in persona, quæ habet revelationes, discutiendum est, an ejus actiones lumini, quo imbuitur, con-

sentaneæ sint: an sit fidelis Divinæ dispositioni, eiquè pareat eâ pace, hilaritate, ac vigilantiâ, quæ necessaria est: an in cordis simplicitate ex fide vivat, nec variis ac inutilibus desideriis agitetur; sitquè constans in vita & vocatione sua; an omnes ejus operationes & conatus extensioni gratiæ, quâ prædita est, commensurentur, nec ultra extendantur: & quia gratia amorquè crucis pari passu gradiuntur, seriò attendendum est, an crucem verè amet & desideret, mundiquè leges & sensuum illecebras abominetur.

Sed à personis ad ipsas revelationes progrediendum est & examinandum, quale sit illud, quod revelatur.

Card. Bona loco cit. Veritas autem primo loco attendenda est, & consensus rerum revelatarum cum sacris literis, cum Divinis & Apostolicis traditionibus, cum moribus & definitionibus Ecclesiæ; dicente Apostolo ad Galatas: *Cap. 1. 8.* quod si Angelus de cælo evangelizet nobis præter id quod accepimus, anathema sit. Et idem *2. C. 2. 14.* Thessalonicensibus edixit: *Tenete traditiones, quas didicistis.* Ecclesiæ verò infallibilis est authoritas Apostolis attestantibus, *Act. 15. 28.* qui hâc gravissimâ formulâ in definiendo usi sunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Quodsi aliquid in revelationibus reperitur, quod his aliquo modo adversetur, tanquam mendacia & illusiones rejiciendæ sunt; DEUS enim veritas est; & illi canit *Psal. 118.* Psalmographus: *Principium verborum tuorum veritas.* Quapro- *Hær. 48.* pter Epiphanius, Maximillæ revelationibus credendum non esse asserebat, quia sacris literis non conveniebant. In hanc sen- *De pp. anim. ad cont. c. 81.* tentiam egregiè loquitur Richardus à S. Victore: *Suspecta est mihi omnis veritas, quam non confirmat Scripturarum auctoritas, nec Christum in sua clarificatione suscipio, si non assistant ei Moyses & Elias. Si Christus docet me de rebus exterioribus, vel de intimis meis, facilè recipio, utpotè in his quæ comprobare possum proprio experimento. Verùm ubi ad alta mens ducitur, quoniam de cælestibus quæstio ventilatur, ubi de profundis rebus agitur, in tanto sublimitatis vertice non recipio Christum sinè teste, nec rata poterit esse quamlibet verisimilis revelatio, sinè attestatione Moysis & Eliæ, sinè Scripturarum auctoritate.*

1. Petri. 2. Hanc formam secutus est Princeps Apostolorum, Christi enim transfigurationem enarrans, & vocem à DEO Patre delapsam,

Hic

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, Ipsum audite ; quam se audîsse testatur, cùm esset cum ipso in monte sancto, speculator factus illius magnitudinis ; noluit tamen ei revelationi inniti, nisi quatenus Prophetarum oraculis consentanea fuit. Et ideò ait : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco* : ac si apertè diceret; quamvis vox è cælo delapsa revera à DEO Patre manârit, sermo tamen propheticus certior est & firmior omni scientiâ, omniquè visione & revelatione, quia falli sensus possunt, scriptura sacra non potest. Quia verò sectarii ipsam scripturam ad sua dogmata comprobanda perversâ interpretatione detorquent ; cavendum solicitè est, nè alio sensu explicetur, quàm qui illi tribuitur ab Ecclesia, quæ, cùm sit columna & firmamentum veritatis, auctoritatis suæ pondere homines firmat, nè circumferantur omni vento doctrinæ, sed verum scripturæ sensum à suppositit io & adulterino discernant.

Ut constet revelationem à DEO esse, inspiciendum est, an habeat conditiones, quas sapientiæ à DEO revelatæ Iacobus Apostolus tribuit dicens: *Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est*, pura scilicet & abstracta ab omni carnali & terrena voluptate : *deinde pacifica*, semperquè tanquilla, & cum nemine contendens· *modesta*, & composita in habitu, gestu, & conversatione: *svadibilis*, aliorum scilicet judicio facilè cedens: *bonis consentiens*, eorumquè sententiæ acquiescens: *plena misericordiâ & fructibus bonis*, idest, bonis operibus, atque in omnes indigentes opes suas abundanter effundens : *non judicans*, sicut pleriquè faciunt, qui aliorum mores & facta disquirunt & perperam interpretantur ; *sinè simulatione*, sinè dolo & fraude, simplex & sincera. Hæ sunt notæ, hi characteres veræ sapientiæ; hæ virtutes, ad quas excitat Divina revelatio : quod si ad lites, ad contentiones, ad curas seculi, ad vanitatem, ad superbiam, ad pertinaciam, ea, quæ revelantur, impellunt; proculdubio à carnali & mundana sapientia, quæ non percipit quæ sunt Spiritûs DEI, vel à spiritu maligno oriuntur. *Jacob. 3. 17.*

Si, quod revelatur, eò tendit, ut opus aliquod grande & inusitatum svadeat, non statim ei revelationi tanquam à DEO immissæ credendum; sed ad examen & judicium superiorum

Coll. 2. cap. 10. referenta est, sicut docet Cassianus. Ut nihil quis suo judicio credens illorum per omnia definitionibus acquiescat; & quid „ bonum vel malum debeat judicare, eorum traditione cogno- „ scat. Callidus enim hostis bonum aliquod interdum suggerit, quod majus & perfectius videtur, ut falsâ ejus specie mens decepta, ab eo, quod verè bonum est, recedat; & malo sensim adhæreat. Nihil siquidem vero bono magis contrarium, quàm falsa majoris boni species & apprehensio. Sæpe etiam ad bona quædam perfectiora incitat, quæ propriæ Professioni & vocationi non congruunt: Sic uxori alligatæ viro eremum svadet, solitudini addicto gentium conversionem, infirmo & debili immoderata jejunia, patrifamilias studium contemplationis abjectâ curâ rerum domesticarum. Alios movet ad miserationem erga pauperes, & alios ad avaritiam & amorem pecuniæ, prætextu largiendæ eleemosynæ, impellit. Veris item & bonis falsa atque mala permiscet, ad aliqua bona exhortans, & vitia quædam reprehendens, ut conciliatâ sibi apud incautos auctoritae, postea ad mala incitet, blandisquè sermonibus venenum instillet,

Cùm diversæ & inter se pugnantes diversis personis de eadem re revelationes fiunt, contingere potest, ut una vera, altera falsa sit, satagente diabolo priorem veram sequenti falsâ eludere: ut plurimum tamen ambæ suspectæ, & dubiæ sunt, ac propterea accuratiùs examinandæ. Falsa quoquè vel saltèm suspecta habenda est revelatio, cùm ea quæ revelantur, ad DEI gloriam & hominum salutem non spectent: cùm quis luce & splendore in conspectu aliorum perfunditur, nisi sit verè humilis, & diu probatæ sanctitatis: cùm manifestantur alicujus occulta peccata, quæ scire nihil prodest; si præsertim ad ea evulganda, quis impellatur; quod si alicui detegantur, ut peccatorem arguat, subsistere nihilominùs debet, & correctionem differre, donec cognoscat à quo spiritu sit illa motio. Quia verò DEUS ea duntaxat revelare solet, quæ hominum scientiam excedunt, suspecta redditur revelatio, utpotè non necessaria & supervacua, cùm id, quod revelatur, humanâ intelligentiâ percipi potuit. Porrò cùm agitur de revelationibus futurorum
2. 2. q. 171. a. 6, ad 2. eventuum, quorum veritas ex successu pendet, notanda est regula, quam ex Angelico Doctore tradidimus suprà posse scilicet

revela-

revelationem veram esse licèt effectus minimè sequatur. Nam præter rationem ibidem allatam aliquando exitus rei, quæ revelatur, aliter à nobis, aliter à DEO intelligitur: & ideo humanus loquendi modus in his minimè attendi debet, si falli & errare nolumus. De Christo ejusquè regno multa DEO revelante à Prophetis prædicta sunt, quæ à carnalibus Hebræis de regno temporali intelligebantur, cùm de spirituali & æterno scripta sint. Legi potest hac de re diffusè tractans Joannes à Cruce in ascensu montis Carmeli. Docet etiam Bonaventura, familiare esse viris piis decipi in revelationibus; sæpe enim orantes ex DEI inspiratione pro alicujus negotii expeditione, conceptâ fiduciâ rei obtinendæ, putant se exaudiri, & quod confidentiâ proprii sensus loquuntur, à Spiritu Sancto oriri existimant, & in hoc decipiuntur falsa pro veris, incerta pro certis prædicentes.

Cap 17. §. 5. n. 1.

Lib. 2. 19. & 20.

Solam frequentiam revelationum eas suspectas reddere, S. Franciscus Salesius docet, cùm præsertim illa revelantur, quæ nonnisi rarò manifestari solent, & quæ scire non expedit, cujusmodi sunt; certitudo salutis, confirmatio in gratia, gradus sanctitatis ad quem quis pervenit, & alia ejusdem generis. Petierat à Gregorio magno hujusmodi revelationem nobilis mulier, cujus curiositatem Sanctus Pontifex redarguit his verbis. Quod verò dilectio tua in suis epistolis subjunxit, importu- „ nam se mihi existere, quoadusquè scribam mihi esse revela- „ tum, quia peccata tua dimissa sunt, rem & difficilem quidem, „ quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat, inutilem „ verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm jam „ in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minimè valebis. „ Quæ dies quousquè veniat, semper suspecta, semper trepida „ metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. „ Certè Paulus Apostolus jam ad tertium Cælum ascenderat, in „ Paradisum quoquè ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ „ homini loqui non liceret; & tamen adhuc trepidans dicebat: „ *Castigo corpus meum, & servituti subiicio, nè fortè aliis prædicans ipse* „ *reprobus efficiar.* Adhuc timet qui jam ad Cælum ducitur, & „ jam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur? Per- „ pende dulcissima Filia, quia mater negligentiæ solet esse se- „ curitas

Lib. 2. Ep. 23.

Lib. 6. Ep. 22.

1. Cor. 9. 27.

„ curitas. Habere ergo in hac vita non debes securitatem. Magni etiam periculi res est, pacisci cum amico, ut statum suum post mortem revelet; aditus enim aperitur illusionibus, & qui sic inter se constituunt, vix à defectu fidei & à vana curiositate excusari possunt. Quare satiùs est, ambulare in fide, propriamquè salutem cum timore & tremore operari.

Postremo loco intueri oportet, quæ & quales sint circumstantiæ revelationum; proprium enim & accuratum examen requirunt.

1. Revelationes,que ex diabolo sunt, multos habent annexos discursus, & rationes ad persvadendam earum veritatem: tum ingens animæ desiderium ingerunt eas in vulgus edendi & publicandi: at si verè à DEO sunt, qui ipsas recipit, silentio premit, soliquè confessario humiliter detegit, cujus consilio credit & paret, nihil sibi tribuens, nihil dijudicans. Viros sanctos legimus, revelationes suas nunquam aliis aperuisse, nisi charitas posceret, aut superioris jussio urgeret. Divini Spiritûs indicium est, ab omni re, que notabilem hominem faciat, abstinere; de seipso modestè loqui, nec verba illa arrogantiæ plena usurpare: hæc mihi DEUS locutus est, hæc revelavit. Nè quis verò decipiatur, optimum consilium est observare, quo fine quis moveatur ad ipsas revelationes manifestandas, levitate nè, an vanitate; utilitate propriâ, an alienâ; unius nè, an multorum: an aliqua appareat nota cupiditatis, avaritiæ, vel propriæ æstimationis: quibus verbis in ipsa narratione utatur, an humilibus & verecundis, an tumidis, & inconsideratis: an paucis se expediat, seu potiùs prolixior sit. Illud quoque perpendendum, quod S. Theresia docuit, rebus scilicet, quæ revelantur, nullam fidem adhibendam esse ex eo præcisè, quòd revelatæ sint; sed si ad fidem pertinent, illis propter fidem credendum est; si aliquid præcipitur, ad superiorem deferendum, ejusquè mandato accedente ex obedientia peragendum est. Hâc viâ ambulans nunquam errabit.

2. Cùm DEUS aliquid revelat, non loquitur humano modo, unum verbum post aliud proferens, sed plures simul sententias brevi momento promit; sicut periti nummularii, cùm

cùm pecuniam solvunt, non unum nummum post alium sigillatim dinumerant, sed plures simul uno jactu in mensam effundunt. Hoc modo sibi revelatam à Christo regulam, quam scripsit, S. Brigitta testatur, quæ cum satis diffusa sit, brevissimo tamen temporis spatio ita illi dictata fuit, ut nullo modo ipsa enarrare, aut alii comprehendere queant, qualiter brevissimo horæ momento tot simul verba proferri aut percipi possent. Agit de hac mirabili DEI loquela Gregorius in moralibus, qui inter cætera ait: *Cùm DEUS per semetipsum loquitur, de verbo ejus sinè verbis & syllabis cor docetur. Sine spiritu sermo est, qui & auditum aperit, & habere sonitum nescit.*

Regulæ c. 29.

Lib. 28. c. 7.

3. Revelationis accessus perpendendus est, an turbulentâ motione hominem quatiat, & quasi æstuantem jactet; an verò placidè & tranquillè adveniat; an in principio lætitiam ingerat, quæ statim in tristitiam convertatur; an potius horror initio concipiatur, qui sensim amoveatur & in gaudium desinat: hoc enim veræ, illud falsæ revelationis indicium est. Quòd si in principio vel in progressu accipiens revelationem in terram labitur, ut aliquando contigisse legimus, & inusitatis motibus concutitur, & in his apparet quidpiam indecorum, & quod oculos intuentium offendat, nullum est dubium, quin à diabolo sit. Illi verò, quibus dæmon apparet, vix malum aliquod vel incommodum evadunt; ipso saltem horrore vultus notabiles sunt. Loci etiam ratio habenda est, pandit enim DEUS secreta sua animæ ab hominum frequentia segregatæ: ac propterea suspectæ sunt revelationes, quæ in publicis locis contingunt, sicut suprà de ecstasi dictum est. Discutiendæ item cogitationes, quæ præcesserunt & concomitantur, quia ad hominem prava animo agitantem non advenit Spiritus Sanctus. Deniquè effectus revelationis attendi debent, nam falsa malum exitum semper habet.

4. Ex lumine infuso, quo mens imbuitur, certitudo DEI revelantis, & rerum revelatarum colligitur, quemadmodum lumine naturali prima scientiarum principia cognoscimus, & ex iis conclusiones deducimus. Nam sicut vox & se, & loquentem, & rem, cujus est signum manifestat: ita supernum hoc

lumen non solùm DEUM revelantem, & ea quæ revelantur, sed etiam seipsum palàm facit. Ejus siquidem munus est, mentem illustrare, ut certò sciat, DEUM esse qui loquitur, quo posito sequitur necessariò vera esse & infallibilia quæ revelantur. Perfudit Abraham mentem hoc lumen, cùm ad filium immolandum se paratum exhibuit, nullatenus dubitans, quin DEUS esset, qui sibi hâc victimâ litari præceperat. Nec aliter Samson seipsum cum hostibus ruinâ domûs oppressit, quia luce Divinâ perfusus hoc gratum DEO futurum perspexit. Sic quædam Sanctæ Virgines in ardentem rogum se ultrò in testimonium fidei projecerunt, DEO impellente & mentem illuminante: neque enim de illis aliud credere fas est, quarum martyria publico cultu Catholica Ecclesia veneratur. Quia tamen hoc lumen non semper in Divinis revelationibus adest, sanum consilium est eas superiori referre, qui ex regulis traditis videat, *utrùm Divina jussio nullo nutet incerto*, sicut sapienter monet Augustinus.

Lib. de Civit. DEI Cap. 26.

5. Ex viris & Divinis revelationibus semper anima proficit in cognitione veritatis, & in doctrina ac scientia sanctorum; & ideo inspiciendum, an sermo hominis post revelationem cælestem sapientiam redoleat, an potiùs terrenam, quæ apud DEUM stultitia est Scriptum est enim; *Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius: sic verbum ex cogitatu cordis hominis. Ante sermonem non laudes virum, hæc enim est tentatio* seu probatio *hominum.* *Ex abundantia cordis os loquitur, & bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.* Ex notis discernitur spiritus, à quo sermo procedit. Nam bonus homo sanam doctrinam loquitur, & omnis narratio ejus in præceptis Altissimi: ori suo frænum imponit, solicitè præcavens, nè in sermone labatur: Velox est ad audiendum, tardus ad loquendum; tacendi & loquendi tempus distinguens: sermo ejus sale conditus est, adeò ut, qui eum audiunt, compuncti dicant, *verè Filius DEI est ipse.* Malus verò per multa phantasmata, multasquè ambages in sermone vagatur: verba grandia, magnifica, inusitata profert, quibus admirationem in audientibus, sibiquè laudem conciliet: modum non habet, nec linguam

Eccl. 27. 7.

Matth. 12.

guam continere potelt intra terminos rectæ rationis: à recepta ſanctorum Patrum doctrina ſermo ejus recedit, & novas adinventiones amplectitur, non ceſſans cœleſtes jactare revelationes, ſicut olim doctisſimus, ſed infelicisſimus Tertulianus. Quia verò Divina chariſmata, quibus animam à rebus omnibus avulſam, ſibiquè ſoli unitam illuſtrat Spirtus Sanctus, altisſima nonnunquam & ineffabilia ſunt, adeò ut ab ipſa vix intelligi, multò minùs verbis explicari queant; ſedulò cavendum eſt, nè dum uni periculo nos ſubducere ſatagimus, in alterum graviùs labamur. Nam cæleſtium donorum ſublimitas ſæpe excedit vim & ſignificationem omnium vocum, quas ad promendos animi conceptus homines inſtituerunt; & ſi quis ea, ut par eſt, directori pandere velit, lingua cordi non ſufficit, unde neceſſè eſt, ut nova vocabula novasquè phraſes fingat, quibus ſingu'-ria DEI dona ſibi conceſſa manifeſtet, quas ſanè voces carnales homines non percipientes, præcipiti ſententiâ veluti erroneas damnare ſolent. Traducitur hoc nomine à nonnullis myſtica Theologia, ac ſi voces contineat obſcuras, horridas, inauditas, intelligibiles, & à placitis Philoſophorum ac Theologorum diſſentientes, quas vel ludibrio habent tanquam nullius momenti; vel nihil differre putant ab erroribus Begardorum & Illuminatorum dudum damnatis. Integri voluminis res eſt, myſticam Theologiam à calumniis imperitorum vindicare, & nos fortasſis de hac re alibi, DEO opitulante. Interim monemus, nemini ex hoc capite erroris ſive illuſionis notam inurendam, ſi cum myſtico ejus eloquio ſanctioris vitæ ac veræ revelationis tradita ſigna conſentiant. Habet myſtica Theolgia ſuas voces, quas terminos vocant Dialectici, ſicut omnes artes & ſcientiæ: & cum ſit omninò ſupernaturalis, ejus principium, finis & media, moduſquè tendendi in finem, voces quoque & phraſes, quibus traditur, naturæ ordinem ac vires, atque humanæ ſapienitæ verba tranſcendunt.

10mo. *Regulæ* in Prophetis & Prophetiis veris à falſis dignoſcendis ſunt: Etenim quæ à nobis remota ſunt, & longiùs disſita, occulta item & arcana cognoſcere, tunc ſignum eſt Divini Spiritûs, cùm de hominis charitate & humilitate certum habe- *Card. Bona de diſcr. ſpir. c.6.*

habetur experimentum. Quòd si ea cognitione foveri inanem gloriam & curiositatem videamus, nulli dubium erit à diabolo ea pandi. Internas autem cogitationes & cordis secreta nullo exteriori indicio manifestata intelligere & pandere, opus est Divini spiritûs, qui solus penetrat corda hominum, & quæ in ipsis latent, servis suis revelat.

Card. Bona de discr. spir. c. 17. 1 Prima ac præcipua veri Prophetæ nota veritas est; verus enim censeri debet, qui vera prædicit: falsus, qui mendax est. Tradidit hanc regulam in scripturis suis Spiritus Sanctus, ubi postquam edixit, falsos Prophetas interficiendos esse, qui arrogantiâ depravati ausi fuerint in nomine ipsius loqui, quæ ipse non præcepisset, ait: *Quod si tacitâ cogitatione responderis, Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit; hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.* *Deut. 18. 20.* Huic tamen Regulæ duo sunt, quæ obstare videntur. Nam primò multa futura à pseudoprophetis prædici scimus, quæ postea eveniunt. Deinde ex scripturis constat, non omnia, quæ à veris Prophetis prænunciata sunt, adimpleta fuisse. Sed facilis est adhæc objecta responsio. Ad primum enim dicimus multa esse occulta, & à quorundam hominum cognitione remota, quæ naturalem dæmonum notitiam non excedunt, & hæc possunt Prophetis suis indicare, ut illorum revelatione nomen sibi concilient & incautos decipiant; futura autem contingentia, & quæ nullo modo ab hominibus cognosci possunt, non nisi DEO revelante prædicuntur, ut suprà ostensum est. Altera objectio duplici distinctione tollitur. Prædictio enim vel absoluta est, vel comminatoria: illa semper adimpletur, hæc annexam in se & latentem conditionem habet, nisi peccatores futuri supplicii comminatione perterriti egerint pœnitentiam.

Jer. 18. 7. *Repente loquar,* dicit Dominus, *adversus gentem & adversus regnum, ut eradicem & destruam & disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam; agam & ego poenitentiam super malo quod cogitavi, ut facerem ei & subitò loquar de gente & de regno, ut ædificem & plantem illud.*

2. Veritas Prophetiæ in re ipsa à DEO revelata consistit,

non in ejus intelligentia: semper enim verum est, quod summa & incommutabilis veritas loquitur, quamvis ab homine non intelligatur: neque repugnat, quod revelatio sit vera & à DEO, ejus autem explicatio falsa, & ab homine, qui eam aliter, quàm DEUS intelligat, interpretetur. Ideò prudentissimè monuit Theodidacta Virgo Theresia, nè quis aliquid inconsulto Confessario, qui pius, doctus & circumspectus sit, aggrediatur, quamvis certò sciat revelationem seu locutionem à DEO esse; fieri enim potest, ut revelatio vera sit & Divina, sed vera ejus significatio, reiquè eventus lateat, sicut accidit in prænarrata expeditione. Huc etiam referendæ, ut diximus suprà quorundam sanctorum prophetiæ & revelationes de futura Ecclesiæ reformatione, quæ hactenus nullum effectum sortitæ sunt, vel quia malitia hominum illis obicem posuit, piorumquè conatibus collapsam disciplinam reparare cupientum obstitit: vel quia tempus à DEO statutum nondum advenit, nam mille anni ante oculos ejus tanquam dies hesterna quæ præteriit.

Cast. animæ mans. 6. cap. 8.

Card. Bona cap. 17.

3. Veri Prophetæ id tantum enunciant, quod DEUS ipsis revelare dignatur, nec aliâ ratione prædictiones suas stabilire & confirmare solent, quàm quia *os Domini locutum est*: falsi hoc donum sibi temerè hoc arrogant, atque omnibus petentibus semper respondent, ac si spiritus propheticus semper ad nutum illis adesset, cùm tamen hæc gratia, sicut cæteræ gratìs datæ, nemini unquam per modum habitûs, nisi soli Christo concessa sit. Quod *si aliquando veri Prophetæ*, ut observat Gregorius, *aliquid per suum spiritum dicunt*, sicut Nathan dixerat David, ut templum construeret, *hoc ab auditorum mentibus per Spiritum Sanctum eruditi citius corrigunt. Prophetæ autem falsi, & falsa denuntiant, & alieni à sancto* spiritu in sua falsitate perdurant.

Hom. 1. in Ezech.

4. Propheta falsus esse convincitur, qui, cùm aliquid prædixerit, quod evenerit, falsam postea doctrinam prædicat, populumquè avertit à cultu DEI, & à via virtutis: signa enim doctrinam subsequi debent, non præcedere; sicut Christus ejusquè discipuli nos docuerunt, qui prædicationem suam subsequentibus miraculis & prænotionibus confirmârunt.

Card. Bona de disc. spir. c. 17.

5. *Proprium est falsi Prophetæ*, inquit Chrysostomus, *emotæ* *Ibidem.*

Hom 29. in 1. ad Cor. *esse mentis, vim pati ac necessitatem, pelli, trahi, raptari tanquam furentem. Verus autem Propheta non sic, sed cum mente sobria, & cum modestia ac temperante constitutione, & sciens quæ loquitur, dicit omnia.* Et infra. *Dæmonis proprium est, tumultum & furorem, & multam procreare caliginem: DEI autem est illuminare, & quæ oportet docere cum intelligentia.* Ideò autem falsi Prophetæ mente commota loquuntur, quia dæmonis impetum, à quo impelluntur, ferre non possunt: At qui à DEO aguntur, placidè, humiliter, & modestè proferunt, quæ ab illo acceperunt, docet enim eos Sap. 7. 22. omnium artifex Sapientia, in qua est *Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens.*

6. Examinandus est finis prophetiæ, qui est publica utili-1. Cor. 14. 3. tas Ecclesiæ, & privata fidelium ædificatio. *Nam qui prophetat,* inquit Apostolus, *hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortatio-Isa. 48. 17. nem, & consolationem.* Isaias quoque ait: *Hæc dicit Dominus redemptor tuus Sanctus Israël. Ego Dominus DEUS tuus, docens te utilia, gubernans te in via quâ ambulas.* Si quis igitur inutilia prædicit, si vanitates & insanias falsas, si curiosa & inania, quæ nec ædificant, nec instruunt ad salutem; nec peccatores ad poenitentiam excitant, aut justos ad incrementa virtutum; hic falsus Propheta est.

7. Christus redemptor noster, cùm Discipulos suos mo-Matt. 7. 15. nuisset, cavendum esse à falsis Prophetis, hoc ad eos dignoscendos indicium tradidit: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Ut enim ex fructibus arbor, sic ex moribus & ex doctrina propheta verus à falso discernitur. Quorum igitur vita pravis moribus contaminata est, eorum prædictiones spernendæ sunt; Hi sunt enim qui falsis vaticiniis plebem seducunt, & mendacibus reve-Thren. 2. 14. lationibus incautos decipiunt, de quibus ait Jeremias: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent.*

Card. Bona de discr spir. c. 6. VIII. *Regulæ* circa miracula quæ etiam ab impiis fieri posse scriptura nos docet, cùm Magos Ægyptios eadem, quæ Moy-

Moyses operatus est, portenta edidisse; & Dominus in Evangelio de peccatoribus dammandis in die judicii ait: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus? & tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Faciunt enim miracula teste Augustino, Magi per privatos contractus cum dæmonibus, boni Christiani per publicam justitiam, mali per signa publicæ justitiæ. Et illa quidem quæ à Magis fiunt, dæmonis invocatione & illusione fiunt: à malis autem Christianis, atque etiam ab infidelibus, & multò magis à justis virtute Divina fieri possunt, vel ad demonstrandam fidei veritatem, vel ad honorem Christi propagandum, cujus nomen invocatur, ut docet S. Thomas, & hæc nota sanctitatis non sunt, nisi attentis omnibus circumstantiis evidenter constet, DEO operante à viro probatæ virtutis fieri, ut per hujusmodi signa ejus sanctitas elucescat. Quæ verò in animis patrantur, verè & absolutè nota sanctitatis censenda sunt: non enim solet DEUS ad tantum opus, cujusmodi est perfecta ad DEUM conversio, quempiam assumere, qui sibi gratus non sit. Unde usu compertum est, neminem unquam hypocritæ suasu verè conversum fuisse: & licèt aliqua virtutis argumenta protulerit, ea tamen successu temporis emarcuerunt, & ad nihilum redacta sunt.

Exod. 7. *Matth. 7. 22.* *Lib. 3. quæst. qu. 79.* *2. 2. qu. 178. art. 2.*

SECTIO VI.

GEnera lingvarum, sunt Donum DEI supernaturale, quo vel verba prolata in proferentis idiomate proprio multiplicabantur per species impressas verborum idiomatis proprii cuique audientium: & tunc se habet donum hoc supernaturaliter, per modum actionis transeuntis ex parte audientis, non verò loquentis. ((Ità D. Bernardus concionatus Gallicè audiebatur à Germanis concionari germanicè.)) Vel donum hoc infundi per modum habitûs, quo fit aliquis aptus loqui idiomate proprio omnium gentium. Et hic modus magis propriè explicat donum lingvarum, quo in primitiva Ecclesia Apostoli, aliiquè fuerunt prædíti. Necessitas autem hujus doni fuit ut Evangelium per totum orbem sine impedimento prædicaretur, & à Gentibus perciperetur.

Vide Suarez de gratiæ prologo 3. cr. n. 47. & seq. *In vita ejus.*

Vide suarez ibidem n. 55.

SECTIO VII.

INterpretatio sermonum dupliciter intelligitur. Primò esse donum DEI supernaturale, quo aliquis verba Sacræ scripturæ vel alia ad Ecclesiæ ædificationem ordinata ex uno idiomate in aliud transfert secundum proprium sensum, significationem verborum utriusquè idiomatis ad captum & claram intelligentiam audientium vel legentium. Quod aliàs perdifficile est interpretibus ejusmodi maximè in sacra scriptura, ubi & ordo verborum, & ipsa verba mysterium habent ut Hieronymus loquitur. Hoc donum fuit necessarium in primitiva Ecclesia: quia non omnibus concedebatur donum lingvarum, ut sic alii aliis explicarent Canonicas Epistolas Apostolorum, aliorumquè Apostolicorum virorum, ut Clementis, Ignatii &c. Tum ut unus alteri referret utilitatem auditæ concionis in uno idiomate. Datumquè esse dicitur in scriptura 70. interpretibus vel vulgatò interpreti.

Vide suarez de gratia Prolegon. 3. c. v. n. 60.

Secundo modo interpretatio sermonum accepta Donum DEI supernaturale, quo aliquis fit expeditus ad profundiùs & distinctiùs explicandas res, mysteriaquè latentia, ac genuinum sensum verborum sacræ scripturæ. Hoc donum olim concedebatur Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ & deinde fortè nonnullis sanctis absque eorum humano studio ut de S. Bernardo alisquè habetur. Crediturquè frequenter concedi aliis Concionatoribus, Doctoribus, & scriptoribus Ecclesiasticis, non ut humanam diligentiam in suis ministeriis temerè omittant, sed ut in illa proficere & ea convenienter uti valeant. De hac gratia aliqui exponunt illa Pauli 1. ad Timoth. 4. verba: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.

Interpretatio sacræ scripturæ prout se habet per modum artis videnda est sub virtute studiositatis sacrarum literarum.

p. 1. c. 3. sec. 3.

Quali vero methodo gratiæ gratis datæ enumeratæ possint fieri in praxi salutares & meritoriæ operanti, visum est superà.

Finis Tractatûs Secundi, in Prima Secundæ, Theologiæ Spiritualis.

In Prima Secundae [illegible]

Fol.

150.

